MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, J. C. Naber, M. C. Valeton,
J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM TERTIUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1915.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

DE SERVITUTE PRAEDIORUM DONATIONIS CAUSA CONSTITUENDA.

SCRIPSIT

J. VAN BINSBERGEN.



Nuper ab amico causarum patrono rogatus an iure Romano servitus praedii donationis causa constitui posset, ut tali in re fieri solet haud dubitanter respondi: quidni? Sed continuo illius sententiae memor: quod primum tibi in mentem venit cave ne ei fidem habeas, accuratius me haec examinaturum promisi.

Enchiridiis de iure Romano, quae mihi prae manu erant inspectis haec inveni:

Windscheid Pand. 9e Aufl. 2e Bd § 365: „die Vermögenszuwendung, durch welche die Schenkung vollzogen wird, kann in der verschiedensten Weise erfolgen; im Einzelnen: durch Verschaffung des Eigentumsrechts, *Verschaffung eines Rechts an fremder Sache* e. q. s.

Girard Manuel él. de dr. R. 3me éd. p. 926: „Elle (la donation) peut indifféremment être faite par une translation de propriété, par une *constitution* ou une extinction *de servitude* e. q. s.

Tam Windscheid quam Girard pro documento laudant l. 17 D. 8. 4. Cf. l.l. § 7 D. 43. 18. de donatione superficiei et § 3 I. 3. 24 de donatione emphyteuseos.

Apud ceteros quoque quos consului scriptores expressis verbis mentio fit de servitute rei donationis causa constituenda:

Modderman Dr. Tich. I p. 222.

Salkowski Inst. 7te Aufl. p. 403.

Goudsmit Pand. I p. 169.
Savigny Syst. d. h. R. R. IV p. 117.
Puchta Inst. II 5te Aufl. p. 375.

Communis igitur opinio est virorum doctorum, servitutem rerum ex liberali causa constitui posse; nec vola nec vestigium dubitationis extare videtur. Sed iam oritur magna difficultas, quam extricare posse mihi saltem non contigit, quapropter hac de re ceteris iudicium permitto.

In commentario enim Roberti Pothier ad Pandectas unicus qui semper probationis causa locus laudatur (est l. 17 D. 8. 4) commemoratur in titulo 4 „communia praediorum tam urbanorum quam rusticorum", tractatur in titulo 6 „quemadmodum servitutes amittuntur".

Exscribam l. 17 D. 8. 5 (Papinianus libro septimo quaestionum) et deinde addam Roberti Pothier commentarium: „Si precario vicinus in tuo maceriam duxerit, interdicto „quod precario habet" agi non poterit [1]), nec maceria posita *donatio servitutis* perfecta intellegitur [2]), nec utiliter intendetur „ius sibi esse" invito te aedificatum habere, cum aedificium soli conditionem secutum inutilem faciat intentionem. Caeterum si in suo maceriam precario qui servitutem tibi debuit, duxerit [3]), neque libertas usucapietur [4]) et interdicto „quod precario habet" utiliter cum eo agetur. Quodsi donationis causa [5]) permiseris hoc interdicto agere non poteris et servitus i. e. ius itineris donatione tollitur."

Sequuntur adnotationes Roberti Pothier:

1) Nam hoc aedificium, cum sit in tuo solo, tui iuris est potesque illud propria auctoritate diruere, nec opus est ut recurras ad interdictum.

2) Id est remissio servitutis. Sensus est: ex eo quod precario concesseris vicino ut in tuo haberet maceriam quae tibi debitum iter ad eius fundum obstruat, non videbitur perfecta remissio servitutis itineris.

3) Per quam servitus impediatur.

4) Quia precario eam aedificatam habet.

5) Pure scilicet, non (ut supra) precario.

Quid de his statuendum? Est mira res. Unicum quod habemus

testimonium quodque ubique affertur non de servitute constituenda sed de tollendo iure itineris agit. Auctoritatem Roberti Pothier impugnare non meum est, sed maioris mihi videtur momenti Pandectarum fragmentum tantum eo modo explanari posse quo explanavit Francogallus Ictus.

Vocem *donandi* aurea Latinitate interdum significare posse „remittere" dubium non est, quamquam usitatius est hoc sensu *condonandi* verbum; Ictos *donandi* vocem hoc sensu usurpasse mihi neque notum est neque verisimile videtur.

In Pandectis, sicut supra notavi, fragmentum nostrum non occurrit in titulo „quemadmodum servitutes amittuntur" sed in titulo (4 libri 8) „communia praediorum tam urbanorum quam rusticorum", ubi praesertim de constituenda servitute agitur, Pothier autem legem nostram collocat in capite de tollendis servitutibus.

Papinianum l.l. de constituenda servitute egisse et ipsa verba credere vetant et ea res quod nusquam de iure in alieno fundo maceriam habendi mentio fit. Donationis causa servitutem tolli posse verisimile videtur; sed ut inde efficiamus, eodem modo licuisse tale ius condere, quamvis haud reprobandum id mihi videatur, tamen aliunde petito auxilio nos indigere censeo.

AD INDICEM STOICORUM HERCULANENSEM.

In *Indice Stoicorum Herculanensi* [1]) legitur de Zenone: τοὺς η.εασμοὺς πράως καὶ προθύμως ἔφερεν. Arnimius coniecit restituendum esse: τοὺς εἰκασμούς, Wilhelmus [2]): τοὺς χλεασμούς i. e. χλευασμούς. Ita sententiam evadere apertam et dilucidam concedo; sed tamen dubium mihi videtur, an vera lectio sit: τοὺς ἐπηρεασμούς. Utrum per spatium ita legere liceat necne, diiudicanto viri docti, qui papyrum denuo edituri sunt.

Gu. V.

1) Arnim, Stoicorum veterum fragm. I, p. 12, 32.
2) Wiener Eranos, p. 133.

AD PLUTARCHI MORALIA
ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e Vol. XLII pag.* 443.)



DE CURIOSITATE.

Statim libellus hic in codicibus illum de loquacitate sequitur, et nisi vel statim sequeretur vel proxime praecederet, a suo eum loco aberrasse clamaremus, non enim hi libelli inter se seiungi possunt, tam simili sunt argumento, tam similis est color atque universa species. Quid quod orationem *ad auditores habitam* esse hunc librum disertius etiam, si fieri potest, apparet. Quod ita evenisse est cur gaudeamus. De *curiositate* enim librum *lecturis* destinatum facile fingere nobis possumus. Ne hoc quidem incredibile aliquem, qui se illo morbo laborare cum detrimento suo esset expertus, mentis medicum adiisse ut illo liberaretur, quemadmodum Paccius animo perturbatus et anxius ab eo petivit ut sibi animi redderet tranquillitatem, deinde, postquam pro medicamento libellum ab eo accepisset, operam dedisse ut in quam plurimorum ille perveniret manus. Eodem enim modo idem ille Paccius libelli *de tranquillitate animi* in se recepit patrocinium. Quo modo vero *de garrulitate* liber, si *scriptus* est tantummodo, lectores invenire potuit? Cui illum philosophus dedicare ausus esset? Quis non vir opulentus et nobilis eum sibi dedicari vetuisset, ne ridiculi illius vitii tamquam exemplum proponi videretur? Ergo *de garrulitate* prius *habitam* orationem, deinde, cum orator eam admodum probari sensisset, *editam* et res ipsa clamat et testatur sermo, quo auctor usus est. Ad li-

brum contra de *curiositate* quod attinet idem illud e solo sermone potest apparere. Bene ergo factum quod tam disertus est ille. Exempli causa duos hosce affero locos:

p. 517 A. „Quemadmodum apud comicum Cleon ille
manus in Aetolis in Abstulia animum
habuit, sic curiosi mens simul est in divitum domibus in casis pauperum, in aulis regum in cubiculis modo nuptiis iunctorum; omnia pervestigat: hospitum res ducumque, atque illud saepe cum suo periculo."

et 517 B: „*non* celat rex gaudium suum cum felici utitur fortuna, iocos cum est hilaris, convivii apparatus, beneficii. Sed quae celat horrenda sunt, tetrica, omni carent amoenitate et comitate: thesauri instar reposita ira, atrocis supplicii meditatio, adversus rivalem invidia, adversus filium metus, adversus amicum suspicio: fuge atram quae cooritur nubem, senties fulgur eius et tonitru cum eruperit."

„At" roget quispiam „aptene clauditur uterque libellus? Hoc enim, ut opinor, certum est orationis habitae signum, locus in fine additus qui aures impleat et mentes commoveat." Et iure sic roget; de *perficiendo* opere Veteres Graecos et Romanos tantum non prorsus idem sensisse atque nos ex nulla re luculentius apparet quam quod tam sedulo semper dederint operam ut finis opus coronaret. Quodsi interdum aliquid ibi desideramus, puta in comoedia, haec rei causa est quod lectores non spectatores nos sumus: non enim opus omnia quae fiant *in scena* nunc legi in codicibus qui nobis servarunt fabulam. Velut in Aristophanis Equitibus postquam dictum est

ἵν' ἴδωσιν αὐτὸν οἷς ἐλωβᾶθ' οἱ ξένοι

saltationes fieri et pompam ludicram sponte intelligimus licet nihil eiusmodi in textu legatur. Nam haud facile invenias orationem ullam Attici oratoris, nedum Ciceronis, quae non ita claudatur ut nobis quoque claudi eam oportere videatur. Ut ad nostros veniam libellos: „peroratione" (ut Francogalli loquuntur) aliqua vel magnifica vel acuta clauditur neuter; et paene dixerim illam ab iis plane esse alienam. Ad delectandos enim pariterque monendos auditores, non ad commovendos incitandosque scripti sunt. Et tamen subito eos *abrumpi* dicere ineptum sit. Audi modo qui finis sit libelli *de garrulitate*:

„denique et praeter ea quae dicta iam sunt, in promptu habere semperque recordari oportet Simonidis dictum multos paenituisse loquacitatis, silentii neminem; deinde cogitare quanta vis sit exercitationis, quae omnia superat. Etiam singultum et tussim homines, si volunt, expellunt, quamvis cum labore illud fiat et dolore. Silentium vero, non solum, ut cum Hippocrate loquar, sitim non movet, sed ne molestiam quidem doloremve."

Ad libellum vero *de curiositate* quod attinet, postquam narravit et „aliterios" et sycophantas, quibus nullos homines Graeci detestati sint magis, nomen suum habere propter ea quae odiosa quadam et molesta curiositate moti facere sint soliti, sic eam rem in audientium convertit utilitatem:

„en aliquid quod reputent curiosi; hoc iis proderit, nam pudebit eos posthac ea facere quae hominum invisissimorum molestissimorumque facinoribus similia sint et cognata."

Utrobique id efficere equidem arbitror Plutarchum propter quod Periclem aequales adeo admirabantur, ut aculeum in animis audientium relinquat. Quodsi quis tamen hic expectat postulatve aliquid quod vel gravius vel clarius sonet, satis, ut opinor, in arte dicendi fuit versatus Plutarchus ut pro re nata semper illum flosculum, quo cum maxime opus esse intelligeret, *ex tempore* suae addere orationi posset. In disputatiuncula nostra de libello *de gloria Atheniensium* insigne et luculentum protulimus exemplum flosculi ex tempore ab oratore nostro *praemissi.*

Oratio est libellus hic, sed non ideo scripta ut *Chaeroneae* haberetur. Elucet hoc ex iis quae p. 515 C legimus:

„olim patria mea Zephyro fuit opposita, Chaeron eam orientem versus transposuit." Ubinam ergo primum est habita, si non Chaeroneae? Ecquid Romae? Haud opinor tunc in capite orbis terrarum multos fuisse auditores qui illis verbis auditis statim scirent atque adeo scire curarent quae esset oratoris illius patria. Non iam ibi tum vivebant Philippi et Demosthenis nomina vel Atheniensium Thebanorumque qui illic pro Graeciae pugnantes libertate occubuerunt memoria, et ut denuo inclaresceret Chaeronea ipse hic perfecit orator philosophusque.

Hoc tamen certius est argumentum non esse Romae habitam orationem quod de tempore quod Romae degit tamquam de tempore admodum remoto Plutarchus loquitur. Audite modo:

„quondam Romae me disputante inter auditores adfuit Rusticus ille, quem Domitianus gloriae eius invidens occidendum curavit. Circa mediam orationem meam miles intrabat et Rustico literas ab imperatore tradebat. Fit silentium, ego subsisto ut eas legere possit. Non vult Rusticus sed demum cum ad finem perveni eas resignat." (522 E).

Alio tempore ad hunc locum redibimus. Nunc hoc unum inde protrahimus non solum narrari hic rem quae multo ante evenerit, sed etiam post Domitiani mortem haud paucos iam praeteriisse annos.

Omnis vero mihi eximitur dubitatio cum reputo verba illa: „patria mea a Chaerone est transposita" tum demum vitae fieri plena cum dicta ea fingimus in conventu hominum quibus et Chaeronea et Plutarchus nota essent nomina, qui Plutarchum „philosophum Chaeroneensem" appellare essent soliti. Ut breviter dicam: orationem hanc habitam censeo in aliquo Boeotiae oppido, quod tunc suo sibi careret „philosopho" vel quo Plutarchus ab oppidanorum principibus esset invitatus ut vitium, quod late serpere ibi inciperet, sua facundia suaque gravitate tollere tandem conaretur.

Quocunque autem modo res se habet, multa noster libellus cum illo de garrulitate habet communia, atque ea unde maxime totum hoc orationis genus cognoscatur. Est hic quoque libellus praestantissimus atque revera utilissimus; gravitatis multum inest simulque multum leporis, atque — id quod maxime ut cum oratione ipsum amemus oratorem efficit — abest inde omnis superbia arrogantiaque. Semper semet ipsum Plutarchus iis adnumerat hominibus, quibus magistro opus est; unus vero locus in hoc genere tam lepidus est ut totum eum hic proponere lubeat: videbis non vereri Plutarchum de sua dignitate quantumvis multum detrahere dummodo eum sua habeant effectum verba quo cum maxime opus esse intelligat. Videamus quae sit ipsius oratoris aetas. Iam mortuus est Rusticus, qui anno 94 est interfectus, atque adeo iam temporis aliquid post Domitiani mortem effluxit. Agit ergo, ut minimum dicam, quinquagesimum annum Plutarchus; equidem iam sexagenario maiorem eum puto, sed hoc mitto, nam si non senex, sed tantummodo senior nunc est, maiorem etiam, si fieri potest, habet noster

locus convincendi vim. Est enim huiuscemodi (522 A. B.): „Cyrus Pantheam videre noluit, cumque dignissimam aspectu eam Araspes dixisset: eam ipsam ob causam, inquit, ego eam vitandam censeo; si enim nunc ego, a te permotus, ad eam accederem, ipsa postea fortasse mihi ut redirem persuaderet, quamvis essem negotiis distractus; tum sedens apud eam eamque admirans gravissimarum rerum tempus perderem. Alexander quoque Darii uxorem, cuius in ore omnium erat forma, in conspectum suum venire vetuit; ad matrem eius, iam anum, veniebat saepe, sed formosam illam et aetate florentem adspicere mulierem non audebat. At *nos*, cum mulierum lecticas speculamur et a fenestris earum oculos nostros non possumus abstrahere, nihil nobis peccare videmur, et tamen iam tunc laborare incipimus lubrico illo morbo curandi ea quae nihil ad nos attinent."

Nos ait gravissimus ille philosophus, aut ipse iam sexagenarius, aut — id quod rem magis etiam admiratione dignam reddit — quinquagenarius: non dubitat semet unum fingere e fatuorum istorum numero qui huc illuc per urbem volitent ut formosas investigent contemplenturque mulieres. Est ei tanti dummodo sibi contingat ut sic adolescentulos aliquos abducat a consuetudine quam periculi plenam esse iure sibi habet persuasissimum.

Nam quod de re amatoria nonnulla praecipit quae nostra aetate nemo paulo gravior sit probaturus, nihil ea res, ubi tantum est saeculorum intervallum, habet quod admirationem moveat. Sic quod de „concessa venere" docet tamquam optimo adulterii remedio statim nobis in mentem vocat spurcissimam quandam Horatii satiram — multo castior tamen hic Graeci nostri quam illius Romani oratio. Sed neque lubet neque licet hic diutius subsistere, nobis satis sit quaerere *quomodo* impugnet morbum quem prae ceteris omnibus vitandum esse sibi habeat persuasissimum: videbimus una illa re — quam tamen minime levem esse lubenter concedo — excepta idem hic sensisse Plutarchum quod hac aetate sentiat quivis homo non levis.

Amabilem se semper praebet magistrum, adolescentulorum se quoque laborare vitiis, quamvis res sit incredibilis, simulare non veretur, et simul sic eos admonet ut penitus sentiant omnes illud de quo agitur vitium quam sit perversum, quam ridiculum atque absurdum. *Exemplis* vero eum hoc docere quae ideo au-

dientium animos moveant quod *nova* sunt et nunc certe a nullo eorum expectantur, demonstrare mihi posse videor uno loco lepidissimo allato (518 D):

(„postquam demonstravit curiosum semper in lucem protrahere id quod alii celare cupiant, sic pergit):

„tam ingrata autem ea res hominibus est ut emori malint plerique quam occultum aliquod malum suum monstrare medicis. Finge tibi Herophilum vel Erasistratum, atque adeo ipsum Aesculapium, hominis sumpta facie, per domos rogitantem laboretne aliquis anus fistula vel uteri carcinomate! Et tamen *huius* artis curiositas salutaris esse potest; nihilominus quivis facessere eiusmodi medicum iuberet, quod, non expectans dum se sit opus, invocatus veniat ad aliena cognoscenda mala. At eiusmodi res, aliasque iis peiores investigant curiosi non sanandi sed in lucem protrahendi causa. Ideo et portitores iure odio sunt omnibus, non cum de rebus quae palam importantur portoria exigunt, sed cum, quaerentes quae celantur, hominum iter facientium impedimenta conturbant. Et tamen illis lex ita agere permittit, quod si non faciunt ipsi detrimentum capiunt. Curiosi vero . . . . ."

Cognoscite nunc quam lepide Plutarchus cum aptissimis his exemplis coniungat *argumentum* quod non movere quemvis legentem audientemve non possit.

„Curiosi vero sua negligunt commoda, suasque res detrimento afficiunt semper circum alienas occupati. Rus suum raro aspiciunt: quietem illius otiumque ferre non possunt, et si quando eo veniunt, vicini vites magis quam suas examinant, vicini quot boves interierint, quot vini dolia sint corrupta quaerunt. Quae simulatque satis investigasse sibi videntur abire properant. At verus bonusque agricola ne audire quidem rumusculos sponte ex urbe ad se accedentes vult:

dum fodio (ait) pacis de legibus iste nugatur
usque mihi, importunus enim nunc talia curat."

An non moveri putas de vulgo hominem audientem quantum *pecuniae* damnum curiositas secum afferat? Multo magis, ut equidem opinor, quam cum philosophica ratione ei exponitur quam ob causam improbanda illa sit.

Et tamen hoc quoque egregie docere callet Plutarchus etiam

illos qui ne primoribus quidem labris philosophiam attigerint unquam. Parem eam esse demonstrat iis sceleribus quae nemo non abominetur

„qui Thuriis leges dedit" (ait 519 B) „prudentissime vetuit quemquam in scena palam derideri praeter curiosos et ... adulteros. Etenim est curiositatis quaedam species adulterium. Alienis se immiscet gaudiis adulter, investigat ea quae abscondere et alios celare cupis."

Sed nullum est argumentum quod magis curiositatem pervertat, nullumque quod magis et sua vi et disputandi suavitate nobis librum *de garrulitate* in mentem revocet, quam illud quo demonstratur curiosi morbum hoc mali habere quod illud ipsum quod quaeratur obtineatur nunquam (519 C):

„qui multum audit et multum loquitur, quapropter Pythagoras discipulis suis in quinque annos silentium imponebat: exercitium hoc linguae coercendae vocabat. Sed curiositas necessario *male* dicendi studium secum fert. Quod enim aliquis lubenter audit (mali aliquid sc.) de eo et libenter loquitur, quaeque ab aliis cum multo labore congerunt homines ea cum magno suo gaudio ad alios perferunt. Atque sic ipse ille morbus (ut de aliis eius taceam vitiis) impedimento est quominus aliquis illud ipsum quo tendit consequatur. Cavet enim eos quisque et in suas ab iis recedit latebras. Inspectante curioso nemo quidquam agere amat, audiente nemo loqui. Consilia et deliberationes differuntur donec ille abierit. Quoties de graviore re sermo fit vel magni momenti res peragitur, vix in conspectum venit curiosus et sicut appropinquante fele caro in cella reponitur, sic tunc tacetur et abrumpitur opus."

Nonne lepidissima hic dispututatio salsissimo conditur exemplo?

Quodsi quis inter auditores, postquam non sine delectatione quadam didicerit curiositate se *laborare* et *morbum* eum esse, rogitet: „quid mihi ut eo liberer faciendum", vel alius: „quomodo vitabo morbum quem ét ridiculum ét plenum periculi esse tam bene docuisti?" utrique paratum Plutarchus habeat remedium efficax et quod nullo adhibeatur negotio. Audite modo (520 C):

„quemadmodum Romae sunt homines qui pulchras tabulas non curent statuasve, immo vero ne formosos quidem qui ve-

neunt pueros puellasque, sed semper in monstrorum versentur foro eos contemplantes qui tibiarum cubitorumve vitio laborant quique ternis oculis struthionisve capite dehonestantur, denique quodcunque est

compositum monstrum portentum prodigiumque

sed si saepius eo adducantur tandem istiusmodi spectaculorum capiantur taedio, sic qui semper aliorum venantur male facta, familiarumque morbos vitiaque, recordentur quidquid ex eo genere rescierint nunquam se inde quidquam emolumenti percepisse vel delectationis. Sed efficacissimum contra hunc morbum remedium est exercitatio: quam primum ergo assuescamus adversus illum pugnare morbum qui et ipsa assuetudine adeo invaluerit."
Cui admonitioni haec adduntur praecepta:

„non introspicere in aedes assuescere, non legere quod insculptum est sepulcris inscriptumve parietibus"

denique hoc sapientissimum (522 B):

„iustitiae optima meditatio est interdum iustum negligere lucrum, sic enim iniustum cavere discis, temperantiae interdum tua abstinere uxore ne unquam cupias alienam. Hoc converte ad curiositatem: interdum aliquid quod ad te attinet audire vel videre noli; si quis ad te venit nuntius de domesticis rebus tuis aliquantisper exspectare eum iube, si de te fieri sermonem putas aures inde remove."

Cui praecepto haec etiam additur disputatio de Oedipode Sophocleo, quam morosior quispiam fortasse graviter sit improbaturus; at qui paulo est lenior non poterit non subridens eam cognoscere:

„curiositas praecipua fuit causa malorum, quibuscum miser ille est conflictatus: quis esset quaerebat nam noluit esse Corinthius: Laium, cui obviam venit, occidit regnumque accepit et simul uxorem suam matrem; cum omnes eum fortunae filium praedicarent, contentus non erat sed quaerere pergebat. Quamvis obtestaretur eum uxor ne faceret illud, minitabundus quaestionem habebat de servo cui sua nota esset origo, cumque iam dispicere veritatem coepisset senexque ille eiularet:

iam terribile istud, heu heu, dicendumst mihi

ipse curiositatis morbo instigante respondit:

et audiendum mihi ... iam loquere, en, audio.

Sic curiositas pruritus quidam est qui nos impellit ut e cicatrice denuo vulnus faciamus sanguinolentum. At qui illo caret morbo et natura lenior est, si quando mali aliquid non cognovit, exclamat:

quam sapiens o malorum es ignoratio."

Profecto nulla unquam Oedipus tragoedia nata esset, si non curiosus fuisset Oedipus. Sed quid artem tragicam atque omnino omnem curat „aestheticam" Plutarchus? Si quid ei Sophocles praebet unde aliquam sibi aegrisque suis petere possit utilitatem, „reliqua sibi poeta tragicus habeat" ait.

Modo haec e libello nostro citabamus verba: „quondam cum Romae orationem haberem". Ullane iusta adest causa cur illam Romae habitam orationem genere diversam a nostro fuisse libello putemus vel ab illo *de garrulitate*? Haud opinor. Illos ergo libellos tam lepidos tamque utiles considerantes, non dubitamus quin magna fuerit inter Romanos fama medici illius qui Chaeronea ad mentes hominum curandas venerat. Qui cum inde in patriam suam redisset, frequenter etiam eum ab absentibus esse consultum persuasissimum nobis habere possumus.

Ad singulos libelli, qui et sermone quam maxime perspicuo conscriptus est et integerrimus ad nos pervenit, locos quae annotem pauca sunt et exigua.

515 B Aedes tuas, si parum sunt salubres, et aliis rebus emendare licet et *θύρας τινας ἀνοίξαντα τὰς δὲ κλείσαντα.*

Admodum inusitatum istud *τινας* ... *τὰς δέ* pro *τὰς μὲν* ... *τὰς δέ.*

515 C Olim Chaeronea accipiebat:

τὸν ἥλιον ἐρείδοντα δείλης ἀπὸ τοῦ Παρνασοῦ.

Quid istud est? An *a Parnasso repercussum*? Hoc fere requiritur, sed quomodo e verbis illis efficiatur non video.

515 D *ὅσσον ὕδωρ καθ' ἁλὸς στόνος, ἢ δρυὸς ἀμφὶ πέτηλα*

(sic praeclare traditas voces, omni carentes sensu, emendavit Madvigius, quem aiunt in poetis emendandis parum fuisse felicem)

τοσοῦτον πλῆθος εὑρήσεις ἁμαρτημάτων ἐν τῷ βίῳ καὶ παθῶν ἐν τῇ ψυχῇ ....

Hactenus luce clariora omnia, sed adduntur haec *καὶ παροραμάτων ἐν τοῖς καθήκουσι*, quae quomodo praecedentibus annectam non video. Qui enim vocibus *τὰ καθήκοντα*, ita ut praecedentibus *βίος* et *ψυχή*, *locus* quidam indicari potest, in quo vitia quaedam iaceant? An sic fere ista *ἐν τοῖς καθήκουσι* sunt accipienda: „in tua de officiis tuis *opinione*"? Nam in ea *iacere* possunt *παροράματα*, si quis quae apud philosophum (Stoicum) audivit parum intellexit.

515 E *οὕτω σοι τὰ μέν ἐστιν ἀπὸ φθόνου κακὰ κείμενα τὰ δ' ἀπὸ ζηλοτυπίας* ....

Ista *ἀπό* sic interpres accipit: „quae *ab* invidia,quae *ab* obtrectatione proficiscantur". Parum accurate, ut opinor, et ita ut nullo modo cohaereant cum iis quae proxime praecedunt: „oeconomicus Xenophonteus alia instrumenta in alio reponit loco". Significant ergo: „ex parte (et tamquam in loculis) invidiae, obtrectationis cet.".

516 B Barbaram hic habes formam *ἐπανήρχετο* pro *ἐπανῄει*.

516 D Gallina saepe cibis, qui in aedibus iacent, neglectis in angulo aliquo scrutatur:

ἔνθα γέ που διαφαίνεθ' ἅτ' ἐν κοπρίῃ μία κριθή.

Istud *ἅτε* non concoquo. Ecquid *διεφαίνετ' ἄν*?

516 E Et olim et nunc visitor, priusquam introeat in aedes, adesse se significat:

ἵνα μὴ τὴν οἰκοδέσποιναν ἐν μέσῳ καταλάβῃ ἢ τὴν παρθένον.

Verba *ἐν μέσῳ* rem quae requiritur parum diserte indicat. Significandum est *opus* aliquod in quo se deprehendi pudica nolit mulier. Tum enim demum recte additur *ἢ κολαζόμενον οἰκέτην ἢ κεκραγυίας· τὰς θεραπαινίδας*. Excidisse post *ἐν μέσῳ* aliquid opinor.

517 B *εἴ τις ἀκονίτου γεύοιτο πολυπραγμονῶν τὴν ποιότητα, φθάσει τῆς αἰσθήσεως προανελὼν τὸν προαισθανόμενον.*

Frequentissimo illo in Plutarchi textu vitio secundum illud *προ* e praecedenti verbo composito natum est. Dele, et aptissi-

mum hoc habebis: aconitus eum qui vim eius *vult* experiri (*τὸν αἰσθανόμενον*) occidit priusquam experimentum illud perfecit.

518 C *ἔστι γὰρ ἡ πολυπραγμοσύνη φιλοπευστία τῶν ἐν ἀποκρύψει καὶ λανθανόντων.*

Mire dictum istud *τῶν ἐν ἀποκρύψει* pro *τῶν ἀποκρυπτομένων.* Duplex rerum genus hic significatur: eae quae forte latent et eae quae de industria absconduntur.

518 F Strenuus agricola sic conqueritur de servi sui garrulitate:

εἶτά μοι σκάπτων ἐρεῖ
ἐφ' οἷς γεγόνασιν αἱ διαλύσεις.

Servus ille, ut opinor, modo ab urbe advenit, quo a domino missus est ad petendum vel instrumentum vel aliam rem illi necessariam. Et quia *loquax* hic depingitur, non statim manus operi admovet. Hoc si fecisset, nihil habuisset quod de eo quereretur dominus. Accedit quod de eiusmodi labore agitur, qui non admittit colloquia. *Aut* fodit aliquis *aut* garrit, non utrumque simul. Sed servi loquacitatem non fert rusticus quia *ipse* operi est intentus. Lege ergo *σκάπτοντ' ἐρεῖ*, elisione non inaudita quidem sed tamen rariore ideoque corruptelae obnoxia.

519 A Curiosi vitant *τὴν ἀγροικίαν.*

Aptissime sic, sed rariore vocabuli usu, *rus* et *vitam rusticam* significans inducitur scurra urbanus.

519 C *ἥ τε πολυπραγμοσύνη παράλυσίς ἐστι καὶ φθορὰ καὶ ἀπογύμνωσις τῶν ἀπορρήτων.*

Pro *φθορά* Reiskius coniecit *φώρασις*, ad sensum recte, sed exquisitius aliquid requiro, aliquid in quo, ut in ceteris duobus vocabulis, aliqua insit *methaphora.* Nihil hic nos adiuvat editoris illud *φώρα* ex Hesychio erutum.

519 D *οὔτε πρᾶξαί τι πολυπράγμονος ὁρῶντος οὔτ' εἰπεῖν ἀκούοντος ἡ δ έ ω ς ἔ χ ο υ σ ι.*

Locutio exquisitior, quam suo „neque *libenter* agunt, neque loquuntur" parum accurate reddidit interpres. Oportebat: „neque

agere neque loqui *lubet*" i. e. aut abest aut cessat voluptas. Sic demum recte color orationis redditur(: „ze hebben er geen trek in" vel „de lust vergaat hun").

519 F Idem et curiosi faciunt: *πολλὰ καὶ καλὰ θεάματα ... παρελθόντες κτὲ.*

Structura exigit ut cum Stegmanno *γάρ* inseramus post *πολλά*.

ib. *χρήσιμον .... πρὸς τὴν (τοῦ πάθους) ἀποτροπὴν κτὲ.*

Sic cum Reiskio supplendum. Editor cur malit *ἀπὸ τοῦ πάθους* non video: ipsum vitium avertendum est et averruncandum.

520 B Fingitur homo ineptus perversusque qui vetustis poetis operam dans et aliarum faciat rerum collectiones absurdissimas et *τῶν ὑπ' Ἀρχιλόχου πρὸς τὰς γυναῖκας ἀπρεπῶς καὶ ἀκολάστως εἰρημένων, ἑαυτὸν παραδειγματίζοντος.*

Ultima quid significent me fugit. An forte huiuscemodi aliquid: „quibus semet ipsum nobis exhibet exemplum summopere fugiendum"?

520 D Qui in aliena mala et dedecora inquirunt *τῶν πρώτων ἀναμιμνησκέτωσαν ἑαυτοὺς ὅτι χάριν καὶ ὄνησιν οὐδεμίαν ἤνεγκε.*

Non, ut opinor, *prima* tantum eorum curiositas nullos tulit fructus sed etiam ea quae usque ad recentissimam hanc secuta est. Lege ergo *τῶν προτέρων* vel *τῶν πρότερον* (sc. *ἐζητημένων* vel aliud pcpium. in eam sententiam) et confer 502 A (utilissimum curioso remedium est) *ἡ τῶν προεγνωσμένων ἀνάμνησις.*

520 E *τί γὰρ χαλεπόν ἐστιν ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς ἐπὶ τῶν τάφων ἐπιγραφὰς μὴ ἀναγιγνώσκειν, ἢ τί δυσχερὲς ἐν τοῖς περιπάτοις τὰ κατὰ τῶν τοίχων γράμματα τῇ ὄψει παρατρέχειν;*

Parum apte hic *ὁδοί* et *περίπατοι* inter se opponuntur et revera *dum otiosus ambulas* non solum ignoscendum tibi est si quidvis oculis perlustras, sed etiam difficillimum est oculis tuis imperare. Aliter se *ἐν ὁδοῖς* res habet cum certum tibi habes itineris propositum. Accedit quod *ἐν τοῖς περιπάτοις* non semper se tibi offerunt parietes, iique oppleti literis, nam plerumque *extra urbem περιπατοῦμεν,* in agris viisque desertis. Quosnam

autem parietes prae ceteris verborum, eorumque spurcorum, plenos videmus? Non opus dicere, neque quid hic coniiciam.

.520 F Quemadmodum venatores catulos non sinunt omnia odorari sed a plerisque eos vi abstrahunt *οὕτω δεῖ τὰς ἐπὶ πᾶν θέαμα καὶ πᾶν ἄκουσμα τοῦ πολυπράγμονος ἐκδρομὰς καὶ περιπλανήσεις ἀφαιρεῖν καὶ ἀντισπᾶν ἐπὶ τὰ χρήσιμα φυλάττοντας.*

Parum aptum huic loco verbum *ἀφαιρεῖν* pro quo *ἀφέλκειν* legendum censeo. Nam quam eleganter et accurate imaginibus uti possit mox egregium dat exemplum noster (521 C):

δεῖ δ', ὡς οἶμαι, μὴ καθάπερ θεράπαιναν ἀνάγωγον ἔξω ῥέμβεσθαι τὴν αἴσθησιν, ἀλλ' ἀποπεμπομένην ὑπὸ τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὰ πράγματα συντυγχάνειν αὐτοῖς ταχὺ καὶ διαγγέλλειν· εἶτα παλιν κοσμίως ἐντὸς εἶναι τοῦ λογισμοῦ.

Lepidissime hic sensus cum ancilla comparatur: dominus ancillam aliquo dimittit, velut ad cognoscendum quota sit. Si frugi est ancilla, non evagatur sed statim eo currit quo missa est rem conspectam statim domum nuntiat, ubi deinde m... operi suo intenta manet. Sic mens sensum aliquo de... illum oportet id unum quo missus est statim exploratum ferre menti, deinde suo se loco continere ut semper menti praesto esse possit.

522 D *οὕτω τίς ἐστι γλυκύπικρος καὶ ἀκατάσχετος ὁ τῆς πολυπραγμοσύνης γαργαλισμός, ὥσπερ ἕλκος αἱμάσσων ἑαυτόν, ὅταν ἀμύσσηται.*

Sensu cassa mihi videntur ultima, neque quidquam opis in interprete sic vertente: „tamquam *vulnus* sibi sanguinem eliciens *ubi sauciatur*".

522 E Utilis est exercitatio, si venerunt literae non statim eas aperire, si nuntius, non obviam ei currere:

φίλου τινὸς εἰπόντος „ἔχω σοί τι καινὸν εἰπεῖν πρᾶγμα" „μᾶλλον, εἴ τι χρήσιμον ἔχεις ἢ ὠφέλιμον".

Non improbo altercationem hanc subito illatam, dummodo apte inferatur. Quod fiet, si *λέγε* inseres post *μᾶλλον*.

523 A τοὺς δὲ προσαγωγίδας οἱ Διονύσιοι τοῖς Συρακοσίοις κατέξαν.

Legendum est ἐγκατέμιξαν, nam sparserunt eos tyranni per urbem ita ut in populo laterent.

DE CUPIDITATE DIVITIARUM.

Ut libere dicam quod sentio, parum mihi hic libellus placet, neque potest, ut opinor, cuiquam placere qui a libellis *de garrulitate* et *de curiositate* recens est. Unam tantum rem habet quam laudemus planeque probemus: quod hic quoque scriptor met ipsum non eximit eorum turbae quibus opus est admotione et vituperatione. Haec virtus totum caput nonum satis bis reddit iucundum. Est enim huiuscemodi:

m nobis quod Telemacho accidit. Hic enim tam erat us atque adeo tam expers iudicii veram pulchritudinem alsa discernentis ut cum Nestoris aedes contemplans, quamvis ae abundarent culcitris, mensis, vestibus, stragulis, vino dulci, rerum tam utilium tamque necessariarum dominum non edicasset felicem, adspecta Menelai regia, in qua ebur, aurum ctrum splendebant, exclamaret:

ut stupeo! anne Iovis domus haec, rectoris Olympi?
copia quanta patet rerum, quam splendida cuncta!

„Quam tristia cuncta" Socrates aliquis dixisset vel Diogenes:

ut stupeo adspiciens — tot vana et ridicula ista!

Stultissime Menelae! oportebat te uxori tuae purpuram atque nem adimere pretiosam vestem, ut luxuriari illa desineret et hospites venari. At nunc denuo totam domum tamquam theatrum luxuriae exornatam exhibes intrantibus."

Sed praeterea — id quod etiam de capite hoc nono statuendum nobis est — multo minus amabilem se virum hic scriptor raebet quam esse solet Plutarchus. Multo magis suum virtutis tentat studium, oratio hominis est qui sibi admodum placeat, cata, magistelli redolens arrogantiam.

Maxime, ut opinor, sub finem libelli haec deprehenduntur vitia. Audite modo:

„Ergo haec est opulentiae felicitas: spectatoribus eget testibusque inter quos splendeat; sine illis nihili est. At non eiusmodi continentia est, philosophia, recta de diis opinio. Eiusmodi res, etiamsi homines latent, suum sibi habent splendorem, et in ipsa mente magnam pariunt lucem solidamque laetitiam, dum ipsa id quod bonum est arripit, atque illud sive scit praeterea aliquis sive ignorant omnes *dii* hominesque. Ex eo genere sunt virtus, veritas, disciplinarum mathematicarum et astronomicarum pulchritudo. Cum his num possunt comparari phalerae istae bullaeque divitiarum puellariaque spectacula, quae si nemo videt contemplaturque revera omni carent splendore? Vir dives, cum uxore cenans familiaribusve, auratis suis mensis negotium non facessit neque poculis aureis, sed quotidiana utitur supellectile et uxor assidet simplici induta veste sine auro purpurave. At cum convivium, hoc est pompa et spectaculum opulentiae, inducitur, tunc

e nave huc tripodas ferte ocius atque lebetas

clamat, tum poliuntur lychni, tunc occupati sunt circa calices famuli, mutantur pincernae, omnia nova induuntur veste, omnia suo moventur loco, aurum, argentum, caelata omnia promuntur atque sic .... fatetur dominus se in mediis suis divitiis simpliciter vivere solere. Sed quibus rebus in tali convivio carere potest nemo, eae etiam adesse debent cum solus cenat dominus: hilaritas et cibi bene parati."

Agnoscisne hic, quaeso, placidum nostrum lenemque pastorem Chaeronensem? Non ego. Pauca ex hoc loco postrahamus. Postquam enumeravit scriptor omnia quae divites homines convivium apparantes moliuntur protrahuntque, haec addit: *ἁπλῶς πλουτεῖν ὁμολογοῦντες*. Quae verba si recte intelligo hoc significant: eo ipso quod, cum convivium est apparandum, tanto opus est labore tantoque tumultu agnoscunt se *quamvis sint divites, simpliciter vivere solere*. Est ergo illud „simpliciter divites esse" admodum facete dictum, sed quemadmodum totius libri oratio acerbi aliquid habet, acuti et *concitati*, a quo scribendi genere tam abhorret philosophus Chaeronensis — reputa modo pro Taciteo illo „neuter falso" eum hanc dare placidam verbosamque

disputatiunculam: *οὐ ψευδῶς μέν, γελοίως δὲ καὶ ἀνοήτως ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ ἃ προσῆν ἀμφοτέροις ὀνειδίζοντες* — sic illud *ἁπλῶς πλουτεῖν* Senecae potius esse videtur quam Plutarchi *ὀξύμωρον*. Sed hic errare possum, at non possum in duobus vocabulis, quae multo certius mihi praebent indicium cum Plutarcho hic nobis rem non esse. Quale illud sit paulo accuratius exponere iuvat. Apud Horatium (C. IV, 7) legentes:

> cum semel occideris et de te, splendide, Minos
> fecerit arbitria,
> non, Torquate, genus, non te facundia, non te
> restituet *pietas*

miramur *pietatem* inter eas res enumerari, quae unquam videri possint parvi esse momenti; nam facundia hoc habet et nobile genus, sed pietatem etiam apud inferos in summo esse honore vir gravis piusque sibi semper habet persuasissimum. Sed in Horatio, poeta et Epicureo, facile eiusmodi aliquid ferimus, Plutarchum nobis sic disputantem exhiberi: „virtus tua, licet *omnes* lateat *deos* hominesque, verae solidaeque tibi erit causa laetitiae" non ferimus. Stoicus qui prae suo perfecto sapiente, id est prae semet ipso, nihili facit Deum deosque, exclamare potest (ut est apud Senecam in libro de Providentia): „deum tu (o perfecte sapiens!) superas: ille extra malum est, tu supra malum", Plutarchus ét ante Supremi Numinis oculos se ipsum prosternit abiicitque, ne *esse* quidem se confitetur cum de Illo cogitat ét semper et ubique illo utitur carissimo amico atque ex sua virtute — sed quid virtutem hic loquor? non tantum sibi Plutarchus arrogat: sperat tantummodo se in virtute aliquos facere et facturum esse progressus — sed quidquid illud est, hoc praecipuum inde capit gaudium quod a Deo se usquequaque conspici observarique credit novitque.

Denique Stoicum hic habemus *ἀρετάλογον*, qui se Plutarchum esse simulat, et scribendi quidem genere utitur admodum eleganti, quo parum accurate legentem in errorem possit inducere, sed tamen hic illic paucis quibusdam vocabulis semet ipsum prodit. E quo genere est quod p. 524 F legimus. In deliciis Plutarcho fuisse videtur locutio: „circumscribere aliquid *centro et intervallo*", qua *circini* significat usum (*intervallum* enim est spatium inter eius partes). Sic in libro *de garrulitate* (513 C) legimus:

δεῖ τὴν ἀδολεσχίαν συνέχειν ὥσπερ .... κέντρῳ καὶ διαστήματι τῇ χρείᾳ τοῦ πυνθανομένου περιγράφοντα τὴν ἀπόκρισιν
quod rectissime et elegantissime dictum est: „interrogantis usu (eo quo interroganti opus est) nobis utendum tamquam circino, quo nostrum responsum circumscribamus."

Audi nunc nostrum (p. 524 F):
τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται καὶ τὸ τέρμα πάρεστι τῆς χρείας καθάπερ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφόμενον
ubi aut perturbata sunt omnia aut admodum contorte enuntiata. Ipse Plutarchus sic scripsisset: *πλοῦτος ὥρισται, τῇ χρείᾳ καθάπερ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφόμενος.* At nunc (nisi turpe commisit vitium librarius) *περιγράφεσθαι* dicitur non id quod *continetur* sed id quod *continet* et *χρείας* est genitivus explicativus. Habes ergo — ut quam plurimum largiamur scriptori — orationis ornamentum perobscurum. Sic scribere solent qui aliis suos surripiunt flosculos.

Atque idem fortasse etiam deprehendimus vitium in capite illo nono a quo laudando fecimus initium. Novimus omnes narratiunculam illam de Hierone et eius uxore. Illam Plutarchus refert *de cap. ex in. ut.* 90 B. Rex iratus in uxorem acriter invehitur his verbis usus: *τί λέγεις; οὐδὲ σύ μοι τοῦτ' ἔφρασας;* Hic primo aspectu satis absurdum nobis illud *τί λέγεις* videtur. Quid enim mulieri vitio datur? Quamobrem vituperatur? Quod rem quandam *non* dixerit. Sed admirari desinimus simulac reputamus qui sit inter nostrates usus loquendi hodiernus. Saepe nunc quoque sic aliquis in alium invehi incipit ut *dicere* eum iubeat et tamen nullum ab eo exspectet responsum („zeg ereis"). Sic multae loquendi formulae tamquam nummi usu deteruntur, ita ut pristinam amittant notam. Sed in familiari sermone detritis illis uti formalis licet, neque inepte fecit Plutarchus cum antiquum illum regem loquentem induceret ita ut ipsius tempore de plebe homines loqui solerent: cum uxore enim sua loquitur et de re minime regali. Hoc verso subridiculum quod scriptor ipse ad regem Menelaum conversus sic eum reprehendit: *τί λέγεις ἀβέλτερε;* Stoici illud est Cynicive vel denique eius qui a Plutarcho mutuatur ornamentum aliquod, quo eum delectatum esse novit, non Plutarchi ipsius. Mox aliud afferemus exemplum huic fortasse proposito aptius etiam.

Non tamen plane spernendus abiiciendusque libellus hic: lectu haud iniucundus est, disputatio, licet acrior acerbior concitatior sit quam pro Plutarchi lenitate et mansuetudine, haud parvam habet convincendi vim, exempla rebus demonstrandis sunt aptissima, et omnino multa hic leguntur quae cognitu sint dignissima. Sic qui artis medicae dant operam historiae lubentur cognoscent, id quod p. 524 D legimus, illius temporis medicos hoc prae ceteris investigasse, *febrine* laboraret is qui sibi male esse conquereretur; quam si non inveniret tum eum *mentis* laborare morbo intellexisse. Fortasse iam Platonis aetate eodem modo agere medici solebant, siquidem in Phaedone 105 C legimus: *ἂν ἔρῃ, ᾧ ἂν σώματι τί ἐγγίγνηται, νοσήσει, ἐρῶ ᾧ ἂν πυρετός.*

Ad singulos libri locos haec annoto:

523 D *καίτοι πολλοὺς ἂν εἴποι τις, ὅτι μᾶλλον ἐθέλουσι πλουτεῖν καὶ κακοδαιμονοῦντες ἢ μακάριοι γενέσθαι δόντες ἀργύριον.*

Iure, ut opinor, Naberus istud *καί* eximit: *simpliciter* enim inter se opponi debent *τὸ κακοδαιμονεῖν* et *τὸ μακαρίους γενέσθαι*, emphaticum istud *vel* aut *etiam* dicti tollit urbanitatem.

524 C *τῶν ποριζόντων ὁ μὲν ἐνδεὴς καὶ ἄπορος παύσεται ἴσως ἑστίαν κτησάμενος ἢ θησαυρὸν εὑρών, ἢ Φίλου βοηθήσαντος ἐκτίσας καὶ ἀπαλλαγεὶς τοῦ δανειστοῦ*
at avarus insatiabilis est, hunc habet morbum.

Hic Reiskius rectissime pro *ποριζόντων* legit *ποριζομένων*, nam de homine *victum quaerente* sermo esse debet. Sed graviore etiam morbo laborat locus, qui *qua ratione* sit sanandus video, *quo verbo* non video. Primum istud *ἴσως* plane hinc est alienum: afferendum est non aliquid quod *fortasse* sed aliquid quod *certo* fiat et *semper*. Deinde absurde *ἑστία* hic infertur. An qui certam habet sedem focumque ob eam solam causam nullos habet metuitve creditores, nullo aere alieno premitur? Quid in istis *ἴσως ἑστίαν* lateat nescio, sed requiritur aliquid quo *quaestum facit* aliquis, quodque ei praesentes praebeat nummos, puta *procurationem* aliquam, aliamve rem unde lucrum sperare possit.

525 D Byzantini, qui moechum deprehendit apud uxorem tur-

pem, dictum lepide sic in integrum editor restituit: *ὦ ταλαίπωρε, τίς ἀνάγκα σ ά; παραγόρα προῖξ ἐμ ά γε. ἃ δὲ σὺ κλείσας φυλάττεις τοὺς βασιλεῖς πορίζεσθαι δεῖ κτέ.*

Videndum tamen annon rectius sit *σοί* et *ἐμοί*.

ib. Regibus, regum ministris, iis, qui primas partes in republica agere cupiunt, pecunia opus est

ἑστιῶσιν χαριζομένοις δορυφοροῦσι δῶρα πέμπουσι στρατεύματα τρέφουσι μονομάχους ὠνουμένοις.

Horum participiorum tertium haud dubie corruptum est, non enim viri in republica summi satellitum munere funguntur ipsi sed *satellites habent.* Ergo ad sensum rectissime Madvigius pro *δορυφοροῦσι* coniecit *δορυφόρους ἔχουσι*. Nunc elegantissime potentium impensae primum in duas partes dividuntur, quarum prior res spectat domesticas, altera res externas, deinde utraque tripartito. Atque altera quoque illa divisio elegantissima est: I *ἑστιῶσι* (nobiles amicos), *χαριζομένοις* (humilioribus) *δορυφόρους ἔχουσι* (servos) II *δῶρα πέμπουσι* (ad aliorum populorum magistratus), *στρατεύματα τρέφουσι* (per totam suam patriam praecipueque in finibus), *μονομάχους ὠνουμένοις* (per quos suam aulam defendunt). Sed ipsum illud *δορυφόρους ἔχουσι* paulo languidius videtur, quapropter legere malim *δορυφορουμένοις*, quod et ipsum facile a librario, qui ante oculos haberet *δορυφορουμένοις, δῶρα πέμπουσι*, corrumpi potuit. Et vide nunc quam eleganter haec inter se respondeant:

ἑστιῶσιν	*δῶρα πέμπουσι*
χαριζομένοις	*στρατεύματα τρέφουσι*
δορυφορουμένοις	*μονομάχους ὠνουμένοις*

In priore parte habes unam formam activam duabus mediis sequentibus, in altera duas activas una media sequente. Quisquis fuit scriptor hic, scribendi artificia satis habebat cognita.

525 F Est et *θηριώδης* quaedam divitiarum cupiditas

συκοφαντοῦσα καὶ κληρονομοῦσα καὶ παραλογιζομένη καὶ πολυπραγμονοῦσα καὶ φροντίζουσα καὶ ἀριθμοῦσα τῶν φίλων ἔτι πόσοι ζῶσιν κτέ.

Non credo stoicum hunc tam pueriliter hiatus metuisse ut ad illos vitandos verborum sensum corrumperet. Legendum enim

est τῶν φίλων πόσοι ἔτι ζῶσιν. Nam avarus iste θηριώδης amicorum omnium hereditates et legata expetit, quae si diutius morantur, mortem amicorum maturabit.

526 A Minus sunt metuendi qui divitias appetunt, quibus fruantur molliter et delicate vivendo, quam qui praeter ipsas divitias nihil ultra spectant; illi enim tandem aliquando satis sibi divites videbuntur

τοῖς δ' εἰς μηδὲν ἡδὺ μηδὲ χρήσιμον πολιτευομένοις οὐκ ἔστιν ἀνοκωχὴ τοῦ πλεονεκτεῖν οὐδ' ἀσχολία κενοῖς οὖσιν ἀεί.

Quid sibi hic res civilis vult et reipublicae administratio? De hominibus quocunque modo rem facientibus sermo hic esse debet et de multis aliis. Lege ergo πορίζομένοις pro πολιτευομένοις et confer 525 D τοὺς βασιλεῖς πορίζεσθαι δεῖ, regibus, quibus tantae sunt impensae faciendae, etiam res facienda est.

ib. Sic ad adversarium refellendum transit noster:

ἀλλὰ νὴ Δία, φήσει τις, ὅτι παισὶν οὗτοι καὶ κληρονόμοις φυλάττουσι καὶ θησαυρίζουσι.

E textu tandem aliquando expellatur istud a Stegmanno proscriptum ὅτι.

526 B Lepide sane avari progenies cum aquaeductu comparatur, cuius fistulae nihil sibi servant sed semper in proxime sequentem quaeque transfundunt aquam

ἄχρι ἄν τις ἔξωθεν ἢ συκοφάντης ἢ τύραννος ἐκκόψας τὸν φυλάττοντα καὶ κατάξας ἀλλαχόσε παρατρέψῃ καὶ παροχετεύσῃ τὸν πλοῦτον.

Hic ego τὸν φυλάττοντα „terminum technicum" esse puto („het *reservoir*"), ut hic quoque insigni doceatur exemplo quomodo metaphoris uti soleant antiqui: ea quae comparandi causa adhibentur et ea quae comparatione illustrantur inter se permiscent.

526 C Saepe etiam fit ut

καθάπερ λέγουσιν, εἷς ὁ πονηρότατος ἐν τῷ γένει γενόμενος καταφάγῃ τὰ πάντων.

Quorsum istud καθάπερ λέγουσιν hic addatur prorsus me latet:

ipsa enim res nunc quam simplicissime suo nomine significatur. E sequentibus huc aberrasse puto. Sequuntur enim haec:

οὐ γὰρ μόνον γίγνεται δούλων τέκνα
ἀκόλασθ' ὁμιλεῖν γίγνεται δούλων τέκνα
ἀλλὰ καὶ μικρολόγων.

Sic certe Bernardakis edidit, in errorem, ut opinor, nescioquomodo inductus. Nam et in Wyttenbachiana ét in Didotiana est:

οὐ γὰρ μόνον κατὰ τὸν Εὐριπίδην
ἀκόλασθ' ὁμιλεῖν γίγνεται δούλων τέκνα
ἀλλὰ καὶ μικρολόγων.

Puto ergo olim fuisse duas lectiones: *οὐ γὰρ μόνον καθάπερ λέγουσιν* et *οὐ γὰρ μόνον κατὰ τὸν Εὐριπίδην*, quarum haec suo sit loco posita, illa in alienum aberraverit. Quodsi Bernardakis edidit quod in suis invenit codicibus, manifestior etiam res est; bis enim tunc lineae pars in superiorem est transducta lineam.

526 E Avari hominis filii vivo etiam patre bona eius furantur et tamquam alienis iis fruuntur

μεταδιδόντες φίλοις, ἀναλίσκοντες εἰς ἐπιθυμίας ἔτι ἀκούοντες ἔτι μανθάνοντες.

Sic B. edidit, partim cum Madvigio, partim cum Wyttenbachio qui iam pro insano isto *ὅτι ἀκούοντές τι μανθάνουσι* e duobus codicibus recepit *μανθάνοντες*, deinde coniecit *ἔτι ἀκούοντες καὶ μανθάνοντες*. Si ergo B. veram restituit scriptoris manum, rectius W. quam M. emendationis auctor dicetur: quid enim interest utrum *ἔτι . . . καί* an *ἔτι . . . ἔτι* legatur? Sed hoc in transitu, ut pervulgatam hac aetate virorum doctorum fraudem notem, qui saepe a se inventam gloriantur praeclaram antiqui critici emendationem, quam ipsi facili aliqua correctione perpoliverint etiam. Si revera scripsit noster *ἔτι ἀκούοντες, ἔτι μανθάνοντες*, fucate admodum significavit fures illos tenera etiamnunc esse aetate: aut etiam ludum frequentant literarium, aut iam ad philosophum a patre ducti sunt (hoc enim inter *ἀκούοντες* et *μανθάνοντες* interesse putaverim). Tum haud male haec opponuntur: *ὅταν δ' ἀποθανόντων τὰς κλεῖς παραλάβωσι.* Metuo tamen omnia.

526 F Patre ergo mortuo pro dissolutis avari fiunt et ipsi filii. Tunc semper eos tenet occupatos:

οἰκετῶν ἀνάκρισις καὶ γραμματείων ἐπίσκεψις καὶ πρὸς οἰκονόμους ἢ χρεώστας διαλογισμὸς καὶ ἀσχολία καὶ φροντὶς ἀφαιρουμένη τὸ ἄριστον καὶ συνελαύνουσα νυκτὸς εἰς τὸ βαλανεῖον.

Delectat me avarus iste quem noctu cura et insomnia pellat in *balneum*. Utrumne ut ibi mentis morbum eluat an ut vel frigida aqua febrim a corpore abigat vel calida se ad somnum capiendum praeparet? Non cadunt ista in avarum. Qui si fecerit quod ioci causa modo coniiciebam, somnum tamen capiet et omnino somnum *non* capere dicendus est quemadmodum neque prandium (*τὸ ἄριστον*). Lege ergo *ταμιεῖον*, ut aut arca significetur quam noctu inspiciat avarus sitne bene clausa, aut ea pars aedium ubi rem suam familiarem administrat („het kantoor"). Neque mane prandium miser capere potest neque noctu somnum quia semper tabulis suis accepti et expensi inhaeret.

Continuo haec sequuntur:

γυμνάσια δ' οἷσιν ἐνετράφη Δίρκης θ' ὕδωρ παρώδευται.

Confunduntur sic poetae et scriptoris verba. Poetae haec sunt:

γυμνάσια δ' οἷσιν ἐνετράφη, Δίρκης θ' ὕδωρ

(nisi quod isto *δ'* pro *θ'* et *ἐνετράφη* pro *ἐνετράφην* adaptata huic loco sunt)

quibus de more scriptor addit, non *παρώδευται*, sed *παροδεύεται* i. e. negligitur et cum quodam contemptu praeteritur, cf. Amat. p. 759 F *Λαΐς τις ἢ Γναθαίνιον ἐκδεχομένη καὶ καλοῦσα παροδεύεται πολλάκις.*

527 A „At enim iuvenum istorum multi largiter opibus suis utuntur." Respondet scriptor (et hic quoque equidem magistellum aliquem sua gloriantem doctrina audio, non Plutarchum):

σὺ δ' οὐκ ἀκούεις, φήσομεν, Ἀριστοτέλους λέγοντος ὅτι οἱ μὲν οὐ χρῶνται οἱ δὲ παραχρῶνται, καθάπερ οὐδ' ἑτέρου προσήκοντος.

Molestum est istud *καθάπερ*, quod et interpres sensit, qui ad sensum recte et eleganter vertit „neutros recte". Aut *καίπερ* est legendum aut litura sanandus locus.

527 D De vetustis Bacchanalibus haec leguntur:

ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματὶς (ἤγετο τὸ πρῶτον), εἶτα τράγον τις εἷλκεν.

Inclusa rectissime addit Stegmannus.

527 E Telemachus apud Nestorem *οὐκ ἐμακάριζε τὸν εὐποροῦντα τῶν ἀναγκαίων ἢ καὶ τῶν χρησίμων.*

Annotat editor: „*ἢ* deleverim". Non ego; hoc enim dicit scriptor: „quae apud Nestorem contemplabatur Telemachus aut necessaria erant *aut certe* utilia".

528 A Vera sapientia *ἴδιον σέλας ἔχει καὶ φέγγος ἐν τῇ ψυχῇ μέγα καὶ χαρὰν ποιεῖ σύνοικον αὐτῇ ἐν ἑαυτῇ ἀντιλαμβανομένῃ τἀγαθοῦ.*

Hic a Stegmanno discrepo, qui pro verbis notatis, si recte editor refert, *αὐτῆς ἀντιλαμβανομένης* legere vult. Tradita sana videntur: ipsa mens intus in semet ipsa bonum arripit (non extra se quaerit).

528 B Insolite, neque tamen, ut opinor, male occupationes eorum qui convivium apparant et his describuntur verbis: *τῶν τε λύχνων ἀντέχονται καὶ περισπῶνται περὶ τὰς κύλικας.*

ib. Denique enumeratis iam omnibus quae necessaria videntur convivium apparanti, sic inanes istos labores confutat noster atque sic monendi docendique finem facit:

ἀλλὰ σωφροσύνης γε, κἂν μόνος δειπνῇ, δεῖται καὶ δικαιοσύνης.

Ultimam vocem unde habeat non dicit editor. Mihi ab hoc loco haud minus aliena videtur quam praecedens *σωφροσύνης.* Continentia, opinor, et iustitia semper et ubique opus est, non in cena tantummodo. Quanto rectius ergo Wyttenbachius *εὐφροσύνης ... καὶ εὐωχίας* edidit! Haec revera huius sunt loci, his revera in cena opus est: animo hilari, sine quo vel lautissimae epulae nihil habent delectationis, et cibis quamvis simplicibus, sed quae palato blandiantur.

DE VITIOSO PUDORE.

Sic enim Graecus titulus vertitur, sed opus est aliquo vocabulo, quo, ut Graeco *δυσωπίᾳ*, *oculorum* aliquod notetur vitium. Nam de *oculis* toto hoc libro sermo est aut ad illos alluditur. Et Plutarchus, ut tota sua philosophia semper solido vult niti fundamento („positivistam" eum hac aetate appellaverit aliquis), ita *nomen* nunquam videri vult rei signum, quod inter homines convenit, sed aliquid quod cum ipsa re naturali quadam necessitate quam artissimo cohaereat vinculo, quod ipsam eius naturam quam certissime describat, denique quod in disputationibus de ea certissimi habeat argumenti vim. Atque mentis vitium, de quo hic agitur, illo *vitiosi pudoris* nomine omnino non describitur. Rectius foret *metus hominum*, nam eius est vitium qui unam illam syllabam negativam pronuntiare non audeat: hoc ipse Plutarchus libero homine prorsus indignum esse ait illud *οὐ* in tempore proferre non posse. Sed *signum* hoc vitii est, non vitium ipsum vel vitii causa. Causa est infirmitas animi quae attollere oculos vetat et recto aliquem intueri vultu.

Mentis ergo vitium hic describitur et remedia eius commendantur, sicut in libris *de garrulitate* et *de curiositate*. Sed garrulitas et curiositas non solum pervulgata sunt vitia sed etiam cuivis homini de indoctorum plebe sunt notissima. Qualia sint nemo ignorat, quidquid vel praestantissimus mentium medicus de iis potest disserere id omnibus eius in promptu est auditoribus. Haud quidem prorsus inutilis hic est „philosophi" disputatio: efficere potest ut rem melius perspiciamus utque corroboretur iudicium nostrum, sed nihil nos docet quod prorsus novum sit. At „dysopia", quamvis non minus multi homines ea laborent quam garrulitate vel curiositate, et quamvis aegrotanti multo maiora afferat pericula, multo minus bene observari solet, latet plerumque et ne vitium quidem videri solet, quod curari et exstirpari debeat, quoniam uni aegro noceat, aliis nullum afferat detrimentum, certe nullum quod statim sentiatur. Et tamen est vitium ceteris omnibus metuendum magis.

Acutum ergo et perspicacem „philosophum" esse oportet qui recte illud et accurate describere possit. Et *est* revera noster *de*

vitioso pudore libellus multo quam illi *de garrulitate, de curiositate*, alii φιλοσοφώτερος: morbum tractari, et recte tractari, qui multo magis reconditus in hominis iacet mente, quavis sentis pagina. Quapropter equidem ratus omnium hanc esse orationum — nam quin *oratio* et haec sit in magna aliqua hominum contione habita dubitare nemo potest — quibus hominum mentes sanare Plutarchus studuerit praestantissimam, totam eam vernacule verti. Quam interpretationem qui nostro utuntur sermone consulere poterunt quoties cognoscere cupient de locis in quibus haereant ipsi quid ego sentiam. Ceterorum omnium, qui Belgice nesciunt, causa mox ad nonnullos locos pauca quaedam annotabo. Nam hic illic a communi virorum doctorum discrepo sententia. Sed hoc unum etiam praemonere velim. Quid inter hunc libellum ceterosque, quorum idem est consilium, intersit iam dixi. Sed unam rem cum illis habet communem: statim Chaeronensem agnoscis mentium medicum, virum illum amabilem qui non solum aliis dat praecepta sed ipse quoque eodem cum illis morbo sibi laborare videtur; verbis utitur qualia sunt θεράπευμα et multa alia quibus ars eorum qui *corpora* curant describitur. Auditorem ab ea aggreditur parte, unde maxime est vulnerabilis, docendo quanta detrimenta et *rei familiaris* damna hic afferre soleat morbus; quam ridiculus sit et absurdus ut appareat, hunc aegrum non minus quam garrulum et curiosum, immo multo magis, iis ipsis quas agat rebus eo, quo minime velit, pervenire demonstrat. Denique quae affert exempla ea et commovent audientis animum et suaviter detinent, quae commendat remedia in promptu sunt omnibus et proposito aptissima.

Iam quae ad singulos locos annotare velim haec sunt:

528 F ὁ δ' εὐδυσώπητος αὖ πάλιν ἄγαν τὸ θῆλυ τῆς ψυχῆς καὶ τρυφερὸν ἐμφαίνει διὰ τῆς ὄψεως, τὴν ὑπὸ τῶν ἀναισχύντων ὄψιν αἰσχύνην ὑποκοριζόμενος.

Hoc si in codicibus legeretur „en insigne" clamarem „exemplum vitii illius in Plutarchi textu frequentissimi, de quo toties dixi. Quis enim dubitare potest quin describentis errore illud ὄψιν e praecedenti ὄψεως natum sit: paulisper dormitavit ille et adest mendum." Nam neque Graecum est ὄψιν cum praepositione ὑπό iunctum, et si ὄψις ὑπὸ τῶν ἀναισχύντων dici posset τὸ ὑπὸ τῶν

ἀναισχύντων ὁρᾶσθαι, tamen a nostro loco esset quam alienissimum. Nemo, ut opinor, alium vituperabit quod ab aliquo, quisquis ille est, sit conspectus, ne verecundissimus quidem sibi illius rei ulla opus esse excusatione putabit. Sed quae ratio inter aegrum nostrum et impudentem intercedit? Hic rogat, ille negare non audet, concedit, manus dat, se *superari, vinci, cogi* patitur. Ergo quamvis paulo videretur ea emendatio audacior, tamen non dubitaremus *ἧτταν,* quae vox sola huc quadrat, reponere .... et sic legitur apud Wyttenbachium, qui nihil annotat, ergo sic in suis codicibus videtur habuisse. Aut ergo novus editor in sat gravem incidit errorem, aut, si nova sibi paravit subsidia critica, hic quoque notum illud accidit ut inventus thesaurus nos ultro pauperiores reddiderit.

ib. Laudatur Cato, qui se magis amare dixerit erubescentes quam pallescentes, tamquam *ὀρθῶς ἐθίζων καὶ διδάσκων τὸν ψόγον μᾶλλον ἢ τὸν ἔλεγχον δεδιέναι καὶ τὴν ὑποψίαν μᾶλλον ἢ τὸν κίνδυνον.*

Cogitari potest disputatio in qua recte haec se habeant, nam revera reprehensio a culpae demonstratione tantundem distat quantum suspicio metusque a vero periculo. Sed hoc non est huius loci; pro *ἔλεγχον* requiritur aliquid quod eiusdem sit *generis* atque *κίνδυνον,* quemadmodum et *ψόγος* et *ὑποψία* eiusdem sunt naturae. Quid sit legendum aliquo modo demonstrat varia lectio *ἔπαινον,* sed disertius demonstrat accurata totius loci consideratio.

Quid vulgo creditur (saepe quidem falso, sed creditur tamen) metuere puer debilis pallidusqne, non metuere atque adeo appetere robustus? Periculum et .... laborem, ut opinor. Lege ergo e Wyttenbachii coniectura *ὀρθῶς ἐθίζων καὶ διδάσκων τὸν ψόγον μᾶλλον ἢ τὸν πόνον δεδιέναι καὶ τὴν ὑποψίαν μᾶλλον ἢ τὸν κίνδυνον,* quid sibi voluerit Cato satis accurate descriptum habebis.

529 E Non oportet *τοῖς δεομένοις ἑαυτὸν ἐκδιδόναι καὶ συνεκταπεινοῦν.*

Quo sensu hic *ἐκδιδόναι* dicatur frustra quaero, suspicorque nunc quoque solito illo in Plutarchi textu vitio bis eandem vocem (praepositionem *ἐκ*) positam esse cum diversae requirerentur duae. Lego ergo *ἐνδιδόναι,* ut dicatur hoc: „non oportet

nos tradere rogantibus (qui saepe sunt impudentes) eosque adiuvare in nobis deiiciendis (*συνεκταπεινοῦν*)." Sic enim recte homo nimis verecundus comparatur cum Bellerophontis equo, quem domino suo iusto magis obedivisse poeta dixit.

529 F Cum aspide, quam Isis Bocchoridis viri duri imposuit capiti, comparatur *ἡ δυσωπία τοῖς ἀτόνοις καὶ ἀνάνδροις ἐπικειμένη καὶ πρὸς μηδὲν ἀνανεῦσαι μηδ' ἀντειπεῖν ἰσχύουσα.*

Ne iusto magis claudicet comparatio, lege aut *παρέχουσα* aut, quod praestare videtur, *διδοῦσα* aliudve vocabulum in eam sententiam.

530 B *ἡ δυσωπία π ρ ο σ δ ι α φ θ ε ί ρ ο υ σ α τ ὸ ἀ κ ό λ α σ τ ο ν ἀνώχυρα πάντα .... προδίδωσι τοῖς ἐπιτιθεμένοις.*

Sensu cassa haec (corrumpere enim quod corruptum iam est, intemperantiam, nihil dici potest) in integrum Madvigius restituit legendo *προδιαφθείρασα τοῦ ἀκολάστου*, pro quo cur malit B. *προδιαφθείρουσα τοῦ ἀκολάστου* non video: primum enim corrumpit, deinde corruptum tradit proditque hostibus. Hoc quoque recte M. quod hiatus hic nullam habuit rationem. Quis enim anxie hiatus vitasse Plutarchum credat in eo libro in quo nimia illa diligentia satis acerbe perstringatur hisce (534 F): *ἐνίους γοῦν ὁρῶμεν οὐδὲ φωνήεντι συγκροῦσαι φωνῆεν ἐν τῷ λέγειν ὑπομένοντας*?

531 D Qui etiam in parvis adsueverit nihil dicere vel facere contra suam opinionem *οὐκ ἐάσει μέχρι τούτου προελθεῖν οὐδ' εἰπεῖν πρὸς τὸν ἐν ἐκείνοις ἀδυσώπητον· „ὅμοσον ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ τὰ ψευδῆ μαρτύρησον καὶ ἀπόφηναι παρὰ τὸ δίκαιον."*

Minime hic equidem cum Nabero *πρός* delere velim: talia postulare fingitur *ἀναίσχυντός τις* et postulare quidem ab eo qui iam in rebus minoribus se *ἀδύσωπητον* (i. e. eum qui nimia verecundia non laboret) praestiterit. Obiectum verbi *ἐάσει* facile suppletur e vicinia.

531 E Cum Casaubono impudentem illum mendicum, qui Antigono negotia exhibuerit, non Biantem nescio quem fuisse opinor, sed Bionem illum Borysthenitam, qui non acerbus quidem

fuit satyricus sed tamen, ubi ipsius res agebatur, minime verecundus.

De eius aetate v. praeclaram Niebuhrii disputationem Kl. Schr. I, 451 sqq.

531 F ἡμῖν δὲ πρῶτον ἐμμελετητέον ἐστὶ τοῖς φαύλοις καὶ γυμναστέον περὶ τὰ μικρά, πρὸς τὸ ἀρνεῖσθαι τοῖς αἰτοῦσιν οὐ προσηκόντως ληψομένοις.

Eundem hic agnoscis Madvigium sine hiatus metu sanum restituentem sensum legendo τοῖς ἃ αἰτοῦσιν pro τοῖς αἰτοῦσιν.

532 A Laudato nobili illo Demosthenis dicto: οὐδεὶς εἰς ἃ μὴ δεῖ καταλώσας τὰ παρόντα τῶν μὴ παρόντων εὐπορήσει πρὸς ἃ δεῖ semet ipsum aliosque morbo, de quo agitur, laborantes *gravius* etiam vituperat:

γίγνεται δ' ἡμῖν πολλαπλάσιον τὸ αἰσχρόν, ὅταν ἐλλίπωμεν πρὸς τὰ καλά, πλεονάσαντες τοῖς περιττοῖς.

Gravius, aio,. accusat: certe hoc voluit, sed noluit librarius oscitans, nam τὰ κάλα prorsus idem est atque ἃ δεῖ et requiritur τἀναγκαῖα vel aliquid in eam sententiam: aeger noster nulla necessitate coactus pecuniam suam profundit, neque iam habet quod solvat creditoribus.

532 D Cetera mentis vitia ea ipsa nobis afferunt quae nos illis vitaturos sperabamus

τῇ δὲ δυσωπίᾳ συμβέβηκεν ἀτεχνῶς φευγούσῃ καπνὸν εἰς πῦρ ἐμβάλλειν ἑαυτήν.

Sententia perspicua et lepidissime enuntiata: incurrit hic aeger in malum quod fugere vult, idque multo gravius quam illud est quod metuit, sic similis fit ei qui fumum (modicum calorem) fugiens in ignem (summum calorem) se iniicit. Sed omnia haec corrupit qui primus post καπνόν in textum recepit annotationem ἀδοξίας, quae ne verans quidem lucem loco affert. Non enim solum *ignominiam* vitam aeger noster sibi attrahit *iufamiam*, sed etiam in internecivas incurrit inimicitias metu levissimae offensionis.

352 F Qui primus dixit omnes barbaros uni servire διὰ τὸ

μὴ δύνασθαι μίαν εἰπεῖν τὴν „οὔ" συλλαβήν, οὐκ ἐσπούδασεν ἀλλ' ἔσκωψεν.

Falsissima hic sunt ultima, nam quamvis facete iocoseque dictum illud fuerit, verissimam continebat gravissimamque sententiam. Quid enim certius quam omnem vitari servitutem ab eo qui in tempore possit negare? Lege ergo *οὐκ ἔσκωψεν ἀλλ' ἐσπούδασεν*: non iocus erat sed dictum quam maxime serium. Vide nunc quam egregie illam scriptoris sententiam (in tempore negando vitatur servitus) excipiat haec: „at nostro aegro ne verbo quidem opus est semper, saepe enim nutu vel silentio idem efficit."

533 F Lysander postquam Agesilaum sibi irasci cognovit, id non dissimulabat eos qui petebant ut ipsos regi commendaret, sed abire eos iubebat *πρὸς ἑτέρους καὶ πειρᾶσθαι τῶν μᾶλλον αὐτοῦ παρὰ τῷ βασιλεῖ δυναμένων.*

Non est Graecum istud; corrige sodes: *τῶν μεῖζον .... δυναμένων.*

ib. *ἀπ' ἄλλης δ' ἀρχῆς. Audisne* hic oratorem? cf. capitis noni initium: *περὶ μὲν οὖν ἀσκήσεως ἱκανὰ καὶ ταῦτα* et undecimi *πάλιν ὁ Πλάτων.*

534 A Zeno cum audivisset quendam e suis discipulis fugere urbem ne obviam veniret cuidam qui ab eo ut falsum diceret testimonium petivisset, sic illum reprehendit: „*τί λέγεις ἀβέλτερε;* iste te non metuit a quo rem tam turpem petat, at tu metuis illum." Videsne unde imitator in libro *de cupiditate divitiarum* (527 F) illud *τί λέγεις ἀβέλτερε* habeat, quo se ad *Homericum Menelaum* convertit?

534 B Omnino malum est praeceptum „improbitate improbitatem repelle", sed impudentem aliqua repellere impudentia *ὀρθῶς καὶ δικαίως γιγνόμενόν ἐστιν ὑπὸ τῶν νοῦν ἐχόντων.* Notetur locutio admodum insolita.

534 F Saepe grammatici, oratores, poetae cane peius et angue metuunt levissimum in sua arte vitium, sed non metuunt rem

turpissimam petere ab alio. Hoc cum fit, petentem suo potes iugulare gladio. Si enim te rogabit ut in iudicio vel comitiis aliquid facias contra leges vel ius, ei responde: „faciam, si tu in aliquo prooemio syntaxeos, in aliqua narratione etymologiae leges violaveris."

Salsissima haec, sed corrumpuntur putido additamento:

οὐ γὰρ ἐθελήσει διὰ τὸ φαινόμενον αἰσχρόν

quod non a Plutarcho sed ab aliquo sciolo profectum quis semel monitus non audit?

535 D Postquam satis iam demonstravit orator quam absurdum sit ipsum tibi contrahere infamiam ut homini improbo emolumentum parias, sic pergit:

καίτοι παρίσταταί γε τοῖς πολλοῖς τὰ τοιαῦτα καὶ οὐ λανθάνουσιν ἑαυτοὺς ἐξαμαρτάνοντες.

Leviusculum fortasse videbitur quod dicam, dicam tamen, nam mihi videtur gravissimum. Non *claudi* his debet caput 17, sed ab his (*καίτοι παρίσταται κτἑ.*) incipere caput 18. Quod ubi factum erit, vide quam belle decurrat disputatio: „quamquam sentiunt se peccare homines et ipsius peccati eos taedet. Tamen peccare pergunt, nam infirmitate quadam laborant mentis, quae haud est dissimilis infirmitati corporis." Haec enim sententia est brevis satis longi loci: *καίτοι παρίσταταί γε .... δειλῶς ἔχουσι.* Sequuntur tum praecepta illius infirmitatis sanandae.

535 E Thucydide auctore non potest non invidia sequi potentiam, monet ergo ut maximo pretio invidiam emamus. Ab eo noster philosophus non plane quidem dissentit sed haud leviter tamen discrepat; putat enim .... *τὸ δὲ μέμψει μὴ περιπεσεῖν μηδὲ λυπηρόν τινι γενέσθαι τῶν χρωμένων ἀδύνατον παντάπασι.*

Hic, ut opinor, nemo ei obloquetur, et suo iure se scire id et *videre* (*ὁρῶντες*) Plutarchus dicit. Quid enim certius quam neminem posse semper omnem vitare offensionem vel levissimam? At quid praemittit? Quid putas? *τὸν μὲν φθόνον διαφεύγειν οὐ χαλεπόν.* Ain vero. Subitane te cepit insania et omnium rerum oblivio? „*Facile* est vitare invidiam." Quis hoc audivit unquam? *καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ*, immo vero et mendicus mendico invidet et servus servo, vinctus soluto, ut est in *de tranquillitate animi*

c. 10. Ipsa oppositio *οὐ χαλεπόν .... ἀδύνατον παντάπασι* ferenda non est. Quid attinet componere facilia et quae nullo modo fieri possunt [1])? Oculis tuis non credis cum vides ab editore uno vocabulo „male" improbari Erasmi emendationem *οὐ* delentis. Et tamen hoc unice verum est, hoc dignum quod dicatur: „*difficile* est invidiam vitare, at offensionem vitare plane est *ἀδύνατον*."

536 A Dixi me posthac falsas interpunctiones missas facturum. Hic tamen tantum est periculum ne quis in longa sententia plane aberret a proposito, ut monendum videatur post *κληθῶσιν* virgula, non maiore distinctione opus esse.

ib. Tamquam magnam et plane immodicam (*νὴ Δία*) adulationem hoc affert si quis homines quosdam *στόματα καὶ φωνάς* appellet. Non mimini me usquam alibi ea vocabula sic adhibita legere.

537 C Illud ad hominem qui dixerat „ego te semper et ubique laudo", responsum: „at ego tibi refero gratiam, facio enim ut vera loquaris", certe non fuit Pindari, sed aut Spinthari aut alius hominis in republica versati.

ib. Oportet nunquam oblivisci detrimentorum quae tibi ista mentis debilitas iam attulit *καὶ τὰ σημεῖα τοῦ δηγμοῦ καὶ τῆς μεταμελείας θεμένους ἐν ἑαυτοῖς ἀναλαμβάνειν καὶ φυλάττειν ἐπὶ πλεῖστον χρόνον.*

De verbo *ἀναλαμβάνειν* dubito, certe quo modo sit accipiendum nescio.

---

1) Cff. ex egregio libello *de invidia et odio* haec:
538 D *τὸ μὲν πρῶτον οὐ λύει τὸν φθόνον, τὰ δὲ λοιπὰ καὶ παροξύνει* et
538 E *κολούουσι μὲν εἰ δύνανται τὴν δόξαν αὐτῶν καὶ λαμπρότητα, συμφορὰς δ' ἀνηκέστους οὐκ ἂν προβάλοιεν.*

Hoc est eleganter componere et inter se comparare: praemittitur id quod ex eodem genere levius, submittitur quod gravius est, ut nostro loco: difficile .... *ἀδύνατον*. Simul nunc apparet prudentissime editorem Graecum secundo, quem attuli, loco *κολούουσι* proponere pro *κωλύουσι*.

DE INVIDIA ET ODIO.

Praestantissimus hic est libellus, neque dubitare possumus quin cognitu fuerit iucundissimus omnibus Plutarchi aequalibus, tam qui subtili et accurata delectarentur disquisitione quam qui in omni philosophia atque adeo doctrina plane essent hospites. Sed *non* est oratiuncula: accurate prudenterque hic philosophus duo pervulgata hominum considerat vitia, de sanandis hominibus ne cogitat quidem. Et tamen hic libellus statim post illum *de vitioso pudore* ponitur, quo nullus melius nobis ante oculos ponit medicum aegros in suam recipientem curam. Sed quamvis sit horum librorum *πρακτικός* alter, alter *θεωρητικός*, statim tamen utrobique eundem agnoscis auctorem. Velut hic quoque quamvis *accurate* disputare studeat, spernit nihilique facit *ἀκρίβειαν* illam, qua nostrae aetatis viri docti .... (laborant, dicere volebam) gloriantur. Errores, leves praesertim, non curat, dummodo vel illis docere possit. Sic internecivum esse odium ait inter duas aves, *carduelem* alteram, alteram quam interpres vocabulo mihi ignoto *parum* vocat, nos *mees* eam dicimus, *mésange* Francogalli, *Meise*, Germani, *tit-mouse* Angli, *cingallegra* Itali. Adii de ea re quotquot mihi noti erant in eiusmodi rebus versati viri, atque ipsum Büttikoferum meum consului, cui Roterodamensis commissus est *παράδεισος ἀγρίων καὶ τιθασευομένων θηρίων πλήρης.* Hic certe omnibus animalibus et avibus praesertim tamquam amicis utitur: paulo pugnaciorem esse „parum" mihi respondit, sed de peculiari quodam eius et carduelis odio se ne fando quidem unquam quidquam audivisse. Quod vero Plutarchus contendit *invidia* non tangi animalia hoc quivis nostrum refutare potest et quotidie refutat. Quid enim facimus cum canis noster cibos, quos ei apposuimus, fastidit? Advocare nos felem simulamus vel vicini canem: mox spongia abluta videtur patella.

Lecturis, non audituris, scriptum esse libellum aiebam et nunc quoque aio, sed praeterea de librorum *genere*, quo sit referendus, nihil affirmare ausim. Initium eius est huiusmodi ut verum initium aliquo casu interiisse videatur, et ita se rem habere vulgo credunt viri docti et credit etiam editor Graecus. Sed fac ante illud *οὕτω δὴ καὶ δοκεῖ μηδὲν τοῦ μίσους διαφέρειν ὁ*

Φθόνος poni iustum paucarum linearum exordium, meliusne quid sibi velit hic sex paginarum libellus apparebit? Quem non paucis esse destinatum hominibus sed eo consilio scriptum ut usquequaque per orbem terrarum legeretur e capite tertio optime apparere opinor, quod, quoniam est brevissimum, totum hic apponam:

„deinde odium etiam est adversus bruta animalia; certe sunt homines qui feles oderint, cantharidas, rubetas; Germanicus neque cantum galli gallinacei ferre, neque ipsum aspicere poterat. Magi apud Persas mures occidebant, quia et ipsi et deus suus eos aversarentur. Nam et Arabes et Aethiopes tantum non omnes mures detestantur. Sed invidia tantummodo est inter homines".

Quorsum hic cum magis, Arabibus, Aethiopibus simul commemoratur Germanicus, dux ille Romanus, quem adeo in deliciis habuit Tacitus? Fortasse propter suum Tacitum *hunc* prae ceteris attulit Plutarchus Romanum, sed quod omnino Romanum hic nominat imperatorem indicio est eum sibi persuasum habuisse hunc quoque libellum per omnes provincias imperii Romani atque in ipsa urbium regina lectum iri. Riderer si de Romanorum Graecorumque loquerer annalibus, libris semestribus, menstruis, aliisque quibus nunc viri docti utuntur ut suarum disciplinarum exerceant commercium. Sed eiusmodi aliquid etiam antiquitus fuisse, certe aliquid quod eandem vim haberet, vel maxime e libellis Plutarcheis, qualis et hic est et Quaestiones Platonicae et multi alii, apparet. Illi enim omnes quam maxime similes sunt disputationibus quas nunc nostris Bibliothecis, Museis, Conspectibus inserendas curamus. An sic potius dicam: scribebat vel scripturus erat Plutarchus magnum opus de vitiorum congruentiis differentiisque, sed horis subsecivis tantummodo manum huic admovebat operi, et si quod erat caput absolutum, illud in multa discriptum exemplaria circummittebat, emptum iri sperans confidensque non solum ab iis qui sic sibi spissum illud essent collecturi volumen, sed etiam a multo pluribus illis qui quidquid ab ipso esset profectum, quamvis esset tenue et exiguum, legere et in scriniis suis adservare cuperent? Nam sic quoque apparet quanta apud omnes homines hic fama floruerit philosophus et mentis medicus.

Age iam e libello nostro aliquot protrahamus locos de quibus paulo accuratius disputemus.

536 E Iam in ipso initio tam egregia legitur imago ut statim appareat nullum aliud praemitti potuisse exordium, hac enim nullum exordium praestantius, neque fuit is Plutarchus qui sua ipse corrumperet et pessumdaret inventa. Est enim huiuscemodi:

ὥσπερ πολυάγκιστρον ἡ κακία τοῖς ἐξηρτημένοις αὐτῆς πάθεσι κινουμένη δεῦρο κἀκεῖσε πολλὰς πρὸς ἄλληλα συναφὰς καὶ περιπλοκὰς ἐνδίδωσι.

Recte editor annotat: *πολυάγκιστρον* substantivum. Nam novimus illud instrumentum quicunque unquam Baias nostras visitavimus. In aggere, qui longe excurrit in mare, stant homines otiosi, qui ut tamen *tempus terant* (haec enim eorum vita est) novum quoddam excogitaverunt negotium. Ferreum tenent manu radium, de quo seni septenive dependent hami; his escam (heu, vivam plerumque) affigunt, tum totum in fluctus iniiciunt, retinaculum prope iacet. Illo post aliquod tempus, nam temporis tantum habetur ratio, artis nihil haec habet vel dexteritatis piscatio, nihil unquam vidisti crudelius simulque insulsius: hosce mihi specta piscatores, si vis ex animi sententia hic quoque plaudere Platoni qui *τὴν ἀσπαλιευτικήν* e sua eiecerit republica; post aliquod igitur tempus attrahitur praeda, miseri aliquot pisciculi, quos dirus cruciatus moveri etiam et salire cogit ita ut inter se tangant et saepe alius alium impediat.

536 F Communia quaedam inter se habent invidia et odium, et hoc est quo decepti homines unum illud esse vitium putent. Sed quoniam non tam congruentiae efficiunt ut *idem* quam differentiae ut *aliud* sit aliquid,

κατὰ ταύτας ζητοῦμεν ἐὰν μεταδιώξωμεν.

Haud dubie corrupta. In integrum haec sic elegantissime — nam qui sensus requireretur multi dudum viderent — mihi quidem restitui videntur: *κατὰ ταύτας τὸ ζητούμενον μεταδιώξωμεν.*

537 A Nascitur odium inde quod sibi fingit aliquis eum, quem odit, vel omnino vel adversus ipsum esse improbum;

καὶ γὰρ ἀδικεῖσθαι δόξαντες αὐτοὶ πεφύκασι μισεῖν, καὶ τοὺς ἄλλως ἀδικητικοὺς ἢ πονηροὺς προβάλλονται καὶ δυσχεραίνουσι.

Reiskius ante *ἀδικεῖσθαι* inserit *οἱ* et *τε* post *αὐτοί*, partim recte. Equidem sic locum refingendum opinor:

καὶ γὰρ οἱ ἀδικεῖσθαι δόξαντες αὐτοὶ πεφύκασι μισεῖν καὶ τοὺς ἄλλως ἀδικητικοὺς καὶ ὡς πονηροὺς προβάλλονται καὶ δυσχεραίνουσι.

Qui ipsi sibi iniuriam aliquam accipere visi sunt natura hoc habent ut oderint et eos qui omnino iniuriosi videntur, eosque ut improbos detestantur aversanturque. Sequitur:

φθονοῦσι δ' ἁπλῶς τοῖς εὖ πράττειν δοκοῦσι.

Et structura et sententia post *ἁπλῶς* etiam desiderat *ἅπαντες*. Malos oderunt tantummodo qui aliqua sunt affecti iniuria, et hanc habent odii sui causam, sed felicibus invident omnes vel sine causa praeter eam quod felices sunt.

Paulo post leguntur haec (B):

invidia infinita est, odium finitum: *ὥρισται καθ' ὑποκειμένων ἀεί τινων ἀπερειδόμενον πρὸς αὐτόν.*

Rectene retulit editor Reiskium pro *πρὸς αὐτόν* legere *προσαντῶν* voluisse? Sic etiam corruptior fit locus, et illud *πρὸς αὐτόν* utique est retinendum. Equidem reputans praecedere comparationem cum re (puta clypeo vel speculo) splendente et fulgente, nullo hiatus metu deterritus sic legere velim

ὥρισται ἀφ' ὑποκειμένων ἀεί τινων ἀπερειδόμενον πρὸς αὐτόν,

odium definitum est, est velut fulgor qui semper a certo quodam homine (*ἀφ' ὑποκειμένων ἀεί τινων*) repercutitur [1]) *in ipsum* (qui eum contemplatur).

Nunc omnia in integrum restituta videntur.

537 C Invidia semper iniusta est

μισοῦνται δὲ πολλοὶ δικαίως, ὡς οὓς ἀξιομισήτους καλοῦμεν ἂν μὴ φεύγωσι τοὺς τοιούτους μηδὲ βδελύττωνται καὶ δυσχεραίνωσι.

Scopae solutae; aptissimum videtur vinculum *καί* pro *ὡς οὓς* (sexcenties *καί* et *ὡς* inter se confunduntur) legere, deinde cum Emperio *οἵ* inserere ante *ἄν*.

537 D Homerus Thersitae *τὴν μὲν τοῦ σώματος κακίαν πολυμερῶς καὶ περιωδευμένως ἐξεμόρφωσε, τὴν δὲ τοῦ ἤθους μοχθηρίαν συντομώτατα καὶ δι' ἑνὸς ἔφρασεν*

---

1) Cf. de S. N. V. 566 D *φῶς ἐκ τοῦ τρίποδος ἀπερειδόμενον εἰς τὸν Παρνασσόν.*

ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆι μάλιστ' ἦν ἠδ' Ὀδυσῆι.

Minime cum editore δι' ἑνὸς ἔπους legere velim, nam requiritur quod (per chiasmum) opponatur praecedentibus πολυμερῶς καὶ περιωδευμένως. Ultimum adverbium admodum rarum, sed egregie opposito συντομώτατα illustratur, est enim „per ambages". Nihil ergo addendum quam τοῦ post ἔφρασεν.

537 E Invidiam suam omnes dissimulant ὀργίζεσθαι λέγοντες ἢ φοβεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον ἢ μισεῖν ἢ ὅ τι ἂν τύχωσιν ἄλλο τῷ φθόνῳ τοῦ πάθους ὄνομα περιβάλλοντες καὶ καλύπτοντες, ὡς μόνον τοῦτο τῶν ψύχης νοσημάτων ἀπόρρητον.

Rectissime vidit Duebnerus ferri non posse articulum qui ante πάθους legitur. Videndum tamen annon sic legendum: ὅτου ἂν τύχωσιν ἄλλου τῷ φθόνῳ πάθους ὄνομα περιβάλλοντες. Nam simpliciter delendo articulo mihi quidem non persanasse locum Duebnerus videtur. Sed hoc certius in fine sententiae ὂν esse addendum.

ib. ἀνάγκη τοίνυν τὰ πάθη ταῦτα τοῖς αὐτοῖς ὥσπερ τὰ φυτὰ καὶ τρέφεσθαι καὶ αὔξεσθαι.

Haec quidem lenissima emendatione sanavit Reiskius ταῦτ' οὐ legendo pro ταῦτα. Hoc opus esse, hoc voluisse Plutarchum clamat tota quae sequitur disputatio: „odium maius fit in eos quorum improbitas, invidia fit maior in eos quorum *virtus* augetur; *extrema* improbitas *auget* odium, *extrema* felicitas *delet* invidiam." Ergo ut alia planta alio augetur nutrimento, ita alio nutrimento invidiae opus est, alio odio. Sed quid iis faciam quae annectuntur καὶ ἐπιγίγνεσθαι πέφυκεν ἀλλήλοις non video. Ecquid καὶ ἐπιτείνεσθαι πεφυκέναι? Haud alienum hinc πεφυκέναι („haec est illorum vitiorum natura") neque inepte verbis τρέφεσθαι et αὔξεσθαι, quae ét plantarum ét vitiorum sunt, adderetur ἐπιτείνεσθαι (intendi), quod proprium magis est vitiorum.

ib. Atque hanc sententiam sic illustrat defenditque philosophus: μισοῦμέν γε μᾶλλον τοὺς μᾶλλον εἰς πονηρίαν ἐπιδιδόντας, φθονοῦσι δὲ τοῖς μᾶλλον ἐπ' ἀρετῇ προιέναι δοκοῦσι.

Hic editor, dubitanter quidem, sed coniicit tamen μισοῦσι μέντοι μᾶλλον. Utinam ne fecisset! Nam recepta semel Reiskii

emendatione (ταῦτ' οὐ pro ταῦτα), qua utique opus esse totus contextus clamat, sequi debet non *tamen* verum *nam*, quod sexcenties ut hic non particula γάρ sed particula γε significatur. Sed hoc leve; multo gravius est quod isto μισοῦσι ipse Plutarchus, qui nobis quam maxime vivus stabat ante oculos, occiditur et necatur. Quid enim? Lubenter se hic philosophus iis adnumerat qui ipsi monendi sunt, vituperandi, corrigendi. Semper et ubique omnem vitat arrogantiam, ἀρεταλόγος neque est neque videri vult. Et nunc quoque *odio* sibi esse nonnullos homines minime dissimulat, sed *invidere* se aliis, idque iis qui in *virtute* faciant progressus, ne simulare quidem potest; invidorum se turbae eximit neque metuit arrogantiae crimen, et optimo quidem iure eximit. Quis enim aequalium aut posterorum vel suspicari potuit hoc Plutarchum laborasse vitio?

537 F *ὁ φθόνος ἅπτεται μάλιστα τῶν χρηστῶν .... ἠθῶν καὶ προσώπων.*

Haud saepe sic iungi videbis inter se *mores* et πρόσωπα, quae vox hic nil aliud quam latinum „persona" significare potest.

538 A *ὁ ἥλιος, ὢν ἂν ὑπὲρ κορυφῆς γένηται, καταχεόμενος τὸ φῶς ἢ παντάπασι τὴν σκιὰν ἀνεῖλεν ἢ μικρὰν ἐποίησεν.*

Quorsum istud *medium*? Nonne aut καταχέων legendum, aut, deleto τὸ φῶς, tamquam *passivum* illud καταχεόμενος accipiendum?

538 C *τὸ ῥηθὲν ὑπό τινος τῶν καθ' ἡμᾶς σοφιστῶν, ὅτι ἥδιστ' οἱ φθονοῦντες ἐλεοῦσιν, ἀληθές ἐστιν.*

Scire pervelim quis ille sit qui veram et minime vulgarem hanc sententiam tam lepide enuntiarit. An post illum *aequalem sophistam* ipse Plutarchus latet? Etiam quae statim annectuntur egregia sunt:

ὥστε καὶ ταύτῃ μεγάλην εἶναι τῶν παθῶν διαφοράν, ὡς τὸ μὲν μῖσος οὔτ' εὐτυχούντων οὔτε δυστυχούντων ἀφίστασθαι πέφυκεν, ὁ δὲ φθόνος πρὸς τὴν ἀμφοῖν ὑπερβολὴν ἀπαγορεύει.

In quibus notetur illud ἀφίστασθαι πέφυκεν, quod, si quid video, haud infirmum praebet sustentaculum coniecturae meae ἐπιτείνεσθαι πεφυκέναι (537 E). Sed haereo in particula ὡς quae parum apte respondet praecedenti ταύτῃ. Nonne vel ὅτι vel ᾗ legendum?

538 D Odium beneficio minuitur tolliturque, sed augetur invidia. Apparet ergo hos affectus inter se quam maxime esse diversos

εἰ δι' ὧν ἐκεῖνο πραΰνεται, τοῦτο λυπεῖται καὶ παροξύνεται.

Quid hoc sit „invidia irritatur" et „odium mitigatur" probe intelligo et quis non intelligit? Sed recte dici *τὸν φθόνον λυπεῖσθαι* vix credo: *dolore afficitur* invidus, non invidia. Aut ergo parum eleganter hic locutus est noster aut aliud verbum isto *λυπεῖται* suo pulsum loco est.

538 E Cognosce nunc quam egregia certaque sit emendatio editoris, quam modo laudabam. „Etiam" sic philosophus disputat „aliud est odii, aliud invidiae propositum; quos odimus eos quam maximo afficere malo cupimus, sed qui invident aliis, saepe cognatis familiaribusque, licet eorum prosperitatem graviter ferant, tamen non perire eos volunt.

καὶ κωλύουσι μέν, εἰ δύνανται, τὴν δόξαν αὐτῶν καὶ λαμπρότητα, συμφορὰς δ' ἀνηκέστους οὐκ ἂν προσβάλοιεν.

Opponuntur inter se *prorsus pessumdare* (hoc enim est *συμφορὰς ἀνηκέστους προσβαλεῖν*) homines et eorum gloriam splendoremque .... quid? Num *κωλύειν*? Non opinor. Quid enim illud est? *κωλύει* aliquis alium *μὴ ἔνδοξον ἢ λαμπρὸν γίγνεσθαι* sed *τὴν δόξαν καὶ λαμπρότητα κωλύειν* nihili videtur. Sed gloriam alicuius *infringere* et *imminuere* recte dicitur recteque hic opponitur sequentibus. Lege ergo cum Bernardakio *κολούουσι.*

DE SE IPSUM CITRA INVIDIAM LAUDANDO.

Hoc enim latino nomine liber citari solet qui iam sequitur. Sed quis in extrema barbarie natus unquam sic est locutus? Intelligenda absurda illa vocabula sic sunt „qui possit semet ipsum ita laudare aliquis ut tamen non moveat invidiam" Gr. *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως.*

Eiusdem generis est libellus atque praecedens ille *de invidia et odio*, sed plura continet quae possint in vitae usum converti. Et quod rarissime fit in libris Plutarcheis, habemus hic tenue

quidem et parum accuratum sed tamen aliquod indicium temporis, quo liber scriptus sit. Etenim, ut semper, non eos solum ad quos se convertit monet docetque sed semet ipsum simul; agitur autem de senum quodam vitio, atque: „illud cavere *debemus*" ait. Sed totum locum (547 A) contemplemur: nusquam se demissiorem, humiliorem, denique amabiliorem noster praebuit: „ad semet ipsos" sic fere disputat „laudandos facile senes delabuntur; nam dum pravos aliorum mores, resque ab aliis male gestas perstringunt, saepe quae ipsi multo melius egerint extollunt. Quodsi non solum aetatem suam afferre possunt, sed etiam gloriam virtutemque, venia iis danda est: non enim inutiliter semet ipsos laudant sed eos quos vituperant ad aemulandum incitant:

οἱ δ' ἄλλοι σφόδρα φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι τὴν ἐκτροπὴν ταύτην ὀφείλομεν."

Non senem solum se fatetur Chaeronensis philosophus, cuius tamen sapientiam expetunt omnes, sed etiam de vulgo senum qui nulla re inclaruerit!

Problema „theoreticum" tractare videtur cf. p. 546 B: „restat exponere quomodo cavere possit aliquis ne semet ipsum intempestive laudet: est enim argumentum quod ordine sit tractandum" [1]), et observa quam saepe hic recurrant formulae quales hae sunt: „porro", „deinde", „accedit quod", „in omnibus eiusmodi rebus". Tamen minime philosophantibus solis scriptus est libellus, sed omnibus et doctis et indoctis, quorum mores hoc remedio sanandi videantur. Prae ceteris autem exempla ex historia *Romana* petita libellum produnt per totum spargendum orbem terrarum. Sunt autem haec:

(540 F) „Romani Ciceronem ferre non poterant semper gloriantem consiliis suis quibus Catilinam oppressisset, sed Scipionem cum dixisset non licere iis de Scipione ferre sententiam, cuius opera iis ius esset de omnibus iudicandi mortalibus coronati in Capitolium sunt prosecuti et cum eo rem divinam peregerunt".

---

1) Confer disertissimum hoc (546 B): *διὸ τοῦτο μὲν συγκατατετάχθω τοῖς εἰρημένοις εἰς τὸ πρόβλημα* et nota praepositionem *εἰς* in dialecticorum sermone usitatissimam.

(542 A) Cum Ciceroni Metellus exprobrasset quod plures homines testimonio dicendo occidisset quam oratione habenda servasset, „nemo negat" respondit „fidei plus in me esse quam ingenii".

(544 C) Dicere solebat Cato se patriae causa res suas negligere et somnum non capere.

Tum omnino limpidissima oratione totus libellus est conscriptus; ultima tantummodo pars parum bene decurrit; equidem certe non dissimulo haerere me hic illic in iis quae inde a 547 E usque ad finem (18 eae sunt lineae Teubnerianae) leguntur. Unum denique lepidissimum hic occurrit exemplum (540 A): „quemadmodum qui cibo egent suo ipsorum corpore praeter naturam vesci coguntur atque haec extrema fames est, ita qui laudem esuriunt, cum alii laudatores non adsunt, ridiculi fiunt dum sibi ipsi congerunt ea quae exoptant",

estque hoc eiusmodi ut *audire* tibi hic oratorem videaris, qui magnam aliquam contionem·delectando monere studet.

De singulis locis haec observare velim.

p. 539 B Quis ille sit quem sibi Plutarchus libelli patronum elegit scire cupio, nam vocativus ille Ἥρκλανε vitium contraxisse videtur.

Incipit autem scriptor a versibus quibusdam Euripidis, quibus et vitium de quo agitur reprehenditur et quomodo factum sit ut illud tam fieret pervulgatum demonstratur. Tum sic pergit: „at ipse Euripides

φορτικωτάτῃ κέχρηται μεγαλαυχίᾳ συγκαταπλέκων τοῖς τραγῳδουμένοις πάθεσι καὶ πράγμασι μηδὲν προσήκοντα τὸν περὶ αὐτοῦ λόγον.

Sicut nunc haec verba se habent, inde efficias in citatis illis modo versibus id fecisse Euripidem; sed in illis iactationis arrogantiaeque nihil est: vituperatur tantummodo, ut iam dicebam, vitium, quod nunc tractatur, et origo eius monstratur. Ne ergo in illum incidamus errorem, post *συγκαταπλέκων* inserendum est *πολλάκις* aliudve vocabulum in eam, similemve, sententiam.

540 B Pervulgatum proverbium eum notat qui „pedem ponit in alieno choro"

τὴν δ' εἰς μέσον ὑπὸ φθόνου καὶ ζηλοτυπίας ἐξωθουμένην περιαυτολογίαν εὖ μάλα δεῖ φυλάττεσθαι.

Non nego illud participium, sicut nunc legitur, defendi utcunque posse, sed praepositio *ἐξ* tam ingratam hic nobis praebet imaginem ut non dubitem quin *εἰσωθουμένην* legendum sit.

541 A Qui in re adversa, in iudicio aliove periculo semet ipsos laudant, parata his est venia quoniam videntur *ἐξαναφέρειν πρὸς τὴν τύχην.*

Aliquo modo haec vocabula illustrant obscuriorem illam imaginem quam 438 B habuimus. Est enim *ἐξαναφέρειν*: „emergere, sese erigere et attollere".

Et omnino fugere illi homines videntur

τὸ συνεπιθρηνοῦν τοῖς ἀβουλήτοις καὶ ταπεινούμενον.

En insigne exemplum structura quam alibi in deliciis esse Plutarcho dixi: participii pro infinitivo. Prorsus enim idem foret sed minus exquisitum id quod in promptu magis esse videtur *τὸ συνεπιθρηνεῖν καὶ ταπεινοῦσθαι.*

541 C Ad mortem cum agebatur Phocion unum ex iis qui cum eo damnati erant lamentantem sic est consolatus:

τί λέγεις οὗτος; οὐκ ἀγαπᾷς ἀποθνήσκων μετὰ Φωκίωνος;

Pro *οὗτος* Wyttenbachius reponi voluit ipsum hominis nomen, notum ex Apophth. 189 A *Θούδιππε.* Dubito, nam familiarius loquendi genus etiam in illo *τί λέγεις* cernitur. Sed sive recipimus Wyttenbachii coniecturam sive non recipimus, praeclarum hic habemus exemplum formulae, quam libri *de cupiditate divitiarum* auctor tam inepte adhibet (527 F)

541 E Narrationem de viris qui, cum iniuria afficiebantur, semet ipsos laudarunt, sic concludit:

οὗτοι μὲν οὖν ἄλλως ἀδικούμενοι τῶν κατορθωμένων ἐμέμνηντο πρὸς τοὺς ἀγνωμονοῦντας

at qui ob ea ipsa quae recte fecerunt reprehenduntur hi vero optimo iure illa facta extollunt.

Articulus *τούς* abesse hinc debere videtur: non enim de certo hominum genere sed de certa quadam hominum actione sermo est.

541 F Ex eo genere fuit Lycurgi dictum illud: „qualem me civem vos iudicatis qui post tot annos semel convictus sim pecuniam non accepisse contra legem sed dedisse?" Dixit autem illud *ἐπὶ τῷ πεπεικέναι τὸν συκοφάντην ἀργυρίου λοιδορούμενος.*

Dativo *ἀργυρίῳ* nobis opus hic est, an *emendi* vis nunc verbo *πείθειν* tribuitur? Equidem non opinor.

542 B In Demosthenis oratione pro Corona et alia digna sunt quae observentur et hoc quod *μιγνύων ἐμμελέστατα τῷ περὶ αὑτοῦ λόγῳ τὸν περὶ τῶν ἀκουόντων ἔπαινον ἀνεπίφθονον ἐποίει καὶ ἀφίλαυτον.*

Minime his cum Nabero addere velim *ἑαυτόν*, quod neque necessarium est (quis enim non sponte tamquam obiectum *τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον* addit?) et ingrate sonat.

ib. Demosthenes enim in ea oratione commemorat quam bene Athenienses meriti sint de Euboensibus, Thebanis, Byzantinis, Chersonesiis, sibique partem tantummodo laudis hic vindicat, prudentissime:

λανθάνει γὰρ οὕτω τὸν ἀκροατὴν τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συνυποδυόμενος ὃς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται.

Haec B. edit quae non intelligo, et si intelligerem misere languere mihi illa sententia relativa videretur. Et annotat se sic correxisse id quod traditum sit *συναποδυόμενος*. Apud W. *συνυποδυόμενον* legitur, sed et quae in textu ponit ille et quae coniicit ipsa nocte obscuriora sunt. Fac ergo de lectione tradita recte retulisse editorem Graecum, eam equidem sic mutaverim:-

λανθάνει γὰρ οὕτω τὸν ἀκροατὴν τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συναποδύων ὡς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται

quod elegantissime dictum videtur hoc sensu: dum semet ipsum laudat (*τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συν-*), simul aperit auditorem eique vestem, involucrum, personam detrahit, demonstratque *ὡς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται.* Cum auditor semel est confessus se laetari quod laudetur, aequo animo ferre debet oratorem semet ipsum laudantem.

543 A *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως πρὸς τοὺς παντάπασι χαλεποὺς*

καὶ βασκάνους ἀνάγκη τὰ φάρμακα καὶ [τὰ] παρηγορήματα μηχανᾶσθαι.

Tenue sed certum hic quoque documentum bene Graece se scire dedit Stegmannus, qui istud τά deleverit. Quousque tandem in textu retinebitur?

543 C τοῦτο δὴ τὸ παράδειγμα καὶ ῥήτορι δίδωσιν, ἄνπερ ᾖ χρηστός, ἐπαινουμένῳ περὶ λόγου δεινότητα, μεταθεῖναι τὸν ἔπαινον ἐπὶ τὸν βίον καὶ τὸ ἦθος.

Interpres δίδωσιν vertit „docet". Oportebat: „permittit, concedit." Hoc enim sensu frequentissimum apud Plutarchum.

544 B Apponi Agathocles et aurea caelataque et fictilia pocula iussit, tum: „en quid possit industria" ait „et indefessus labor":

ἡμεῖς πάλαι ταῦτα, νῦν δ' ἐκεῖνα ποιοῦμεν.

Egregie sensum restituit Cobetus legendo: ἡμεῖς πάλαι ταῦτα ἐποιοῦμεν, νῦν δ' ἐκεῖνα ἔχομεν. Sed collato apophthegmate (176 E) quod sic est traditum:

τοιαῦτα ποιῶν πρότερον νῦν τοιαῦτα ποιεῖ

nescio an illic pro ποιεῖ legendum sit ποιοῦμαι et noster locus sic refingendus; ἡμεῖς πάλαι ταῦτ' ἐποιοῦμεν, νῦν δ' ἐκεῖνα ποιούμεθα. Olim Agathocles ipse fictilia faciebat, sed rex factus alios sibi aurea *facere iubebat* pocula.

544 E Commemorata illa Spartanorum cantilena ἀμές ποκ' κτέ. haec addit:

καλῶς καὶ πολιτικῶς τοῦ νομοθέτου τὰ πλησίον καὶ οἰκεῖα παραδείγματα τοῖς νέοις δι' αὐτῶν τῶν εἰργασμένων ἐπιθέντος.

Ultimum vocabulum unde habeat editor non curo. Multo rectius W. ἐκτιθέντος. Possis etiam προτιθέντος.

546 A Versiculum, quem recte sic edidit W.:

ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος
(τέρφθην)

plane ἄμετρον reddidit novus editor ἠδέ legendo pro secundo καί.

546 B C *μέγα γὰρ ἡ περιαυτολογία τὴν Φιλαυτίαν ὁρμητήριον ἔχουσα .....*

Haec sic vertit interpres: „etenim amorem sui *arcem* habens de se ipso dicendi studium". Immo vero *locum unde procedit* (*ὁρμητήριον* cf. illud in expeditionum descriptionibus frequentissimum *ἐντεῦθεν ὁρμώμενος*). Sic demum sequentia bene intelligimus: quemadmodum sanitatis tuendae causa locos insalubres vitamus ita et vitanda est *ἡ περιαυτολογία* quae et ipsa habet

τόπους ὀλισθήρους καὶ περιΦέρουσα εἰς αὐτήν

nempe *εἰς τὴν Φιλαυτίαν* unde est profecta.

Atque eos locos sic enumerare incipit:

τὸ Φιλότιμον ἐξανθεῖ τὴν περιαυτολογίαν

Verbum sic vertit interpres: „extrudit". Recte, dummodo et vox latina — id quod nescio — suum sibi locum habeat in hortis agrisque.

546 D Ut de se loquantur maxime evenit *τοῖς ἐκ πότων ἡγεμονικῶν καὶ πραγμάτων μεγάλων ἐπανήκουσι.*

Calamine lapsu sic B. edidit an e coniectura? Nam W. *τόπων* habet, quod egregie friget, licet *ἐκ τ. ἡ* vertat interpres „e provinciis a se gubernatis". Sed neque *πότων* placet. Oportebat sane *συμποσίων.*

547 A Pro absurdo *ἀλλὰ μέγα ζῆλον ἐμποιοῦν* acute editor coniecit *ἀλλ' ἅμιλλαν καὶ ζῆλον ἐμποιοῦν.*

547 B Mire titillationum effectus his verbis describitur: *τὰ λειότατα τοῦ σώματος ὀλισθάνοντα καὶ συρρέοντα κινεῖ καὶ συνεξορμᾷ τὸ πάθος.*

Mihi oraculi instar ista sunt.

547 C Cautissimum esse oportet cum laudaris, nam in loco tunc versaris pleno periculorum. Quae sic describuntur:

ἔνιοι μὲν οὖν κολακεύοντες αὐτοὺς ὥσπερ γαργαλίζουσι καὶ Φυσῶσι.

Quid hic rei nobis est cum hominibus qui *sibimet ipsis* blandiuntur et quid illis cum iis qui deinceps inferuntur? Pro *αὐτούς* legere velim *ἄλλως,* „qui nihil aliud nisi blandiuntur,

quique id aperte faciunt" (cf. 541 E ἄλλως ἀδικούμενοι), tum statim opponuntur qui κακοήθως οἷόν τι δέλεαρ μικρὸν εὐλογίας ὑποβάλλοντες ἐκκαλοῦνται τὴν περιαυτολογίαν.

547 D Utilissimum est alios dum semet ipsos laudant observare et meminisse quam ingrata nobis res ea fuerit:

οὐδὲ γὰρ ἔχοντες εἰπεῖν ὅτι πάσχομεν ἄλλο κακὸν ὑπὸ τῶν αὐτοὺς ἐπαινούντων

naturali quodam instinctu eos aversamur.

Non coniunctione sed pronomine ὅ τι (ὅ τι ἄλλο) hic opus est.

EMENDATUR INSCRIPTIO CHRISTIANA IN PATRIA NOSTRA INVENTA.

Arti nostrae decori et ornamento esse viros qui non in ea vitae posuerunt tabernacula sed tantummodo horis subsecivis ea delectantur nunquam aeque ac nuper sum expertus. Scripsit ad me iuris utriusque doctor I. A. H. Baro van Zuylen van Nyevelt se in cimetrio quod a *quercubus* et *collibus arenae* nomen habet vidisse columnam portae antiquissimae qua olim ad monasterium patebat aditus, in qua haec esset inscriptio:

castissimi dei habitaculo non nisi casta *mente to*

seque corrupta ista sic supplesse et transposuisse ut evaderet: *mementote.*

Nonne Cobeto Madvigioque digna haec emendatio quam protulit vir summo loco natus, de suis civibus optime meritus, et multis aliis artibus et praesertim *musica* clarus, cuique non ita multum supersit temporis quod literis impendat latinis? En, hoc est emendare, sic demum aeterna artis criticae splendet gloria et utilitas!

J. J. H.

STUDIA HORATIANA.

SCRIPSIT

C. P. BURGER Jr.



Peerlkampius nondum mortuus est. Quadraginta annis abhinc a gymnasii Leovardiensis Rectore mihi inculcabatur admiratio illius clarissimi professoris qui odas quas nemo non laudibus ad coelum tollere solebat, libero iudicio perpendere et quae in iis Horatio indigna repperisset, ei abiudicare ausus esset. Quam rem ut bene perspiceremus, ipsi probare cogebamur, parvum illud carmen „Vile potabis" (I 20) opus scholasticum nullius pretii esse. Memini me sedulum Peerlkampii argumenta describere; sed iam tunc dubitatio mihi nascebatur, num recte viro docto nostrae aetatis tanta auctoritas tribueretur. Deinde cum adultus ad ipsa literarum Latinarum studia accessissem, libenter cum Nauckio et Kellero faciebam, qui librorum manuscriptorum traditionem tuentes summam operam dabant ut obscura quaeque explicarent. Eorum explicationes non ubique sufficere tunc me fugiebat; cum autem post complurium annorum intervalla iterum atque iterum incursus in opus Horatianum fieri viderem, argumentis Peerlkampii plerumque repetitis, Horatii carmina sedulus relegere coepi. Eas praecipue odas quas Peerlkampius ipsis literis typographicis quasi stigmate notaverat examinavi, perpensis non tantum severi illius censoris annotationibus, sed etiam quae alii ad versus explicandos scripserunt; neque id frustra fecisse mihi videor.

Peerlkampius, ni fallor, a recta via longe aberravit. Diserte indicavit quae a nullo interprete bene explicata invenerat et quae ipsï quoque obscura manebant; sed fugit eum, etiam

sagacissimis et eruditissimis viris obscura videri posse quae poëtae aequalibus nullam difficultatem praebuerant. Ipse certe putat se „Horatium ut digitos novisse", et „in succum et sanguinem convertisse", sed nihilominus quae et eum et doctissimos viros per saecula longa fefellerunt, investigatori recenti sponte se offerre possunt. Vel minimo lumine felici intuitu accenso quae diu obscura manserunt elucescere possunt. Non igitur viri vere critici est, ea quae non intelligit, vel ad arbitrium suum immutare, vel poëtae abiudicare et „imperitis librariis" adscribere.

An ea quae sequuntur novum lumen hic vel illic allatura sint alii videant. Quae invenisse mihi videor ordine exponam. Septem carmina integra Peerlkampius Horatio abiudicavit; quae cum relegerem et accuratius examinarem, minime obscura neque Horatio indigna, sed male intellecta repperi. Simul compluria alia carmina quae tanquam partim spuria notata erant, nonnulla quoque quae serias dubitationes moverant, vulgo non recte explicata esse mihi persuasi. Duo praesertim vitia interpretationis indicanda sunt. Omnes odas carmina lyrica esse interpretes volunt, neque facile intelligere videntur, poetam qui epistolis et satiris scribendis inclaruit, saepe etiam lyrico metro brevem epistolam scripsisse vel parvam satiram fecisse. In explicandis autem talibus epistolis fere semper eos fugere videtur, eas necessario saepe obscuras esse quia ad epistolas deperditas respondent ideoque proprio suo lumine carent.

Initium faciam ab his parvis epistolis. Ante alias autem octo carmina ad Maecenatem scripta (I 1. 20. II 12. 17. 20. III 8. 16. 29) tractabo, quae omnia fere male intellecta sunt et serias difficultates habent, quae si ea referamus ad epistolas vel poëmata deperdita Maecenatis, melius explicantur.

Carm. III 8.

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores et acerra turis
Plena miraris positusque carbo in
        Caespite vivo,
Docte sermones utriusque linguae.

Poëmatium his versibus incipiens a Peerlkampio severe condemnabatur: „Si quis hoc carmen cum antecedenti et cum sequenti comparaverit, is optime sentiet quid aera lupinis distent. Illa sunt tersa, castigata, latina, qualia Romanis auribus aetate Augusta probabantur: hoc est poëtae balbutientis qui colorem quendam Romanum simulat, sed levem illum et fucatum."

Recte his verbis indicatur, carmen nostrum plane diversum esse cum a dialogo illo inter Lydiam et iuvenem qui antea ei gratus fuerat, tum a carmine quo poëta Asterien absente Gyge consolari conatur. Concedi potest haec tersa et castigata esse et Romanis auribus probari; elegantia certe nostrum carmen superant. Falsum autem est, magis latina esse; graecolatina potius dicenda erant. Amatoria themata, fictae personae graecis nominibus appellatae, et exempla ex historia et mythologia desumpta Graecam originem produnt. Nostrum vero carmen Romam nos transfert, pro ficta Lydia vel Asterie vivum Maecenatem et Horatium audimus, non castus Bellerophon et Persarum rex sed Dacus Cotiso, Medus et Cantaber qui Horatii aetate omnibus Romanis in ore erant, hic memorantur. Neque boni sensus est, etiamsi stili elegantiam omnibus rebus anteponas, talia diversi generis carmina contemnere. Imo vero qui ipsum poëtam eiusque familiares penitus cognoscere cupit, haec praecipue carmina legere et intelligere debet.

Peerlkampius nostrum carmen non recte intellexit; inde a principio falsam viam ingressus est. „Videtur thema esse grammaticum: *Horatius Maecenatem Kalendis Martiis invitat.*" En hic habemus originem pravi iudicii; neque versus supra citati neque quae sequuntur huic themati respondent. Qui invitationem ita versibus exprimere conatus foret, is certe poëtae balbutientis nomine dignus esset. Non qui amicum invitat prooemii loco dicit eum mirari quid ipse agat, neque eum doctum sermones utriusque linguae appellat, nec deinde pro ipsa invitatione eum incitat ad centum cyathos sumendos. Peerlkampius ad sermonum illorum mentionem annotat: „qua doctrina opus erat, ut homo romanus sciret, quid essent Matronalia quae quotannis redibant? Si vero ad id sciendum requireretur doctrina, cur graeca?" Ad has quaestiones recte positas nullum adhuc idoneum responsum datum esse videtur; Nauckius certe longis

ambagibus nihil effecit, nisi ut rem sibi obscuram esse lectori persuaserit [1]).

Viam plane diversam ingredi necesse est: nostro carmine non invitatur Maecenas, sed respondetur admirationi, carmine vel epistola ab eo significatae. Postquam hoc perspeximus, ille versus a viris doctis aut non aut male explicatus etiam plura nos edocet: haec Maecenatis epistola auctorem sermones utriusque linguae doctum prodebat. Sermonibus scilicet sive versu sive soluta oratione conscriptis de epulis ad quas Horatius eum invitaverat, tractabat.

Revertendum igitur est ad ipsa carminis verba, et videndum an ea quae Peerlkampium in invitatione offendebant, melius se habeant in responso. Eodem tempore operam dare oportet ut ex responso cognoscamus quid in illis Maecenatis sermonibus platonico fortasse stilo compositis disputatum fuerit.

Tribus statim strophis de invitationis causa agi videmus: mirari se, quid Kalendis Martiis ille apparatus in domo caelibis sibi vellet Maecenas scripserat; cui Horatius haec respondet:

Voveram dulces epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sequitur strophe quam Peerlkampius totam improbabat:

Sume Maecenas cyathos amici
Sospitis centum et vigiles lucernas
Perfer in lucem; procul omnis esto
Clamor et ira.

Hic reprehendebat et centum cyathos hominem multibibum indicantes, et lucernas in lucem perferendas, et imprimis admonitionem ne clamor et ira inter Maecenatem et Horatium ori-

1) „Wer die Sprache beider Zungen kennt, sowohl griechisch als römisch zu conversiren weiss (nur so viel wird durch *sermones* gesagt); der, meint Horaz, dürfte allerdings prätendiren zu wissen, wie auch ein *caelebs* dazu kommen könnte die *Calendae femineae* zu feiern. Mit der genannten Kenntniss der Sprache wird die nicht genannte Kenntniss der Gebräuche und Einrichtungen verbunden gedacht."

rentur; „nam de aliis convivis nihil legimus neque ex carmine vel suspicamur plures interfuisse" [1]).

Non tantum nimia arte critica vir clarissimus hic peccat, sed etiam de ipsis epulis perperam iudicat. Totus ille apparatus, epulae et amphora, centum cyathi et convivium ad lucem continuandum, et his magis omnibus ipsa clamoris et irae mentio ad plures convivas, non ad duos solos spectant [2]). Quid autem de singulis illis offensionis causis? Omnes evanescunt, si Horatii verba ad Maecenatis sermones referimus; respondet nempe austero philosopho epularum vituperatori, qui tales comissationes per totam noctem continuatas, ubi stomachus multis cyathis, oculi lucernis, aures clamore, ipse animus ira laedi soleant, vero sapienti vitandas esse demonstraverat. Neque dubitandum est quin hic sermonem graeca lingua compositum deprehenderimus.

Plane diversa et tota romana sunt quae sequuntur.

Mitte civiles super urbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
    Dissidet armis,
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
    Cedere campis.
Neglegens ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere.
Dona praesentis cape laetus horae.
    Linque severa.

Hae strophae sine dubio spectant ad latina lingua compositum sermonem a viro Romano non minus severo emissum, qui vinum et epulas rerum civilium curae nocere contenderat. Monendum tamen est ne quis ipsum Maecenatem sub hac persona latere putet. Totum enim nostrum carmen indicat eum fictorum illorum amicorum admonitionibus minime motum fuisse. Se

---

1) Non aliter Hartman, *De Horatio poëta* p. 26.

2) Minime ad rem Nauckius: „wir beide wollen ganz still und gemüthlich mit einander allein sein." Lehrs sua pro Horatianis ponens: „procul omnis esto cura futuri".

diei festo affuturum esse promiserat, nam Horatius hac de re nullam dubitationem habet.

Prorsus igitur rejicienda est Peerlkampii opinio. Vir clarissimus, totus in illis diversae naturae poëmatis summa arte et elegantia compositis versatus, nostrum carmen ex ipso commercio literario inter amicos ortum non intellexit; imo ne recte quidem legit. Invitationem esse voluit, et postquam Horatium talem invitationem scribere non potuisse recte perspexit, inconsulto ipsum carmen poëtae abiudicavit.

Quae eum fugerunt, nunc ordine disponere licet. Invitationi ab Horatio acceptae Maecenas responderat literis seu versibus seu prosa oratione pulchre elaboratis, quibus se cum duobus austeris viris, graeco et romano, confabulantem fingebat. Ipse scilicet iis narrabat, Kalendis Martiis se ad Horatianas epulas iturum esse, licet causam cur caelebs Matronalia celebraturus esset ignoraret. Ad quam rem unus atque alter interlocutor sua quisque lingua serio demonstrabant, talia convivia nec philosophum nec eum cui quamquam privato cura urbis gerenda esset, decere. Credere licet Maecenatem laudavisse quidem utriusque orationem, sed addidisse, sua opinione veri sapientis esse non semper austeris consiliis obtemperare, sed interdum amicitiae cedere.

Ad huiusmodi literas Maecenatis Horatianum carmen lepidissime respondet. Quae invitationi minime conveniunt, hic rectum locum habent, admiratio Maecenatis de Matronalibus a caelibe celebrandis, appellatio illa cum utriusque linguae sermonum mentione, deinde adhortatio ut centum cyathos sumat et lucernas in lucem perferat, cum deprecatione clamoris et irae, nec non quae disputat de cura urbis non nimis graviter gerenda, cum praesertim status reipublicae multo melior quam antea sit. Quae omnia pulcherrime clauduntur his duobus versibus manifeste Horatianis:

Dona praesentis cape laetus horae.
Linque severa.

Iam nihil restat cur dubitemus an Horatius huius carminis auctor sit. Neque Peerlkampio contra ipsius poëtae auctoritatem credendum est, verba „prope funeratus arboris ictu" non latina esse, aut Maecenatem non recte *privatum* dici.

Carmen minime balbutientis poëtae est. Imo est eorum quae auribus gratissima cadunt, quae memoriae se insinuant, quae nulli non lectori verum et genuinum Horatianae poeseos saporem praebent.

Carm. III 16.

Transeamus ad carmen quasi bipartitum de auri potentia, et de beatiore eorum sorte qui divitias non cupiunt. Hoc Peerlkampius non totum Horatio abiudicavit, sed vix melius tractavit: compluribus versibus eiectis in duas partes dissecuit, ut eas carmini gnomico a se invento adderet. Utique male. Nemo certe erit qui non isti carmini gnomico praeferat sex illas odas Horatianas a quibus liber tertius incipit, sed sane eae inter se certam aliquam affinitatem habent et uno atque eodem metro compositae sunt. Nostrum vero carmen cum illis vix quicquam commune habet: et plane diversi argumenti est, et ipso metro cum iis pugnat.

Pessime id mulcavit carnifex, ipsum succum vitalem ademit, omnia abscidit quae poëtae manum produnt. Summam operam dedit ut ex epistola quae commercii poëtici inter Horatium et Maecenatem vivum testimonium servat, impersonale et insulsum carmen thematis generalis et moralis faceret. Non tamen bene successit; Horatius vel ex ipsis fragmentis laceris apparet.

Si autem quaerimus, cur Peerlkampius ter quaternos versus eiecerit [1]), nullum fere validum argumentum invenimus: „boni poëtae non solent veram historiam fabulis immiscere". En sententiam sano sensu vacuam; revera *vir Macedo* ad eius carmen morale non apte conveniebat! Nec melius *Maecenas equitum decus* et verba *tu dare deneges* quae ad Maecenatem dicta sunt, exsecantur.

Iam integrum carmen describamus et accuratius examinemus.

Inclusam Danaen turris aenea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
    Nocturnis ab adulteris,

1) Vs. 11—15 *Concidit . . . muneribus*; vs. 18—22 *Iure . . . plura feret*; vs. 38—42 *tu dare . . . continuem.*

Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus ob lucrum
Demersa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus. Munera navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret; nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior rei,
Quam si quicquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis,
Importuna tamen pauperies abest
Nec si plura velim tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus

Desunt multa; bene est cui deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Statim apparet, Peerlkampium et alios viros criticos tria recte animadvertisse: argumentum duplex, crebras repetitiones, et testimonia intellectu difficilia de Horatii re familiari. Quatuor strophae de magna auri potentia agunt; deinde verbis *Crescentem sequitur cura pecuniam* novum argumentum inducitur. In hac posteriore parte quae septem strophis constat, bis terve eadem repetuntur: Horatius qui quod satis est habet et divitias spernit, sorte beatior est quam „si quicquid arat impiger Apulus" suis horreis occultaret, vel si mella quae „Calabrae apes ferunt", et „pinguia vellera" quae „Gallicis pascuis crescunt" sua dicere posset, vel „si Mygdoniis regnum Alyattei campis" continuaret. Deinde ea quae Horatius de se ipso et Maecenate dicit, stuporem et dubitationem movent: „perhorruit late conspicuum tollere verticem", „transfuga divitum partes linquere gestit", et deinde quamquam suis contentus est, addit: „nec si plura velim tu dare deneges".

Sed nunc vide viros criticos ex his bene animadversis male concludentes: ex duplici argumento ius sibi sumunt carmen in duas partes dissecandi; propter repetitiones unam vel duas strophas eiciunt; et quae de Horatio et Maecenate dicta sunt temere removent!

Ad verba *Iure perhorrui late conspicuum tollere verticem* Peerlkampius annotat: „Paraphrasis poëtica glossae alicuius, v. c. *Horatius sua sorte vivebat contentus. Plura non concupiscebat, quamquam per Maecenatem adipisci posset.* „Verticem tollere" est superbiam sibi sumere ... Dixit igitur: Iure, non sine causa timui superbus fieri. At, qua re *superbus*? Divitiis, aiunt. Sed eas prius habere oportebat." Mirum quod ea quae sequuntur, quamquam eodem tenore dicta, Peerlkampium non offenderunt. Ex contrario Lehrs illa intacta reliquit, sed sine dubitatione scribit (p. CXVI) verba *Nil cupientium nudus castra peto et transfuga divitum partes linquere gestio* Horatii esse non posse, quippe qui non esset dives ideoque divitum partes linquere non posset.

Neque melius unus atque alter de versu *Nec si plura velim, tu dare deneges*, quem Peerlkampius obtruncavit, Lehrsius totum

delevit: inepte nempe hoc dici ab eo qui virtutis praecepta det, et parum urbane erga Maecenatem [1]).

Sed iam nimium diu his interpretibus qui plane perversa methodo rem tractant aures praebuimus. Non nostrum est ea quae de Horatio scire nobis videmur, poëtae obtrudere. Ipsum potius interrogemus, et ex iis quae notam personalem habent, testimonia certa et genuina quaeramus de eius re familiari et de eius commercio cum Maecenate.

Minime dubium est quin Horatius hoc quoque carmine ad epistolam Maecenatis responderit, eamque ut ex ipso carminis argumento poëtico apparet, non prosa oratione sed versibus scriptam. Ex illo igitur Maecenatis poëmate quae obscura videntur explicari debent, cum duplex argumentum tum res toties repetitae, nec non ea quae ad rem familiarem spectant, et quae viris criticis parum urbane dicta visa sunt. Ex strophis V et VI quae viros criticos sine iusta causa offenderunt, manifeste apparet, Horatium revera divitias quas quasi manu tenebat proiecisse et paupertatem praetulisse. Neque dubito hoc referre ad officium ab Augusto ei per Maecenatem oblatum, quod recusavit [2]).

Quid si Maecenas longiore poëmate stultitiam ei obiecit, abnuenti Principis gratiam unde omnia bona omnes opes profluant, et praeferenti quae ipsius amicitia det, quae augeri quidem possint, sed non ita ut eum divitem reddant? Si in tali poëmate de magna auri potentia uberius et cum magna exemplorum profusione egerat, Horatius etiam invitus ad crebras repetitiones cogebatur. Etiam thema bipartitum inde facile explicatur; quae Horatius scribit de divitum partibus a se relictis sanum sensum accipiunt, et verba *nec si plura velim tu dare deneges* quae parum

1) „Ei da hat er schön Tugend predigen! wenn er sich den Rücken so gedeckt weiss? Es hat einer gut schwimmen, wenn das Bot neben ihm fährt. Dass dieser Gedanke hier ganz wider den Zweck des Gedichtes eintritt, das einzusehen muss von jedem verlangt werden. Dass auch die Rede an den Maecenas unfein ist, ...“

2) Legimus in *Vita Horatii*: „Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit. Hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum, nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis iuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut suscensuit quicquam aut amicitiam suam ingerere desiit.“

urbana visa sunt, optime dicta esse apparet: Horatius hoc addere debebat, ne paupertatem suam depingens liberalitatis amici oblitus esse videretur.

Omnes interpretationis difficultates iam evanuisse puto. Integra carminis verba nobis pretiosum testimonium commercii poëtici inter Maecenatem et Horatium servarunt. Horatius non lyrico poëmate virtutem continentiae mundo praedicare voluit, sed nihil aliud egit nisi ut epistola poëtica ad ea quae Maecenas scripserat responderet.

Carm. III 29.

Restat in tertio carminum libro una ode ad Maecenatem scripta, neque haec, licet vix ullam suspicionem moveat, intacta ex Peerlkampii manibus evasit. Priorem huius carminis partem hic describam:

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
  Cum flore Maecenas rosarum et
    Pressa tuis balanus capillis
Iam dudum apud me est. Eripe te morae,
Ne semper udum Tibur et Aefulae
  Declive contempleris arvum et
    Telegoni iuga parricidae.
Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis,
  Omitte mirari beatae
    Fumum et opes strepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
  Coenae sine aulaeis et ostro
    Sollicitam explicuere frontem.
Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
  Et stella vesani Leonis
    Sole dies referente siccos.
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi

Dumeta Silvani caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat status
Curas et urbi sollicitus times
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus
. . . .

Sensus harum stropharum minime obscurus est, et tamen nimia arte critica adhibita Peerlkampius secundam stropham coniunctione *ne* in *ut* mutata corrupit, et tertia strophe tanquam spuria remota allocutionem ad Maecenatem penitus vitiavit. Ad vocabulum *contempleris* haec annotat:

„Si Maecenas Roma de turri *prospicere* poterat Tibur, *contemplari* certe non poterat. Contemplamur aliquid praesentes, vel non longius remoti, ita ut singulas res visu cognoscere et probe distinguere possimus. Quid multa? Horatius scripsit: *Eripe te morae, ut semper udum Tibur et Aesulae declive contempleris arvum et Telegoni iuga parricidae.* Eripe te morae, urbem relinque, et contemplare aliquando Tibur, declivia Aesulae arva, et colles Tusculanos, loca amoenissima, vicina villae meae Tiburtinae. Iunge: ut contempleris Tibur *semper udum.*"

Eandem interpretationem secuti Lachmannus scripsit *Hic semper udum Tibur* . . ., et Lucianus Müller peius adhuc versus Horatianos corrupit scribendo *Ne . . . declive contempnatur arvum.* His lectionibus versus manifeste vitiari alii viri docti viderunt; Aefula et Tusculum minime vicina sunt villae Horatianae; ex contrario Maecenas Romae degens tria illa oppida optime contemplari poterat [1]).

Neque melioris notae sunt quae Peerlkampius annotat ad tertiam stropham, praesertim ad verba *Omitte mirari beatae fumum et opes strepitumque Romae*:

„Maecenas hoc tempore urbi praefectus, erat anxius propter

---

1) Lepide Wickham rogat: „did they (sc. Lachmann et alii) suppose that Horace had residences at all these places, or that they were visible from his farm in the Sabine hills, or that he was inviting Maecenas to a tour about Latium?"

bella imminentia. Tali animo quis miratur fumum opes et strepitum urbis? Et omnino quis miratur quod in magnis urbibus pessimum est, fumum et strepitum?"

Ad haec apte respondet Kellerus, urbanam illam ironiam Horatianam ab illis viris criticis non intelligi [1]; et rectissime Nauckius scribit, verbis *fumum et opes strepitumque* magnam urbem egregie depingi [2].

Una quaestio nobis tractanda restat, ut totum carmen recte intelligamus. Quidnam Horatium movit, ut Maecenatem in summa mole sedentem fingeret, unde Latii oppida contemplari, simulque fumum et opes strepitumque Romae mirari posset? Hac de re Kellerus minus recte agit; putat molem illam manifeste indignationem Horatio movisse ideoque ab eo et urbem ipsam et oppida Latina satis maligne depingi.

Argumentum mihi ex ipsius Maecenatis poëmate desumptum esse videtur. Nimirum Maecenas se propter reipublicae statum diutius adhuc Romae morari debere scripserat, et poëtice se inde e longinquo amoena illa Latii oppida contemplantem depinxerat. Ad haec Horatius nostro carmine lepide respondet.

Carm. I 1.

A paenultimo tertii libri carmine nunc regrediamur ad odam omnium fortasse notissimam quae primum librum aperit. A Maecenate incipit, duobus versibus eum laudans:

Maecenas atavis edite regibus
O et praesidium et dulce decus meum.

Deinde longiore versuum serie thema poeticum de variis hominum oblectationibus tractat. Sub finem demum versus

Quodsi me lyricis vatibus inseris
Sublimi feriam sidera vertice

mentem ad Maecenatem reportant. Peerlkampius in hoc carmine septem versus ut spurios notavit, quos ceteroqui nunc non curo;

---

1) *Proleg.* p. 214: Der feine Humor der den Anfang dieses Gedichts auszeichnet, ist von den Gönnern der Lachmannschen Conjectur ganz verkannt worden. Peerlkamp hat sogar die klare Ironie *omitte mirari fumum* u. s. w. gründlich missverstanden.

2) „Unübertrefflich charakteristisch für jede Weltstadt."

totius vero carminis sententiam vitiavit removendo paenultimo versu, ita ut legatur

Si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton,
Sublimi feriam sidera vertice.

Putat „grammaticos" illos quos semper paratos habet, pro recto et concinno ordine *si Musae mihi adspirant maximam mihi gloriam et felicitatem consecutus esse videbor* explicationem interposuisse: *Si Musae favent, adeo ut nomen lyrici merear te iudice Maecenas.* Addit, versum istum interpolatum „suo se frigore et humili sono ipsum prodere", et lyricorum vatum mentionem fieri non posse nisi addita gentis significatione, ut: *Apud Graecos nobiles sunt Pindarus, Alcaeus, apud Romanos Horatius.* Taedet plura describere; ita mihi haec omnia sensu vacua esse videntur.

Paulo melioris notae est id quod sequitur, Horatium nomen et decus quo Graeci poëtae florebant, non affectasse. Sed quaerendum est an verbis Horatii talis affectatio insit; credo potius, hic quoque ut plerumque, Peerlkampium non recte intellexisse, quid Horatius carmine exprimere voluerit. Manifeste putabat eum id praecipue egisse ut thema generale de diversis hominum voluptatibus lyrice tractaret, nomen autem Maecenatis non nisi honorifice, fortasse absoluto iam carmini addidisse. Cui opinioni certe non convenit versus *Quodsi me lyricis vatibus inseris.* Sed nunc vide pravam Peerlkampii methodum; non debebat versum cum sua opinione pugnantem eicere, sed falsam opinionem ad verba Horatii reformare.

Hic versus nos de totius carminis natura melius edocet; sine dubio inde a principio ad Maecenatem scriptum est, ipse Maecenas thema illud de diversis hominum delectationibus proposuerat et Horatium lyricum poëtam appellaverat. Horatius non eum supplicat ut se poëtis lyricis inserat, sed gratum suum animum exprimit, quod Maecenas se lyrici poëtae nomine dignatus sit [1]).

Hoc quoque carmine igitur Horatius respondet ad verba, imo ad versus Maecenatis.

---

1) Recte Schütz: „Schwerlich hätte H. so geschrieben, wenn er nicht wirklich von Maecenas den lyrischen Dichtern schon eingereiht war."

Carm. I 20.

Totas Peerlkampius Horatio abiudicavit tres illas strophas Sapphicas de vinis quae Maecenas potabit, neque ulla eius athetesis, ni fallor, maiore assensu comprobata est [1]).

Argumentum carminis his verbis reddit: „Potabis Sabinum quod ego in testa condidi die quodam tibi laeto, o Maecenas. Tu bibes Caecubum et Calenum, ego nec Falernum habeo nec Formianum." Ad quae haec annotat: „Longa disputatione et homine credere facillimo opus est, cui ostendere velis hoc esse urbanum, hic cerni ornatum elocutionis et elegantiam, ingenii vim et ubertatem. Ego pro carmine scholastico habeo. Thema fuit: *Horatius Maecenatem invitans metro Sapphico.*

Respondeo, minime necesse esse, ut in parva epistola metrica ad amicum familiarem scripta ornatus elocutionis et elegantia, ingenii vis et ubertas longa disputatione ostendi possint. Ceterum thema istud falsum est. Sane iam Porphyrio annotavit *Maecenatem ad cenam invitat*; hunc et Peerlkampius et alii secuti sunt [2]). Eo magis necesse est falsam hanc opinionem unde omnes fere interpretum errores profluxerunt, abicere. Ne stupidissimus quidem „grammaticus" vel scholae discipulus unquam pro invitatione tales literulas scripsit vel scribet, quibus ipsa invitatio deest.

Ipsum iam carmen inspiciamus, sed prius secundo versui ultimae strophae reddamus vocabulum *tum* unice verum [3]). Lectio vulgata *tu* rectam intelligentiam misere impedivit; oppositio inter *tu bibes* et *mea pocula* nullum sensum habet, ubi agitur de Maecenate ex Horatii poculis bibente. Qui autem haec verba referunt ad vina quae Maecenas domi suae bibere solebat, rem plane obscurant.

---

1) Etiam a Kiesslingio, et nuperrime ab Hartmanno in libro *Beatus ille* lingua Batava scripto. Carmen ab Horatio scriptum esse contendit G. Vollgraff in diss. *de Ovidii mythopoeia* (1901) p. 94; cf. et Leo, *Hermes* 1903, p. 306; *Class. rev.* 1911, p. 168.

2) Etiam Beck, Horazstudien p. 21. Rectius Döring, Weissenfels, nostras editor Kruytbosch, suecicus Fahlcrantz.

3) Ita Porphyrio. Recte hanc lectionem recepit editor italianus Tentori, Mil. 1902.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus.
Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Caecubum et prelo domitam Caleno
Tum bibes uvam; mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

Videamus nunc, levioribus omissis, quaenam in his versibus Peerlkampium et alios viros criticos serio offenderint. Primum omnium adhortatio ut Maecenas vinum vile, deinde ut id *cantharis* licet *modicis* bibat, parum urbana visa est. Ecce nos in media re; in invitatione saltem haec minime scribi potuerunt, sed ipsa haec verba luce clarius ostendunt, non his versibus invitari Maecenatem, sed responsum ei dari. Tabellas certe ad Horatium miserat adventum suum nuntiantes, idque sine dubio versibus — quae res Horatium cogebat in re minime poëtica etiam versibus respondere. Scripserat se iam desiderio teneri vini illius Sabini simplicis et boni, siquidem, ut semper apud Horatium, consulibus faustis diligenti cura conditum sit; se autem siti tam vehementi cruciari ut vel cantharos haurire possit. Addiderat, deinde vinum melioris notae, ut Falernum vel Formianum, sibi pergratum fore.

Ad huiusmodi literas metricas Horatius nostro carmine respondet; quod responsum nec illepidum nec urbanitate expers dici potest. Modeste vinum suum Sabinum *vile* dicit et cantharos *modicos* proponit, de cura condendo vino adhibita et de anno ex quo originem ducit diserte agit addita plausus illius Maecenati dati mentione. Deinde scribit se Falernum quidem et Formianum non habere, sed vina non inferioris notae, Caecubum et Calenum. Qua in re si vites et colles pocula temperantes facit, id nos docet poëtam Latinum sibi, si res postulet, aliquantum libertatis sumere; cui licentiae certe, quia professorem Leidensem saeculi XIX consulere non poterat, ignoscere debemus!

Carm. II 12.

Describam nunc oden, quae una inter odas Maecenati dicatas Peerlkampium non offendit.

Nolis longa ferae bella Numantiae,
Nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharae modis,
Nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris; tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris
Maecenas melius ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus,
Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare ioco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.
Num tu quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos;
Cum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet?

Miror hanc odam integram e Peerlkampii manibus evasisse, nam si ad concinnitatem illam vel elegantiam compositionis quam ille in carminibus Horatianis postulare solet, spectemus, vitiis minime caret. Poëta incipit ab iis quae mollibus citharae modis non aptanda sunt, ut deinde — in quarta strophe — transeat ad Licymniae, sive Terentiae, laudes quae lyrae

suae optime conveniunt; sed iam in tertia strophe repente agitur de historiis Caesaris non a se sed a Maecenate scribendis.

Lehrsius hoc vidit, et suo more vitio mederi conatus arbitraria mutatione carmen Horatianum misere mutilavit [1]).

Textus non mutandus est. Clarius quam in aliis carminibus hic apparet, Horatium non sponte sua citharam pulsare, sed carmini Maecenatis respondere [2]). Transitio illa ad pedestres historias sine dubio diserte ad ipsius Maecenatis dicta se refert. Questus erat nimirum quod Musae sibi non dedissent ut carmine lyrico res praeclare gestas caneret: Caesaris triumphos a se non nisi pedestribus historiis tractari posse, Terentiam autem suam cui lyrica Musa sola conveniat, digne dicere se nullo modo valere.

Ad huiusmodi querelam Horatius aptissime respondet, res bellicas non lyrice tractandas esse, proelia Caesaris melius a Maecenate pedestribus historiis dici, Licymniae vero laudes sibi lyrico carmine esse cantandas.

Carm. II 17.

Restant duo carmina ad Maecenatem scripta, quae pravum Peerlkampii iudicium luce clarius ostendunt [3]). Incipiamus ab altero, cui maiorem partem adimere proponit.

Cur me querellis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
A! te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque

1) Scripsit: neve pedestribus dici carminibus proelia Caesaris, Maecenas, iubeas.

2) Miror, interpretes hoc non vidisse. Nauck annotat: dices „würdest" preisen. Wickham scribit: „The third stanza seems clearly to imply a hope or a wish that Maecenas may write some memoirs on the reign of Augustus."

3) Quae post eum Meineke, Lehrs, Gruppe, Schütz de his carminibus scripserunt omitto; Peerlkampium partim refellunt, partim sequuntur, sed Horatium pessime tractant.

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus
  Utcumque praecedes, supremum
    Carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec si resurgat centimanus Gigas
  Divellet unquam. Sic potenti
    Iustitiae placitumque Parcis.
Seu Libra seu me Scorpios aspicit
Formidolosus, pars violentior
  Natalis horae, seu tyrannus
    Hesperiae Capricornus undae,
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio
  Tutela Saturno refulgens
    Eripuit volucrisque Fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum;
  Me truncus inlapsus cerebro
    Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
  Aedemque votivam memento;
    Nos humilem feriemus agnam.

Ad hoc carmen Peerlkampius annotat: „Carmen pulchrum, si plus quam dimidiam partem demseris. Nunc enim turpiter atrum desinit in piscem mulier formosa superne. Antiqui scholiastae non videntur postrema cognovisse. Ex antiquis autem fluxerunt commentarii hodie superstites. Vide hoc argumentum Comm. Cruq. *Maecenati scribit, conquerenti de periculo suo et pro praesenti statu optanti mortem; pro cuius affectu et amore dicit se ei mortuo nolle supervivere, sed quodam quasi sacramento devinctum in morte sociandum cui fuerat in vita coniunctus.* Nihil hic de constellatione illa Horatii et Maecenatis, altera totius carminis, ut nunc legitur, parte. Si vidissent Scholiastae antiqui, sine dubio addidissent vel haec, vel his similia: *Quod confirmat similitudine utriusque geniturae.*"

Prius illud argumentum, scilicet quod poëma quinque strophis

ademptis Peerlkampio pulchrius videbatur quam integrum, nobis non magni momenti esse debet. Alterum autem, quod commentator iste de ulteriore carminis parte silet, minus etiam valet. Imo mirari debemus, Peerlkampium huic insulsae annotationi tantum tribuisse. Et commentator et ipse Peerlkampius carmen Horatianum male legerunt; inde profluunt quae ille scripsit et hic etiam credit de Maecenate conquerente de periculo suo et pro praesenti statu mortem optante, nec minus de quodam quasi sacramento Horatium simul cum Maecenate ad mortem adigente.

Mirum in modum nostra ode virum criticum, qui Horatium in succum et sanguinem convertisse sibi videbatur, nihil docuit de commercio illo poëtico inter eum et Maecenatem. Non perspexit illas *querelas* non veros questus mortem optantis fuisse, sed meros lusus poëticos. Non vidit Maecenatem et hic et alibi themata simul seria simul ficticia elegis tractasse. Nec tamen obscurum est argumentum illius querelae Maecenatianae ad quam carmen nostrum respondet. Artes astrologicas scilicet exercebat, et nunc astris Horatii cum suis comparatis vidit, se ante illum moriturum esse. Hinc illae lacrymae; de separatione a carissimo amico elegiam scripsit, sincerum certe amicitiae testimonium, ceterum non nimis serii argumenti. Ad hanc elegiam Horatius respondet, neque in tali materia „ridiculae" sunt fabulae de chimaera et gigante centimano, neque abs re est affirmatio de Iustitiae et Parcarum placito; apte etiam Horatius suo modo astra consulit, et ex manifesta divina protectione similitudinem sortis Maecenatis et suae demonstrat. Apparet etiam, Maecenatem minime aegrotantem fuisse, sed vota pro recuperata valetudine adhuc debere.

Quae autem Peerlkampius ad quintam stropham affert, Horatium artes mathematicas et astrologicas non amasse, neque has recte nosse, ea nihil ad rem faciunt, ubi de mero lusu poëtico agitur.

Quid autem de illo sacramento, quod et vetus commentator et ipse Peerlkampius serium iusiurandum fuisse putaverunt, quo Horatius se obstrinxerit ad mortem simul cum Maecenate obeundam? Vix credibile est, sanae mentis homini hoc in cogitationem venire potuisse. Exempla quae Peerlkampius citat, Ovidianum illud *aut ultor vestrae mortis aut comes ero*, et quae

sequuntur, minime ad mortem voluntariam spectant. Neque omnino ad rem faciunt, imo ipsa *sacramenti* mentio deest; neque *comites* plurali numero habent. Potius citandum erat illud *Furi et Aureli comites Catulli*; hic habemus *comites* qui Catullum sequi parati sunt quocunque „gradietur". Catullus et Horatius simili lusu de proconsule et eius comitibus egerunt. Catullus se proconsulem comitibus suis iussa dantem, Horatius se cum aliis comitibus Maecenati proconsuli sacramentum praestantem finxit.

Itaque nostrum carmen non tantum querelae Maecenatis, sed etiam parvi poëmatis Horatiani ceteroqui deperditi memoriam servavit. Horatius certe suspicari non potuit, fore ut levis lusus inter amicos ioco factus a clarissimo viro critico in serium versus causa fieret, cur quinque strophae pro tali re minus graves visae sibi abiudicarentur.

Carm. II 20.

Minime mirum est, eum qui de toto hoc commercio poëtico inter Maecenatem et Horatium nihil intellexit, postremum quoque libri secundi carmen male legisse.

Non usitata nec tenui ferar
Pinna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius invidiaque maior
Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego quem vocas
Dilecte Maecenas, obibo
Nec stygia cohibebor unda.
Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne, nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Iam Daedaleo notior Icaro
Visam gementis litora Bosphori
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.
Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus et ultimi

Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.
Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae
Compesce clamorem ac sepulchri
Mitte supervacuos honores.

Nunc vide Peerlkampii annotationem de hoc carmine: „Suspicor Horatium scripsisse hoc carmen omnium ultimum, paullo ante mortem. Eam mortem sibi ipse conscivit, fortasse veneno, qui Maecenati iam mortuo superesse nollet nec posset. Hoc professus erat in II carm. 17 ad Maecenatem morbo qui ei fatalis fuit decumbentem. Hic se ipse excitat Horatius ad mortem deliberatam, et consolatur certa spe immortalitatis. ... Credibile est Horatium paucos dies qui inter mortem Maecenatis et suam intercesserint, in tanto tamque muto dolore transegisse, ut eum dolorem ne in carmine quidem de obitu amici exprimere potuerit. Tandem, consili certus, ingenti animo hoc composuit, composito venenum hausit, clam omnibus, ut in intimo dolore, et ne precibus suorum ad vitam revocaretur. Venenum primo lente, mox celerius vim ostendit. Horatius nihil mandare potuit, nisi haereditatem Augusto et sepulturam iuxta tumulum Maecenatis. Ad hanc rationem omnia in toto carmine optissime explicari possunt."

Putes, Peerlkampium ex latibulo quodam voluntariam poëtae mortem observasse, et tamen omnia haec temere exstruxit ex illo *sacramento* male intellecto et ex paucis verbis quae *Vita Horatii* de eius obitu continet. Merae ineptiae, quae luce clarius ostendunt, Peerlkampium nec Horatium nec Maecenatem novisse! Neque integrum carmen ad hanc opinionem quadrare videbatur; tertiam stropham tamquam spuriam reiecit: „Est thema poëticum *Metamorphosis cygni*. Rei ipsius repraesentatio abhorret ab hoc carmine, neque verba Horatio digna sunt" ... Mittam cetera, et potius revertar ad verba *quem vocas*, quas ante Peerlkampium „nemo adhuc intellexerat": „Variae interpretum sententiae huc redeunt: *Quem vocas*, hoc est, quem vocas et alloqueris *o dilecte*, quem vocas *ad coenam*, quem vocas *sanguinem pauperum parentum*, quem *in certamen* vocas *amoris*, ut alias taceam. Multi coniecturis locum tentarunt, ut *non ego quem uo-*

cant, quem vocans, quem notant, quem foves. Ex nostra carminis explicandi ratione prodit haec simplex et vera sententia: Nolo amplius in terra morari. Corpus meum sine pompa et luctu sepeliatur. Ipse, melior mei pars, vitabo Libitinam, et cygni instar, quasi in conspectu humani generis, ad Maecenatem in campos Elysios vel caelum evolabo. Audio vocem tuam, dilecte Maecenas. Me vocas. Veniam."

Sed iam satis; cum Peerlkampii prava totius carminis explicandi ratione hanc quoque interpretationem mittamus. Qui ultimam stropham attente legit — id quod Peerlkampius neglexisse videtur — facile perspicit, non a Maecenate mortuo Horatium vocari, sed Maecenatem vivum Horatii sepulchro adstare, ibi clamorem edere et mortuo honores solvere.

Vivus igitur Maecenas mortuum Horatium vocabat, et haud dubie hic quoque non de vero sepulchro agitur, sed de mero lusu poëtico. Alteram igitur Maecenatis querelam habemus, scilicet elegiam qua se amicum mortuum lugentem fingebat. Sine eo vivere non poterat, eum ex sepulchro revocabat, non, ut fieri solet, parentum et proavorum nominibus additis, sed cum quadem affectatione *pauperum sanguinem parentum* appellans.

Vide nunc quomodo Horatius huic novo amicitiae testimonio respondeat. Non refellit fictionem, non se adhuc vivum et amicitiae foedus integrum esse scribit; imo Maecenatem se vocantem alloquitur: honores illos sepulchri supervacuos esse, se vatem non Stygiis undis cohiberi posse, sed biformem per totum mundum ferri, corpus in cygnum mutari, carmina autem usque ad ultimos Gelonos et Iberos penetrare et nunquam esse peritura.

Hic paulisper subsistendum est ut respiciamus et totam illam seriem octo carminum ad Maecenatem scriptorum perlustremus. Apparet, eorum unum (II 12) integrum ex Peerlkampii manibus evasisse, duo (I 20, III 8) tota erasa esse, unum (II 17) maiore parte truncatum, quatuor reliqua (I 1, II 20, III 16, III 29) ad arbitrium viri critici mutilata. Neque latet causa, cur haec praecipue carmina ei non probata sint. Invenerat nempe certam normam ad quam lyricum poëma respondere deberet, postulabat thema poëticum concinne et eleganter elaboratum.

In horum autem carminum plerisque nullum huiusmodi thema tractatur; cetera (I 1, III 16, III 29) argumentum certe habent, sed concinnitate carent, ideoque vir criticus suum esse putavit, arbitrariis mutationibus ea ad normam illam reformare. Hoc faciendo verum Horatium restituere sibi videbatur; revera Horatium ipsum eiecit. Haec carmina non recte legit neque intellexit; non vidit, nobis hic reliquias esse servatas commercii poëtici pretiosissimi, quas negligere minime licet. Imo accuratius examen postulant; ostendunt nobis vivum illud amicitiae vinculum inter Horatium et Maecenatem; illustrissimo testimonio nos edocent de hoc praeclaro literarum patrono.

Vidimus haec carmina omnia respondere ad Maecenatis scripta sive versibus sive prosa oratione composita. Certe ille non erat patronus otiosus qui poëtas ad coenam vocabat iisque opibus suis victum praebebat, ut inde facile oblectamentum et gloriam perciperet. Alacri ingenio ipse praeibat et alios stimulabat. Nunc versibus nuntiat se venturum esse ut vinum Sabinum bibat, nunc sermonibus Platonicis agit de epulis ad quas invitatus est; interdum elegis amicitiam suam significat; amicum divitias stulte spernentem poëtice castigat; rogat cur lyrici poëtae famam omnibus rebus anteponat; dolet quod Musae sibi poësin lyricam non dederint; poëtice queritur se in urbe detineri et amoena Latii rura non nisi ex longinquo contemplari posse. Quoties autem scribit vel versus facit, toties amico responsum extorquet. Inde nata sunt parva illa carmina ad canonem Peerlkampianum non respondentia, sed tamen vera et genuina opuscula Horatii, gratia plena.

AD SOPHOCLIS INDAGATORES.

Cum *Sophoclis* Indagat. vs. 33 sq. conferre debueram *Aristophanis Avium* vs. 30: *ὦνδρες οἱ παρόντες ἐν λόγῳ*, *Acharnensium* vs. 513; *Rhesi* vs. 140. Non est cur verbis *ἐν λόγῳ* apud Sophoclem eandem sententiam subesse negemus. Pro *παρ[ίσταται]* tamen scribendum esse arbitror *πάρεστ' ἀνήρ*, vel *πάρεστι νῦν* vel etiam *πάρεστί που*.

Gu. V.

II. DE ILIADIS COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex Vol. XLII pag.* 329).



e. *Epilogus.*

Ne quid omittamus quod facere possit ad confirmanda ea quae de Iliadis compositione in superioribus disseruimus, etiam refutare conabimur crimina quibus qui de uno totius poëmatis auctore dubitari nolunt, obnoxios esse contendunt quicunque crevisse id putant complurium poëtarum opera. Qua in re si praetermittis quae contra Lachmannianos disseruntur, quos nemo acrius impugnavit quam D. Muelder v. d. (l.l. p. 4 sqq.), nobis non opus est hic attingere cum suo loco exposuerimus (Mnem. 1913, p. 284 sqq.) cur ab eis dissentiamus, quae praeterea afferri solent in tria fere capita redigere licet. Quorum primum sic complectemur: „ex Iliade cognoscitur tota fabula Troiana, quod accidere non potuit casu sed necesse est debeatur consilio unius poëtae non complurium, quippe quod absurdum sit [1]). Audiendi igitur non sunt quicunque censent ceteras Iliadis partes accessisse carmini alicui principali cuius argumentum fuerit Ira Achillis; nam ex hoc carmine fabula Troiana non cognoscitur. Accedit quod Ilias exhibet constantiam in singulorum personarum pictura, rationem in rebus narrandis habitam non tantum earum quae praecederent sed sed etiam earum quae sequerentur, partium poëmatis aequabilitatem, proprietates ingenii poëtici ubique

1) E. Bethe („die Einheit unserer Ilias" in Bibl. cui tit. Neue Jhrb. f. d. Klass. Alt. etc. p. 366): „Die Ilias ist nicht eine Achilleïs, sie ist in Wahrheit eine Ilias. Und sie ist das nicht durch Zufall geworden, sondern durch den Willen und durch die Kunst ihres Dichters. Den Groll Achills besingt er, aber das ist ihm nicht eine Episode aus dem Kriege, sondern er konzentriert in dieser Episode den ganzen Krieg, seine Entstehung, seine Vorgeschichte, seinen Ausgang".

eiusdem, quae etiam per se spectata unum auctorem probent [1]). Repugnantiae autem quae a multis notantur, magnam partem ne repugantiae quidem sunt, eae quae tamen extiterunt, inde sunt ortae, quod poëtae cum Achillis iram sibi sumsisset quo quasi cardine totum poëma verteretur, non licuit λογικῶσ omnia componere [2]), tum quod ei non contigit ut omnia quae e fontibus suis hausisset apte coniungeret [3]), neque non quod volens et sciens, ut auditores moveret pingendo mores ingenia res prosperas adversasque virorum et mulierum principes poëmatis partes agentium, perfregit argumenti cohaerentiam [4]), postremo quod nonnulla interpolata sunt".

1) Bethe l.l. p. 370: „wir erkennen in ihrem Aufbau vom ersten bis zum letzten Buche eben eine Ilias voll Sinn und Plan. Sie ist also das Werk eines bedächtigen und künstlerisch fühlenden Mannes, der ungeheure Massen durch wenige klare Liniën zu gliedern und zur Wirkung zu bringen wusste". vLeeuwen, Comm. Hom. p. 14: „Et tempore et loco et ipso rerum narratarum decursu optime cohaeret Ilias, optime etiam — quod nobilioris est artis — poëta sibi constitit in dramatis quas invenit personis pingendis". Rothe l.l. p. 113: „Die in den Gedichten ganz unzweifelhaft hervortretende Einheit, eine grosze Zahl dichterischer Kunstmittel, bestimmte dichterische Eigentümlichkeiten, finden weder eine Erklärung in der Sage ...... noch in Sängerschulen, noch in dem dichtenden Volksgeiste ...... noch in der mechanischen Arbeit eines Sammlers", p. 139: „das Bild das uns der Dichter von Hektor gibt ist so einheitlich wie möglich".

2) Bethe l.l. p. 362 sq.: „Dem Groll Achills liegt der Gedanke zu Grunde dasz seine Kampfenthaltung die Niederlage der Achaier herbeiführen werde wie es in Θ—O wirklich geschicht. Aber ihr voran stehen Siege der Achaier Γ—H. Das geht nicht nur über die Ankündigung des Proömiums hinaus, es steht auch zur Idee der Achilleïs in Widerspruch. Aber .... (die Bücher Γ—H) erst führen uns Veranlassung und Zweck des Krieges vor Augen". Bethe l.l. p. 371: „Die Analyse wird nun zu prüfen haben, ob diese Einheitlichkeit auch im einzeln sich bewährt, oder ob wir auf unversöhnliche innere Widersprüche stoszen. Ist das der Fall dann sehe ich keine andere Erklärungsmöglichkeit als die das unsre Ilias zwar von einem Dichter nach groszem Plane mit fester Hand geformt ist, dasz er aber ältere Dichtungen für sie benutzt hat."

3) vLeeuwen l.l. p. 37: „(Poëta) materiem quam prisca illa carmina ei praebebant parum ductilem identidem est expertus, neque semper ei contigit ut in eam imaginem quam mentis oculis videbat, ita componeret omnia ut nulla pars asperior nulla dura aut horrida videretur". D. Muelder l.l. p. 117: „(Das poëtische Gebäude) selbst ist zu einem sehr bedeutenden Teile geschaffen aus fertigen und behauenem Material, sodasz Szenen, Motive, Motivteile, Anregungen, die aus den verschiedenen Quellen entnommen wurden, zu einem Ganzen wieder vereinigt wurden. Natürlich wird dabei Einheitlichkeit intendirt aber es ist zweifellos, dasz diese oft nur ziemlich äuszerlich erreicht wird. Die ursprüngliche Beschaffenheit des Details, seine individuellsten und besten Eigenschaften wehren sich ofnadrücklich gegen die aufgezwungene Fremdherrschaft".

4) Bethe l.l. p. 363: „(Die Bücher Γ—H) erst veranlassen uns zur Teilnahme für

Ad haec quae respondeantur non desunt. Nam quaecunque sufficiunt ad cognoscendam causam et exitum belli Troiani, denique totam fabulam Troianam quatenus de ea in Iliade sermo est [1]), inveniuntur in maiore ea parte librorum Γ—E quam vidimus uni deberi auctori [2]), quae aliis locis de ea memorantur nihil novi afferunt; itaque etiamsi dandum sit notitiam illam deberi unius viri consilio, non inde sequitur ut hic auctor sit totius Iliadis. Tamen si auditores fabulam Troianam ignorassent cum Irae Cantor ordiretur opus suum, fieri non potuit quin hic eos de ea doceret, sed cum ab omni dubio remotissimum sit eos ex antiquioribus carminibus eam cognitam habuisse, (vide Mnem. 1912, p. 15 sqq., 315 sqq.; 1913, p. 45 sqq., 246, 259) tam veri simile vel potius multo vero similius est ut poëta qui Achillis Iram mente conceperit satis habuerit hoc argumentum enarrare, quam ut animum induxerit totius belli addere imaginem quae cum illo ne apte quidem componi posset. Ab altera parte quamvis multae a multis reprehensae sint in Iliade repugnantiae quas negare non oporteat aut ne repugnantias quidem esse aut facilem explicatum habere e natura parum ductili carminum priscorum quorum adhiberetur materia, nonnullae quae locos interpolatos prodant — mittere enim licebit quod perhibetur poëta argumenti cohaerentiam volens nonnusquam perfregisse, quod lubricum videtur [3]) — restant tamen satis multae, quae, nisi diver-

Ilios und die Troer, für Paris und Helena und vor allem für Hektor, der so erst zu einem wahrhaft tragischen Helden, zum Helden des Epos neben Achill wird.... (Der Dichter) konnte aber dies nicht ganz erreichen wenn er nicht Ilios hart bedrängen liesz. Aus diesem höheren künstlerischen Gesichtspunkt brachte er der straffen folgerechten Entwicklung der Handlung ein Opfer und statt sofort den Sieg der Troer zu erzählen der dem Achill Genugtuung verschaffen sollte, fügt er zunächst einen Achaiersieg ein, damit wir nach Ilios hineinblicken können und in die Seelen ihrer Bürger," p. 369: Man könnte so in gewissem Sinne mit Recht sagen die Exposition reiche bis zum H. Um sie zu geben hat der Dichter nicht nur die logisch strenge Entwicklung von A zum Θ unterbrochen, er hat auch unbekümmert um Chronologie und reale Wahrscheinlichkeit hier Schilderungen aufgenommen die in dem Anfang des Kriegs gehören, die Monomachie des Menelaos und Paris, Helena's Mauerschau, und andere Szenen die eher an das Ende gehören, aber sonst kaum in den Rahmen einzufügen waren, die Procession der Troerinnen, Hektors Abschied".

1) Loci quos volo sunt: Γ 27 sq. 46—49, Δ 39—43, 160—168, E 349, 421 sq.

2) Mnem. 1914, p. 68 sq.

3) Nisi forte recte vidit D. Muelder poëtam ultro nulla necessitate coactum sed cum sic liberet multa protulisse veri dissimilia et inconcinna, quod quasi fastidium vir doctus Teutonice significat voce „souverän"; cf. p. 24 „*souverän* statuierte Ver-

sitate auctorum non intelleguntur, inter quas imprimis eae referendae sunt quibus cogimur distinguere Irae Cantorem et auc-

einigung des Achilleïschen und nicht-Achilleïschen"; p. 34: „wie *souverän* ungeschickt der Dichter überträgt"; p. 36: „in seiner phantastischen und *souveränen* Weise, die sich von keiner realen Schranke gebunden erachtet"; p. 88 „ein höchst *souveränes* Decretum" (sic fere etiam p. 146 et p. 175); p. 127: „die *souveräne* Art mit den Himmlischen um zu springen"; p. 129: „Gebilde *souveräner* Laune, l.l. die Marke derselben *souveränen* Laune"; p. 155 „Schalkhaft und *souverän*"; p. 169: „*souveräne* combinatorische Phantasie"; p. 187: „ganz *souverän* herbeigeführt"; p. 195: „mit der gewohnten *Souveränität*," idem fere p. 226); p. 240: „in seiner bekannten Weise *souverän* und nachlässig; p. 244: „zwar ist hier die *souveräne* Ignorierung der Distanz auch irreal"; p. 45: „Die *souveränität* unseres Dichters in der Behandlung des Realen"; p. 260: „Das Niobereferat ist angebracht in derselben *souveränen* Manier"; p. 281: „Das Quellenzitat wird ebenso *souverän* angeknüpft"; p. 332: „*Souveräne* Technik"; p. 337: „das *souveräne* Operieren mit Sinneswechsel". Nimirum Muelder Homerum habet pro ioculatore (l.l. p. 131 in ann. 2: „der Dichter der Schalk") quem nihil magis iuvit quam auditoribus fucum facere, qua in re longe a viro docto dissentio. Et pro exemplis huius rationis nonnullos saltem locos affert quorum sententia eum fugit. Ut ad locum E 290 sqq. animadvertit (l.l. p. 347 sq.): „Die nämliche spöttische Ueberlegenheit mit welcher der Dichter die konventionelle Beziehungen zwischen Heroën und Götter behandelt, verleugnet er auch den heroïschen Kampfleistungen gegenüber nicht .... E 290 ff. zielt Diomedes als Fussgänger auf den Wagenkampfer Pandaros; er trifft ihn bei einer nach Lage der Dinge von unten nach oben gerichtetem Wurfe mit der Lanze derart dasz das Geschosz gerade umgekehrt von oben nach unten senkrecht von der Nasenwurzel bis zum Kinn durchdringt. Es ist ein bekanntes Bonmot dasz der gute Homer zuweilen auch schlafe, mit diesem pflegt man sich hier wie anderswo zu beruhigen sofern man nicht zur Einschläferung seines kritischen Gewissen auf die bequeme Lieder- oder Interpolationstheorie zurückgreift, aber der gute Homer hat hier wie auch sonst oft das Zeichen seines Wachseins weithin sichtbar aufgestellt in dem Zusatze: „in lenkte Athena". Das heiszt doch, das mit Hilfe des Götterapparats eine Verwundung geschaffen wird die alle Wirklichkeit und Möglichkeit zuwider laüfe und darum wie eine Parodie wirkt." Subridicula haec iudicabit quicunque cognovit iam anno p. Chr. n. 1893 simplicissime et verissime expedisse locum nostrum Leafium v. d. (A companion to the Ilias p. 117) animadvertentem „the simplest explanation is to suppose that Pandaros seeing the spear coming ‚ducks' a moment to late, so that he is caught with his face bent downwards. This would quite explain the course of the spear". Neque melius se habent quae disserit Muelder (l.l. p. 38 sq.) ad locum H 894—196: „Wenn sich einer der im Lager beratenden Helden zu dem gefährlichen Schritt entschlosz den Kampf mit dem Riesen — ita vir doctus Hectorem significat — zu bestehen, so wird er keine Chance verachten. Vielleicht wird es möglich sein den Gegner der auf einen Angriff nicht gefaszt ist, der im Bewustsein seiner Unangreifbarkeit vielleicht nicht alle Vorsicht anwendet, überraschend anzugreifen, wenn man auch nur den Vorteil des ersten Angriffs davon trüge. In unserm Zusammenhange ist so etwas nicht möglich da Hektors Herausforderung förmlich angenommen ist, da dieser schon darauf wartet dasz der Gegner einerlei wer, erscheint. Wenn also Aias in einer Stille durch die die Troer auf seine Vorbereitungen nicht aufmerksam werden, etwas für sich

torem Πατροκλείασ. Quod quam certum sit cum in superioribus nobis ample demonstrasse videamur (Mnem. 1914, p. 53 sqq.) nunc sufficiat monere ex iis viris doctis qui utique Homerum unum esse velint, loci Π 84 sqq. omnino rationem non habere Nitschium et Muelderium, frustra Leeuwenium eum ad Πρεσβείαν aptare studere [1]), locum Π 72 alium horum aliter conari expedire [2]), utrumque locum interpolatum censere Rothium [2]) alios, quod quo iure fiat neminem videre cum contra sic mire frigeant verba ἀλλά (vs. 80) et μηδέ (vs. 90). Atque omnino non Rothe tantum sed alii quoque qui Iliadem e minore poëmate increvisse negent, tam multa pro interpolatis habent ut vix eis de uno auctore loqui liceat [3]). Praeter autem ea quibus discrepare

erwartet (v. 194 f.), so entspricht das wohl dem vermuteten Original — vult vir doctus fontem e quo Homerus hic hauserit — aber nicht unserer Version. Wäre nun die Vermutung richtig dasz der Neubearbeiter hier Détail beibehalten hat, was eigentlich nur in der Vorlage vollen Sinn hatte, so würden wir hier auch einen Blick tun in die Technik durch welche solches sich nicht mehr recht eignendes Détail der Vorlage aptiert wurde. Der Bearbeiter läszt den Aias das vernünftige vorsichtige Wort sofort zurücknemen als wäre es ein Lapsus, eine momentane Schwäche die dann sofort durch ein vollmundig Prahlwort redressiert wird (vs. 196)". Hoc obscurum, quomodo Graecorum *silentio* Troiani celandi sint de Aiacis artificiis, cum contra diceres avertendos ab his esse eorum animos *clamoribus alia ex parte sublatis*. Sed verbis non opus est nam quis non videt vs. 195 Aiacem fingi metuentem ne hostes si Graecos precantes audirent, sive precibus contrariis sive incantamentis eorum preces irritas facere conarentur, versu autem sequenti quae dixisset retrahere ne pusilli animi videretur?"

1) Ad versum 84 sqq. haec annotat in Commentario vir clarissimus: „Non ab *Agamemnone* Briseïdem sibi reddi vult Achilles aut dona offerri — ἐχρθὰ γὰρ τοῦ δῶρα — sed ab ipsis *Achivis* (πρὸσ πάντων Δαναῶν, cf. vs. 56—58) mulierem ad se reduci splendidis donis additis." Itaque si Agamemnon sibi virginem redderet, accipere nolle Achillem, si vero Agamemnon eam exercitui traderet, exercitus sibi, accipere velle poëta significavit! Quod subridiculum videtur. Praeterea revera exercitus verbis egerant legati, cf. I vs. 300 sqq , 602 sqq., 638 sqq.

2) Nitsch (die Sagenpoësie der Griechen p. 248) aut vss. 74—79 delendos censet et vs. 73 pro: ἤπια: ἄρτια legendum, aut eiciendos vs. 69—79. Muelder l.l. p. 171 verba εἴ μοι κρείων 'Αγαμέμνων ἤπια εἰδείη, sic Teutonice vertit: wäre Agamemnon nur kein solcher Neiding", qua ratione neque eorum vis redditur neque tamen repugnantia tollitur. vLeeuwen (in Commentario) eadem verba sic interpretatur „si Agamemnon mihi mansisset amicus, si despicatui me non habuisset" quod nihilo magis recte se habet. Apparet igitur quam male viros doctos habeat noster locus; nisi enim ita esset, quis dubitaret vertere: si benevolus mihi esset Agamemnon?

3) Rothe interpolata censet catalogum, Γλαύκου καὶ Διομήδουσ συμβόλην, 'Αινείου καὶ 'Αχιλλέωσ μονομαχίαν, Θεομαχίαν, partes non exiguas librorum ΝΞΟΠ. Nitsch (die Sagenpoësie der Griechen p. 131) Β 434—779, 816—877, Λ 664—672, Τ 95—133, Υ 64—74, Φ 385—514, vLeeuwen Θεομαχίαν cf. Comm. Exeg. ad Φ 389 sqq.

apparet Achilleïdem et Πατροκλείαν, multa etiam alia notavimus quae in uno eodemque auctore ferri nequant de quibus cf. Mnem. 1914, p. 66 sqq., p. 291 sqq.. At multa diversis adscripsimus auctoribus, quae nihil haberent cur non ab eodem poëta condita esse possent. An debuimus eidem auctori assignare quaecunque per se spectata nihil habebant quo id vetemur? Ne potuisse quidem ex his vide. Neque Antilochi ad Achillem missioni, neque versibus insertis ab eo qui illam cum Iridis missione coniungeret quidquam inest quod non possit conditum esse vel a maioris partis librorum Γ Δ Ε vel a maioris partis librorum Ζ Η, vel a maioris partis librorum Ν Ξ Ο vel a Διαπείρας auctore. Sed èt hos omnes distinguendos vidimus èt Antilochi missionem ab alio inventam esse, ab alio coniunctam cum Iridis missione. Τειχοσκοπία nihil habet cur non vel eidem auctori atque maior pars librorum Ν Ξ Ο vel eidem atque Διαπείρα possit tribui. Sed Διαπείρα alii est tribuenda auctori atque maior pars librorum Ν Ξ Ο nam in hac poëmatis argumentum refertur ad primum anni belli Troiani, in illa ad decimum. Cuius generis multa alia exempla afferri possunt, sed haec sufficiunt ut intellegatur nisi quis ea tantummodo eidem auctori tribuat quae ob praecipuas causas aliquam eius rei aut necessitatem prodant — quemadmodum locos Λ 1—46, 56—83 auctori maioris partis librorum Ζ Η dandos esse supra demonstravimus [1]) — aut saltem veri similitudinem — ut Τειχοσκοπίας auctori suspicati sumus [2]) locos Ε 43—47, 59—68 assignandos esse — non habere quo se vertat. Accedit, id quod in singulis tractandis iam saepius monuimus, quod ipsa ratio fert ut quicunque aliquid attulit ad poëma augendum et ornandum, tale quid attulerit quod cohaereat et uno quasi cardine vertatur. Restat ut ostendamus nonnulla quae in suam rem convertant adversarii non minus apte quadrare ad rationem nostram. Nam constantiam quam laudant picturae singularum personarum si consideras, mox vides Agamemnonis virtutem bellicam spiritus mox superbos mox fractos, Achillis eximiam fortitudinem iracundiam animum generosum (Α 333 sqq.), Aiacis in proeliis stabilitatem, Diomedis

1) Mnem. 1914, p. 317 sq.
2) l.l. p. 314 sq.

ferociam (Λ 312 sqq.), Nestoris gravitatem facundiam, Ulixis prudentiam (T vs. 154 sqq.) ita in lucem prodire in Achilleïde nostra ut ea χαρακτηριστικά, quae haud dubie maximam partem etiam antiquioribus carminibus vulgata fuerint, recentiores Iliadis auctores nullo negotio potuerint servare. Ex his Τειχοσκοπίας auctor primus, si quo ordine Iliadis partes deinceps sint conditae in superioribus recte suspicati sumus, Helenae poenitentiam nobis proposuit Priamique erga eam benignitatem, et post eum librorum ZH auctor Hectoris in poenitentem mulierem benevolentiam eiusque amorem coniugalem, quae repetuntur in extrema Iliadis parte quam arbitramur recentiorem esse [1]). Alexandri autem sive Paridis et fortitudinem et mores delicatos, quam duplicem eius indolem nec non duplex nomen e diversitate fontium in superioribus explicavimus [2]), quamvis nolimus afferre ad probandam Iliadis auctorum diversitatem, saltem haec eis non repugnat. Tum vero afferunt in rebus narrandis in Iliade non solum accurate rationem haberi narratarum sed saepius spectari quae nondum narratae sint. Sed quid mirum quicunque poetae quidpiam poëmati addiderunt rationem habuisse non tantum eorum quae praecederent sed etiam quae sequerentur in poëmate quale id haberent? Non tantum Τειχομαχίας auctorem commemorasse vulnerationem Eurypyli, Sarpedonis cladem qui narravit, egregiam huius virtutem in Τειχομαχίᾳ laudatam, sed etiam Patrocli ad Nestorem missionem qui inseruit, spectasse Πατροκλείαν, auctorem libri Θ multa tetigisse quae narrata demum sunt in libris ΠΡΣ? ne alia afferamus eiusdem generis. Quod autem nonnulli contendunt, versus I 66—88 ubi legimus praesidia disponi ducibus Thrasymede et Merione, ita cohaerere cum versibus K 56, 126 sq., 180 sqq. ubi de eisdem plura aliqua narrantur ut poëmati principali eos qui librum K demant ne illos quidem versus assignare oporteat, ne levissima quidem dispicitur causa cur non potuerint commemorari praesidia disposita nisi ab eo qui de eis alio loco plura narraturus esset, cum praesertim nihil magis in promptu esset quam ut disponerentur praesidia, etiam Troianis post suam victoriam cui nox finem

1) Mnem. 1914, p. 327 sq.
2) Mnem. 1912, p. 300 sq., p. 322; 1913, p. 29.

fecisset, in armis manentibus (I vs. 1). Neque verius est quod contendit D. Muelder v. d. (l.l. p. 187) propterea poëtam Patrocli corpus a Graecis servari voluisse, ut narrari possent ludicra honoris causa ei habita, quod ita se habere non potest nisi Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ eidem poetae debentur atque Πατροκλεία [1]). Revera nihil omnino est cur ita ratiocinemur quoniam re per se spectata poëtae Graeco multo magis in promtu erat fingere Patrocli corpus ad Achillem relatum, quam ab hostibus absportatum. Sed paulo alia est res quod Shewan v. cl. [2]) versus Ξ 9 sq. ubi Nestor e tabernaculo exiturus clipeum filii Thrasymedis arripuisse dicitur, ita coniungit cum loco K 257, ubi hic clipeum suum Diomedi commodasse narratur, ut poëtam voluisse censeat iuvenem, quem I 81 dixerat cum Merione praesidiis praefuisse, ne nudus militaret alium clipeum per ministrum aliquem e castris petivisse, Nestorem autem suum clipeum ei misisse quo instructum illum prandio in excubiis sumto deinde in aciem progressum esse, ipsius clipeum interim referendum curavisse Diomedem in Nestoris filiorumque tabernaculum. Haec si recte se habent, frustra librum K recentiorem esse libro Ξ demonstravimus [3]). Iamvero ipsi ei qui negant Iliadem diversis deberi auctoribus saepius idque iure suo ubi adversarios haerere vident in pusillis repugnantiis, poëtam aiunt non curare minima. Ab altera parte sescenties videmus Homerum multum esse in singulis quasi depingendis quae ad narrationis contextum non faciant, sed quo florem et colorem ei addat, ut ubi narrat (K 316 sq.) Dolonem speculatorem Troianum indecora fuisse figura et inter quinque filias solum filium, vel (Λ 221 sqq.) Iphidamantem amita in matrimonium ducta statim a nuptiis in bellum profectum esse, vel (N 363 sqq.) Othryoneum pollicitum esse opem suam ad pellendos hostes dum Cassandram gratis in matrimonium acciperet, alia innumera eiusmodi, qua propter veri similius videtur ut nostro loco poëta nullum aliam ob causam nisi ut proponeret senis festinationem clipeum quod primum

1) Arma Muelder censet propterea abrepta narrari a Troianis ut possit inseri Ὁπλοποιία libri Σ. Ne hoc quidem do. Sed consentio cum viro d. Πατροκλείασ auctorem voluisse sibi facultatem facere narrandi arma divina Achilli ministrasse matrem.

2) Shewan the Lay of Dolon, p. 144.

3) Mnem. 1914, p. 313, p. 320 sq.

offenderet arripientis, eum narraverit arripuisse filei clipeum, postea vero libri K auctor casu quodam in cogitationem inciderit fingendi Thrasymedem quem legerat (I 80 sqq.) armatum fuisse in excubiis, Diomedi commodantem suum clipeum, quam ut Shewanii ratiocinatio tortuosior recte se habeat. Verum ubi in exordio Πρεσβείας quam Achilleïdi principali adscripsimus [1]) Diomedem legimus (I 34—40) Agamemnomen perstringere quod se antea imbellem et ignavum dixisset, quae res narratur in Τειχοσκοπίᾳ quam Achilleïde multo recentiorem esse invictis argumentis nobis ostendisse videmur [2]), nulli dubitamus locum I 34—40 qui etiam per se spectatus non optime se habet, non aliter atque complures Πρεσβείας locos de quibus in superioribus egimus [3]) interpolatum dicere sive ab eo qui Achilleïdem et Πατροκλείαν in unum poëma coniunxerit sive a poëta recentiore. Quid vero de partium Iliadis aequabilitate? quod Πρεσβεία et Μηνιδὸς ἀπόρρησις poëma dividunt in partes tres fere aequales? quod paria paribus respondent: res gestae multorum Graecorum in libris E Z Achillis rebus gestis in libris Υ—Χ, navium Catalogus in libro B, ludicris in libro ψ, Thetidis preces in libro A quibus a Iove impetrat ut hic Achillis iniuriam vindicet, eiusdem precibus in libro Ω quibus Iovis mandatu filii animum in Hectorem mitigat? [4]) Vix quidquam his tribuendum puto, nisi quatenus consentaneum erat incrementum poëmatis ab omni parte aucti et dilatati eo ipso aequabiliter processisse. Postremo autem nonnulli in Iliade cernunt proprietates ingenii poetici ubique eiusdem, cuius rei tamen ceteri viri docti vix alia documenta afferunt nisi quod passim prodeat poetae amor patriae [5]), tum studium et notitia omnium rerum quae pertineant ad vitam animantium [6]), quibus ex partibus tamen etiam

---

1) Mnem. 1914, p. 57 sqq.

2) Mnem. 1914, p. 314 sqq.

3) Mnem. 1914, p. 60 sq. ubi tamen neglex imus hunc quoque locum pertractare.

4) Bethe l.l. p. 365.

5) Bethe l.l. p. 363: „Zugleich aber war dabei gewisz auch Rücksicht auf den Nationalstolz der Griechen gegenüber den Asiaten im Spiel" (cf. etiam p. 364). Rothe l.l. p. 185: „Der Dichter ist wie es ja natürlich ist Nationalist".

6) Rothe l.l. p. 180: „Aber die sorgfältige Beobachtung der Tierwelt und ihre Schilderung in der Dichtung ist doch nur ein kleiner wenn auch sehr bezeichnender Zug der Individualität des Dichters, zu ungewöhnlicher ja fast unerreichter Höhe stellt sich der

diversi poëtae ex eadem orti patria neque aetate ita dispares ut non status vitae atque morum fere idem fuerit, consentire potuerunt, unus Muelder v. d. peculiare hoc quo sibi per totum poëma constet Iliadis auctor, ei assignat, quod diversissimis fontibus qui haberent laudes heroum temporum praeteritorum [1]), cum ipse nobilitatem contemneret et non nisi εἰρωνικῶς eius merita augeret [2]), ita tamen usus sit ut quam plurima ad verbum inde hauriret [3]), de suo autem tantum intermisceret quantum satis esset quo materies ex iis deprompta naturam suam mutaret et accomodaretur ad contextum prorsus novum [4]). Qua de re nemo cum viro doctissimo poterit consentire qui nobiscum de natura atque usu fontium in Iliade conspicuo, diversa ab eo sentiat. Quod ut appareat non opus est omnia quae eo pertineant commemorare, documenti satis est hoc quod Muelder censet auctorem Iliadis narrationem belli Troiani mutuatum esse partim a carmine quod ageret de bello Thebano [5]), partim ab aliis fontibus nihilo magis spectantibus urbem Troianam, nomen autem Ilium

---

Dichter wenn wir sehen dasz sein umfassender Geist mit derselben Naturtreue alle Verhältnisse des menschlichen Lebens umfasst hat".

1) „Sie werden nicht mehr gesungen, aber sie erzählen doch mit offenbarem Respect Schicksale und Grosztaten der Helden vergangener Zeit".

2) l.l. p. 360: „Die Ilias durchflutet ein ganz anderer demokratischer Geist, der in überlegener Ironie alle Prärogative von den adeligen Figuren abstreift".

3) l.l. p. 335: „So grosz ist .... das Anlehnungsstreben im Formellen, dasz .... der Dichter unerschöpflich ist in raffinierten und doch wie selbstverständlich anmutenden Erfindungen, welche die Verwendung geformten Materials auf Umwegen gestatten".

4) l.l. „Es ist in der Tat so dasz neue Darstellungsziele mit geformten, aber ursprünglich ganz anders tendierenden und anders verwandten Versgruppen vermittels einer nie verlegenen Technik erreicht werden, l.l. p. 75: „Uebergangspartien ist der Dichter der Natur der Sache nach selbständiger und freier zu formen gezwungen".

5) Documento huic rei Muelder putat esse (l.l. p. 94 sq.) quod Catalogus Navium oritur a Boeotis ducesque eorum quinque habet qui ceteroquin in Iliade exiguas partes agunt. At perquam incredibile est navibus profectos fingi Argivos Thebas oppugnaturos. Itaque navium notitia Homero debetur? Id nihilo magis credibile. Nam illam prorsus alienam esse ab Iliadis loco ubi inserta est, itaque ipsam eam e fonte antiquo esse depromptam, inter omnes fere constat. Fontem autem hunc fuisse carmen quo copiae Boeotorum Locrorum aliarum gentium vicinarum narrarentur Aulide profectas esse in Asiam, demonstravimus in superioribus (cf. Mnem. 1912, pp. 4, 7 sq., 13 sqq.). Quod autem in Catalogo urbs Thebae desideratur ita Muelder explicat (l.l. in ann. 1, ad p. 95): „Der Dichter muszte Theben zerstört sein lassen, weil er es doch nicht gegen sich ins Feld rücken lassen könnte". Sed nihil opus est his ambagibus, nam si poëta ex antiquis carminibus cognoverat Thebas deletas esse manifesto in suo carmine rem non aliter proponebat.

petisse e carmine ioculari quo edita essent facinora Herculis et alia et expeditio contra regis Laomedontis urbem Ilium. Vix opus est monere nostro iudicio non, quemadmodum Muelderi, *ab auctore Iliadis*, sed carminibus *ante Homeri aetatem* conditis, multas heroum res gestas initio ad omnia alia pertinentes in bellum Troianum receptas esse cuius veram memoriam antiqui cantores conservassent, atque carmina illa non ab omnibus auctoribus Iliadis eadem ratione esse adhibita sed ab aliis aliorum aut nonnisi argumenta esse usurpata aut etiam integros versus ac versuum fasciculos. Quod si recte demonstravimus quaesitior illa Muelderi sententia sponte concidit [1]). Quam ne per se quidem spectatam probare poterit nisi qui dederit Iliadem esse conditam quo tempore iam Lacedaemonii ceteros fere Peloponnesios in societatem coniunxissent, huius enim *συμμαχίας* Muelder perhibet Iliadis auctorem ostendere notitiam [2]). Qua in re hoc mirum videtur quod eum vir doctus sub finem, saeculi a Chr. n. septimi vixisse perhibet [3]), quamquam notissimum est *συμμαχίαν* illam medio fere saeculi sexto a Chr. n. institui coeptam esse neque consummatam multo ante saeculi finem, cumque sic Muelderi sententia etiam veri dissimilior fiat, ab altera parte nihil magis in promptu erat cum deinceps permulti reges a poetis in bellum Troianum arcesserentur quam ut summus dux fuisse crederetur rex omnium potentissimus isque Mycenis collocaretur propter pristinam huius urbis gloriam [4]). Praeterea hoc constat non

---

1) Muelder l l p. 6: „Es musz die Uebertragung des Nichttroïschen ins Troïsche einen nicht unwesentlichen Teil der Arbeit des Dichters ausgemacht haben. Eine derartige Arbeit kann weder durch den Zufall noch durch organische Weiterbildung noch durch einen Bearbeiter geleistet sein; sie erfordert einen D i c h t e r". Cur non crescente fama belli Troiani plures deinceps poëtae cum eo coniungere potuerint heroum res gestas initio nihil ad id pertinentes, ex his dictis non apparet.

2) l.l. p. 63 in ann. p. 296.

3) l.l. p. 14.

4) cf. Mnem. 1918, p. 32. Prope eidem tempori ac Muelder, Iliadis originem assignat Gruppe v. d. qui eam paulo post annum quingentesimum octogessimum a Chr. n. conditam vult (gr. Myth. u. Relig. G. p. 650). Gruppii sententia duobus maxime nititur fundamentis, altero hoc, quod Agamemnonis persona informata sit secundum imaginem Phidonis Argivorum tyranni qui fere medio saeculo a Chr. n. septimo floruerit, altero quod auctor hymni primi in Apollinem significaverit Homerum aequalem suum esse maiorem natu. Sed cur potius si rem per se spectas, Agamemnonem celebrans poëta Phidonis tempora quam pristinam Mycenarum gloriam spectasse credatur, nemo videt. Ea vero quae de hymno in Apollinem disputat v. d. permira videntur.

potuisse evincere Muelderum carmina elegiaca medio septimi a Chr. n. saeculo edita inter fontes fuisse Iliadis. Neque enim, id quod vult vir doctissimus [1]), Iliadis versibus X 74 sq. *ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον αἰδόα τ' αἰσχύνωσι κύνεσ κταμένοιο γέροντοσ* pro exemplo fuisse poësin Tyrtaei (fragm. 10 vs. 23 sqq.), sed aut hunc illos imitatum esse aux ex eodem hausisse fonte antiquiore, inde liquido apparet quod in Tyrtaei versu *ἤδη λευκὸν ἔχοντα κάρη πολιόν τε γένειον* propter metrum *πόλιον ἔχοντα κάρη* ferri nequibat, contra apud Homerum tam *λευκόν* quam *πόλιον* conveniebat sed *λευκόσ* nondum de barba vel capillis dicitur. Praeter quam hoc loco versu M 243 et in libris N Ξ O imitationem elegorum cernere sibi videtur [2]) Muelder, sed nihil affert ad rem probandam. Quod autem censet Homerum favisse plebi, irrisisse principes ac nobiles, summo iure animadvertit Rothe [3]), si ita res se habeat permirum esse quod nus-

---

Quem primum quidem Pisistrati demum aetate esse conditum sine ulla necessitate statuit, nam Thucydides cum narrasset (I. c. 104) Pisistratum insulam Delum pro parte purgandam curasse, Athenienses autem belli Peloponesii temporibus purgasse totam, sic pergit „*ἦν δέ ποτε καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδοσ*" eumque coetum solemnem ait hymno illo celebrari, quibus in verbis nihil est cur ad Pisistrati aetatem referantur; neque praeterea ullus alius eius rei auctor extat. Tum vero Gruppe cur hymni auctorem Homeri aequalem dicat intellegi nequit. Is enim virgines alloquens dicit (172 sqq.) „*ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθε μνήσασθ' ὁππότε κέν τισ ..... ἀνείρηται, τίσ δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστοσ ἀοιδῶν ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τεῷ τέρπεσθε μάλιστα, ὑμεῖσ δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑπόκρινασθ' εὐφήμωσ* „*Τυφλὸσ ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ.*" Unde sequitur ut si *τυφλὸσ ἀνήρ*, id quod vult Gruppe, Homerus est, item hymni auctor Homerus sit. Nam quod Gruppe dicit (in ann. 1 ad p. 649) „es ist allerdings wahrscheinlich dasz der Dichter des Prooimions" (i. e. hymni) sich mit den Chiischen Dichter identifiziert" et paulo infra „vielleicht spricht der Rhapsode der zugleich Dichter des Prooimions ist im Namen des Dichters dessen Werke er sich anschickt zu rhapsodieren" ex hymni verbis minime licet id colligere. Postremo cur Gruppe „caecum illum cantorem Chium" Homerum esse vult? Non propterea quod Thuc. dicit (I. c. 104) *hymni* auctorem Homerum esse, nam Gruppium modo vidimus distinguere poëtam caecum et hymni auctorem. Sed quia Simonides Ceus (fr. 85 Bergh II p. 1146) laudans versum Z 146 tribuit caeco cantori Chio. Quid autem? Quoniam ex antiquis plurimi censuerunt Homerum fuisse caecum cantorem Chium, num inde sequitur ut vere id censuerint. Nullam igitur video causam cur discedamus ab iis quae argumentati sunt Grote v. d. (hist. of. greec. Lond. 1867 II. 1. c. 31) Naber v. cl. (Quaestiones Hom. p. 7) Rothe v. cl. (die Ilias als Dichtung p. 119 sq.), alii, ut demonstrarent Iliadem aut totam aut paene totam extitisse ante medium saeculum octavum a Chr. n.

1) l.l. p. 157 sq.

2) l.l. p. 150 sqq.

3) Die Ilias als Dichtung, p. 122 sq.

quam multitudini ullam vim in proeliis tribuit vel ullam gloriam ab ea reportatam memorat qualem Atheniensium multitudo reportavit apud Marathonem, neque homines e plebe aut in pugna aut in consilio quidquam valere ita Ulixen dicentem facit (B 201 sq.) ut videatur loqui poëtae verbis, Polydamantem proponit (M 212) pronuntiantem non decere δῆμον ἐόντα παρὲξ ἀγορευέμεν, Thersitem quem solum e plebe fingit principibus obloquentem, tradit auditoribus ridendum. Haec delectare potuisse quo tempore iam nobilium potestas fracta esset intellegimus, potuisse eo tempore excogitari, intellegi nequit. Ceterum hoc quoque contra Muelderum est, quod ad expediendas discrepantias quas nemo ipso plures in Iliade notavit, necesse ei est contendere poëtam omnino nihil curasse narrationem constanter et aequabiliter ingredientem [1]), dummodo materiem e fontibus haustam ita adhiberet ut commoveret auditorum animos aut risum moveret [2]).

1) l.l. p. 118: „In der ganzen poëtischen Welt der Ilias steht alles auf Widerruf" i.e. omnia hiant, omnia quasi precaria sunt, quidquid modo poëta narravit, mox ita agit quasi omnia alia narraverit. De singulis quae huc pertinent vide locos quos recensuimus in. ann. 3. ad p. 75, ubi monuimus eam rationem Muelderum quam poëtae tribuit, Teutonice dicere „souverän".

2) l.l. p. 70: „Man kann wohl sagen dasz das in der Ilias bemerkbare Variirungs- und Modernisierungsstreben vielfach besteht in einer Erfüllung originaler Motive mit starkem Pathos", p. 343: „So empfindet man auch gleich beim Eingang in das Werk dasz die pathetischen Töne nicht gedämpft sondern fortissime angeschlagen werden sollen" et paulo infra „komische Intermezzi durchziehen die Handlung überall, und es sind auch nicht wenige Spezies des Komischen die ebenso souverän gehandhabt werden, wie die Formen des Pathetischen", p. 322: „auf das Pathos des tiefsten und lautesten Schmerzes folgt immer sehr bald dröhnendes Gelächter". Seria et ludicra apud Homerum misceri negabit nemo, hoc negandum poëtae pectus immotum manere atque cuncta niti ratiocinatione sola. Quod autem Muelderus dicit (l.l. p. 113): „es stellt sich der aufgeklärte Dichter wohl in bewustem Gegensatz zum älteren Volksglauben", vel alio loco (p. 120): „In welches moralische Licht die Handlänger seiner poëtischen Pläne und Bedürfnisse — his verbis vir doctus significat deos — dabei gelangen ist dem Dichter völlig gleichgüllig, der poëtisch technische Effekt ist alles. Vielleicht entspricht es auch den Absichten des Dichters das gerade das verblüffend Waghalsige dieser Konstructionen — quibus nempe, si Muelderi fides, dei „ex machina" prodeunt — mit dem Lächeln des Verständnisses genossen wird", libenter damus poetas quibus Ilias debetur minime a deis postulare ut sint sancti et bene morati neque ullo modo vereri petulantius interdum tractare coelestia. Sed minime inde efficere licet non agnosci deorum potestatem nedum carpi religionem antiquam. Si ita res se haberet revera cogeremur unum Iliadis auctorem nobis proponere, vix enim credibile eiusmodi impietatem multis poetis communem esse. Sed potius nobis cum credas humiliorem eam de deis opinionem sponte apud poëtas extitisse nondum conscios divinam naturam altiorem et erectiorem esse debere quam humanam. Itaque

Nimirum multis poëtis Iliadem deberi malis quam uni poëtae ingenium tribuas ita insolitum [1]).

Alterum autem caput triplicis quam supra diximus criminationis huc redit: „Fieri non potest ut ex Iliade promatur quasi nucleus qui iusti poëmatis nomine dignum sit.” Id vero quicunque contendunt viri docti ad unum omnes ita ratiocinantur quasi necesse sit ut Iliadis nucleo Πατροκλείαν assignes, Πρεσβείαν adimas. Itaque summo iure Rothe (l.l. p. 93) „An Achilles” inquit „sicubi ei contigit quod a Iove petiit, Patroclum misit qui a Graecis perniciem defenderet? An supersedit expectare dum Graeci se adirent suumque implorarent auxilium? Intellegi nequit.” Sed hoc nihil ad nos qui multi fuimus in demonstrando id non posse intellegi [2]). Nam omnia alia censentes poëmatis nucleum ita definivimus ut Πρεσβεία in eius partem veniret Πατροκλεία non veniret [3]), qua re concidit adversariorum argumentatio. Tamen utique ieiunum et tenue censent qualislibet nuclei argumentum quo, ut rursus utar Rothii verbis; de causa belli de exitu de casibus nihil cognoverimus [4]). Sed neque

---

quod Muelder (l.l. p. 128) dicit: „dasz diese (i. e. Homeri) Götterwelt den Volksglauben schliesslich infizirt hat”, contra dixerim poetarum inventa quadrare ad communes aequalium opiniones. Postremo si forte dicere licet deos apud Homerum saepius quasi e machina intercedere rebus humanis, id ita explicandum videtur, poetas naturas divinas quibus mundum repletum esse quisque persuasum haberet, usurpasse quo fingerent res inexpectatas et mirabiles quae earum ope essent factae.

1) Praeter illud ingenium peculiare et insolitum Homero tributum, nihil in Muelderi libro invenire potui quod pertineret ad demonstrandum nonnisi unum Iliadis auctorem admittendum esse. Nisi forte hoc quod totam fere Graeciam belli Troiani participem fuisse — „die universal-Idee” ait vir doctissimus —, necessario *unius* viri inventum sit. Sed nihil obstat quin haec cogitatio sensim paulatimque apud multos extiterit. Quod autem dicit (l.l. p. 6): „Die Entstehungshypothese verkennt und unterschätzt ganz unglaublicher Weise die (wenigstens beabsichtigte) Einheitlichkeit und Geschlossenheit des Gesamtplanes der Dichtung” satis est hic repetere quod saepius demonstravi in superioribus, ex argumenti cohaerentia minime sequi ut poema principale non potuerit a compluribus poetis auctum et dilatatum esse. Idque non ita se habere nusquam probavit vir doctissimus. Ut ea quae exponit de libris NΞO (cf. l.l. p. 145—158) maximam partem, si discedis a conatu praepostero indicandi imitationem elegiarum, acute et vere animadversa, etiam melius se habent si proprio auctori illi libri assignantur quam si eidem auctori atque ea quae praecedunt. Neque alia est causa eorum quae disserit Muelder de libro Ω (l.l. p. 249—261).

2) Vide Mnem. 1914, p. 57 sqq.

3) l.l.

4) Eodem modo Bethe v. cl. p. 363: „Alsbald wird man innenwerden dasz die Entfernung dieser anstöszigen — weil der durch A B erweckten Erwartung zuwider-

opus fuit quod idem in simili re monuimus, Achillis ira cani cum inciperetur, auditores facere certiores de fabula Troiana, quippe quam cognitam haberent, neque Achilleïdis materiem qualem in superioribus descripsimus, non copiose demonstravimus satis uberem et abundantem esse [1]). Quod autem addidit Rothe: „sed minus etiam intellegi potest Iovis consilium. Propter preces unius e Graecis de cuius eximia virtute nihil audivimus eius populi hostibus victoriam concesserit? Hoc nimirum narraverit poëta Graecus" si ullam vim habet, contra eos modo habet qui ab Achilleïde Thetidis preces abiudicant. Sed unicuique auditorum notum erat e carminibus antiquioribus quo iure Achilles se omnium ὄχ' ἄριστον appellaret, neque poëta Graecis obtrectabat, quos ne Achillis quidem iudicio, etiamsi ipse quiesceret, a Troianis vinci posse fingeret nisi his Iuppiter vires adderet.

Tertio loco iis qui diversos Iliadis auctores destinguunt obicitur quod „pro certo habeant" ut utar Leeuwenii verbis [2]) „opera musiva esse Iliadem et Odysseam" et „usque quaque vitia errores ampullas oratorias quaeque praeterea artis ingeniique defectum arguere solent, deprehendere sibi videantur." De musivis operibus crimini re vera nemo magis obnoxius est quam Muelder qui tamen unus omnium maxime contendit Homerum unum esse. Velle enim Muelderum vidimus Iliadis auctorem ex diversissimis fontibus quam plurima potuit ad verbum deprompta conflavisse [3]). Ceteroquin quae vLeeuwen accusat, iis tantum iure iniunguntur qui censent e magno numero sive carminum sive fragmentorum carminum undique collectorum Iliadem et Odysseam compositas esse, idque a poëtis parum artificiosis, complementis ieunis poësin alienam conglutinantes. Alia prorsus est ratio eorum qui nobiscum persuasum habeant, e poëmate minoris ambitu neque tamen minimo Iliadem crevisse cantorum opera aut minime malorum aut optimorum, quamvis primum poëmatis auctorem vix quisquam aequaverit; qui tan-

laufenden — Achäersiege in Γ—Η die Ilias als Dichtung zerstört. Dürftig und mager sieht sie auf einmal aus."

1) Mnem. 1914, p. 62 sqq.

2) Ed. Il. p. xxii.

3) Supra p. 82.

tum non omnes insererent nonnisi sua inventa partim nova partim derivata ex antiquis fontibus, quodque destinatum ad eum locum explendum quo insereretur; perpauci — neque enim hoc ad alios pertinet nisi ad duos numero quorum alterum Iridis et Antitlochi ad Achillem missiones, alterum Achilleïdem principalem et eam poësin quae Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν contineret coniunxisse vidimus [1]) — aliena inventa componerent. „Horum omnium poëtarum", ita in eandem sententiam Ben. Niese v. cl. [2]), „nemo erat quin poëma spectaret totum, unum erat poëma quod quisque successori suo tradidit, ut unum ipse acceperat ab eo cui successerat; nihil est cur credamus Iliadem esse poëma collecticium vel qua forma eam habemus deberi διορθώτῃ; verum is qui ei postremam particulam addidit simul postremus fuit qui ei operam navavit." Quibus ita assentimur ut neque Iliadem nostram διορθώτῃ deberi censeamus (cf. Mnem. 1914 p. 49), neque negemus duos illos auctores quos modo diximus non iure διασκευάστας sive διορθώτας vocari [3]), eosque coniunxisse quae non eo consilio condita essent ut una in eodem poëmate adessent, nam Πρέσβειαν qualis in Achilleïde principali extiterit repugnare contra Πατροκλείαν et Iridis missionem contra Antilochi missionem. Atque praeter haec quoque in Iliade hic illic bini loci reperiri videntur non eiusmodi ut una in ea adessent, cuius generis sunt loci E 59—68, N 643—672 quorum hic illi simillimus est uterque autem destinatus fuisse videtur ei loco quo nunc ille invenitur [4]), tum duo loci quorum alter continetur versibus E 392—394 [5]), 403—404, alter versibus E 399—402, altero Hercules dicitur Amphitryonis, altero Iovis filius; tum Π 358—371, Π 372—393 i. e. Hector frustra petitus altero loco ab Aiace, altero a Patroclo [6]), tum P 262—273, P 274—287 quo utroque loco depingitur Troianorum impetus contendentium Patrocli corpore potiri et Graecorum constantia in eo defendendo, fortasse alii nonnulli. Verum hac

1) cf. Mnem. 1914, p. 298 sq.
2) Die Entwicklung der Hom. poësie p. 139.
3) Mnem. 1914, p. 49.
4) cf. Mnem. 1912, p. 36 in ann.
5) cf. Mnem. 1914, p. 323 sq.
6) cf Mnem. 1914, p. 293.

in re non est cur cogitemus de διασκευαστῇ, nihil enim hic est transpositum neque quidquam additum ad conglutinanda quae sine eo hiarent, iuxta posita hic sunt quae se invicem excludunt; et satis veri simile videtur haec e diversis poëmatis exemplaribus confluxisse in exemplaria quae deinde conficerentur.

Antequam huic scriptioni finem faciamus paucis agendum videtur etiam de recensione quae fertur Pisistratea, cuius fidem a compluribus virorum doctorum principibus impugnatam, vacillantem iam vel potius iacentem, his postremis annis Cauer [1]) et Rothe [2]) vv. cll. denuo vindicare studuerunt. Atque confitendum est parum veri simile videri rem prorsus e nihilo confictam esse. Sed utique cavendum ne cum Wolfio Lachmannio aliis, in quorum sententiam etiam Cauer it, Pisistratum censeas litteris consignasse carmina Homerica. Cuius rei ne testimonium quidem extat nisi levissimum grammatici cuiusdam ex iis qui interpretati sunt scholia Dionysii Thracis [3]). Is nobis auctor est Homeri poësis cum interiret ut quae nondum scripta esset sed viva voce modo traderetur, Pisistratum eam scripto ut conservaret certamen publicum instituisse securitate proposita (δόντα ἄδειαν) per praecones, si quis versus Homericos sciret et vellet proferre, mercede constituta unius oboli pro singulis versibus, ea autem quae ita collegisset peritis hominibus ordinanda tradidisse. Hoc quam ineptum sit, neminem fugit [4]). Quod autem legimus apud Ioseph. contr. Apion. I. 2

---

1) Grundfr. der Hom. Krit.[2] p. 123 sqq.

2) Die Il. als Dicht. p. 7.

3) Apud Villois. in ed. Codd. Marc. p. 182.

4) Nihil de scribendi studio ceteroquin similia eaque magis etiam absurda proferunt alii. Nam alius ex interpretibus Dionysii (Villoi. l l.) certaminis quod instituerit Pis. eam fuisse causam narrat, quod Homeri poësis absumta esset incertum igne an motu terrae an aquis. Atque auctor lexici Vindobonensis (edid. Nauck) p. 279 „Pisistratus" ait „inordinata adhuc et confusa poësi Homeri praemio sollicitare proposuit qui eam ordinarent inque praemii nomine in singulos versus singulos obolos constituit". Addit autem uterque mercede inductos pauperes multos qui abundarent ingenio plurimos fingendo versus operis nobilitatem corruppisse, hos deinde Aristarchum obelo notasse utpote amore obelorum inventos! Sed eos Dionysii interpres ille quem primum citavimus insania superat narrando pergens, Pisistratum LXXII viros designasse qui versus allatos in iustum redigerent ordinem, inter quos primum tenuisse locum Zeno-

φασὶν οὐδὲ Ὅμηρον ἐν γράμμασι τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, sive recte se habet sive minus, minime opus est ad Pisistratum referre. Neque per se credibile Homeri poësin non ante eius tempora scripto mandatam esse. Wolf enim ceteri qui Iliadem, ut Odysseam mittamus, e carminibus brevioribus conflatam putarent sponte adducebantur ut putarent ea carmina tum demum scripto mandata esse cum in unum poëma coniungerentur, idque faciendum curasse Pisistratum. Quod ne sic quidem probabile, recte enim monuit Volkmann v. d. [1]) rhapsodos si sibi non expedire arbitrarentur ea scripta habere, vix cogi potuisse ut ea quae memoria tenerent cum Pisistrato communicarent ad describendum, contra si conducere putarent permirum fore si non sua sponte scripto mandarent. Utique vero a Wolfii, Lachmannii, Caueri sententia discedendum est iis qui Iliadem totam uni tribuunt auctori, neque non qui de eius compositione nobiscum faciunt. Rectissime enim Rothe contra Cauerum affert [2]) nulli magno poëmati argumenti cohaerentiam non per longum tempus dilui ac deperire nisi scriptum tradatur, nostra autem Achilleïs eo ambitu est adeoque artificiose composita, ad quam haec non minus pertineant quam ad Iliadem ipsam, cum praeterea ex iis quae poëmati principali a recentioribus poëtis insererentur, vix quidquam locum sibi destinatum servare potuerit sine ope scripturae, neque ullo modo accuratissime, id quod factum esse in superioribus vidimus, contaminare licuerit Achilleïdem et *Πατροκλείαν* cett. nisi utraque poësis conscripta extitisset. Sed Dionysium Thracem quem antiquissimum habemus recensionis testem, Aristarchi discipulum florentem exeunte saec. a Chr. n. II [3]), his verbis usum: *λέγεται ὅτι συνερράφη ὑπὸ Πεισιστράτου*

---

dotum et Aristarchum. Eadem de LXXII viris in quorum numero fuerint Zenodotus et Aristarchus, omissis ceteris nugis, habent Heliodorus (apud Tzetzam in proleg. ad Aristoph. Keil Rhein. Mus. 1848, p. 116, 118), Tzetzes in Exegesi Iliad. p. 772 Bachmann; Eusthatius in comment. ad Iliad. Postremo anonymus qui scripsit *περὶ κωμῳδίας* (Cramer Anecd. Par. I, p. 6) ceterorum commenta corrigere sibi videtur cum narrat Zenodotum et Aristarchum qui inter grammaticos LXXII fuissent, diversos fuisse a bibliothecariis Alexandrinis *ὁμωνύμοις*.

1) Gesch. und Krit. der Wolf. Proleg. 1874, p. 317.

2) l.l. p. 7 sq.

3) Cf. Car. Muell. fr. H. G. III, p. 189.

τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου τὰ Ὁμήρου ποιήματα, καὶ κατὰ τάξιν συνετέθη τὰ πρὶν σποράδην καὶ ὡς ἔτυχεν ἀναγιγνωσκόμενα διὰ τὸ τὴν ἁρμόγην αὐτῶν τῷ χρόνῳ διασπασθῆναι liquido apparet agere de restituto poëmatis partium ordine, qui cum initio extitisset temporis iniuria turbatus esset [1]). Quod idem significat de cetero meras nugas agens Dionysii interpres, qui Homerica carmina absumta esse tradidit incertum igne an motu terrae an aquis [2]). Neque repugnant verba Ciceronis (de Orat. III 34): „Pisistratus primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur ut nunc habemus", neque Pausanias (VII 26, p. 594): Πεισίστρατος ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ⟨ἄλλα⟩ ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο. E ceteris quidem scriptorum locis huc pertinentibus potius colligas agi de ordine instituto quam de restituto, sed haec vix ullius pretii sunt. Epigrammate enim prorsus incertae aetatis, quod nonnulli serae antiquitatis scriptores ridicule retulerunt in tyranni nescio qua statua exculptum esse, revera autem procul dubio mere ἐπιδεικτικῷ, Pisistratus dicitur collegisse poësin Homericam ante nullo ordine descriptam [3]). Neque aliter res proponitur in Aeliani Var. Hist. (XIII 14) scriptoris III p. Chr. n. saeculi; saeculo post a Libanio in Paneg. in Iulianum (I, p. 170. Reisk.); apud Suidam, X p. Chr. n. saeculo, s. v. Ὅμηρος. In Tzetzae Byzantini, XII p. Chr. n. saeculi, prolegomenis ad Aristophanem, quae duo continent commentarios non tam re quam verbis distantes [4]), quatuor recensentur viri docti quorum opera usus Pisistratus carmina Homerica collegerit [5]). Sed uterque locus manifesto cor-

---

1) Tria sunt Scholia Dion. Thr. (e codd. Marc. ed. a Villoisono) quae ad Pisistrati Homeri curam pertinent, non duo ut perhibent Volkm. l.l. p. 332, Flach. Pis. u. seine litter. Thätigkeit 1885, p. 7 in ann. 23. Quod hic laudavi ceteris est brevius.

2) Cf. supra p. 89 in ann. 4.

3) Invenitur hoc epigramma in codd. Marc. 489 et 652 cf. Villois. Anecdot. Graec. II, p. 8 et p. 182 (Bekker Anecdot. Graec. II, p. 768).

4) Legitur uterque commentarius apud Keil. Rhein. Mus. 1848, p. 110—122. Utrumque a Tzetza esse conscriptum alio tempore aliter suis scholiis praefato, neque nos habere hic excerpta ab aliis ex uno Tzetzae commentario, invictis argumentis demonstravit Keil.

5) Latine rem reddidit Scholiasta Plautinus (apud Ritschel. die Alex. Bibl. p. 4; Cramer Anecdota Par. I, p. 12): „Ceterum Pisistratus sparsam prius Homeri poësin ante Ptolemaeum Philadelphum annis ducentis et eo etiam amplius, sollerti cura in

ruptus est, inque Tzetzae fontibus confusus esse videtur Homerus et Epicus cyclus qui dicitur [1]). Postremo huc pertinent fabellae ridiculae et maximam partem stupendis *ἀναχρονίσμοισ* insignes, quos debemus Heliodoro, Eusthatio aliis [2]). Iamvero fac multo ante Pisistrati aetatem conscriptam extitisse Iliadem talem fere qualem eam nunc habemus, tamen ipsa ratio qua poëma creverat ferebat ut initio perpauca *ἀπόγραφα* totum habe-

---

ea quae nunc extant redegit volumina, usus ad hoc opus divinum industria quattuor celeberrimorum et eruditissimorum hominum, videlicet Concyli, Onomacriti Atheniensis, Zopyri Heracleotae, et Orphei Crotoniatae, nam carptim prius Homerus et nonnisi difficillime legebatur".

1) In altero est hoc (Keil l.l. p. 126) *καίτοι τεσσαρῶν ἀνδρῶν ἐπὶ Πεισιστράτου συντιθέντων τὸν* "Ομηρον, *οἵτινέσ εἰσιν οὗτοι·* Ἐπικόγκυλοσ, Ὀνομάκριτοσ, Ζώπυροσ Ἡρακλειώτησ *καὶ* Ὀρφεὺσ Κροτωνιάτησ, in altero hoc (l.l. p. 118), *τὰσ* Ὁμηρείουσ (*βίβλουσ*)...... *συντέθεικεν σπουδῇ* Πεισίστρατοσ *παρὰ τῶν τεσσάρων τούτων σοφῶν· ἐπὶ* Κογκύλου, Ὀνομακρίτου *τε* Ἀθηναίου, Ζωπύρου *τε* Ἡρακλειώτου *καὶ* Κροτωνιάτου Ὀρφέωσ. Quod in altero commentario est *ἐπὶ κογκύλου* duabus vocibus (unde fluxit illud *Concylus* in schol. Plaut, vide ann. super) quisque videt factum vitio eius qui Tzetzae librum exscripsit. Sed non minus apertum est (quod primus vidit Cramer p. 16), in nomine Ἐπικόγκυλοσ latere voces Ἐπικὸν *κύκλον*; fons igitur unde hausit Tzetzes egit de Epico Cyclo, sed id videre Tzetzem prohibebant vitia quae in fontem irrepserant. Ceterum notitiam de cura ab Onomacrito ceterisque in Homero coniunctim collocata oriundam esse ab Athenodoro Cordylione grammatico, qui Pergamis floruit medio saeculo II a Chr. n., colligere licet e libro *περὶ κωμῳδίασ* grammatici anonymi e Tzetzae commentariis conflato (cf. Cram. l.l.) cuius libri cod. Par. nomen Cordylionis in margine adscriptum habet. Praeterea compertum est (cf. Keil l.l. p 116, p. 118) Tzetzam cum antea (in Exegesi Iliadis) Heliodorum secutus esset (vide supra p. 89 in ann. 4) postea (in proleg. ad Arist) multis in eum conviciis transisse ad sententiam Cordylionis. Sed minime constat Tzetzam ipsum Cordylionis librum inspexisse, fieri enim potest ut auctor ei fuerit scriptor recentior nobis deperditus qui ex illo hauserit. Fuisse hunc Asclepiadem Myrleanum, quem de amicis Pisistrati litteratis scripsisse constat e Suida s. v. Ὀρφεύσ, coniecit Flach l.l. p. 11. Ex eius igitur opere ille qui in libro *περὶ κωμῳδίασ* Cordylionis nomen adscripsit, cognoscere hoc potuit. Itaque non constat ubi corruptelae supra dictae caput lateat, in codd. quibus Cordylionis opus an in quibus scriptoris illius recentioris opus deperditum exaratum fuerit. Neque veri simile est Cordylionem egisse de Epico Cyclo. Nam omnes illi scriptores (quos enumeravi in ann. 4 ad p. 89) qui de comitibus Pisistrati in ordinandis carminibus Homericis miracula narrant, ad id ipsum ut comitum operam memorarent inducti esse videntur exemplo Cordylionis. Atqui hi de Epico Cyclo mentionem non faciunt. Sed scriptorem operis deperditi, quod Tzetzae pro fonte fuisse suspicati sumus, nihil vetat credere confudisse Epicum Cyclum et Homerum. Notissimum enim est initio Homero tributum esse quodcunque postea ab Alexandrinis altero nomine est appellatum. Facillime ergo fieri potuit ut noster non intellegeret distinguendum tamen esse inter utrumque.

2) Vide de singulis supra p. 89 in ann. 4.

rent, plura partibus alia aliis carerent. Praeterea autem poëma iam antequam consummatum esset, eius fama cum excessisset fines terrae Ionicae, consentaneum est in ipsa Graecia recitari coeptum esse. Atque propter has duas iam causas non aliter potuit quin diversarum Graeciae regionum rhapsodi plerique manca haberent exemplaria, vix quisquam exemplar omni ex parte perfectum. Accedit autem tertium hoc, quod omnium gravissimum est. Suis nummis *ἀπόγραφα* sibi comparare sive manca sive completa raro rhapsodis licuisse in promptu est, plerisque aliam viam non patuisse nisi ut conarentur mutuo accipere quod sibi exscriberent. At vero quotum quemque credis ingentem molem totius poëmatis uno tenore describendam suscepisse? cum praesertim uno tenore recitare poëma nemo posset. Imo, modo hanc modo illam recitaturi partem, exscribebant quamque prout opus esset, postremo toto per saturam descripto utebantur exemplaribus qui partium ordinem misere turbatum habebant; quid igitur mirum si quando vix ullum extiterit exemplar quod integrum ordinem exhiberet? Itaque ubi Lycurgum oratorem ita audimus dicentem (adv. Leocr. 102): „maiores nostri Homerum solum ex omnibus poëtis quinto quoque anno solemnibus Panathenaeis recitari iusserunt", ab altera autem parte apparet in ea recitatione iustum partium ordinum observandum fuisse — nam legimus apud Diogenem Laertium (vita Solon. I 9) et Suidam (s. v. *ὑποβολή*) iussisse Solonem, et in dialogo pseudo-Platonico cui titulus Hipparcho, iussisse Hipparchum rhapsodos carmina Homerica deinceps iusto ordine recitare [1]), neque haec fama sive ad Solonem sive ad

---

1) Locus Diogenis a quo Suidas non differt continetur his verbis: *τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψωδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον.* In dialogo pseudo-Platonico legitur: *ὃς* (i. e. *Ἵππαρχος*) *τῶν Πεισιστράτου παίδων ἦν πρεσβύτατος καὶ σοφώτατος, ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνὶ καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφέξης αὐτὰ διιέναι ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι.* Memorabile est, ea quae Diogenes et Suidas afferant ad verba *ἐξ ὑποβολῆς* explicanda, melius convenire ad verba *ἐξ ὑπολήψεως* dialogi. Nam *ἐξ ὑποβολῆς* est „monitus" sive „ita ut recitanti verba alter praeeat." (Cf. Boeck Corp. Inscr. 2, p. 676, v. Wilamow l.l p. 264 sqq.). Fortasse igitur in his verbis aliquis error latet. Nam quod voluerunt Bernhardy (Grundr. d. gr. Litt. II, p. 72). Bergk (Gr. Liter. Gesch. I, p. 499 Anm. 50) *ἐξ ὑποβολῆς* esse „ex exemplari scripto" neque reddit vim verborum neque quadrat ad loci sententiam. Sed quoquo modo id se habet

Hipparchum rectius refertur sive prorsus falsa est, omnino oriri potuit si Athenis licuisset in Panathenaeis promiscue recitare poësin Homericam — sponte adducimur ut credamus satis multo ante saeculum. a. Chr. n. IV quo florebat Lycurgus, Athenis publice recensionem carminum Homericorum institutam esse, quod collatis diversis exemplaribus diversis locis partium ordinem turbatum exhibentibus, ab eruditis viris argumenti poëmatis cohaerentiam diligenter observantibus sine magno negotio perfici potuit. Atque rei fides confirmatur eo quod quantum apparet e grammaticorum Alexandrinorum Scholiis, iam ante eorum tempora nonnulli loci interpolati e quibus Athenae redolere videantur — in hac enim causa esse locos quales sunt B 547—551, 553—555, 558, H 198, λ 631, quis neget? — in plerisque extiterint codicibus qui Homeri carmina completa et composita haberent [1]). Haec enim res facillime sic explicatur, in horum codicum numero fere solos fuisse qui exscripti essent de exemplari vel ipso vel eius ἀπογράφοισ quod Athenis publice recensione carminum habita editum esset, cum ab eis qui recensionem agerent, ea quae interpolata essent a rhapsodis Atticis, essent recepta. Simul autem intellegitur quomodo homines etiamsi non *meminissent* Athenis recensionem olim institutam esse tamen *coniectura* id *assequi* potuerint. Nam quomodo omnes fere Homeri codices Atticam prodant originem cum explicari vix possit, nisi sumas, solos fere codices Atticos vel ex Atticis exscriptos exemplaribus exhibuisse carmina apte composita, sequitur ut recensio qualis Athenis nusquam alibi habita sit, neque id quemquam fugere potuerit comparantem ἀπόγραφα quae non ab Attico exemplari

---

haud obscurum est eandem rem a Diogene Soloni, in dialogo pseudo-Platonico Hipparcho adscribi.

1) Consulto in argumentando omisi τὸν μεταχαρακτήρισμον. Qui quamquam minime incredibilis videtur, complures enim vitia ab Alexandrinis notata in ἀπογράφοισ quibus uterentur inde fluxisse quod haec exscripta essent de exemplaribus τὴν ἀρχαίαν γραμματικὴν exhibentibus, tamen nullo modo horum exemplarium Atticam originem sic probari puto. Quid enim? *Antiquissima* literatura *Ionica* sonos η et ω et pseudodiphthongos ει et ου qui soli erroris ansam dabant *eadem ratione* indicabat atque ea quae *Athenis* usque ad finem saeculi a Chr. V in documentis publicis viguit, aliquando ante — quod docet Euripidis fabula Theseus (fr. 385 Dind), ubi nominis ΘΗΣΕΤΣ altera litera sic describitur πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο, ταύτασ διείργει δ' ἐν μέσοισ ἄλλη μία — in litteris privatis recentiori cessit literaturae Ionicae. (Cf. v. Wilam. Herakles I, p. 126. v. Leeuwen, Encheir. dict. Ep. p. XLVIII).

oriunda essent, quippe quae mance nullo partium ordine conscripta haberent carmina [1]). Quid, si nusquam nisi Athenis publice recitabantur carmina ita ut observaretur ordo iustus? Quod vix aliter poterat, nisi forte aliqua civitas institutum Atheniensium imitata est adhibito exemplari Attico. At si praeter quam Athenis rhapsodi in publicis recitationibus omnia conturbare solebant, sponte iniciebatur cogitatio de recensione carminum Athenis instituta.

Verum Pisistrato eam deberi prorsus incertum est. Neque enim potuerunt ei qui rectam recitandi rationem a Solone institutam crederent non recensionem quoque huic tribuere, quicunque ab Hipparcho, non Hipparcho. Dissentiebatur igitur de nominibus. Neque constitisse quidquam docent ipsa Dionysii verba *Λέγεται Πεισίστρατοσ κ. τ. λ.* Atqui fac in oblivionem venisse quo archonte res facta sit nihil magis in promptu erat quam aut Soloni eam adscribere cui utilissima quaeque instituta deberet res publica, aut Pisistrato quem notum esset Panathenaea splendore novo exornasse, aut Hipparcho cui bonas literas imprimis curae fuisse nesciret nemo. Quemadmodum Strabone teste [2]) e locis interpolatis quos supra diximus, eos quibus

---

1) Quod inter *ἐκδόσεισ* quibus uteretur Aristarchus nullae fuisse videntur quae *'Αττικαὶ* appellarentur, sic explicare licet. Duo erant editionum genera *αἱ κοιναὶ* (*κοινότεραι*) *δημώδεισ*, *εἰκαιότεραι* et *αἱ χαριέστεραι* (*χαριέσταται*), *ἀκριβέστεραι*, *μέτριαι* (cf. Schol. Ven. ad B 53 et passim). Illae unde oriundae essent, operae pretium non erat addere; hae si qua dominum habuerat aliquando illustriorem, instruebantur huius nomine, sunt autem hae *αἱ κατ' ἄνδρα ἐκδόσεισ* sive *διορθώσεισ*; si minus, aut si prorsus ignotum, indebatur nomen civitatis unde Alexandriam allata erat. Inter has manifesto nulla est quae non potuerit Athenis importari in illam ipsam civitatem unde Alexandriam afferretur. Inter *τὰσ κατ' ἄνδρα* Athenis oriunda certe fuit *ἡ 'Αριστοτέλουσ* sive *ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκοσ*, fortasse fuerunt *ἡ Σωσιγένουσ* et *ἡ Φιλήμονοσ* nec non *ἡ 'Αντιμάχου*, *ἡ 'Ριάνου*, *ἡ Ζηνοδότου*, *ἡ 'Αριστοφάνουσ*. Cur enim Antimachus poëta Colophonius non potuit suis nummis emere exemplar Homeri Athenis confectum? Nam quod Antimachi Socratis aequalis exemplar Ionica scriptura recentiore exaratum fuisse videtur (cf. v. Leeuwen, Ench. Dict. Ep. p. XLVII) minime repugnat, cum constet tum cum Euripides daret fabulam *Theseum* illam literaturam Athenis iam pervulgatam fuisse (cf. supra p. 94 ann. 8). — Publice recensitas esse *τὰσ ἐκ τῶν πόλεων ἐκδόσεισ* parum probabiliter censet Bernhardy l.l. p. 332 cui assentiri videtur Flach l.l. p. 34 contra vide iam Wolf. Proleg. p. CLXXVI.

2) IX, c. 1, *Καί φασὶν οἱ μὲν Πεισίστρατον, οἱ δὲ Σόλωνα παρεγγράψαντα ἐν τῷ νεῶν καταλόγῳ μετὰ τὸ ἔποσ τοῦτο „Αἴασ δ' ἐκ Σαλαμῖνοσ ἄγεν δυοκαίδεκα νῆασ" ἑξῆσ τοῦτο „στῆσε δ' ἄγων, ἵν' 'Αθηναίων ἵσταντο φάλαγγεσ" μάρτυρι χρήσασθαι τῷ ποιητῇ τοῦ τὴν νῆσον ἐξ ἀρχῆσ 'Αθηναίων ὑπάρξαι.*

Salamis Atheniensibus tempore belli Troiani subiecta proponeretur, nonnulli Soloni alii Pisisistrato deberi ferebant. A Megarensibus enim primis quantum scimus, crimen falsi illatum est; uterque nimirum in insula Megarensibus eripienda egregias partes egerat [1]). Quamvis igitur recensionis fama et falsi accusatio cum ad eosdem pertinerent non possent non apud imperitos altera alterius fidem confirmare nihilo minus quicunque rem altius perspexerit intelleget quam sit vana; cum praesertim rhapsodorum esse non virorum in re publica principum carmina interpolare, etiam per se sit perspicuum. At Pisistratum non mirum erat mox a nonnullis dici etiam locos interpolasse ad Salaminem non pertinentes, quod de loco λ 631 Pausanias refert, de versibus B 203 sq. in margine adscriptum habet exemplar ed. princ. Flor. Quo eodem pertinet quod Pausanias (VII. c. 25) fuisse ait qui aut a Pisistrato cum lacerata carmina Homeri colligeret, aut ab uno e comitibus nomen *Δονόεσσαν* (B 573) in *Τονόεσσαν* mutatum dicerent, Scholium ad λ 603 refert hunc versum deberi Onomacrito Pisistrati comiti, Eusthatius 785, 42 et Scholium Towl. ad K 1 paene eisdem verbis tradunt *Δολώνειαν* ab Homero separatim conditam a Pisistrato Iliadi esse insertam.

---

1) Diogenes Laërtius in vita Solonis alio loco (c. 2) dicit nonnullos perhibere Solonem inseruisse versum B 558, alio loco, (c. 9) qui corruptus est, tradit aliqua quae Dieuchidas Megarensis dixerit de vss. B 546 sqq., sed non apparet volueritne Dieuchidas Solonem an Pisistratum hunc interpolasse locum an, id quod tamen vix credibile, aliud quid spectaverit. Locus lacunosus his continetur versis *μᾶλλον οὖν Ὅμηρον ἐφώτισεν (Σόλων) ἤ Πεισίστρατος ..... ὥσ φησι Διευχίδασ ἐν ἐ Μεγαρικῶν, ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταῦτα: οἵ δ' ἄρ' Ἀθήνασ εἶχον κ τ. λ.* Ritschl. (Opus c. I. 54) lacunam sic explevit *ὅσπερ συλλέξασ τὰ Ὁμήρου ἐνεποίησέ τινα εἰσ τὴν Ἀθηναίων χάριν*, sed num haec fuerit Dieuchidac sententia prorus incertum, hoc unum certissimum, non posse sibi constare qui vss. B 546 sqq. Pisistrato tribuat, vs. 558 Soloni, nam addi hic versus non potuit nisi vss. 546 extarent, Solonis autem aetas Pisistratum antecedit. Iam vero quoquomodo hoc se habet, utique a Megarensibus falsi crimen in Athenienses intentum esse negari non potest si fides est Straboni testante (l.l. 3) eos „*ἀντιπαρῳδῆσαι*" Atheniensibus, pro vss. B 557, 558 quales vulgo leguntur, haec substituentes *Αἴασ δ' ἐκ Σαλαμῖνοσ ἄγεν νέασ ἔκ τε Πολίχνησ, ἐκ τ' Αἰγειρούσησ, Νισαίησ τε Τριπόδων τε* (i. e. ex oppidis Megaricis); et Pausaniae (VII, c. 25) referenti Heraea Megarensi auctore (VII, c. 25) Pisistratum interpolasse locum λ 631.

EXCURSUS.

Achilleïs principalis (vide Mnem. 1914, p. 80).

μῆνιν ἄειδε. θεά, Πηληϊάδα' 'Αχιλῆοσ
ὀλομένην, ἣ μυρί' 'Αχαιοῖσ' ἄλγε' ἔθηκε,
πολλὰσ δ' ἰφθίμουσ ψυχὰσ "Αιδι προΐαψε
ἡρώων, αὐτοὺσ δὲ ἑλώρια 'τεῦχε κύνεσσι
οἰωνοῖσί τε πᾶσι, — Διὸσ δ' ἐτελείετο βουλή, —
ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διεστήτην ἐρίσαντε
'Ατρεΐδησ τε ϝάναξ ἀνδρῶν καὶ δῖοσ 'Αχιλλεύσ.
τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Λητοῦσ καὶ Διὸσ υἱόσ. ὃ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶσ
νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν, — ὀλέκοντο δὲ λαοί, —
οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμασεν ἀρητῆρα
'Ατρεΐδησ. ὃ γὰρ ἦλθε θοὰσ ἐπὶ νῆασ 'Αχαιῶν
λυσόμενόσ τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα,
στέμμα τ' ἔχων ἐν χερσὶ ϝεκηβόλου 'Απόλλωνοσ
χρυσέωι ἂν σκήπτρωι, καὶ 'λίσσετο πάντασ 'Αχαιούσ,
'Ατρεΐδα δὲ μάλιστα δύω, κοσμήτορε λαῶν·
„'Ατρεΐδαι τε καὶ ἄλλοι ἐυκνήμιδεσ 'Αχαιοί,
ὔμιν μὲν θεοὶ δοῖεν 'Ολύμπια δώματ' ἔχοντεσ,
ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι,
παῖδα δ' ἐμοὶ λύσαιτε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθαι
ἀζόμενοι Διὸσ υἷα ϝεκηβόλον 'Απόλλωνα."
ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντεσ ἐπηυφήμησαν 'Αχαιοὶ
αἰδεσθαί θ' ἱερῆα καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα.
ἀλλ' οὐκ 'Ατρεΐδηι 'Αγαμέμνονι 'ϝάνδανε θυμῶι,
ἀλλὰ κακῶσ ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε·
„μή σε, γέρον, κοίλησιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχήω,
ἢ νῦν δηθύνοντ' ἢ ὕστερον αὖτισ ἰόντα,
μή νύ τοι οὐ χραίσμηι σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.
τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρασ ἔπεισι
ἡμετέρωι ἐνὶ ϝοίκωι, ἐν "Αργεϊ, τηλόθι πάτρησ
ἱστὸν ἐποιχομένην καὶ ἐμὸν λέχοσ ἀντιάουσαν.
ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε, σαώτεροσ ὥσ κε νέηαι."
ὣσ ἔφατ', ἔδϝεισεν δ' ὁ γέρων καὶ ἐπείθετο μύθωι,
'βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσησ.
πολλὰ δ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἠρᾶθ' ὁ γεραιὸσ

'Απόλλωνι ϝάνακτι, τὸν ἠύκομοσ 'τέκε Λητώ·
„κλῦθί μοι, ἀργυρότοξ', ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ϝῖφι ϝανάσσεισ,
Σμίνθιε· εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα,
ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
ταύρων ἠδ' αἰγῶν, τὸ δέ μοι κρήηνον ἐϝέλδωρ·
τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι."
ὣσ ἔφατ' εὐχόμενοσ, τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβοσ 'Απόλλων
'βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων χωόμενοσ κῆρ,
τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.
ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀιστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
αὐτοῦ κινηθέντοσ· ὃ δ' ἤϊε νυκτὶ ϝεϝοικώσ.
ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε·
δϝεινὴ δὲ κλαγγὴ 'γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.
οὐρῆασ μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνασ ἀργούσ,
αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλοσ ἐχεπευκὲσ ἐφιεὶσ
'βάλλ'· αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων 'καίοντο θαμειαί.
ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο,
τῆι δεκάτηι δ' ἀγορήνδε 'καλέσσατο λαὸν 'Αχιλλεύσ·
τῶι γὰρ ἐνὶ φρέσ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενοσ Ἥρη,
'κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήισκοντασ ὁρᾶτο.
οἳ δ' ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν ὁμηγερέεσ τ' ἐγένοντο,
τοῖσι δ' ἀνιστάμενοσ μετέφη πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
„'Ατρεΐδη, νῦν ἧμε πάλιν πλαγχθέντασ ὀίω
ἂψ ἀπονοστήσειν, αἴ κεν θάνατόν γε φύγωμεν,
εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμόσ τε δαμᾶι καὶ λοιμὸσ 'Αχαιούσ.
ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρήομεν ἢ ἱερῆα
ἢ καὶ ὀνειροπόλον, — καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διόσ ἐστι, —
ὃσ ϝείπηι ὅ τι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβοσ 'Απόλλων,
εἴ τ' ἄρ' ὅ γ' εὐχωλῆσ ἐπιμέμφεται εἴ θ' ἑκατόμβησ,
αἴ κέν πωσ ϝαρνῶν κνίσησ αἰγῶν τε τελείων
βούλητ' ἀντιάσασ ἧμιν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι."
ἦ τοι ὃ γ' ὣσ ϝειπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο. τοῖσι δ' ἀνέστη
Κάλχασ Θεστορίδησ, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστοσ,
ὃσ 'ϝείδει τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' 'Αχαιῶν Ϝίλιον εἴσω
ϝὴν διὰ μαντοσύνην, τήν ϝοι 'πόρε Φοῖβοσ 'Απόλλων.
ὅ σφιν ἐὺ φρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέϝειπε·

„ὦ Ἀχιλεῦ, κέλεαί με, Διὶ φίλε, μυθήσασθαι
μῆνιν Ἀπόλλωνοσ, ϝεκατηβελέταο ϝάνακτοσ
τοι γὰρ ἐγὼ ϝερέω, σὺ δὲ σύνθεο καί μοι ὄμοσσον
ἦ μέν μοι πρόφρων ϝέπεσιν καὶ χερσὶν ἀρήξειν.
ἦ γὰρ ὀίομαι ἄνδρα χολωσέμεν', ὃσ μέγα πάντων
Ἀργείων κρατέει, καί ϝοι πείθονται Ἀχαιοί.
κρείσσων γὰρ βασιλεύσ, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
εἴ περ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψηι,
ἀλλά τε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσηι,
ἐν στήθεσσιν ἑϝοῖσι. σὺ δὲ φράσαι εἴ με σαώσεισ."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„θαρσήσασ μάλα ϝειπὲ θεοπροπέων ὅ τι ϝοῖσθα·
οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα Διὶ φίλον, ὧι τε σύ, Κάλχαν,
εὐχόμενοσ Δαναοῖσι θεοπροπίασ ἀναφαίνεισ,
οὔ τισ ἐμεῦ ζῶντοσ καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο
σοὶ κοίληισ παρὰ νηυσὶ βαρείασ χεῖρασ ἐποίσει
συμπάντων Δαναῶν, οὐδ' αἴ κ' Ἀγαμέμνονα ϝείπηισ,
ὃσ νῦν πολλὸν ἄριστοσ Ἀχαιῶν εὔχεται εἶναι."
καὶ τότε δὴ 'θάρσησε καὶ ηὔδα μάντισ ἀμύμων·
„οὔτ' ἄρ' ὅ γ' εὐχωλῆσ ἐπιμέμφεται οὔθ' ἑκατόμβησ,
ἀλλ' ἕνεκ' ἀρητῆροσ, ὃν ἠτίμασσ' Ἀγαμέμνων,
οὐδ' ἀπέλυσε θύγατρα καὶ οὐκ ἀπεδέξατ' ἄποινα.
τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκε ϝεκηβόλοσ ἠδ' ἔτι δώσει.
οὐδ' ὅ γε πρὶν Δαναοῖσιν ἀϝεικέα λοιγὸν ἀπώσει,
πρίν γ' ἀπὸ πατρὶ φίλωι δόμεναι ϝελικώπιδα κούρην
ἀπριάτην, ἀνάποινον,, ἄγειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
εἰς Χρύσην· τότε κέν μιν ἱλασσάμενοι πεπίθοιμεν."
ἦ τοι ὅ γ' ὣσ ϝειπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο. τοῖσι δ' ἀνέστη
ἥρωσ Ἀτρεΐδησ εὐρὺ κρείων Ἀγαμέμνων
ἀχνύμενοσ, μένεοσ δὲ μέγα φρένεσ ἀμφὶ μέλαιναι
'πίμπλαντ', ὄσσε δέ ϝοι πυρὶ λαμπετάοντ' ἐϝεϝίκτην.
Κάλχαντα πρώτιστα κάκ' ὀσσόμενοσ προσέϝειπε·
„μάντι κακῶν, οὔ πώ ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπεσ.
αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι,
ἐσθλὸν δ' οὔτε τί πω 'ϝεῖπεσ ϝέποσ οὔτ' ἐτέλεσσασ.
καὶ νῦν ἐν Δαναοῖσι θεοπροπέων ἀγορεύεισ,
ὡσ δὴ τοῦδ' ἕνεκά σφι ϝεκηβόλος ἄλγεα τεύχει,
οὕνεκ' ἐγὼ κούρησ Χρυσηΐδοσ ἀγλά' ἄποινα

οὐκ ἔθελον δέξασθαι, ἐπεὶ πολὺ βούλομαι αὐτὴν
ϝοίκοι ἔχειν. καὶ γάρ ῥα Κλυταιμήστρησ προβέβουλα,
κουριδίησ ἀλόχοι', ἐπεὶ οὔ ϝεθέν ἐστι χερείων
115 οὐ δέμασ οὐδὲ Φυήν, οὔτ' ἂρ Φρένασ οὔτε τι ϝέργα.
ἀλλὰ καὶ ὥσ ϝ' ἐθέλω δόμεναι πάλιν, εἰ τό γ' ἄμεινον.
βούλομ' ἐγὼ λαὸν σάον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι!
αὐτὰρ ἐμοὶ γέρασ αὐτίχ' ἑτοιμάσατ', ὄφρα μὴ οἶοσ
'Αργεΐων ἀγέραστοσ ἔω, ἐπεὶ οὐδὲ ϝέϝοικε·
120 λεύσσετε γὰρ τό γε πάντεσ, ὅ μοι γέρασ ἔρχεται ἄλληι."
τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα ποδάρκησ δῖοσ 'Αχιλλεύσ·
„'Ατρεΐδη κύδιστε, Φιλοκτεανώτατε πάντων,
πῶσ τ' ἄρ τοι δώσουσι γέρασ μεγάθυμοι 'Αχαιοί;
οὐδέ τί που ϝίδμεν ξυνήϊα κείμενα πολλά,
125 ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται,
λαοὺσ δ' οὔ τι ϝέϝοικε παλίλλογα ταῦτ' ἐπαγείρειν.
ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν τήνδε θεῶι πρόεσ· αὐτὰρ 'Αχαιοὶ
τριπλῆι τετραπλῆι τ' ἀποτίσομεν, αἴ κέ ποθι Ζεὺσ
δῶισι πόλιν Τροίην ἐυτειχέα ἐξαλαπάξαι."
130 τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέΦη κρείων 'Αγαμέμνων·
„μὴ δ' οὕτωσ, ἀγαθόσ περ ἐών, θεοϝείκελ' 'Αχιλλεῦ,
κλέπτε νόωι, ἐπεὶ οὐ παρελεύσεαι οὐδέ με πείσεισ.
ἦ ἐθέλεισ, ὄΦρ' αὐτὸσ ἔχηισ γέρασ, αὐτὰρ ἔμ' αὔτωσ
ἧσθαι δευόμενον, κέλεαι δέ με τήνδ' ἀποδοῦναι;
135 ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρασ μεγάθυμοι 'Αχαιοί,
ἄρσαντεσ κατὰ θυμόν, ὅπωσ ἀντάξιον ἔσται . . . —,
εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸσ ἕλωμαι
138 ἢ τεὸν ἢ Αἴαντοσ ἰὼν γέρασ ἢ 'Οδυσῆοσ.
140 ἀλλ' ἤ τοι μὲν ταῦτα μεταΦρασόμεσθα καὶ αὖτισ,
νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰσ ἅλα δῖαν,
ἐν δ' ἐρέτασ ἐπιτηδὲσ ἀγείρομεν, εἰσ δ' ἑκατόμβην
θήομεν, ἂν δ' αὐτὴν Χρυσηΐδα καλλιπάρηιον
144 βήσομεν, εἷσ δέ τισ ἀρχὸσ ἀνὴρ βουληΦόροσ ἔστω.
148 τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ϝιδὼν προσέΦη πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
„ὤ μοι ἀναιδείην ἐπιϝειμένε, κερδαλεόΦρον,
150 πῶσ τίσ τοι πρόΦρων ϝέπεσιν πείθηται 'Αχαιῶν
ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἠ' ἀνδράσι ϝῖΦι μάχεσθαι!
οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων ἕνεκ' ἤλυθον αἰχμητάων
δεῦρο μαχεσσόμενοσ, ἐπεὶ οὔ τί μοι αἴτιοί εἰσι·

οὐ γάρ πώ ποτ' ἐμὰσ βοῦσ ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππουσ,
οὐδέ ποτ' ἐν Φθίηι ἐριβώλακι βοτιανείρηι
καρπὸν ἐδηλήσαντ', ἐπεὶ ἦ μάλα πολλὰ μεσηγύ.
οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ϝηχήεσσα·
ἀλλὰ σοί, ὦ μέγ' ἀναιδέσ, ἅμ' ἑσπόμεθ', ὄφρα σὺ χαίρηισ,
τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάωι σοί τε, κυνῶπα,
πρὸσ Τρώων. τῶν οὔ τι μετατρέπὲ οὐδ' ἀλεγίζεισ·
καὶ δή μοι γέρασ αὐτὸσ ἀφαιρήσεσθαι ἀπειλεῖσ,
ὧι ἔπι πόλλ' ἐμόγησα, 'δόσαν δέ μοι υἷεσ 'Αχαιῶν.
οὐ μὲν σοί ποτε ϝῖσον ἔχω γέρασ, ὁππότ' 'Αχαιοὶ
Τρώων ἐκπέρσωσ' εὖ ναιόμενον πτολίεθρον·
ἀλλὰ τὸ μὲν πλεῖον πολυάϊκοσ πολέμοιο
χεῖρεσ ἐμαὶ διέπουσ', ἀτὰρ εἴ ποτε δασμὸσ ἵκηται,
σοὶ τὸ γέρας πολὺ μεῖζον, ἐγὼ δ' ὀλίγον τε φίλον τε
ἔρχομ' ἔχων ἐπὶ νῆασ, ἐπεί κε κάμω πολεμίζων.
νῦν δ' εἶμι Φθίηνδ', ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερόν ἐστι
ϝοίκαδ' ἴμεν σὺν νηυσὶ κορωνίσιν, οὐδέ σ' ὀίω
ἐνθάδ' ἄτιμοσ ἐὼν ἄφενοσ καὶ πλοῦτον ἀφύξειν."
τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα ϝάναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων·
„Φεῦγε μάλ', εἴ τοι θυμὸσ ἐπέσσυται· οὐδέ σ' ἐγώ γε
λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν. παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι
οἵ κέ με τιμήσωσι, μάλιστα δὲ μητιέτα Ζεύσ.
176 ἔχθιστοσ δέ μοί ἐσσι διοτρεφέων βασιλήων.
178 εἰ μάλα καρτερόσ ἐσσι, θεόσ ποθι σοὶ τό γ' ἔδωκε.
ϝοίκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῆισ καὶ σοῖσ' ἑτάροισι
Μυρμιδόνεσσι ϝάνασσε· σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
οὐδ' ὄθομαι κοτέοντοσ. ἀπειλήσω δέ τοι ὧδε·
ὡσ ἔμ' ἀφαιρέεται Χρυσηΐδα Φοῖβοσ 'Απόλλων,
τὴν μὲν ἐγὼ σὺν νηΐ τ' ἐμῆι καὶ ἐμοῖσ' ἑτάροισι
πέμψω, ἐγὼ δέ κ' ἄγω Βρισηΐδα καλλιπάρηιον
αὐτὸσ ἰὼν κλισίηνδε, τεὸν γέρασ, ὄφρ' ἐὺ ϝείδηισ
ὅσσον φέρτερόσ εἰμι σέθεν, στυγέηι δὲ καὶ ἄλλοσ
ϝῖσον ἐμοὶ φάσθαι καὶ ὁμοιωθήμεναι ἄντην."
ὣσ 'φάτο. Πηλεΐωνι δ' ἄχοσ 'γένετ', ἐν δέ ϝοι ἦτορ
στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα 'μερμήριξε,
ἢ ὅ γε φάσγανον ὀξὺ ϝερυσσάμενοσ παρὰ μηροῦ
τοὺσ μὲν ἀναστήσειεν, ὃ δ' 'Ατρεΐδην ἐναρίζοι,
ἠὲ χόλον παύσειεν ἐρητύσειέ τε θυμόν.

ἧοσ ὃ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
εἵλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφοσ, ἦλθε δ' Ἀθήνη
οὐρανόθεν· πρὸ γὰρ ἧκε θεὰ λευκώλενοσ Ἥρη,
ἄμφω ὁμῶσ θυμῶι φιλέουσά τε κηδομένη τε.
'στῆ δ' ὄπιθε, ξανθῆσ δὲ κόμησ ἕλε Πηλεΐωνα,
οἴωι φαινομένη, τῶν δ' ἄλλων οὔ τισ ὁρᾶτο.
'θάμβησεν δ' Ἀχιλεύσ, μετὰ δ' ἐτράπετ', αὐτίκα δ' ἔγνω
Παλλάδ' Ἀθηναίην, — δϝεινὼ δέ ϝοι ὄσσ' ἐφάενθεν, —
καί μιν φωνήσασ ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα·
„τίπτ' αὖτ', αἰγιόχοιο Διὸσ τέκοσ, εἰλήλουθασ;
ἦ ἵνα ϝέργα ϝίδηισ Ἀγαμέμνονοσ Ἀτρεΐδαο;
ἀλλ' ἔκ τοι ϝερέω, τὸ δὲ καὶ τελέεσθαι ὀίω·
ϝῆι ὑπεροπλίηι τάχα κέν ποτε θυμὸν ὀλέσσηι."
τὸν δ' αὖτε προσέϝειπε θεὰ γλαυκῶπισ Ἀθήνη·
„ἦλθον ἐγὼ παύσουσα τεὸν μένοσ, αἴ κε πίθηαι,
οὐρανόθεν· πρὸ δέ μ' ἧκε θεὰ λευκώλενοσ Ἥρη,
ἄμφω ὁμῶσ θυμῶι φιλέουσά τε κηδομένη τε,
ἀλλ' ἄγε λῆγ' ἔριδοσ, μηδὲ ξίφοσ ἕλκεο χειρί·
ἀλλ' ἦ τοι ϝέπεσιν μὲν ὀνείδισον, ὡσ ἔσεταί περ.
ὧδε γὰρ ἐκϝερέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται·
καί ποτέ τοι τρὶσ τόσσα παρέσσεται ἀγλαὰ δῶρα
ὕβριοσ εἵνεκα τῆσδε· σὺ δ' ἴσχεο, πείθεο δ' ἡμῖν."
τὴν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε, θεά, ϝέποσ εἰρύσσασθαι,
καὶ μάλα περ θυμῶι κεχολωμένον· ὣσ γὰρ ἄμεινον.
ὅσ κε θεοῖσ' ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ."
ἦ, καὶ ἐπ' ἀργυρέηι κώπηι 'σχέθε χεῖρα βαρεῖαν,
ἂψ δ' εἰσ κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφοσ, οὐδ' ἀπίθησε
μύθωι Ἀθηναίησ' ἡ δ' Οὔλυμπόνδ' ἐβεβήκει
δώματ' ἔσ αἰγιόχοιο Διὸσ μετὰ δαίμονασ ἄλλουσ.
Πηλεΐδησ δ' ἐξαῦτισ ἀταρτηροῖσι ϝέπεσσι
Ἀτρεΐδην προσέϝειπε, καὶ οὔ πω 'λῆγε χόλοιο·
„ϝοινοβαρέσ, κυνὸσ ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο,
οὔτε ποτ' εἰσ πόλεμον ἅμα λαῶι θωρηχθῆναι
οὔτε λόχονδ' ἴμεναι σὺν ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν
τέτληκασ θυμῶι. τὸ δέ τοι κὴρ ϝείδεται εἶναι.
ἦ πολὺ λώϊόν ἐστι κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν
δῶρ' ἀποαίνυσθαι, ὅσ τισ σέθεν ἀντία ϝείπηι.

δημοβόροσ βασιλεύσ! ἐπεὶ οὐτιδανοῖσι ϝανάσσεισ·
ἦ γάρ κ', Ἀτρεΐδη, νῦν ὕστατα λωβήσαιο.
ἀλλ' ἔκ τοι ϝερέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι·
ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, — τὸ μὲν οὔ ποτε Φύλλα καὶ ὄζουσ
Φύσει, ἐπεὶ δὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπε,
οὐδ' ἀναθηλήσει, περὶ γάρ ῥά ϝε χαλκὸσ ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ Φλοιόν, νῦν αὖτέ μιν υἷεσ Ἀχαιῶν
ἐν παλάμηι Φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστασ
πρὸσ Διὸσ εἰρύαται· ὃ δέ τοι μέγασ ἔσσεται ὅρκοσ· —
ἦ ποτ' Ἀχιλλῆοσ ποθὴ ἵξεται υἷασ Ἀχαιῶν
σύμπαντασ. τότε δ' οὔ τι δυνήσεαι ἀχνύμενόσ περ
χραισμέμεν', εὖτέ κε πολλοὶ ὑφ' Ἕκτοροσ ἀνδροφόνοιο
θνήισκοντεσ πίπτωσι· σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεισ
χωόμενοσ, ὅ τ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὔ τι ἔτισασ."
ὣσ Φάτο Πηλεΐδησ, ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίηι
χρυσείοισ' ἥλοισι πεπαρμένον, ἕζετο δ' αὐτόσ·
Ἀτρεΐδησ δ' ἑτέρωθεν ἐμήνιε. τοῖσι δὲ Νέστωρ
ϝηδυεπὴσ ἀνόρουσε, λιγὺσ Πυλίων ἀγορητήσ,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσησ μέλιτοσ γλυκίων ῥέεν αὐδή.
τῶι δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ ϝοι πρόσθεν ἅμ' ἔτραφον ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλωι ἠγαθέηι, μετὰ δὲ τριτάτοισ' ἐϝάνασσε.
ὅ σφιν ἐὺ Φρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέϝειπε·
„ὦ πόποι. ἦ μέγα πένθοσ Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει.
ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμοσ Πριάμοιό τε παῖδεσ,
ἄλλοι τε Τρῶεσ μέγα κεν κεχαροίατο θυμῶι,
εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιιν,
οἳ περὶ μὲν βουλὴν Δαναῶν, περὶ δ' ἐστὲ μάχεσθαι.
ἀλλὰ πίθεσθ'· ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο.
ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέ περ ὔμιν
ἀνδράσιν ὡμίλησα, καὶ οὔ ποτέ μ' οἵ γ' ἀθέριζον.
οὐ γάρ πω τοίουσ ϝίδον ἀνέρασ, οὐδὲ ϝίδωμαι,
οἷον Πειρίθοόν τε Δρύαντά τε, ποιμένα λαῶν,
264 Καινέα τ' Ἐξάδιόν τε καὶ ἀντίθεον Πολύφημον.
266 κάρτιστοι δὴ κεῖνοι ἐπιχθονίων τράφον ἀνδρῶν·
κάρτιστοι μὲν ἔσαν καὶ καρτίστοισ' ἐμάχοντο,
Φηρσὶν ὀρεσκοίοισι, καὶ ἐκπάγλωσ ἀπόλεσσαν.
καὶ μὲν τοῖσιν ἐγὼ μεθομίλεον ἐκ Πύλου ἐλθών,

τηλόθεν ἐξ ἀπίησ γαίησ, — 'καλέσαντο γὰρ αὐτοί, —
καὶ 'μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτὸν ἐγώ. κείνοισι δέ κ' οὔ τισ
τῶν οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι μαχέσαιτο.
καὶ μέν μευ βουλέων ξύνιεν 'πείθοντό τε μύθωι.
ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμεσ, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.
μήτε σὺ τόνδ', ἀγαθόσ περ ἐών, ἀποαίνυσο κούρην,
ἀλλ' ἔα', ὥσ ϝοι πρῶτα 'δόσαν γέρασ υἷεσ 'Αχαιῶν,
μήτε σύ, Πηλεΐδη, θέλ' ἐριζέμεναι βασιλῆϊ
ἀντιβίην· ἐπεὶ οὔ ποθ' ὁμοίησ ἔμμορε τιμῆσ
σκηπτόοχοσ βασιλεύσ, ὧι τε Ζεὺσ κῦδοσ ἔδωκε.
εἰ δὲ σὺ καρτερόσ ἐσσι, θεὰ δέ σε 'γείνατο μήτηρ,
ἀλλ' ὅδε φέρτερόσ ἐστιν, ἐπεὶ πλεόνεσσι ϝανάσσει.
'Ατρεΐδη, σὺ δὲ παῦε τεὸν μένοσ· αὐτὰρ ἐγώ γε
λίσσομ' 'Αχιλλῆϊ μεθέμεν χόλον. ὃσ μέγα πᾶσι
ἕρκοσ 'Αχαιοῖσιν πέλεται πολέμοιο κακοῖο."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη κρείων 'Αγαμέμνων·
„ναὶ δὴ ταῦτά γε πάντα, γέρον, κατὰ μοῖραν ἔϝειπεσ.
ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων·
πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πᾶσιν δὲ ϝανάσσειν,
πᾶσι δὲ σημαίνειν, ἅ τιν' οὐ πείσεσθαι ὀίω.
εἰ δέ μιν αἰχμητὴν ἔθεσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντεσ,
τούνεκά ϝοι προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι;"
τὸν δ' ἄρ' ὑποβλήδην ἠμείβετο δῖοσ 'Αχιλλεύσ.
„ἦ γάρ κε δϝειλόσ τε καὶ οὐτιδανὸσ καλεοίμην,
εἰ σοὶ πᾶν ϝέργον ὑποϝείξομαι, ὅττι κε ϝείπηισ.
ἄλλοισιν δὴ ταῦτ' ἐπιτέλλεο, μὴ γὰρ ἐμοί γε.
ἄλλο δέ τοι ϝερέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῆισι
χερσὶ μὲν οὔ τοι ἐγώ γε μαχέσσομαι εἵνεκα κούρησ,
οὔτε σοὶ οὔτε τιν' ἄλλωι, ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντεσ·
τῶν δ' ἄλλων ἅ μοί ἐστι θοῆι παρὰ νηῒ μελαίνηι,
τῶν οὔ κέν τι φέροισ ἀνελὼν ἀϝέκοντοσ ἐμεῖο.
εἶ ἄγε μήν, πείρησαι, ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε·
αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί."
ὣσ τώ γ' ἀντιβίοισι μαχεσσαμένω ϝεπέεσσι
ἀνστήτην, 'λῦσαν δ' ἀγορὴν παρὰ νηυσὶν 'Αχαιῶν.
Πηλεΐδησ μὲν ἐπὶ κλισίασ καὶ νῆασ ἐΐσασ
ἤϊε σύν τε Μενοιτιάδηι καὶ ϝοῖσ' ἑτάροισι,
'Ατρεΐδησ δ' ἄρα νῆα θοὴν ἅλαδε προϝέρυσσε,

ἐν δ' ἐρέτασ ἔκρινεν ἐϝείκοσιν, εἰσ δ' ἑκατόμβην
'βῆσε θεῶι, ἀνὰ δὲ Χρυσηΐδα καλλιπάρηιον
εἷσεν ἄγων· ἐν δ' ἀρχὸσ ἔβη πολύμητισ 'Οδυσσεύσ.
οἳ μὲν ἔπειτ' ἀναβάντεσ ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα,
λαοὺσ δ' 'Ατρεΐδησ ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγε.
οἳ δ' ἀπελυμαίνοντο καὶ εἰσ ἅλα λύματ' ἔβαλλον,
'ϝέρδον δ' 'Απόλλωνι τελειέσσασ ἑκατόμβασ
ταύρων ἠδ' αἰγῶν παρὰ θῖν' ἁλὸσ ἀτρυγέτοιο·
κνίση δ' οὐρανὸν ἷκε ϝελισσομένη περὶ καπνῶι.
ὣσ οἳ μὲν τὰ 'πένοντο κατὰ στρατόν· οὐδ' 'Αγαμέμνων
'λῆγ' ἔριδοσ, τὴν πρῶτον ἐπηπείλησ' 'Αχιλῆϊ,
ἀλλ' ὅ γε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέϝειπε,
τώ ϝοι ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε·
„ἔρχεσθον κλισίην Πηληϊάδα' 'Αχιλῆοσ,
χειρὸσ ἑλόντ' ἀγέμεν Βρισηΐδα καλλιπάρηιον.
εἰ δέ κε μὴ δώηισιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸσ ἕλωμαι
ἐλθὼν σὺν πλεόνεσσι· τό ϝοι καὶ ῥίγιον ἔσται."
ὣσ ϝειπὼν προΐει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε.
τὼ δ' ἀϝέκοντ' ἐβάτην παρὰ θῖν' ἁλὸσ ἀτρυγέτοιο,
Μυρμιδόνων δ' ἐπί τε κλισίασ καὶ νῆασ ἱκέσθην.
τὸν δ' ηὗρον παρά τε κλισίηι καὶ νηῒ μελαίνηι
ἥμενον, οὐδ' ἄρα τώ γε ϝιδὼν 'γήθησεν 'Αχιλλεύσ.
τὼ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένω βασιλῆα
'στήτην, οὐδέ τί μιν προσεΦώνεον οὐδ' ἐρέοντο·
αὐτὰρ ὃσ ἔγνω ϝῆισιν ἐνὶ Φρεσί, 'Φώνησέν τε·
„χαίρετε κήρυκεσ, Διὸσ ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν·
ἆσσον ἴτ'· οὔ τί μοι ὔμεσ ἐπαίτιοι, ἀλλ' 'Αγαμέμνων,
ὃ σΦῶϊ προΐει Βρισηΐδοσ εἵνεκα κούρησ.
ἀλλ' ἄγε, διογενὲσ Πατρόκλεεσ, ἔξαγε κούρην
καὶ σΦωϊν δὸσ ἄγειν. τὼ δ' αὐτὼ μάρτυροι ἔστων
πρόσ τε θεῶν μακάρων πρόσ τε θνητῶν ἀνθρώπων
καὶ πρὸσ τοῦ βασιλῆοσ ἀπηνέοσ, εἴ ποτε δ' αὖτε
χρηὼ ἐμεῖο γένηται ἀϝεικέα λοιγὸν ἀμῦναι
τοῖσ' ἄλλοισ'· ἦ γὰρ ὅ γ' ὀλοιῆισι Φρεσὶ θυίει,
οὐδέ τι ϝοῖδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω,
ὅππωσ ϝοι παρὰ νηυσὶ σάοι μαχέονται 'Αχαιοί."
ὣσ 'Φάτο, Πάτροκλοσ δὲ Φίλωι ἐπεπείθεθ' ἑταίρωι,
ἐκ δ' ἄγαγε κλισίησ Βρισηΐδα καλλιπάρηιον,

'δῶκε δ' ἄγειν. τὼ δ' αὖτισ ἴτην παρὰ νῆασ 'Αχαιῶν,
ἣ δ' ἀϝέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ 'κίεν. αὐτὰρ 'Αχιλλεὺσ
δακρύσασ ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείσ,
θῖν' ἔφ' ἁλὸσ πολιῆσ, ὁράων ἐπὶ ϝοίνοπα πόντον·
πολλὰ δὲ μητρὶ φίληι ἠρήσατο χεῖρασ ὀρεγνύσ·
„μῆτερ ἐπεί μ' ἔτεκέσ γε μινυνθάδιόν περ ἐόντα,
τιμήν πέρ μοι ὄφειλεν 'Ολύμπιοσ ἐγγυαλίξαι,
Ζεὺσ ὑψιβρεμέτησ· νῦν δ' οὐδέ με τυτθὸν ἔτισε.
ἦ γάρ μ' 'Ατρεΐδησ εὐρὺ κρείων 'Αγαμέμνων
ἠτίμασσεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρασ αὐτὸσ ἀποϝράσ."
ὣσ 'φάτο δάκρυ χέων, τοῦ δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ,
ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸσ παρὰ πατρὶ γέροντι.
καρπαλίμωσ δ' ἀνέδυ πολιῆσ ἁλὸσ ἠύτ' ὀμίχλη,
καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο δάκρυ χέοντοσ,
χειρί τέ μιν κατέρεξε, ϝέποσ τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζε·
„τέκνον, τί κλαίεισ; τί δέ σε φρένασ ἵκετο πένθοσ;
ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόωι, ἵνα ϝείδομεν ἄμφω."
τὴν δὲ βαρὺ στενάχων προσέφη πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
„ϝοῖσθα· τίη τοι ταῦτα ϝιδυίηι πάντ' ἀγορεύω;
ὠιχόμεθ' εἰσ Θήβην, ἱερὴν πόλιν 'Ηετίωνοσ,
τὴν δὲ διεπράθομέν τε καὶ ἤγομεν ἐνθάδε πάντα.
καὶ τὰ μὲν εὖ 'δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷεσ 'Αχαιῶν,
ἐκ δ' ἕλον 'Ατρεΐδηι Χρυσηΐδα καλλιπάρηιον.
Χρύσησ δ' αὖθ', ἱερεὺσ ϝεκατηβόλου 'Απόλλωνοσ,
ἦλθε θοὰσ ἐπὶ νῆασ 'Αχαιῶν χαλκοχιτώνων,
λυσόμενόσ τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα,
στέμμα τ' ἔχων ἐν χερσὶ ϝεκηβόλου 'Απόλλωνοσ
χρυσέωι ἂν σκήπτρωι, καὶ 'λίσσετο πάντασ 'Αχαιούσ,
'Ατρεΐδα δὲ μάλιστα δύω, κοσμήτορε λαῶν.
ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντεσ ἐπηυφήμησαν 'Αχαιοὶ
αἴδεσθαί θ' ἱερῆα καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα,
ἀλλ' οὐκ 'Ατρεΐδηι 'Αγαμέμνονι 'ϝάνδανε θυμῶι,
ἀλλὰ κακῶσ ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε.
χωόμενοσ δ' ὁ γέρων πάλιν ὤιχετο, τοῖο δ' 'Απόλλων
εὐξαμένοι' ἤκουσεν, ἐπεὶ μάλα ϝοι φίλοσ ἦεν,
ἧκε δ' ἐπ' 'Αργείοισι κακὸν βέλοσ· οἳ δέ νυ λαοὶ
'θνῆισκον ἐπασσύτεροι, τὰ δ' ἐπώιχετο κῆλα θεοῖο
πάντηι ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν 'Αχαιῶν. ἧμι δὲ μάντισ

εὖ ϝειδὼσ ἀγόρευε θεοπροπίασ ϝεκάτοιο.
αὐτίκ' ἐγὼ πρῶτοσ 'κελόμην θεὸν ἱλάσκεσθαι·
'Ατρεΐωνα δ' ἔπειτα χόλοσ 'λάβεν, αἶψα δ' ἀναστὰσ
ἠπείλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένοσ ἐστί.
τὴν μὲν γὰρ σὺν νηῒ θοῆι ϝελίκωπεσ 'Αχαιοὶ
εἰσ Χρύσην πέμπουσιν, ἄγουσι δὲ δῶρα ϝάνακτι·
τὴν δὲ νέον κλισίηθεν ἔβαν κήρυκεσ ἄγοντεσ
κούρην Βρισῆοσ, τήν μοι 'δόσαν υἷεσ 'Αχαιῶν.
ἀλλὰ σύ, εἰ δύνασαί γε, περισχέο παιδὸσ ἑῆοσ·
ἐλθοῦσ' Οὔλυμπόνδε Δία λίσαι, εἴ ποτε δή τι
ἢ ϝέπε' ὤνησασ κραδίην Διὸσ ἠέ τι ϝέργωι.
πολλάκι γάρ σεο πατρὸσ ἐνὶ μεγάροισιν ἄκουσα
εὐχομένησ, ὅτ' ἔφησθα κελαινεφέι Κρονίωνι
οἴη ἐν ἀθανάτοισιν ἀϝεικέα λοιγὸν ἀμῦναι,
ὁππότε μιν ξυνδῆσαι 'Ολύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,
Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰσ 'Αθήνη.
ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐλθοῦσα, θεά, ὑπελύσαο δεσμῶν,
ὦχ' ἑκατόγχειρα καλέσασ' εἰσ μακρὸν Ὄλυμπόν, —
ὃν Βριάρην καλέουσι θεοί, ἄνδρεσ δέ τε πάντεσ
Αἰγαίων' — ὃ γὰρ αὖτε βίηι τοῦ πατρὸσ ἀμείνων.
ὅσ ῥα παρὰ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων.
τὸν καὶ ὑπέδϝεισαν μάκαρεσ θεοί, οὐδέ ϝ' ἔδησαν.
τῶν νῦν μιν μνήσασα παρέζεο καὶ λαβὲ γούνων,
αἴ κέν πωσ ἐθέληισιν ἐπὶ Τρώεσσιν ἀρῆξαι,
τοὺσ δὲ κατὰ πρύμνασ τε καὶ ἀμφ' ἅλα ϝέλσαι 'Αχαιοὺσ
κτεινομένουσ, ἵνα πάντεσ ἐπαύρωνται βασιλῆοσ,
γνώηι δ' 'Ατρεΐδησ εὐρὺ κρείων 'Αγαμέμνων
ϝὴν ἀάτην, ὅ τ' ἄριστον 'Αχαιῶν οὔ τι ἔτισε."
  τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα Θέτισ κατὰ δάκρυ χέουσα·
„ὤ μοι τέκνον ἐμόν, τί νύ σ' ἔτρεφον αἰνὰ τεκοῦσα;
αἴθ' ὄφελεσ παρὰ νηυσὶν ἀδάκρυτοσ καὶ ἀπήμων
ἧσθαι, ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, οὔ τι μάλα δϝήν.
νῦν δ' ἅμα τ' ὠκύμοροσ καὶ ὀιζυρὸσ περὶ πάντων
ἔπλεο· τῶι σε κακῆι αἴσηι 'τέκον ἐν μεγάροισι.
τοῦτο δέ τοι ϝερέουσα ϝέποσ Διὶ τερπικεραύνωι
εἶμ' αὐτὴ πρὸσ Ὄλυμπον ἀγάννιφον, αἴ κε πίθηται.
ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν νηυσὶ παρήμενοσ ὠκυπόροισι
μήνι' 'Αχαιοῖσιν, πολέμου δ' ἀποπαύεο πάμπαν.

Ζεὺσ γὰρ ἐσ 'Ωκεανὸν μετ' ἀμύμονασ Αἰθιοπῆασ
χθιζὸσ ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντεσ ἕποντο·
δωδεκάτηι δέ τοι αὖτισ ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε,
καὶ τότ' ἔπειτά τοι εἶμι Διὸσ ποτὶ χαλκοβατὲσ δῶ,
καί μιν γουνάσομαι, καί μιν πείσεσθαι ὀίω."
ὣσ ἄρα φωνήσασ' ἀπεβήσετο, τὸν δ' ἔλιπ' αὖθι
χωόμενον κατὰ θυμὸν εὐζώνοιο γυναικόσ,
τήν ῥα βίηι ἀϝέκοντα ἀπέϝραον. αὐτὰρ 'Οδυσσεὺσ
εἰσ Χρύσην ἵκανεν ἄγων ἱερὴν ἑκατόμβην.
οἳ δ' ὅτε δὴ λιμένοσ πολυβενθέοσ ἐντὸσ ἵκοντο,
ἱστία μὲν 'στεῖλάν τε 'θέσαν τ' ἐν νηῒ μελαίνηι,
ἱστὸν δ' ἱστοδόκηι 'πέλασαν προτόνοισιν ὑφέντεσ
καρπαλίμωσ, τὴν δ' εἰσ ὅρμον προέρεσσαν ἐρετμῶι.
ἐκ δ' εὐνὰσ ἔβαλον, κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν,
ἐκ δὲ καὶ αὐτοὶ ἔβαινον ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσησ,
ἐκ δ' ἑκατόμβην 'βῆσαν ἑκηβόλωι 'Απόλλωνι,
ἐκ δὲ Χρυσηῒσ νηὸσ 'βῆ ποντοπόροιο.
τὴν μὲν ἔπειτ' ἐπὶ βωμὸν ἄγων πολύμητισ 'Οδυσσεὺσ
πατρὶ φίλωι ἐν χέρσ' ἐτίθει, καί μιν προσέϝειπε·
„ὦ Χρύση, πρό μ' ἔπεμψε ϝάναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων
παῖδά τε σοὶ ἀγέμεν, Φοίβωι θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἱλασόμεσθα ϝάνακτα,
ὃσ νῦν 'Αργείοισι πολύστονα κήδε' ἐφῆκε."
ὣσ ϝειπών ϝ' ἐν χέρσ' ἐτίθει, ὃ δ' ἐδέξατο χαίρων
παῖδα φίλην. τοὶ δ' ὦκα θεῶι ἱερὴν ἑκατόμβην
ἑξείησ ἔστησαν ἐὺ δμητὸν περὶ βωμόν,
'χερνίψαντο δ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτασ ἀνέλοντο.
τοῖσιν δὲ Χρύσησ μεγάλ' ηὔχετο, χεῖρασ ἀνασχών·
„κλῦθί μοι ἀργυρότοξ' ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ϝῖφι ϝανάσσεισ·
ἠμὲν δή ποτ' ἐμεῖο πάροσ 'κλύεσ εὐξαμένοιο,
'τίμησασ μὲν ἐμέ, μέγα δ' ἴψαο λαὸν 'Αχαιῶν,
ἠδ' ἔτι καὶ νῦν μοι τόδ' ἐπικρήηνον ἐϝέλδωρ·
ἤδη νῦν Δαναοῖσιν ἀϝεικέα λοιγὸν ἄμυνον."
ὣσ ἔφατ' εὐχόμενοσ, τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβοσ 'Απόλλων.
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ηὔξαντο καὶ οὐλοχύτασ προβάλοντο,
ἀϝϝέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
μηρούσ τ' ἐξέταμον κατά τε κνίσηι ἐκάλυψαν

δίπτυχα ποιήσαντεσ, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.
'καῖε δ' ἐπὶ σχίζηισ' ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα ϝοῖνον
'λεῖβε· νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσί.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
'μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
ὤπτησάν τε περιφραδέωσ, ϝερύσαντό τε πάντα.
αὐτὰρ ἐπεὶ 'παύσαντο πόνου 'τετύκοντό τε δαῖτα,
'δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸσ ἐδεύετο δαιτὸσ ἐϝίσησ.
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιοσ καὶ ἐδητύοσ ἐξ ἔρον εἶντο,
κοῦροι μὲν κρητῆρασ ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
'νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσι,
οἳ δὲ πανημέριοι μολπῆι θεὸν ἱλάσκοντο,
καλὸν ἀείδοντεσ παιήονα, κοῦροι 'Αχαιῶν.
ἦμοσ δ' ἠέλιοσ κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφασ ἦλθε,
δὴ τότ' ἐκοιμήσαντο παρὰ πρυμνήσια νηόσ.
ἦμοσ δ' ἠριγένεια 'φάνη ῥοδοδάκτυλοσ 'Ηώσ,
καὶ τότ' ἔπειτ' ἀνάγοντο μετὰ στρατὸν εὐρὺν 'Αχαιῶν·
τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ϝεκάϝεργοσ 'Απόλλων.
οἳ δ' ἱστὸν 'στήσαντ', ἀνά θ' ἱστία λεύκ' ἐπέτασσαν·
ἐν δ' ἄνεμοσ 'πρῆσεν μέσον ἱστίον, ἀμφὶ δὲ κῦμα
στείρηι πορφύρεον μέγ' ἐϝίϝαχε νηὸσ ἰούσησ.
ἣ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα διαπρήσσουσα κέλευθον.
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκοντο κατὰ στρατὸν εὐρὺν 'Αχαιῶν,
νῆα μὲν οἵ γε μέλαιναν ἐπ' ἠπείροι' ἐϝέρυσσαν
ὑψόθ' ἐπὶ ψαμάθοισ', ὑπὸ δ' ἕρματα μάκρ' ἐτάνυσσαν,
αὐτοὶ δ' ἐσκίδναντο κατὰ κλισίασ τε νέασ τε.
 αὐτὰρ ὃ 'μήνιε νηυσὶ παρήμενοσ ὠκυπόροισι,
διογενὴσ Πηλῆοσ υἱόσ, πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
οὔτε ποτ' εἰσ ἀγορὴν 'πωλέσκετο κυδιάνειραν
οὔτε ποτ' εἰσ πόλεμον, ἀλλ' ἐφθινύθεσκε φίλον κῆρ
αὖθι μένων, 'ποθέεσκε δ' ἀυτήν τε πτόλεμόν τε.
 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη 'γένετ' ἠώσ,
καὶ τότε δὴ πρὸσ Ὄλυμπον ἴσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντεσ
πάντεσ ἅμα, Ζεὺσ δ' ἦρχε. Θέτισ δ' οὐ 'λήθετ' ἐφετμῆσ
παιδὸσ ἑϝοῖ, ἀλλ' ἥ γ' ἀνεδύσετο κῦμα θαλάσσησ,
ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν Οὔλυμπόν τε
ηὗρεν δ' εὐρύϝοπα Κρονίδην ἄτερ ἥμενον ἄλλων
ἀκροτάτηι κορυφῆι πολυδειράδοσ Οὐλύμποιο.

καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ 'λάβε γούνων
σκαιῆι, δεξιτερῆι δέ ϝ' ὑπ' ἀνθερεῶνοσ ἑλοῦσα
λισσομένη προσέϝειπε Δία Κρονίωνα ϝάνακτα·
„Ζεῦ πάτερ, εἴ ποτε δή σε μετ' ἀθανάτοισιν ὄνησα
ἢ ϝέπε' ἢ ϝέργωι, τὸ δέ μοι κρήηνον ἐϝέλδωρ·
υἱόν μοι τίμησον, ὃσ ὠκυμορώτατοσ ἄλλων
ἔπλετ'· ἀτάρ μιν νῦν γε ϝάναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων
ἠτίμασσεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρασ αὐτὸσ ἀποϝράσ.
ἀλλὰ σύ πέρ μιν τῖσον, 'Ολύμπιε μητιέτα Ζεῦ·
τόφρα δ' ἐπὶ Τρώεσσι τίθει κράτοσ, ὄφρα κ' 'Αχαιοὶ
υἱὸν ἐμὸν τίσωσιν, ὀφέλλωσίν τέ ϝε τιμῆι."
ὣσ 'φάτο· τὴν δ' οὔ τι προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύσ,
ἀλλ' ἀκέων δϝὴν ἧστο. Θέτισ δ' ὡσ ἥψατο γούνων,
ὣσ ἔχετ' ἐμπεφυυῖα, καὶ εἴρετο δεύτερον αὖτισ·
„νημερτὲσ μὲν δή μοι ὑποσχέο καὶ κατάνευσον,
ἢ ἀπόϝειπ' — ἐπεὶ οὔ τοι ἔπι δϝέοσ, — ὄφρ' ἐὺ ϝείδω
ὅσσον ἐγὼ μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη θεόσ εἰμι."
τὴν δὲ μέγ' ὀχθήσασ προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύσ·
„ἦ δὴ λοίγια ϝέργ', ὅ τέ μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεισ
Ἥρηι, ὅτ' ἄν μ' ἐρέθηισιν ὀνειδείοισι ϝέπεσσι.
ἡ δὲ καὶ αὔτωσ μ' αἰὲν ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι
νεικεῖ, καί τέ μέ φησι μάχηι Τρώεσσιν ἀρήγειν.
ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖτισ ἀπόστιχε, μή τι νοήσηι
Ἥρη· ἐμοὶ δέ γε ταῦτα μελήσεται, ὄφρα τελέσσω.
εἶ δ' ἄγε τοι κεφαλῆι κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθηισ·
τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιστον
τέκμώρ· οὐ γὰρ ἐμὸν πάλιν ἀγρετὸν οὐδ' ἀπατηλὸν
οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ τί κεν κεφαλῆι κατανεύσω."
ἦ, καὶ κυανέηισιν ἐπ' ὀφρύσι 'νεῦσε Κρονίων·
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ϝάνακτοσ
κρατὸσ ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐϝέλιξεν Ὄλυμπον.
τώ γ' ὣσ βουλεύσαντε διέτμαγεν· ἡ μὲν ἔπειτα
εἰσ ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντοσ 'Ολύμπου,
Ζεὺσ δ' ἴε ϝὸν πρὸσ δῶμα. θεοὶ δ' ἅμα πάντεσ ἀνέσταν
ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸσ ἐναντίον· οὐδέ τισ ἔτλη
μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντεσ
ὣσ ὁ μὲν ἔνθα καθέζετ' ἐπὶ θρόνου· οὐδέ μιν Ἥρη
ἠγνοίησε ϝιδοῦσ' ὅτι ϝοι συμφράσσατο βουλὰσ

ἀργυρόπεζα Θέτισ, θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντοσ.
αὐτίκα κερτομίοισι Δία Κρονίωνα προσηύδα·
„τίσ δ' αὖ τοι, δολόμητι, θεῶν συμφράσσατο βουλάσ;
αἰεί τοι φίλον ἐστίν, ἐμεῖ' ἄπο νόσφιν ἐόντα
κρυπτάδια φρονέοντα δικαζέμεν'· οὐδέ τί πώ μοι
πρόφρων τέτληκασ ϝειπεῖν ϝέποσ ὅτι νοήσηισ."
τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·
„Ἥρη, μὴ δὴ πάντασ ἐμοὺσ ἐπιϝέλπεο μύθουσ
ϝειδήσειν· χαλεποί τοι ἔσοντ' ἀλόχωι περ ἐούσηι.
ἀλλ' ὃν μέν σ' ἐπιϝεικὲσ ἀκουέμεν', οὔ τισ ἔπειτα
οὔτε θεῶν πρότεροσ τὸν ϝείσεται οὔτ' ἀνθρώπων·
ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλωμι νοῆσαι,
μή τι σὺ ταῦτα ϝέκαστα διείρεο μηδὲ μετάλλα."
τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα βοῶπισ πότνια Ἥρη·
„αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔϝειπεσ;
καί λίην σε πάροσ γ' οὔτ' εἴρομαι οὔτε μεταλλῶ,
ἀλλὰ μάλ' εὔκηλοσ τὰ φράζεαι ἅσσ' ἐθέληισθα.
νῦν δ' αἰνῶσ δέδϝοικα κατὰ φρένα μή παρέϝειπε
ἀργυρόπεζα Θέτισ, θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντοσ·
ἠερίη γάρ σ' ἥ γε παρέζετο καὶ 'λάβε γούνων.
τῆι σ' ὀίω κατανεῦσαι ἐτήτυμον, ὡσ 'Αχιλῆα
τιμήσειϛ, ὀλέσεισ δὲ πολῦσ ἐπὶ νηυσὶν 'Αχαιῶν."
τὴν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύσ·
„δαιμονίη, αἰεὶ μὲν ὀίεαι, οὐδέ σε λήθω.
πρῆξαι δ' ἔμπησ οὔ τι δυνήσεαι, ἀλλ' ἀπὸ θυμοῦ
μᾶλλον ἐμοὶ ἔσεαι· τὸ δέ τοι καὶ ῥίγιον ἔσται.
εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστίν, ἐμοὶ μέλλει φίλον εἶναι.
ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο, ἐμῶι δ' ἐπιπείθεο μύθωι,
μή νύ τοι οὐ χραίσμωσιν ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν 'Ολύμπωι
ἄσσον ἐόνθ', ὅτε κέν τοι ἀάπτουσ χεῖρασ ἐφήω."
ὣσ ἔφατ', ἔδϝεισεν δὲ βοῶπισ πότνια Ἥρη,
καί ῥ' ἀκέουσα καθῆστο, ἐπιγνάμψασα φίλον κῆρ·
ὤχθησαν δ' ἀνὰ δῶμα Διὸσ θεοὶ Οὐρανίωνεσ.
τοῖσιν δ' Ἥφαιστοσ κλυτοτέχνησ ἦρχ' ἀγορεύειν,
μητρὶ φίληι ἐπὶ ϝῆρα φέρων, λευκωλένωι Ἥρηι·
„ἦ δὴ λοίγια ϝέργα τάδ' ἔσσεται οὐδ' ἔτ' ἀνεκτά,
εἰ δὴ σφῶ' ἕνεκα θνητῶν ἐριδαίνετον ὧδε,
ἐν δὲ θεοῖσι κολωιὸν ἐλαύνετον· οὐδέ τι δαιτὸσ

ἐσθλῆσ ἔσσεται ἦδοσ, ἐπεὶ τὰ χερείονα νικᾶι.
μητρὶ δ' ἐγὼ παράφημι, καὶ αὐτῆι περ νοεούσηι,
πατρὶ φίλωι ἐπὶ ϝῆρα φέρειν Διί, ὄφρα μὴ αὖτε
νεικείηισι πατήρ, σὺν δ' ἧμιν δαῖτα ταράξηι.
εἴ περ γάρ κ' ἐθέλησιν 'Ολύμπιοσ ἀστεροπητὴσ
ἐξ ἑδέων στυφελίξαι . . ., ὃ γὰρ πολὺ φέρτατόσ ἐστι.
ἀλλὰ σὺ τόν γε ϝέπεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσι·
αὐτίκ' ἔπειθ' ἵλαοσ 'Ολύμπιοσ ἔσσεται ἧμιν."
ὣσ ἄρ' ἔφη, καὶ ἀναΐξασ δέπασ ἀμφικύπελλον
μητρὶ φίληι ἐν χείρ' ἐτίθει, καί μιν προσέϝειπε·
„τέτλαθι, μῆτερ ἐμή, καὶ ἀνασχέο κηδομένη περ,
μή σε φίλην περ ἐοῦσαν ἐν ὀφθαλμοῖσι ϝίδωμαι
θεινομένην· τότε δ' οὔ τι δυνήσομαι ἀχνύμενόσ περ
χραισμέμεν', ἀργαλέοσ γὰρ 'Ολύμπιοσ ἀντιφέρεσθαι.
ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα
'ρῖψε, ποδὸσ τεταγών, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
πᾶν δ' ἦμαρ 'φερόμην, ἅμα δ' ἠελίωι καταδύντι
κάππεσον ἐν Λήμνωι, ὀλίγοσ δ' ἔτι θυμὸσ ἐνῆεν·
ἔνθα με Σίντιεσ ἄνδρεσ ἄφαρ 'κομίσαντο πεσόντα."
ὣσ 'φάτ', ἐμείδησεν δὲ θεὰ λευκώλενοσ "Ηρη,
μειδήσασα δὲ παιδὸσ ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον.
αὐτὰρ ὃ τοῖσ' ἄλλοισι θεοῖσ' ἐνδέξια πᾶσι
ϝοινοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆροσ ἀφύσσων.
ἄσβεστοσ δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλοσ μακάρεσσι θεοῖσι,
ὡσ 'ϝίδον "Ηφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα.
ὣσ τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐσ ἠέλιον καταδύντα
'δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸσ ἐδεύετο δαιτὸσ ἐϝίσησ,
οὐ μὲν φόρμιγγοσ περικαλλέοσ, ἣν ἔχ' 'Απόλλων,
Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ϝοπὶ καλῆι.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν φάοσ ἠελίοιο,
οἳ μὲν κακκείοντεσ ἔβαν ϝοῖκόνδε ϝέκαστοσ,
ἧχι ϝεκάστωι δῶμα περικλυτὸσ ἀμφιγυήεισ
"Ηφαιστοσ 'ποίησε ϝιδυίηισι πραπίδεσσι,
Ζεὺσ δὲ πρὸσ ὃν λέχοσ ἤϊ' 'Ολύμπιοσ ἀστεροπητήσ,
ἔνθα πάροσ 'κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺσ ὕπνοσ ἱκάνοι.
ἔνθα καθηῦδ' ἀναβάσ, παρὰ δὲ χρυσόθρονοσ "Ηρη.
B 1 *ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρεσ ἱπποκορυσταὶ*
ηὗδον παννύχιοι, Δία δ' οὐκ ἔχε ϝήδυμοσ ὕπνοσ,

ἀλλ' ὅ γ' ἐμερμήριζε κατὰ Φρένα ὡσ 'Αχιλῆα
τιμήσει', ὀλέσαι δὲ πολῦσ ἐπὶ νηυσὶν 'Αχαιῶν.
ἥδε δέ ϝοι κατὰ θυμὸν ἀρίστη 'Φαίνετο βουλή,
πέμψαι ἔπ' 'Ατρεΐδηι 'Αγαμέμνονι οὖλον "Ονειρον·
καί μιν Φωνήσασ ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα·
„βάσκ' ἴθι, οὖλοσ "Ονειρε· θοὰσ ἐπὶ νῆασ 'Αχαιῶν
ἐλθὼν εἰσ κλισίην 'Αγαμέμνονοσ 'Ατρεΐδαο
πάντα μάλ' ἀτρεκέωσ ἀγορευέμεν' ὡσ ἐπιτέλλω.
θωρῆξαί ϝε κέλευε κάρη κομάοντασ 'Αχαιοὺσ
πανσυδίηι· νῦν γάρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν
Τρώων, οὐ γὰρ ἔτ' ἀμΦὶσ 'Ολύμπια δώματ' ἔχοντεσ
ἀθάνατοι Φράζονται, ἐπέγναμψεν γὰρ ἅπαντασ
"Ηρη λισσομένη, Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐΦῆπται."
ὣσ 'Φάτ', ἔβη δ' ἄρ' "Ονειροσ, ἐπεὶ τὸν μῦθον ἄκουσε.
καρπαλίμωσ δ' ἵκανε θοὰσ ἐπὶ νῆασ 'Αχαιῶν,
'βῆ δ' ἄρ' ἐπ' 'Ατρεΐδην 'Αγαμέμνονα· τὸν δ' ἐκίχανε
εὕδοντ' ἐν κλισίηι, περὶ δ' ἀμβρόσιοσ 'κέχυθ' ὕπνοσ.
'στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεΦαλῆσ Νηλΐωι υἷι ϝεϝοικώσ,
Νέστορι, τόν ῥα μάλιστα γερόντων 'τῖ' 'Αγαμέμνων·
τῶι μιν ϝεισάμενοσ προσεΦώνεε θεῖοσ "Ονειροσ·
„εὕδεισ, 'Ατρέοσ υἱὲ δαΐΦρονοσ ἱπποδάμοιο;
οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληΦόρον ἄνδρα,
ὧι λαοί τ' ἐπιτετράΦαται καὶ τόσσα μέμηλε.
νῦν δ' ἐμέθεν ξύνεσ ὦκα· Διὸσ δέ τοι ἄγγελόσ εἰμι,
ὅσ σε' ἄνευθεν ἐὼν μέγα κήδεται ἠδ' ἐλεαίρει.
θωρῆξαί σ' ἐκέλευσε κάρη κομάοντασ 'Αχαιοὺσ
πανσυδίηι· νῦν γάρ κεν ἕλοισ πόλιν εὐρυάγυιαν
Τρώων, οὐ γὰρ ἔτ' ἀμΦὶσ 'Ολύμπια δώματ' ἔχοντεσ
ἀθάνατοι Φράζονται· ἐπέγναμψεν γὰρ ἅπαντασ
"Ηρη λισσομένη, Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐΦῆπται
ἐκ Διόσ. ἀλλὰ σὺ σῆισιν ἔχε Φρεσί, μηδέ σε λήθη
αἱρεέτω, ὅτε κέν σε μελίΦρων ὕπνοσ ἀνήηι."
ὣσ ἄρα Φωνήσασ ἀπεβήσετο, τὸν δ' ἔλιπ' αὖθι
τὰ Φρονέοντ' ἀνὰ θυμὸν ἅ ῥ' οὐ τελέεσθαι ἔμελλον.
'Φῆ γὰρ ὅ γ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνωι,
νήπιοσ, οὐδὲ τὰ 'ϝεῖδε' ἅ ῥα Ζεὺσ 'μήδετο ϝέργα·
θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεά τε στοναχάσ τε
Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι διὰ κρατερὰσ ὑσμίνασ.

ἤγρετο δ' ἐξ ὕπνου, θείη δέ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή·
ἕζετο δ' ὀρθωθείσ, μαλακὸν δ' ἐνέδυνε χιτῶνα,
καλὸν νηγάτεον, περὶ δὲ μέγα 'βάλλετο φᾶροσ·
ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν 'βάλετο ξίφοσ ἀργυρόηλον.
εἵλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον, ἄφθιτον αἰεί·
σὺν τῶι ἔβη κατὰ νῆασ 'Αχαιῶν χαλκοχιτώνων.
'Ηὼσ μέν ῥα θεὰ προσεβήσετο μακρὸν Ὄλυμπον
Ζηνὶ φάοσ ϝερέουσα καὶ ἄλλοισ' ἀθανάτοισι·
αὐτὰρ ὃ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισ' ἐκέλευσε
κηρύσσειν πόλεμόνδε κάρη κομάοντασ 'Αχαιούσ.
οἳ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.
οἳ δ' ἀμφ' 'Ατρεΐωνα διοτρεφέεσ βασιλῆεσ
'θῦνον κρίνοντεσ, μετὰ δὲ γλαυκῶπισ 'Αθήνη
αἰγίδ' ἔχουσ' ἐρίτιμον ἀγήραον ἀθανάτην τε·
τῆσ ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται,
πάντεσ εὐπλεκέεσ, ἑκατόμβοιοσ δὲ ϝέκαστοσ.
σὺν τῆι παιφάσσουσα διέσσυτο λαὸν 'Αχαιῶν
ὀτρύνουσ' ἴμεναι· ἐν δὲ σθένοσ ὦρσε ϝεκάστωι
καρδίηι, ἄλληκτον πολεμιζέμεν' ἠδὲ μάχεσθαι.
τοῖσι δ' ἄφαρ πόλεμοσ γλυκίων 'γένετ' ἠὲ νέεσθαι
ἐν νηυσὶ γλαφυρῆισι φίλην εἰσ πατρίδα γαῖαν.
ἠύτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
οὔρεοσ ἐν κορυφῆι, ϝέκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή,
ὣσ τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπεσίοιο
αἴγλη παμφανάουσα δι' αἰθέροσ οὐρανὸν ἷκε.
τῶν δ', ὥσ τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ϝέθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δολιχοδείρων,
'Ασίωι ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα
ἔνθα καὶ ἔνθα πέτονται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών,
ὣσ τῶν ϝέθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
εἰσ πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον· αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν
σμερδαλέον 'κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.
ἔσταν δ' ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίωι ἀνθεμόεντι
μυρίοι, ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρηι.
ἠύτε μυιάων ἁδινάων ϝέθνεα πολλά,
αἵ τε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσι

ὥρηι ϝεαρινῆι, ὅτε τε γλάγοσ ἄγγεα δεύει,
τόσσοι ἐπὶ Τρώεσσι κάρη κομάοντεσ Ἀχαιοὶ
ἐν πεδίωι ἵσταντο, διαρραῖσαι μεμαῶτεσ.
τοὺσ δ', ὥσ τ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρεσ
ῥεῖα διακρίνωσιν, ἐπεί κε νομῶι μιγέωσι,
ὥσ τοὺσ ἡγεμόνεσ διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα
ὑσμίνηνδ' ἴμεναι, μετὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων,
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ϝίκελοσ Διὶ τερπικεραύνωι,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
ἠύτε βοῦσ ἀγέληφι μέγ' ἔξοχοσ ἔπλετο πάντων,
ταῦροσ, ὃ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένηισι,
τοῖον ἄρ' Ἀτρεΐδην 'θῆκε Ζεὺσ ἤματι κείνωι,
ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσι.
Τρωσὶν δ' ἄγγελοσ ἦλθε ποδήνεμοσ ὠκέα Ϝῖρισ
πὰρ Διὸσ αἰγιόχοιο σὺν ἀγγελίηι ἀλεγεινῆι·
οἳ δ' ἀγορὰσ ἀγόρευον ἐπὶ Πριάμοιο θύρηισι
πάντεσ ὁμηγερέεσ, ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντεσ.
ἀγχόθι δ' ἱσταμένη προσέφη πόδασ ὠκέα Ϝῖρισ,
'ϝείσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτηι,
ὃσ Τρώων σκοπὸσ ἷζε, ποδωκείηφι πεποιθώσ,
τύμβωι ἔπ' ἀκροτάτωι Αἰσυήταο γέροντοσ,
δέγμενοσ ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί·
τῶι μιν ϝεισαμένη προσέφη πόδασ ὠκέα Ϝῖρισ·
„ὦ γέρον, αἰεί τοι μῦθοι φίλοι ἄκριτοί εἰσι,
ὥσ ποτ' ἐπ' εἰρήνησ· πόλεμοσ δ' ἀλίαστοσ ὄρωρε.
ἦ μὲν δὴ μάλα πολλὰ μάχασ εἰσήλυθον ἀνδρῶν,
ἀλλ' οὔ πω τοιόνδε τοσόνδε τε λαὸν ὄπωπα·
λίην γὰρ φύλλοισι ϝεϝοικότεσ ἢ ψαμάθοισι
ἔρχονται πεδίοιο μαχεσσόμενοι προτὶ ϝάστυ.
Ἕκτορ, σοὶ δὲ μάλιστ' ἐπιτέλλομαι, ὧδε δὲ ῥέξαι,
πολλοὶ γὰρ κατὰ ϝάστυ μέγα Πριάμοι' ἐπίκουροι,
ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα πολυσπερέων ἀνθρώπων·
τοῖσι ϝέκαστοσ ἀνὴρ σημαινέτω οἷσί περ ἄρχει,
τῶν δ' ἐξηγείσθω, κοσμησάμενοσ πολιήτασ."
ὥσ ἔφαθ', Ἕκτωρ δ' οὔ τι θέασ ϝέποσ ἠγνοίησε,
αἶψα δ' ἔλυσ' ἀγορήν· ἐπὶ τεύχεα δ' ἐσσεύοντο,
πᾶσαι δ' ὠΐγνυντο πύλαι, ἐκ δ' ἔσσυτο λαόσ,
πεζοί θ' ἱππῆέσ τε· πολὺσ δ' ὀρυμαγδὸσ ὀρώρει

ἔστι δέ τισ πόλιοσ προπάροιθ' αἰπεῖα κολώνη,
ἐν πεδίωι ἀπάνευθε, περίδρομοσ ἔνθα καὶ ἔνθα,
τὴν ἤ τοι ἄνδρεσ Βατίειαν κικλήισκουσι,
ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνησ·
ἔνθα τότε Τρῶέσ τε διέκριθεν ἠδ' ἐπίκουροι.
Γ 1 αὐτὰρ ἐπεὶ 'κόσμηθεν ἅμ' ἡγεμόνεσσι ϝέκαστοι,
Τρῶεσ μὲν κλαγγῆι τ' ἐνοπῆι τ' ἴσαν ὄρνιθεσ ὥσ,
ἠύτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλετ' οὐρανόθι πρό,
αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶν' ἔφυγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
κλαγγῆι ταί γε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι·
ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.
οἳ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῆι μένεα πνείοντεσ Ἀχαιοί,
ἐν θυμῶι μεμαῶτεσ ἀλεξέμεν' ἀλλήλοισι.
εὖτ' ὄρεοσ κορυφῆισι Νότοσ κατέχευεν ὀμίχλην,
ποιμέσιν οὔ τι φίλην, — κλέπτηι δέ τε νυκτὸσ ἀμείνων,
τόσσον τίσ τ' ἐπὶ λεύσσει ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησι, —
ὣσ ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσαλοσ ὤρνυτ' ἀϝολλὴσ
14 ἐρχομένων· μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο.
Λ 84 ὄφρα μὲν ἠώσ' ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ,
τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο, 'πίπτε δὲ λαόσ·
ἦμοσ δὲ δρυτόμοσ περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δεῖπνον
οὔρεοσ ἐν βήσσηισιν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο χεῖρασ
τάμνων δένδρεα μακρά, ἅδοσ τέ μιν ἵκετο θυμόν,
σίτου τε γλυκεροῖο περὶ φρένασ ἵμεροσ αἱρεῖ,
τῆμοσ σφῆι ἀρετῆι Δαναοὶ 'ρήξαντο φάλαγγασ,
κεκλόμενοι ἑτάροισι κατὰ στίχασ. ἐν δ' Ἀγαμέμνων
πρῶτοσ ὄρουσ', ἕλε δ' ἄνδρα Βιήνορα, ποιμένα λαῶν,
αὐτόν, ἔπειτα δ' ἑταῖρον Ὀιλῆα πλήξιππον.
ἤ τοι ὅ γ' ἐξ ἵππων κατεπάλμενοσ ἀντίοσ ἔστη·
τὸν δ' ἰθὺσ μεμαῶτα μετώπιον ὀξέι δουρὶ
'νύξ', οὐδὲ στεφάνη δόρυ ϝοι σχέθε χαλκοβάρεια,
ἀλλὰ δι' αὐτῆσ ἦλθε καὶ ὀστέου, ἐγκέφαλοσ δὲ
ἔνδον ἅπασ 'πεπάλακτο· 'δάμασσε δέ μιν μεμαῶτα.
καὶ τοὺσ μὲν 'λίπεν αὖθι ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
στήθεσι παμφαίνοντασ, ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνασ·
αὐτὰρ ὃ 'βῆ Ϝῖσόν τε καὶ Ἄντιφον ἐξεναρίξων,
υἷε δύω Πριάμοιο, νόθον καὶ γνήσιον, ἄμφω

ἐν ἑνὶ δίφρωι ἐόντε. ὃ μὲν νόθοσ ἡνιόχευε,
῎Αντιφοσ αὖ παρέβασκε περικλυτόσ· ὥ ποτ' ᾿Αχιλλεὺσ
῎Ιδησ ἐν κνημοῖσι ᾿δίδει μόσχοισι λύγοισι,
ποιμαίνοντ' ἐπ' ὄισσι λαβών, καὶ ἔλυσεν ἀποίνων.
δὴ τότε γ' ᾿Ατρεΐδησ εὐρὺ κρείων ᾿Αγαμέμνων
τὸν μὲν ὑπὲρ μαζοῖο κατὰ στῆθοσ ᾿βάλε δουρί,
῎Αντιφον αὖτ' οὖασ ἔλασε ξίφε', ἐκ δ' ἔβαλ' ἵππων.
σπερχόμενοσ δ' ἀπὸ τοῖιν ἐσύλαε τεύχεα καλὰ
γιγνώσκων· καὶ γάρ σφε πάροσ παρὰ νηυσὶ θοῆισι
εἶδεν ὅτ' ἐξ ῎Ιδησ ἄγαγεν πόδασ ὠκὺσ ᾿Αχιλλεύσ.
ὡσ δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείησ νήπια τέκνα
ῥηΐδίωσ συνέαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσι,
ἐλθὼν εἰσ εὐνήν, ἀπαλόν τέ σφ' ἦτορ ἀπέϝρα, —
ἣ δ' εἴ πέρ τε τύχηισι μάλα σχεδόν, οὐ δύναταί σφι
χραισμέμεν', αὐτὴν γάρ μιν ὑπὸ τρόμοσ αἰνὸσ ἱκάνει,
καρπαλίμωσ δ' ἤϊξε διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην
σπεύδουσ', ἱδρώουσα, κραταιοῦ θηρὸσ ὑφ' ὁρμῆσ, —
ὣσ ἄρα τοῖσ' οὔ τισ ᾿δύνατο χραισμῆσαι ὄλεθρον
Τρώων, ἀλλά, καὶ αὐτοὶ ὑπ' ᾿Αργεΐοισ' ἐφέβοντο.
αὐτὰρ ὃ Πείσανδρόν τε καὶ ῾Ιππόλοχον μενεχάρμην,
υἱέασ ᾿Αντιμάχοιο δαΐφρονοσ, ὅσ ῥα μάλιστα
χρυσὸν ᾿Αλεξάνδροιο δεδεγμένοσ, ἀγλαὰ δῶρα,
οὐκ εἴασχ' ῾Ελένην δόμεναι ξανθῶι Μενελάωι,
τοῦ περ δὴ δύο παῖδε ᾿λάβε κρείων ᾿Αγαμέμνων
ἐν ἑνὶ δίφρωι ἐόντε, ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέασ ἵππουσ.
ἐκ γάρ σφασ χειρῶν ᾿φύγον ἡνία σιγαλόεντα,
τὼ δ' ἐκυκηθήτην, ὃ δ' ἐναντίον ὦρτο λέων ὣσ
᾿Ατρεΐδησ. τὼ δ' αὖτ' ἐκ δίφροο ᾿γουναζέσθην·
„ζώγρεε, ᾿Ατρέοσ υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.
πολλὰ δ' ἐν ᾿Αντιμάχοιο δόμωι κειμήλια κεῖται,
χαλκόσ τε χρυσόσ τε πολύκμητόσ τε σίδηροσ·
τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
εἰ νῶϊ ζωιὼ πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν ᾿Αχαιῶν."
ὣσ τώ γε κλαίοντε προσηυδήτην βασιλῆα
μειλιχίοισι ϝέπεσσιν, ἀμείλικτον δ' ὄπ' ἄκουσαν·
„εἰ μὲν δὴ ᾿Αντιμάχοιο δαΐφρονοσ υἱέεσ ἐστόν,
ὅσ ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῆι Μενέλαον ἄνωγε
ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέωι ᾿Οδυσῆϊ

αὖθι κατακτεῖναι μηδ' ἐξέμεν' ἂψ ἐσ 'Αχαιούσ,
νῦν μὲν δὴ τοῦ πατρὸσ ἀϝεικέα τίσετε λώβην."
ἦ, καὶ Πείσανδρον μὲν ἀφ' ἵππων ὦσε χαμᾶζε
δουρὶ βαλὼν πρὸσ στῆθοσ· ὃ δ' ὕπτιοσ οὖδε' ἐρείσθη.
'Ιππόλοχοσ δ' ἀπόρουσε· τὸν αὖ χαμαὶ ἐξενάριξε,
χεῖρασ ἀπὸ ξίφεϊ τμήξασ ἀπό τ' αὐχένα κόψασ,
ϝόλμον δ' ὣσ ἔσσευε κυλίνδεσθαι δι' ὁμίλου.
τοὺσ μὲν ἔασ'· ὃ δ' ὅθι πλεῖσται 'κλονέοντο φάλαγγεσ,
τῆι ῥ' ἐνόρουσ', ἅμα δ' ἄλλοι εὐκνήμιδεσ 'Αχαιοί.
πεζοὶ μὲν πεζοὺσ ὄλεκον φεύγοντασ ἀνάγκηι,
ἱππῆεσ δ' ἱππῆασ, — ὑπὸ σφὶ δ' ὦρτο κονίη
ἐκ πεδίου, τὴν ὦρσαν ἐρίγδουποι πόδεσ ἵππων, —
χαλκῶι δηϊόοντεσ. ἀτὰρ κρείων 'Αγαμέμνων
αἰὲν ἀποκτείνων ἕπετ' 'Αργείοισι κελεύων.
ὡσ δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλωι ἐμπέσηι ὕληι· —
πάντηι ϝειλυφάων ἄνεμοσ φέρει, οἳ δέ τε θάμνοι
πρόρριζοι πίπτουσιν ἐπειγόμενοι πυρὸσ ὁρμῆι· —
ὣσ ἄρ' ὑπ' 'Ατρεΐδηι 'Αγαμέμνονι 'πίπτε κάρηνα
Τρώων φευγόντων, πολλοι δ' ἐριαύχενεσ ἵπποι
κείν' ὄχε' ἐκροτάλιζον ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρασ,
ἡνιόχουσ ποθέοντεσ ἀμύμονασ. οἳ δ' ἐπὶ γαίηι
'κείατο γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι ἢ ἀλόχοισι.
῞Εκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺσ ἔκ τε κονίησ
ἔκ τ' ἀνδροκτασίησ ἔκ θ' αἵματοσ ἔκ τε κυδοιμοῦ.
'Ατρεΐδησ δ' ἕπετο σφεδανὸν Δαναοῖσι κελεύων.
οἳ δ' παρ' ῏Ιλου σῆμα παλαιοῦ Δαρδανίδαο,
μέσσον κὰπ πεδίον, παρ' ἐρινεὸν ἐσσεύοντο
ϝιέμενοι πόλιοσ· ὃ δὲ κεκληγὼσ ἕπετ' αἰεὶ
'Ατρεΐδησ, λύθρωι δὲ 'παλάσσετο χεῖρασ ἀάπτουσ.
ἀλλ' ὅτε δὴ Σκαιάσ τε πύλασ καὶ φηγὸν ἵκοντο,
ἔνθ' ἄρα δὴ ἵσταντο καὶ ἀλλήλουσ ἀνέμιμνον.
οἳ δ' ἔτι κὰμ μέσσον πεδίον 'φοβέοντο βόεσ ὥσ,
ἃσ τε λέων ἐφόβησε μολὼν ἐν νυκτὸσ ἀμολγῶι
πάσασ, τῆι δέ τ' ἰῆι ἀναφαίνεται αἰπὺσ ὄλεθροσ·
τῆσ δ' ἐξ αὐχέν' ἔϝαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσι
πρῶτον, ἔπειτα δέ θ' αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει.
ὣσ τοὺσ 'Ατρεΐδησ ἔφεπε κρείων 'Αγαμέμνων,
αἰὲν ἀποκτείνων τὸν ὀπίστατον· οἳ δ' ἐφέβοντο.

ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλεν ὑπὸ πτόλιν αἰπύ τε τεῖχοσ
ἵξεσθαι, τότε δή ῥα πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Ἴδησ ἐν κορυφῆισι καθέζετο πιδακοέσσησ
οὐρανόθεν καταβάσ· ἔχε δ' ἀστεροπὴν μετὰ χερσί.
Ϝῖριν δ' ὤτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελέουσαν·
„βάσκ' ἴθι, Ϝῖρι ταχεῖα, τὸν Ἕκτορι μῦθον ἐνίσπε.
ἦοσ μέν χ' ὁράηι Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
θύνοντ' ἐν προμάχοισιν, ἐναίροντα στίχασ ἀνδρῶν,
τόφρ' ἀναχωρεέτω, τὸν δ' ἄλλον λαὸν ἀνώχθω
μάρνασθαι δηΐοισι κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην·
αὐτὰρ ἐπεί κ' ἢ δουρὶ τυπεὶσ ἢ βλήμενοσ ἰῶι
εἰσ ἵππουσ ἅλεται, τότε Ϝοι κράτοσ ἐγγυαλίξω
κτεινέμεν', εἰσ ὅ κε νῆασ ἐυσσέλμουσ ἀφίκηται
δύηι τ' ἠέλιοσ καὶ ἐπὶ κνέφασ ἱερὸν ἔλθηι."
ὣσ ἔφατ', οὐδ' ἀπίθησε ποδήνεμοσ ὠκέα Ϝῖρισ,
'βῆ δὲ κατ' Ἰδαίων ὀρέων εἰσ Ϝίλιον ἱρήν.
ηὗρ' υἱὸν Πριάμοιο δαΐφρονοσ, Ἕκτορα δῖον,
ἑσταότ' ἔν θ' ἵπποισι καὶ ἅρμασι κολλητοῖσι.
ἀγχόθι δ' ἱσταμένη προσέφη πόδασ ὠκέα Ϝῖρισ·
„Ἕκτορ, υἱὲ Πριάμοιο, Διὶ μῆτιν ἀτάλαντε,
Ζεύσ με πατὴρ προέηκε τεΐν τάδε μυθήσασθαι·
ἦοσ μέν χ' ὁράηισ Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
θύνοντ' ἐν προμάχοισιν, ἐναίροντα στίχασ ἀνδρῶν,
τόφρ' ὑπόϝεικε μάχησ, τὸν δ' ἄλλον λαὸν ἄνωχθι
μάρνασθαι δηΐοισι κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην·
αὐτὰρ ἐπεί κ' ἢ δουρὶ τυπεὶσ ἢ βλήμενοσ ἰῶι
εἰσ ἵππουσ ἅλεται, τότε τοι κράτοσ ἐγγυαλίξει
κτεινέμεν', εἰσ ὅ κε νῆασ ἐυσσέλμουσ ἀφίκηαι
δύηι τ' ἠέλιοσ καὶ ἐπὶ κνέφασ ἱερὸν ἔλθηι."
ἣ μὲν ἄρ' ὣσ ϝειποῦσ' ἀπέβη πόδασ ὠκέα Ϝῖρισ,
Ἕκτωρ δ' ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε,
πάλλων δ' ὀξέε δοῦρε κατὰ στρατὸν ᾤχετο πάντηι,
ὀτρύνων μαχέσασθαι, ἔγειρε δὲ φύλοπιν αἰνήν.
οἳ δ' ἐϝελίχθησαν καὶ ἐναντίοι ἔσταν Ἀχαιῶν,
Ἀργέιοι δ' ἑτέρωθεν ἐκαρτύναντο φάλαγγασ.
ἠρτύνθη δὲ μάχη, 'σταν δ' ἀντίοι· ἐν δ' Ἀγαμέμνων
πρῶτοσ ὄρουσ', ἔθελεν δὲ πολὺ προμάχεσθαι ἁπάντων.
ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,

ὅσ τισ δὴ πρῶτοσ Ἀγαμέμνονοσ ἀντίοσ ἦλθε
ἢ αὐτῶν Τρώων ἠὲ κλειτῶν ἐπικούρων.
Ϝιφιδάμασ Ἀντηνορίδησ, ἠύσ τε μέγασ τε,
ὅσ 'τράφ' ἐνὶ Θρῄκῃ ἐριβώλακι, μητέρι μήλων.
Κισσεὺσ τόν γ' ἔθρεψε δόμοισ' ἔνι τυτθὸν ἐόντα
μητροπάτωρ, ὃσ ἔτικτε Θεανὼ καλλιπάρῃον·
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἥβησ ἐρικυδέοσ ἵκετο μέτρον,
αὐτόθι μιν κατέρυκε, 'δίδου δ' ὅ γε θυγατέρα ϝήν·
γήμασ δ' ἐκ θαλάμοιο μετὰ κλέοσ ἵκετ' Ἀχαιῶν
σὺν δύο καὶ δέκα νηυσὶ κορωνίσιν, αἵ ϝοι ἕποντο
τὰσ μὲν ἔπειτ' ἐν Περκώτῃ 'λίπε νῆασ ἐϝίσασ,
αὐτὰρ ὃ πεζὸσ ἐὼν εἰσ Ϝίλιον εἰληλούθει.
ὅσ ῥα τότ' Ἀτρεΐδα' Ἀγαμέμνονοσ ἀντίοσ ἦλθε.
οἳ δ' ὅτε δὴ σχεδὸν ἦσαν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰόντεσ,
Ἀτρεΐδησ μὲν ἅμαρτε, παραὶ δέ ϝοι ἐτράπετ' ἔγχοσ
Ϝιφιδάμασ δὲ κατὰ ζώνην, θώρηκοσ ἔνερθε
'νύξ, ἐπὶ δ' αὐτὸσ ἔρεισε, βαρείῃ χειρὶ πιθήσασ
οὐδ' ἔτορε ζωστῆρα πανταίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν
ἀργύρῳ ἀντομένη, μόλιβοσ ὥσ, ἐτράπετ' αἰχμή.
καὶ τό γε χειρὶ λαβὼν εὐρὺ κρείων Ἀγαμέμνων
εἷλκ' ἐπί ϝοι μεμαὼσ ὥσ τε λίσ, ἐκ δ' ἄρα χειρὸσ
'σπάσσατο· τὸν δ' ἄορι 'πλῆξ' αὐχένα, 'λῦσε δὲ γυῖα.
ὥσ ὃ μεν αὖθι πεσὼν 'κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον
οἰκτρόσ, ἀπὸ μνηστῆσ ἀλόχου, ϝαστοῖσιν ἀρήγων,
κουριδίησ, ἧσ οὔτι χάριν 'ϝίδε, πολλὰ δ' ἔδωκε· —,
πρῶθ' ἑκατὸν βοῦσ 'δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι' ὑπέστη,
αἶγασ ὁμοῦ καὶ οἶσ, τά ϝοι ἄσπετα 'ποιμαίνοντο· —
δὴ τότε ϝ' Ἀτρεΐδησ Ἀγαμέμνων ἐξενάριξε
'βῆ δὲ φέρων ἀν' ὅμιλον Ἀχαιῶν τεύχεα καλά
  τὸν δ' ὥσ οὖν ἐνόησε Κόων, ἀριδείκετοσ ἀνδρῶν,
πρεσβυγενὴσ Ἀντηνορίδησ, κρατερόν ῥά ϝε πένθοσ
ὀφθαλμοὺσ ἐκάλυψε κασιγνήτοιο πεσόντοσ.
'στῆ δ' εὐρὰξ σὺν δουρί, λαθὼν Ἀγαμέμνονα δῖον,
'νύξε δέ μιν κατὰ χεῖρα μέσην, ἀγκῶνοσ ἔνερθε
ἀντικρυσ δὲ διέσχε φαεινοῦ δουρὸσ ἀκωκή.
'ρίγησεν δ' ἄρ ἔπειτα ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
ἀλλ' οὐδ' ὥσ ἀπέληγε μάχησ ἠδὲ πτολέμοιο
ἀλλ' ἐπόρουσε Κόωνι ἔχων ἀνεμότρεφεσ ἔγχοσ.

ἤ τοι ὃ Ϝιφιδάμαντα κασίγνητον καὶ ὄπατρον
εἷλκε ποδόσ μεμαώσ, καὶ ἀύτεε πάντασ ἀρίστουσ
τὸν δ' ἕλκοντ' ἀν' ὅμιλον ὑπ' ἀσπίδοσ ὀμφαλοέσσησ
260 οὔτασσε ξυστῶι χαλκήρεϊ, 'λῦσε δὲ γυῖα,
τοῦ δ' ἐπὶ Ϝιφιδάμαντι κάρη ἀπέκοψε παραστάσ.
ἔνθ' Ἀντήνοροσ υἷεσ ὑπ' Ἀτρεΐδηι βασιλῆϊ
πότμον ἀναπλήσαντεσ ἔδυν δόμον Ἄϝιδοσ εἴσω.
αὐτὰρ ὃ τῶν ἄλλων ἐπεπωλέετο στίχασ ἀνδρῶν
265 ἔγχεΐ τ' ἄορί τε μεγάλοισί τε χερμαδίοισι,
ὄφρα ϝοι αἷμ' ἔτι θερμὸν ἀνήνοθεν ἐξ ὠτειλῆσ.
αὐτὰρ ἐπεὶ τὸ μὲν ἕλκοσ ἐτέρσετο, 'παύσατο δ' αἷμα,
ὀξεῖαι δ' ὀδύναι 'δῦνον μένοσ Ἀτρεΐδαο,
ὡσ ὅτε κ' ὠδίνουσαν ἔχηι βέλοσ ὀξὺ γυναῖκα,
270 δριμύ, τό τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
271 Ἥρησ θυγατέρεσ πικρὰσ ὠδῖνασ ἔχουσαι.
273 εἰσ δίφρον δ' ἀνόρουσε, καὶ ἡνιόχωι ἐπέτελλε
νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῆισιν ἐλαυνέμεν'· ἤχθετο γὰρ κῆρ.
275 ἤυσεν δὲ διαπρύσιον Δαναοῖσι γεγωνώσ·
„ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορεσ ἠδὲ μέδοντεσ,
ὑμεσ μὲν νῦν νηυσὶν ἀμύνετε ποντοπόροισι
φύλοπιν ἀργαλέην, ἐπεὶ οὐκ ἐμὲ μητιέτα Ζεὺσ
εἴασε Τρώεσσι πανημέριον πολεμίζειν."
280 ὣσ ἔφαθ', ἡνίοχοσ δ' ἵμασεν καλλίτριχασ ἵππουσ
νῆασ ἔπι γλαφυράσ, τὼ δ' οὐκ ἀέκοντ' ἐπετέσθην·
στήθεα δ' ἤφριζον, 'ραίνοντο δὲ νέρθε κονίηι,
τειρόμενον βασιλῆα μάχησ ἀπάνευθε φέροντεσ.
Ἕκτωρ δ' ὡσ ἐνόησ' Ἀγαμέμνονα νόσφι κιόντα,
285 Τρωσί τε καὶ Λυκίοισιν ἐκέκλετο μακρὸν ἀύσασ·
„Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί,
ἀνέρεσ ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδοσ ἀλκῆσ.
οἴχετ' ἀνὴρ ὄχ' ἄριστοσ, ἐμοὶ δὲ μέγ' εὖχοσ ἔδωκε
Ζεὺσ Κρονίδησ. ἀλλ' ἰθὺσ ἐλαύνετε μώνυχασ ἵππουσ
290 ἰφθίμων Δαναῶν, ἵν' ὑπέρτερον εὖχοσ ἄρησθε."
ὣσ ϝειπὼν ὤτρυνε μένοσ θυμόν τε ϝεκάστου.
ὡσ δ' ὅτε πού τισ θηρητὴρ κύνασ ἀργιόδοντασ
σεύηι ἔπ' ἀγροτέρωι συῒ καπρίωι ἠὲ λέοντι,
ὣσ ἐπ' Ἀχαιοῖσιν 'σεῦε Τρῶασ μεγαθύμουσ
295 Ἕκτωρ Πριαμίδησ, βροτολοιγῶι ϝίσοσ Ἄρηϊ.

αὐτὸσ δ' ἐν πρώτοισι μέγα φρονέων ἐβεβήκει,
ἐν δ' ἔπεσ' ὑσμίνηι ὑπεραέι ϝίσοσ ἀέλληι,
ἥ τε καθαλλομένη ϝιοϝειδέα πόντον ὀρίνηι.
ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξε
Ἕκτωρ Πριαμίδησ, ὅτε ϝοι Ζεὺσ κῦδοσ ἔδωκε;
Ἀσαῖον μὲν πρῶτα καὶ Αὐτόνοον καὶ Ὀπίτην
καὶ Δόλοπα Κλυτίδην καὶ Ὀφέλτιον ἠδ' Ἀγέλαον
Αἴσυμνόν τ' Ὦρόν τε καὶ Ἱππόνοον μενεχάρμην.
τοὺσ ἄρ' ὅ γ' ἡγεμόνασ Δαναῶν ἕλεν, αὐτὰρ ἔπειτα
πληθύν. ὡσ δ' ὁπότε νέφεα Ζέφυροσ στυφελίξηι
ἀργεστᾶο Νότοιο, βαθείηι λαίλαπι τύπτων, —
πολλὸν δὲ τρόφι κῦμα κυλίνδεται, ὑψόσε δ' ἄχνη
σκίδναται ἐξ ἀνέμοιο πολυπλάγκτοιο ϝιωῆσ, —
ὣσ ἄρα πυκνὰ καρήαθ' ὑφ' Ἕκτορι 'δάμνατο λαῶν
ἔνθα κε λοιγὸσ ἔεν καὶ ἀμήχανα ϝέργ' ἐγένοντο,
καί νύ κεν ἐν νήεσσ' ἔπεσον φεύγοντεσ Ἀχαιοί,
εἰ μὴ Τυδεΐδηι Διομήδεϊ 'κέκλετ' Ὀδυσσεύσ·
„Τυδεΐδη, τί παθόντε λελάσμεθα θούριδοσ ἀλκῆσ;
ἀλλ' ἄγε δεῦρο, πέπον, παρ' ἔμ' ἵστασο· δὴ γὰρ ἔλεγχοσ
ἔσσεται, εἴ κεν νῆασ ἕληι κορυθαιόλοσ Ἕκτωρ."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη κρατερὸσ Διομήδησ·
„ἤ τοι ἐγὼ μενέω καὶ τλήσομαι· ἀλλὰ μίνυνθα
ἥμων ἔσσεται ἦδοσ, ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺσ
Τρωσὶν δὴ βόλεται δόμεναι κράτοσ ἠέ περ ἥμιν."
ἦ, καὶ Θυμβραῖον μὲν ἀφ' ἵππων ὦσε χαμᾶζε,
δουρὶ βαλὼν κατὰ μαζὸν ἀριστερόν. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺσ
ἀντίθεον θεράποντα Μολίονα τοῖο ϝάνακτοσ.
τοὺσ μὲν ἔπειτ' εἴασαν, ἐπεὶ πολέμοι' ἀπέπαυσαν·
τὼ δ' ἀν' ὅμιλον ἰόντε 'κυδοίμεον, ὡσ ὅτε κάπρω
ἐν κυσὶ θηρευτῆισι μέγα φρονέοντε πέσητον.
ὣσ ὄλεκον Τρῶασ πάλιν ὀρμένω, αὐτὰρ Ἀχαιοὶ
ἀσπασίωσ φεύγοντεσ ἀνέπνεον Ἕκτορα δῖον.
ἔνθ' ἑλέτην δίφρον τε καὶ ἀνέρε δήμου ἀρίστω.
υἷε δύω Μέροποσ Περκωσίου, ὃσ περὶ πάντων
'ϝείδεε μαντοσύνασ, οὐδὲ ϝοὺσ παῖδασ ἔασκε
στειχέμεν' εἰσ πόλεμον φθισήνορα· τὼ δέ ϝοι οὔ τι
'πειθέσθην, κῆρεσ γὰρ ἄγον μέλανοσ θανάτοιο.
τοὺσ μὲν Τυδεΐδησ δουρὶ κλειτὸσ Διομήδησ

θυμοῦ καὶ ψυχῆσ κεκαδὼν κλυτὰ τευχε' ἀπέϝρα·
'Ιππόδαμον δ' 'Οδυσεὺσ καὶ 'Υπείροχον ἐξενάριξε.
 ἔνθα σφιν κατὰ ϝῖσα μάχην ἐτάνυσσε Κρονίων
ἐξ Ἴδησ καθορῶν· τοὶ δ' ἀλλήλουσ ἐνάριζον.
ἤ τοι Τυδέοσ υἱὸσ 'Αγάστροφον οὔτασε δουρὶ
Παιονίδην ἥρωα κατ' ἰσχίον· οὐδέ ϝοι ἵπποι
ἐγγὺσ ἔσαν προφυγεῖν, ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῶι.
τοὺσ μὲν γὰρ θεράπων ἀπάνευθ' ἔχεν, αὐτὰρ ὃ πεζὸσ
'θῦνε διὰ προμάχων, ἧοσ φίλον ὤλεσε θυμόν.
Ἕκτωρ δ' ὀξὺ 'νόησε κατὰ στίχασ, ὦρτο δ' ἐπ' αὐτοὺσ
κεκληγώσ· ἅμα δὲ Τρώων εἵποντο φάλαγγεσ.
τὸν δὲ ϝιδὼν 'ρίγησε βοὴν ἀγαθὸσ Διομήδησ,
αἶψα δ' 'Οδυσσῆα προσεφώνεεν ἐγγὺσ ἐόντα·
 „νῶϊν δὴ τόδε πῆμα κυλίνδεται, ὄβριμοσ Ἕκτωρ.
ἀλλ' ἄγε δὴ στάομεν καὶ ἀλεξώμεσθα μένοντεσ."
 ἦ ῥα, καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχοσ,
καὶ 'βάλεν οὐδ' ἀφάμαρτε, τιτυσκόμενοσ κεφαλῆφι,
ἄκρην κὰκ κόρυθα. 'πλάγχθη δ' ἀπὸ χαλκόφι χαλκόσ,
οὐδ' ἵκετο χρόα καλόν· ἐρύκακε γὰρ τρυφάλεια
τρίπτυχοσ αὐλῶπισ, τήν ϝοι 'πόρε Φοῖβοσ 'Απόλλων.
Ἕκτωρ δ' ὦκ' ἀπέλεθρον ἀνέδραμε, 'μίκτο δ' ὁμίλωι.
'στῆ δὲ γνὺξ ἐριπὼν καὶ ἐρείσατο χειρὶ παχείηι
γαίησ· ἀμφὶ δέ ϝ' ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε.
ὄφρα δὲ Τυδεΐδησ μετὰ δούρατοσ ὤιχετ' ἐρωὴν
τῆλε διὰ προμάχων, ὅτι ϝοι κατεϝίσατο γαίησ,
τόφρ' Ἕκττρ ἄμπνυτο, καὶ ἂψ εἰσ δίφρον ὀρούσασ
ἐξέλασ' εἰσ πληθὺν καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν.
δουρὶ δ' ἐπαΐσσων προσέφη κρατερὸσ Διομήδησ·
 „ἐξ αὖ νῦν ἔφυγεσ θάνατον, κύον· ἦ τέ τοι ἄγχι
ἦλθε κακόν! νῦν αὖτέ σ' ἐρύσατο Φοῖβοσ 'Απόλλων,
ὧι μέλλεισ εὔχεσθαι ἰὼν εἰσ δοῦπον ἀκόντων.
ἦ θήν σ' ἐξανύω γε καὶ ὕστερον ἀντιβολήσασ,
εἴ ποθί τισ καὶ ἐμοί γε θεῶν ἐπιτάρροθόσ ἐστι.
νῦν αὖ τοὺσ ἄλλουσ ἐπιϝίσομαι, ὅν κε κιχήω."
 ἦ, καὶ Παιονίδην δουρὶ κλυτὸν ἐξενάριξε.
αὐτὰρ 'Αλέξανδροσ, 'Ελένησ πόσισ ἠυκόμοιο,
Τυδεΐδηι ἐπὶ τόξα 'τιταίνετο, ποιμένι λαῶν,
στήληι κεκλιμένοσ ἀνδροκμήτωι ἐπὶ τύμβωι

Ϝίλου Δαρδανίδαο, παλαιοῦ δημογέροντοσ.
ἤ τοι ὃ μὲν θώρηκα Ἀγαστρόφου ἰφθίμοιο
ἥινυτ' ἀπὸ στήθεσφι παναίολον ἀσπίδα τ' ὤμων
καὶ κόρυθα βριαρήν, ὃ δὲ τόξου πῆχυν ἀνεῖλκε
καὶ 'βάλεν, οὐδ' ἄρα ϝοι ἅλιον βέλοσ ἔκφυγε χειρόσ.
ταρσὸν δεξιτεροῖο ποδόσ· διὰ δ' ἀμπερὲσ ἰὸσ
ἐν γαίηι κατέπηκτο. ὃ δὲ μάλα ϝηδὺ γελάσσασ
ἐκ λόχου ἀμπήδησε καὶ εὐχόμενοσ ϝέποσ ηὔδα·
„βέβλησ', οὐδ' ἅλιον βέλοσ ἐξέφυγ' ὡσ ὄφελόν τοι
νείατον εἰσ κενεῶνα βαλὼν ἐκ θυμὸν ἑλέσθαι!
οὕτω κεν καὶ Τρῶεσ ἀνέπνευσαν κακότητοσ,
οἵ τέ σε πεφρίκασι, λέονθ' ὡσ μηκάδεσ αἶγεσ."
τὸν δ' οὐ ταρβήσασ προσέφη κρατερὸσ Διομήδησ·
„τοξότα, λωβητήρ, κέρα' ἀγλαέ, παρθενοπῖπα,
εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθείησ,
οὔ κέν τοι χραίσμηισι βιὸσ καὶ ταρφέεσ ἰοί·
νῦν δέ μ' ἐπιγράψασ ταρσὸν ποδὸσ εὔχεαι αὔτωσ.
οὐκ ἀλέγω, ὡσ εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάϊσ ἄφρων·
κωφὸν γὰρ βέλοσ ἀνδρὸσ ἀνάλκιδοσ οὐτιδανοῖο.
ἦ τ' ἄλλωσ ὑπ' ἐμεῖο, καὶ εἴ κ' ὀλίγον περ ἐπαύρηι,
ὀξὺ βέλοσ πέλεται, καὶ ἀκήριον αἶψα τίθησι·
τοῦ δὲ γυναικὸσ μὲν τ' ἀμφίδρυφοί εἰσι παρειαί,
παῖδέσ τ' ὀρφανικοί, ὃ δέ θ' αἵματι γαῖαν ἐρεύθων
πύθεται, οἰωνοὶ δὲ περὶ πλέεσ ἠὲ γυναῖκεσ."
ὣσ 'φάτο, τοῦ δ' Ὀδυσεὺσ δουρὶ κλυτὸσ ἐγγύθεν ἐλθὼν
ἔστη πρόσθ'. ὃ δ' ὄπισθε καθεζόμενοσ βέλοσ ὠκὺ
ἐκ ποδὸσ εἷλκ', ὀδύνη δὲ διὰ χροὸσ ἦλθ' ἀλεγεινή·
εἰσ δίφρον δ' ἀνόρουσε, καὶ ἡνιόχωι ἐπέτελλε
νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῆισιν ἐλαυνέμεν', ἤχθετο γὰρ κῆρ
οἰώθη δ' Ὀδυσεὺσ δουρὶ κλυτόσ, οὐδέ τισ αὐτῶι
Ἀργεΐων παρέμεινεν, ἐπεὶ φόβοσ ἔλλαβε πάντασ.
ὀχθήσασ δ' ἄρ' ἔϝειπε ποτὶ μεγαλήτορα θυμόν·
„ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω; μέγα μὲν κακον, αἴ κε φέβωμαι
πληθὺν ταρβήσασ. τὸ δὲ ῥίγιον, αἴ κε ϝαλώω
μοῦνοσ· τοὺσ δ' ἄλλουσ Δαναοὺσ ἐφόβησε Κρονίων.
ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλοσ διελέξατο θυμόσ;
ϝοῖδα γὰρ ὅτι κακοὶ μὲν ἀποίχονται πολέμοιο,
ὃσ δέ κ' ἀριστεύηισι μάχηι ἔνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ

ἑστάμεναι κρατερῶσ, ἤ τ' ἔβλητ' ἤ τ' ἔβαλ' ἄλλον."
ἧοσ ὃ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ Φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
τόΦρα δ' ἐπὶ Τρώων στίχεσ ἤλυθον ἀπιστάων,
'ϝέλσαν δ' ἐν μέσσοισι μετὰ σΦίσι πῆμα τιθέντεσ
ὡσ δ' ὅτε κάπριον ἀμΦὶ κύνεσ θαλεροί τ' αἰζηοὶ
σεύωνται, — ὃ δέ τ' εἶσι βαθείησ ἐκ ξυλόχοιο
θήγων λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπτῆισι γένυσι,
ἀμΦὶ δέ ϝ' αΐσσονται, ὑπαὶ δέ τε κόμποσ ὀδόντων
γίγνεται, οἳ δὲ μένουσιν ἄΦαρ, δϝεινόν περ ἐόντα, —
ὣσ ῥα τότ' ἀμΦ' 'Οδυσῆα Διὶ Φίλον ἐσσεύοντο
Τρῶεσ. ὃ δὲ πρῶτον μὲν ἀμύμονα Δηϊοπίτην
οὔτασεν ὦμον ὕπερθεν ἐπάλμενοσ ὀξέι δουρί,
αὐτὰρ ἔπειτα Θόωνα καὶ Ἔννομον ἐξενάριξε·
Χερσιδάμαντα δ' ἔπειτα καθ' ἵππων ἀΐσσοντα
δουρὶ κατὰ πρότμησιν ὑπ' ἀσπίδοσ ὀμΦαλοέσσησ
'νύξεν, ὃ δ' ἐν κονίησι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῶι.
τοὺσ μὲν ἔασ', ὃ δ' ἄρ' Ἱππασίδην Χάροπ' οὔτασε δουρί,
αὐτοκασίγνητον εὐηΦενέοσ Σώκοιο.
τῶι δ' ἐπαλεξήσων Σῶκοσ 'κίε, ϝισόθεοσ Φώσ,
'στῆ δὲ μάλ' ἐγγὺσ ἰὼν καί μιν πρὸσ μῦθον ἔϝειπε·
„ὦ 'Οδυσεῦ πολύαινε, δόλων ἆατ' ἠδὲ πόνοιο,
σήμερον ἢ δοιοῖσιν ἐπεύξεαι Ἱππασίδηισι,
τοιώδ' ἄνδρε κατακτείνασ καὶ τεύχε' ἀποϝράσ,
ἤ κεν ἐμῶι ὑπὸ δουρὶ τυπεὶσ ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσηισ."
ὣσ ϝειπών ϝ' οὔτασσε κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐϝίσην.
διὰ μὲν ἀσπίδοσ ἦλθε Φαεινῆσ ὄβριμον ἔγχοσ,
καὶ διὰ θώρηκοσ πολυδαιδάλου ἠρήρειστο
πάντα δ' ἀπὸ πλευρῶν χρό' ἐϝέργαθεν, οὐδέ ϝ' ἔασε
Παλλὰσ 'Αθηναίη μιχθήμεναι ἔγκασι Φωτόσ.
'γνῶ δ' 'Οδυσεὺσ ὅ ϝοι οὔ τι τέλοσ κατὰ καίριον ἦλθε,
ἂψ δ' ἀναχωρήσασ Σῶκον πρὸσ μῦθον ἔϝειπε·
„ἆ δϝείλ', ἦ μάλα δή σε κιχάνεται αἰπὺσ ὄλεθροσ.
ἤ τοι μὴν ἔμ' ἔπαυσασ ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι!
σοὶ δ' ἐγὼ ἐνθάδε Φημὶ Φόνον καὶ κῆρα μέλαιναν
ἤματι τῶιδ' ἔσσεσθαι, ἐμῶι δ' ὑπὸ δουρὶ δαμέντα
εὖχοσ ἐμοὶ δώσειν, ψυχὴν δ' Ἄϝιδι κλυτοπώλωι."
ἦ, καὶ ὃ μὲν Φύγαδ' αὖτισ ὑποστρέψασ ἐβεβήκει,
τῶι δὲ μεταστρεΦθέντι μεταΦρένωι ἐν δόρυ 'πῆξε

ὤμων μεσσηγύσ, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσε.
'δούπησεν δὲ πεσών, ὃ δ' ἐπηύξατο δῖοσ 'Οδυσσεύσ·
„ὦ Σῶχ', Ἱππάσου υἱὲ δαΐφρονοσ ἱπποδάμοιο,
'φθῆ σε τέλοσ θανάτοιο κιχήμενον, οὐδ' ὑπάλυξασ.
ἆ δϝειλ', οὐ μέν τοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ, ἀλλ' οἰωνοὶ
ὠμεσταὶ ϝερύουσι, περὶ πτερὰ πυκνὰ βαλόντεσ.
αὐτὰρ ἐπεί κε θάνω, κτερίσουσί με δῖοι 'Αχαιοί."
ὣσ ϝειπὼν Σώκοιο δαΐφρονοσ ὄβριμον ἔγχοσ
ἔξω τε χροὸσ εἷλκε καὶ ἀσπίδοσ ὀμφαλοέσσησ.
αἷμα δέ ϝοι σπασθέντοσ ἀνέσσυτο, 'κῆδε δὲ θυμόν.
Τρῶεσ δὲ μεγάθυμοι ἐπεὶ 'ϝίδον αἷμ' 'Οδυσῆοσ,
κεκλόμενοι καθ' ὅμιλον ἐπ' αὐτῶι πάντεσ ἔβησαν.
αὐτὰρ ὅ γ' ἐξοπίσω ἀνεχάζετο, αὖε δ' ἑταίρουσ.
τρὶσ μὲν ἔπειτ' ἤυσεν ὅσον κεφαλὴ 'χάδε φωτόσ,
τρὶσ δ' ἄϊεν ϝιϝάχοντοσ ῎Αρηϊ φίλοσ Μενέλαοσ,
αἶψα δ' ἄρ' Αἴαντα προσεφώνεεν ἐγγὺσ ἐόντα·
„Αἶαν διογενὲσ Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν,
ἀμφί μ' 'Οδυσσῆοσ ταλασίφρονοσ ἵκετ' ἀυτή,
τῶι ϝικέλη ὡσ εἴ ϝε βιώιατο μοῦνον ἐόντα
Τρῶεσ ἀποτμήξαντεσ ἐνὶ κρατερῆι ὑσμίνηι.
ἀλλ' ἴομεν καθ' ὅμιλον· ἀλεξέμεναι γὰρ ἄμεινον.
δέδϝια μή τι πάθησιν ἐνὶ Τρώεσσι μονωθείσ,
ἐσθλὸσ ἐών, μεγάλη δὲ ποθὴ Δαναοῖσι γένηται."
ὣσ ϝειπὼν ὃ μὲν ἦρχ', ὃ δ' ἅμ' ἕσπετο ϝισόθεοσ φώσ.
ηὗρον ἔπειτ' 'Οδυσῆα Διὶ φίλον· ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτὸν
Τρῶεσ ἕπον, ὡσ εἴ τε δαφοινοὶ θῶεσ ὄρεσφι
ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ
ἰῶι ἀπὸ νευρῆσ. τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσι
φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρὸν καὶ γούνατ' ὀρώρηι·
αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε δαμάσσεται ὠκὺσ ὀιστόσ,
ὠμοφάγοι μιν θῶεσ ἐν οὔρεσι δαρδάπτουσι
ἐν νέμεϊ σκιερῶι. ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων
σίντην· θῶεσ μέν τε διέτρεσαν, αὐτὰρ ὃ δάπτει.
ὣσ ῥα τότ' ἀμφ' 'Οδυσῆα δαΐφρονα ποικιλόμητιν
Τρῶεσ ἕπον πολλοί τε καὶ ἄλκιμοι, αὐτὰρ ὅ γ' ἥρωσ
ἀΐσσων ἑϝῶι ἔγχε' ἀμύνετο νηλεὲσ ἦμαρ·
Αἴασ δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκοσ ἠύτε πύργον,

'στῆ δὲ παρ' ἕξ, Τρῶεσ δὲ διέτρεσαν ἄλλυδισ ἄλλοσ.
ἤ τοι τὸν Μενέλαοσ ἀρήϊοσ ἕξαγ' ὁμίλου
χειρὸσ ἔχων, ἧοσ θεράπων σχεδὸν ἤλασεν ἵππουσ.
Αἴασ δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενοσ εἷλε Δόρυκλον
Πριαμίδην, νόθον υἱόν, ἔπειτα. δὲ Πάνδοκον οὖτα,
οὖτα δὲ Λύσανδρον καὶ Πύρασον ἠδὲ Πυλάρτην.
ὡσ δ' ὅποτε πλήθων ποταμὸσ πεδίονδε κάτεισι
χειμάρροοσ κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενοσ Διὸσ ὄμβρωι,
πολλὰσ δὲ δρῦσ ἀζαλέασ, πολλὰσ δέ τε πεύκασ
εἰσφέρεται, πολλὸν δέ τ' ἀφυσγετὸν εἰσ ἅλα βάλλει,
ὣσ ἔφεπε κλονέων πεδίον κάτα φαίδιμοσ Αἴασ
δαΐζων ἵππουσ τε καὶ ἀνέρασ. οὐδέ πω Ἕκτωρ
'πεύθετ', ἐπεί ῥα μάχησ ἐπ' ἀριστερὰ 'μάρνατο πάσησ,
ὄχθασ πὰρ ποταμοῖο Σκαμάνδρου, τῆι ῥα μάλιστα
ἀνδρῶν 'πίπτε κάρηνα, βοὴ δ' ἄσβεστοσ ὀρώρει.
Κεβριόνησ δὲ Τρῶασ ὀρινομένουσ ἐνόησε
Ἕκτορι παρβεβαώσ, καί μιν πρὸσ μῦθον ἔειπε·
„Ἕκτορ, νῶϊ μὲν ἐνθάδ' ὁμιλέομεν Δαναοῖσι
ἐσχατιῆι πολέμοιο δυσηχέοσ· οἳ δὲ δὴ ἄλλοι
Τρῶεσ ὀρίνονται, ἐπιμὶξ ἵπποι τε καὶ αὐτοί.
Αἴασ δὲ κλονέει Τελαμώνιοσ· εὖ δέ μιν ἔγνων,
εὐρὺ γὰρ ἀμφ' ὤμοισιν ἔχει σάκοσ. ἀλλὰ καὶ ἡμεσ
κεῖσ' ἵππουσ τε καὶ ἅρμ' ἰθύνομεν, ἔνθα μάλιστα
ἱππῆεσ πεζοί τε κακὴν ἔριδα προβαλόντεσ
ἀλλήλουσ ὀλέκουσι, βοὴ δ' ἄσβεστοσ ὄρωρε."
ὣσ ἄρα φωνήσασ ἵμασεν καλλίτριχασ ἵππουσ
μάστιγι λιγυρῆι, τοὶ δὲ πληγῆσ ἀΐοντεσ
ῥίμφ' ἔφερον θοὸν ἅρμα μετὰ Τρῶασ καὶ 'Αχαιούσ,
στείβοντεσ νέκυάσ τε καὶ ἀσπίδασ· αἵματι δ' ἄξων
νέρθεν ἅπασ 'πεπάλακτο καὶ ἄντυγεσ, αἳ περὶ δίφρον,
ἃσ ἄρ' ἀφ' ἱππείων ὁπλέων ῥαθάμιγγεσ ἔβαλλον
αἵ τ' ἀπ' ἐπισσώτρων. ὃ δ' ἐτίετο δύμεν' ὅμιλον
ἀνδρόμεον ῥῆξαί τε μετάλμενοσ· ἐν δὲ κυδοιμὸν
ἧκε κακὸν Δαναοῖσι, μίνυνθα δὲ 'χάζετο δουρόσ.
αὐτὰρ ὃ τῶν ἄλλων ἐπεπωλέετο στίχασ ἀνδρῶν
ἔγχεΐ τ' ἄορί τε μεγάλοισί τε χερμαδίοισι,
Αἴαντοσ δ' ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο.
Ζεὺσ δὲ πατὴρ Αἴανθ' ὑψίζυγοσ ἐν φόβον ὦρσε·

'στῆ δὲ ταφών, ὄπιθεν δὲ σάκοσ βάλεν ἑπταβόειον,
'τρέσσε δὲ παπτήνασ ἐφ' ὁμίλου, θηρὶ ϝεϝοικώσ,
ἐντροπαλιζόμενοσ, ὀλίγον γόνυ γουνὸσ ἀμείβων.
ὡσ δ' αἴθωνα λέοντα βοῶν ἀπὸ μεσσαύλοιο
ἐσσεύαντο κύνεσ τε καὶ ἀνέρεσ ἀγροιῶται,
οἵ τέ μιν οὐκ ἐάουσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι
πάννυχοι ἐγρήσσοντεσ, ὃ δὲ κρεάων ἐρατίζων
ἰθύει, ἀλλ' οὔ τι πρήσσει, θαμέεσ γὰρ ἄκοντεσ
ἀντίον ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν,
καιόμεναί τε δεταί, τάσ τε τρέει ἐσσυμένοσ περ,
ἠῶθεν δ' ἀφὸ νόσφιν ἔβη τετιημένοσ ἦτορ
ὣσ Αἴασ τότ' ἀπὸ Τρώων τετιημένοσ ἦτορ
ἤϊε, πόλλ' ἀϝέκων, περὶ γὰρ 'δϝίε νηυσὶν 'Αχαιῶν.
ὡσ δ' ὅτ' ὄνοσ παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδασ
νωθήσ, ὧι δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφιϝεάγηι,
κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον, οἳ δέ τε παῖδεσ
τύπτουσι ῥοπάλοισι, — βίη δέ τε νηπίη αὔτωσ, —
σπουδῆι δ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆσ·
ὣσ τότ' ἔπειτ' Αἴαντα μέγαν, Τελαμώνιον υἱόν,
Τρῶεσ ὑπέρθυμοι πολυηγερέεσ τ' ἐπίκουροι
νύσσοντεσ ξυστοῖσι μέσον σάκοσ αἰὲν ἕποντο.
Αἴασ δ' ἄλλοτε μὲν 'μνησάσκετο θούριδοσ ἀλκῆσ
αὖτισ ὑποστρεφθείσ, καὶ ἐρητύσασκε φάλαγγασ
Τρώων ἱπποδάμων, ὁτὲ δ' ἐτροπαέσκετο φεύγειν,
πάντασ δὲ προέϝεργε θοὰσ ἐπὶ νῆασ ὁδεύειν.
αὐτὸσ δὲ Τρώων καὶ 'Αχαιῶν 'θῦνε μεσηγὺ
ἱστάμενοσ· τὰ δὲ δοῦρα θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
ἄλλα μὲν ἐν σάκεϊ μεγάλωι 'πάγεν ὄρμενα πρόσσω,
πολλὰ δὲ καὶ μεσσηγύ, πάροσ χρόα λευκὸν ἐπαυρεῖν,
ἐν γαίηι ἵσταντο, λιλαιόμενα χροὸσ ἆσαι.

N 136 Τρῶεσ δὲ προέτυψαν ἀϝολλέεσ, ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ
ἀντικρὺ μεμαώσ, ϝολοοίτροχοσ ὣσ ἀπὸ πέτρησ,
ὅν τε κατὰ στεφάνησ ποταμὸσ χειμάρροοσ ὤσηι,
ῥήξασ ἀσπέτωι ὄμβρωι ἀναιδέοσ ἔχματα πέτρησ·
ὕψι δ' ἀναθρώισκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
ὕλη, ὃ δ' ἀσφαλέωσ θέει ἔμπεδον, ἧοσ ἵκηται
ϝισόπεδον, τότε δ' οὔ τι κυλίνδεται ἐσσυμένοσ περ.
ὣσ Ἕκτωρ τῆοσ μὲν ἀπείλεε μέχρι θαλάσσησ

ῥέα διελεύσεσθαι κλισίασ καὶ νῆασ Ἀχαιῶν
κτείνων, ἀλλ' ὅτε δὴ πυκινῇσ' ἐνέκυρσε Φάλαγξι,
'στῆ ῥα μάλ' ἐγχριμφθείσ· οἳ δ' ἀντίοι υἷεσ Ἀχαιῶν
νύσσοντεσ ξίφεσίν τε καὶ ἔγχεσιν ἀμφιγύοισι
ὦσαν ἀπὸ σφείων, ὁ δὲ χασσάμενοσ 'πελεμίχθη,
ἤυσεν δὲ διαπρύσιον Τρώεσσι γεγωνώσ·
„Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί,
παρμένετ'· οὔ τοι δϝηρὸν ἐμὲ σχήσουσιν Ἀχαιοί,
καὶ μάλα πυργηδὸν σφέασ αὐτοὺσ ἀρτύναντεσ,
ἀλλ', οἴω, χάσσονται ὑπ' ἔγχεοσ, εἰ ἐτεόν με
ὦρσε θεῶν ὄχ' ἄριστοσ, ἐρίγδουποσ πόσισ Ἥρησ."
ὦσ ϝειπὼν ὤτρυνε μένοσ θυμόν τε ϝεκάστου.
O 592 Τρῶεσ δὲ λίεσσι ϝεοικότεσ ὠμοφάγοισι
νηυσὶν ἐπεσσεύοντο, Διὸσ δ' ἐτέλειον ἐφετμάσ·
ὅ σφισιν αἰὲν ἔγειρε μένοσ μέγα, 'θέλγε δὲ θυμὸν
Ἀργείων καὶ κῦδοσ ἀπήινυτο, τοὺσ δ' ὀρόθυνε.
653 εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν, περὶ δ' ἔσχεθον ἄκραι
νῆεσ, ὅσαι πρῶται 'ϝερύατο· τοὶ δ' ἐπέχυντο.
Ἀργέιοι δὲ νεῶν μὲν ἐχώρησαν καὶ ἀνάγκηι
πρωτάων, αὐτοῦ δὲ παρὰ κλισίῃσιν ἔμειναν
ἀθρόοι, οὐδ' ἐκέδασθεν ἀνὰ στρατόν· ἴσχε γὰρ αἰδὼσ
658 καὶ δϝέοσ, ἀζηχὲσ γὰρ ὁμόκλαον ἀλλήλοισι.
674 οὐδ' ἄρ' ἔτ' Αἴαντι μεγαλήτορι 'ϝάνδανε θυμῶι
ἑστάμεν' ἔνθα περ ἄλλοι ἀφέστασαν υἷεσ Ἀχαιῶν·
ἀλλ' ὅ γε νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων,
'νώμαε δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι,
κολλητὸν βλήτροισι, δυωκαιϝεικοσίπηχυ.
ὠσ δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν ἐὺ ϝειδώσ,
ὅσ τ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρασ συναείρεται ἵππουσ,
σεύασ ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ϝάστυ δίηται
λαοφόρον καθ' ὁδόν, πολέεσ δέ ϝε 'θηήσαντο
ἀνέρεσ ἠδὲ γυναῖκεσ, — ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲσ αἰεὶ
θρώισκων ἄλλον ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἳ δὲ πέτονται, —
ὦσ Αἴασ ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν
'φοίταε μακρὰ βιβάσ, φωνὴ δέ ϝοι αἰθέρ' ἵκανε.
αἰεὶ δὲ σμερδνὸν βοάων Δαναοῖσ' ἐκέλευε
νηυσί τε καὶ κλισίῃσιν ἀμυνέμεν'. οὐδὲ μὲν Ἕκτωρ
'μίμνεν ἐνὶ Τρώων ὁμάδωι πύκα θωρηκτάων·

690 ἀλλ' ὥσ τ' ὀρνίθων πετεηνῶν αἰετὸσ αἴθων
ϝέθνοσ ἐϝορμάεται, ποταμὸν πάρα βοσκομενάων,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δολιχοδείρων,
ὣσ Ἕκτωρ ἴθυσε νεὸσ κυανοπρώροιο
694 ἀντίοσ ἀΐξασ· τὸν δὲ Ζεὺσ ὦρσεν ὄπισθε.
696 αὖτισ θὲ δριμεῖα μάχη παρὰ νηυσὶν ἐτύχθη.
ϝαίησ κ' ἀκμῆτασ καὶ ἀτειρέασ ἀλλήλοισι
ἄντεσθ' ἐν πολέμωι· ὣσ ἐσσυμένωσ ἐμάχοντο.
τοῖσι δὲ μαρναμένοισ' ὅδ' ἔεν νόοσ· ἤ τοι 'Αχαιοὶ
700 οὐκ ἔϝασαν ϝεύξεσθαι ὑπ' ἐκ κακοῦ, ἀλλ' ὀλέεσθαι,
Τρωσὶ δ' ἐϝέλπετο θυμὸσ ἐνὶ στήθεσσι ϝεκάστου
νῆασ ἐνιπρήσειν κτενέειν θ' ἥρωασ 'Αχαιούσ.
οἳ μὲν τὰ ϝρονέοντεσ ἐϝέστασαν ἀλλήλοισι·
Ἕκτωρ δὲ πρύμνησ νεὸσ ἥψατο ποντοπόροιο,
705 καλῆσ ὠκυάλοι' ἣ Πρωτεσίλαον ἔνεικε
εἰσ Τροίην, οὐδ' αὖτισ ἀπήγαγε πατρίδα γαῖαν.
τοῦ περ δὴ περὶ νηὸσ 'Αχαιοί τε Τρωέσ τε
'δήιοον ἀλλήλουσ αὐτοσχεδόν· οὐδ' ἄρα τοί γε
τόξων ἀϊκὰσ ἀμϝὶσ 'μένον οὐδέ τ' ἀκόντων,
710 ἀλλ' οἵ γ' ἐγγύθεν ἱστάμενοι, ἕνα θυμὸν ἔχοντεσ,
ὀξέσι δὴ πελέκεσσι καὶ ἀξίνηισ' ἐμάχοντο.
καὶ ξίϝεσιν μεγάλοισι καὶ ἔγχεσιν ἀμϝιγύοισι.
πολλὰ δὲ ϝάσγανα καλὰ μελάνδετα κωπήεντα
ἄλλα μὲν ἐκ χειρῶν χαμάδισ 'πέσον, ἄλλα δ' ἀπ' ὤμων
715 ἀνδρῶν μαρναμένων· 'ρέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα.
Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ 'λάβεν, οὔ τι μεθίει
ἄϝλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων, Τρωσὶν δ' ἐκέλευε·
„οἴσετε πῦρ, ἅμα δ' αὐτοὶ ἀϝολλέεσ ὄρνυτ' ἀϋτήν.
νῦν ἧμιν πάντων Ζεὺσ ἄξιον ἦμαρ ἔδωκε,
720 νῆασ ἑλεῖν, αἳ δεῦρο θεῶν ἀϝέκητι μολοῦσαι
ἧμιν πήματα πόλλ' ἔθεσαν, κακότητι γερόντων,
οἵ μ' ἐθέλοντα μάχεσθαι ἐπὶ πρυμνῆισι νέεσσι
αὐτόν τ' ἰσχανάεσκον ἐρητύοντό τε λαόν.
ἀλλ' εἰ δή ῥα τότε 'βλάπτε ϝρένασ εὐρύϝοπα Ζεὺσ
725 ἡμετέρασ, νῦν αὐτὸσ ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει."
ὣσ ἔϝαθ', οἳ δ' ἄρα μᾶλλον ἐπ' 'Αργείοισιν ὄρουσαν.
Αἴασ δ' οὐκέτ' ἔμιμνε, 'βιάζετο γὰρ βελέεσσι,
ἀλλ' ἀνεχάζετο τυτθόν, ὀϊόμενοσ θανέεσθαι,

θρῆνυν ἔΦ' ἑπταπόδην, 'λίπε δ' ἴκρια νηὸσ ἐΐσησ.
ἔνθ' ἄρ' ὅ γ' εἱστήκει δεδοκημένοσ, ἔγχεϊ δ' αἰεὶ
Τρῶασ ἄμυνε νεῶν, ὅσ τισ Φέροι ἀκάματον πῦρ·
αἰεὶ δὲ σμερδνὸν βοάων Δαναοῖσ' ἐκέλευε·
„ὦ Φίλοι, ἥρωεσ Δαναοί, θεράποντεσ Ἄρηοσ,
ἀνέρεσ ἔστε, Φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδοσ ἀλκῆσ.
ἠέ τινάσ Φαμεν ἔμμεν' ἀοσσητῆρασ ὀπίσσω,
ἠέ τι τεῖχοσ ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;
οὐ μέν τι σχεδόν ἐστι πόλισ πύργοισ' ἀραρυῖα,
ἧι κ' ἀπαμυναίμεσθ' ἑτεραλκέα δῆμον ἔχοντεσ·
ἀλλ' ἐν γὰρ Τρώων πεδίωι πύκα θωρηκτάων,
πόντωι κεκλιμένοι, ϝεκὰσ ἥμεθα πατρίδοσ αἴησ.
τῶι ἐν χερσὶ Φάοσ, οὐ μειλιχίηι πολέμοιο."
ἦ, καὶ μαιμάων ἔΦεπ' ἔγχεϊ ὀξυόεντι·
ὅσ τισ δὲ Τρώων κοίλησ' ἐπὶ νηυσὶ Φέροιτο
σὺν πυρὶ κηλείωι, χάριν Ἕκτοροσ ὀτρύναντοσ,
τὸν δ' Αἴασ οὔτασκε δεδεγμένοσ ἔγχεϊ μακρῶι.
746 δώδεκα δὲ προπάροιθε νεῶν αὐτοσχεδὸν οὖτα,
Θ 485 ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῶι λαμπρὸν Φάοσ ἠελίοιο,
ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.
Τρωσὶν μέν ῥ' ἀϝέκουσιν ἔδυ Φάοσ, αὐτὰρ Ἀχαιοὺσ
ἀσπασίη τρίλλιστοσ ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή.
Τρώων δ' αὖτ' ἀγορὴν 'ποιήσατο Φαίδιμοσ Ἕκτωρ,
νόσΦι νεῶν ἀγαγὼν ποταμῶι ἔπι δινήεντι,
ἐν καθαρῶι, ὅτι δὴ νεκύων διεΦαίνετο χῶροσ.
ἐξ ἵππων δ' ἀποβάντεσ ἐπὶ χθόνα μῦθον ἄκουον,
τόν ῥ' Ἕκτωρ ἀγόρευε Διὶ Φίλοσ· ἐν δ' ἄρα χειρὶ
ἔγχοσ ἔχ' ἐνδεκάπηχυ, πάροιθε δὲ 'λάμπετο δουρὸσ
αἰχμὴ χαλκείη, περὶ δὲ χρύσεοσ 'θέε πόρκησ.
τῶι ὅ γ' ἐρεισάμενοσ ϝέπεα Τρώεσσι μετηύδα·
„κέκλυτέ μοι, Τρῶεσ καὶ Δάρδανοι ἠδ' ἐπίκουροι·
νῦν ἐΦάμην νῆάσ τ' ὀλέσασ καὶ πάντασ Ἀχαιοὺσ
ἂψ ἀπονοστήσειν προτὶ Ϝίλιον ἠνεμόεσσαν·
ἀλλὰ πρὶν κνέΦασ ἦλθε, τὸ νῦν ἐσάωσε μάλιστα
Ἀργεΐουσ καὶ νῆασ ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσησ.
ἀλλ' ἤ τοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνηι
δόρπα τ' ἐΦοπλισόμεσθα· ἀτὰρ καλλίτριχασ ἵππουσ
λύσασθ' ὑπ' ἐξ ὀχέων, παρὰ δέ σΦισι βάλλετ' ἐδωδήν·

ἐκ πόλιοσ δ' ἄξεσθε βόασ καὶ ϝίφια μῆλα
καρπαλίμωσ, ϝοῖνον δὲ μελίφρονα ϝοινίζεσθε,
σῖτόν τ' ἐκ μεγάρων, ἐπὶ δὲ ξύλα πολλὰ λέγεσθε,
ὥσ κεν παννύχιοι μέσφ' ἠόοσ ἠριγενείησ
καίωμεν πυρὰ πολλά, σέλασ δ' εἰσ οὐρανὸν ἵκηι,
μή πωσ καὶ διὰ νύκτα κάρη κομάοντεσ 'Αχαιοὶ
φευγέμεν' ὁρμήσωνται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσησ.
μὴ μὰν ἀσπουδεί γε νεῶν ἐπιβαῖεν ἕκηλοι,
ἀλλ' ὥσ τισ τούτων γε βέλοσ καὶ ϝοίκοθι πέσσηι,
βλήμενοσ ἢ ἰῶι ἠ' ἔγχεϊ ὀξυόεντι
νηὸσ ἐπιθρώισκων, ἵνα τισ στυγέηισι καὶ ἄλλοσ
Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισι φέρειν πολύδακρυν Ἄρηα.
κήρυκεσ δ' ἀνὰ ϝάστυ Διὶ φίλοι ἀγγελλόντων
παῖδασ πρωθήβασ πολιοκροτάφουσ τε γέροντασ
λέξασθαι περὶ ϝάστυ θεοδμήτων ἐπὶ πύργων·
θηλύτεραι δὲ γυναῖκεσ ἐνὶ μεγάροισι ϝεκάστη
πῦρ μέγα καιόντων· φυλακὴ δέ τισ ἔμπεδοσ ἔστω,
μὴ λόχοσ εἰσέλθηισι πόλιν λαῶν ἀπεόντων.
ὧδ' ἔστω, Τρῶεσ μεγαλήτορεσ, ὡσ ἀγορεύω·
μῦθοσ δ', ὃσ μὲν νῦν ὑγιήσ, ϝεϝρημένοσ ἔστω,
τὸν δ' ἠοῦσ Τρώεσσι μέθ' ἱπποδάμοισ' ἀγορεύσω.
ϝέλπομαι εὐχόμενοσ Διί τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσι
527 *ἐξελάειν ἐνθένδε κύνασ κήρεσσι φορητούσ.*
529 *ἀλλ' ἤ τοι ἐπὶ νυκτὶ φυλάξομεν ἡμέασ αὐτούσ,*
πρῶϊ δ' ὑπηόϊοι σὺν τεύχεσι θωρηχθέντεσ
νηυσὶν ἔπι γλαφυρῆισιν ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα·
ϝείσομαι ἤ κέ μ' ⟨ἔπειτα μεγὰσ Τελαμώνιοσ Αἴασ⟩
πὰρ νηῶν πρὸσ τεῖχοσ ἀπώσεται, ἤ κεν ἐγὼ τὸν
χαλκῶι δηιώσασ ἔναρα βροτόεντα φέρωμαι.
αὔριον ἣν ἀρετὴν διαϝείσεται, εἴ κ' ἐμὸν ἔγχοσ
μείνηι ἐπερχόμενον· ἀλλ' ἐν πρώτοισιν, ὀίω,
κείσεται οὐτηθείσ, πολέεσ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι,
ἠελίοι' ἀνιόντοσ ἐσ αὔριον. εἰ γὰρ ἐγὼν ὥσ
εἴεν ἀθάνατοσ καὶ ἀγήραοσ ἤματα πάντα,
τιοίμην δ' ὡσ τίετ' 'Αθηναίη καὶ 'Απόλλων,
ὡσ νῦν ἡμέρη ἥδε κακὸν φέρει 'Αργεΐοισι."
ὣσ Ἕκτωρ ἀγόρευ', ἐπὶ δὲ Τρῶεσ 'κελάδησαν.
οἱ δ' ἵππουσ μὲν ἔλυσαν ὑπὸ ζυγοῦ ἱδρώοντασ,

δῆσαν δ' ἱμάντεσσι παρ' ἅρμασι ϝοῖσι ϝέκαστοσ·
545 ἐκ πόλιοσ δ' ἤξοντο βόασ καὶ ϝίφια μῆλα
καρπαλίμωσ, ϝοῖνον δὲ μελίφρονα 'ϝοινίζοντο
547 σῖτόν τ' ἐκ μεγάρων, ἐπὶ δὲ ξύλα πόλλ' ἐλέγοντο.
549 κνίσην δ' ἐκ πεδίοι' ἄνεμοι 'φέρον οὐρανὸν εἴσω.
553 οἳ δὲ μέγα φρονέοντεσ ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρασ
ἥατο παννύχιοι, πυρὰ δέ σφισι 'καίετο πολλά.
555 ὡσ δ' ὅτ' ἐν οὐρανῶι ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμοσ αἰθήρ,
ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώιονεσ ἄκροι
καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετοσ αἰθήρ,
πάντα δὲ ϝείδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν·
560 τόσσα μεσηγὺ νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων
Τρώων καιόντων πύρ' ἐφαίνετο Ϝιλιόθι πρό.
χίλι' ἄρ' ἐν πέδίωι πύρ' ἐκαίετο, πὰρ δὲ ϝεκάστωι
ἥατο πεντήκοντα σέλαι πυρὸσ αἰθομένοιο.
ἵπποι δὲ κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι καὶ ὀλύρασ
565 ἑσταότεσ παρ' ὄχεσφιν ἐΰθρονον 'Ηό' ἔμιμνον.
I 1 ὣσ οἳ μὲν Τρῶεσ φυλακὰσ ἔχον· αὐτὰρ 'Αχαιοὺσ
θεσπεσίη ἔχε φύζα, φόβου κρυόεντοσ ἑταίρη,
πένθεϊ δ' ἀτλήτωι 'βεβολήατο πάντεσ ἄριστοι.
ὡσ δ' ἀνέμω δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα
5 βορρῆσ καὶ Ζέφυροσ, τώ τε Θρηΐκηθεν ἄητον,
ἐλθόντ' ἐξαπίνησ, ἄμυδισ δέ τε κῦμα κελαινὸν
κορθύεται, πολλὸν δὲ παρ' ἐξ ἅλα φῦκοσ ἔχευε,
ὣσ ἐδαΐζετο θυμὸσ ἐνὶ στήθεσσιν 'Αχαιῶν.
'Ατρεΐδησ δ' ἄχεϊ μεγάλωι βεβολημένοσ ἦτορ
10 'φοίταε κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κελεύων
κλήδην εἰσ ἀγορὴν κικλησκέμεν' ἄνδρα ϝέκαστον,
μηδὲ βοᾶν· αὐτὸσ δὲ μετὰ πρώτοισ' ἐπονεῖτο.
ἷζον δ' ἐν ἀγορῆι τετιηότεσ· ἂν δ' 'Αγαμέμνων
ἵστατο δάκρυ χέων ὥσ τε κρήνη μελάνυδροσ,
15 ἥ τε κατ' αἰγίλιποσ πέτρησ δνοφερὸν χέει ὕδωρ.
ὣσ ὃ βαρὺ στενάχων ϝέπε' 'Αργείοισι μετηύδα·
„ὦ φίλοι, 'Αργείων ἡγήτορεσ ἠδὲ μέδοντεσ,
Ζεύσ με μέγασ Κρονίδησ ἀάτηι ἐνέδησε βαρείηι,
σχέτλιοσ, ὃσ πρὶν μέν μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσε
20 Ϝίλιον ἐκπέρσαντ' ἐυτειχέα ἀπονέεσθαι,

νῦν δὲ κακὴν ἀπάτην ’βουλεύσατο, καί με κελεύει
δυσκλεέ’ Ἄργοσ ἱκέσθαι, ἐπεὶ πολὺν ὤλεσα λαόν.
οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ Φίλον εἶναι,
ὃσ δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα
25 ἠδ’ ἔτι καὶ λύσει· τοῦ γὰρ κράτοσ ἐστὶ μέγιστον.
ἀλλ’ ἄγεθ’, ὥσ κεν ἐγὼ ϝείπω, πειθώμεθα πάντεσ·
Φεύγωμεν σὺν νηυσὶ Φίλην εἰσ πατρίδα γαῖαν,
οὐ γὰρ ἔτι Τροίην αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.”
ὣσ ἔΦαθ’, οἳ δ’ ἄρα πάντεσ ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῆι.
30 δϝὴν δ’ ἄνεω ἦσαν τετιηότεσ υἷεσ ’Αχαιῶν·
ὀψὲ δὲ δὴ μετέϝειπε βοὴν ἀγαθὸσ Διομήδησ·
32 „’Ατρεΐδη, σοὶ πρῶτα μαχέσσομαι ἀΦραδέοντι.
40 δαιμόνι’, οὕτω που μάλα ϝέλπεαι υἷασ ’Αχαιῶν.
ἀπτολέμουσ τ’ ἔμεναι καὶ ἀνάλκιδασ, ὡσ ἀγορεύεισ;
εἰ δέ τοι αὐτῶι θυμὸσ ἐπέσσυται ὥστε νέεσθαι,
43 ἔρχεο· πάρ τοι ὁδόσ, νῆεσ δέ τοι ἄγχι θαλάσσησ!
45 ἀλλ’ ἄλλοι μενέουσι κάρη κομάοντεσ ’Αχαιοί,
εἰσ ὅ κέ περ Τροίην διαπέρσομεν. εἰ δὲ καὶ αὐτοί,
Φευγόντων σὺν νηυσὶ Φίλην εἰσ πατρίδα γαῖαν!
νῶϊ δ’, ἐγὼ Σθένελόσ τε, μαχεσσόμεθ’ εἰσ ὅ κε τέκμωρ
Ϝιλίου εὕρωμεν· σὺν γὰρ θεῶι εἰλήλυθμεν.”
50 ὣσ ἔΦαθ’, οἳ δ’ ἄρα πάντεσ ἐπίϝαχον υἷεσ ’Αχαιῶν,
μῦθον ἀγασσάμενοι Διομήδεοσ ἱπποδάμοιο.
τοῖσι δ’ ἀνιστάμενοσ μετεΦώνεεν ἱππότα Νέστωρ·
„Τυδεΐδη, περὶ μὲν πολέμωι ἔνι καρτερόσ ἐσσι,
καὶ βουλῆι κατὰ πάντασ ὁμήλικασ ἔπλε’ ἄριστοσ.
55 οὔ τίσ τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται, ὅσσοι ’Αχαιοί,
οὐδὲ πάλιν ϝερέει· ἀτὰρ οὐ τέλοσ ἵκεο μύθων.
ἦ μὲν καὶ νέοσ ἐσσί ἐμὸσ δέ κε καὶ πάϊσ εἴησ
58 ὁπλότατοσ γενεῆΦιν· ἀτὰρ πεπνυμένα βάζεισ.
60 ἀλλ’ ἄγ’ ἐγών, ὃσ σεῖο γεραίτεροσ εὔχομαι εἶναι,
ἐκϝείπω καὶ πάντα διίξομαι· οὐδέ κέ τίσ μοι
62 μῦθον ἀτιμάσσηι, οὐδὲ κρείων ’Αγαμέμνων.
65 ἀλλ’ ἤ τοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνηι
δόρπα τ’ ἐΦοπλισόμεσθα· Φυλακτῆρεσ δὲ ϝέκαστοι
λεξάσθων παρὰ τάΦρον ὀρυκτὴν τείχεοσ ἐκτόσ.
κούροισιν μὲν ταῦτ’ ἐπιτέλλομαι, αὐτὰρ ἔπειτα,
’Ατρεΐδη, σὺ μὲν ἄρχε· — σὺ γὰρ βασιλεύτατόσ ἐσσι. —

δαίνυ δαῖτα γέρουσι. ϝέϝοικέ τοι, οὔ τοι ἀϝεικέσ.
πλεῖαί τοι ϝοίνου κλισίαι, τὸν νῆεσ Ἀχαιῶν
ἠμάτιαι Θρηΐκηθεν ἐπ' εὐρέα πόντον ἄγουσι·
πᾶσά τοί ἐσθ' ὑποδεξίη, πολέσιν δὲ ϝανάσσεισ.
πολλῶν δ' ἀγρομένων τῶι πείσεαι, ὅσ κεν ἀρίστην
βουλὴν βουλεύσηι· μάλα δὲ χρεὼ πάντασ Ἀχαιοὺσ
ἐσθλῆσ καὶ πυκινῆσ, ὅτι δήϊοι ἐγγύθι νηῶν
καίουσιν πυρὰ πολλά· τίσ ἂν τάδε γηθήσειε!
νὺξ δ' ἧδ' ἠὲ διαρραίσει στρατὸν ἠὲ σαώσει."
ὣσ ἔφαθ', οἳ δ' ἄρα τοῦ μάλα μὲν 'κλύον ἠδ' ἐπίθοντο.
ἐκ δὲ φυλακτῆρεσ σὺν τεύχεσιν ἐσσεύοντο
ἀμφί τε Νεστορίδην Θρασυμήδεα, ποιμένα λαῶν,
ἠδ' ἀμφ' Ἀσκάλαφον καὶ Ἰάλμενον, υἷασ Ἄρηοσ,
ἀμφί τε Μηριόνην Ἀφαρῆά τε Δηΐπυρόν τε
ἠδ' ἀμφὶ Κρείοντοσ υἱόν, Λυκομήδεα δῖον.
ἕπτ' ἔσαν ἡγεμόνεσ φυλάκων, ἑκατὸν δὲ ϝεκάστωι
κοῦροι ἅμ' ἔστειχον, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντεσ,
κὰδ δὲ μέσον τάφρου καὶ τείχεοσ ἷζον ἰόντεσ.
ἔνθα δὲ πῦρ 'κήαντο, 'τίθεντο δὲ δόρπα ϝέκαστοι.
Ἀτρεΐδησ δὲ γέροντασ ἀϝολλέασ ἦγεν Ἀχαιῶν
εἰσ κλισίην, παρὰ δέ σφ' ἐτίθει μενοϝεικέα δαῖτα·
οἳ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρασ ἴαλλον.
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιοσ καὶ ἐδητύοσ ἐξ ἔρον εἷντο,
τοῖσ' ὁ γέρων πάμπρωτοσ ὑφαινέμεν' ἤρχετο μῆτιν,
Νέστωρ, οὗ καὶ πρόσθεν ἀρίστη 'φαίνετο βουλή·
ὅ σφιν ἐῢ φρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέϝειπε·
„Ἀτρεΐδη κύδιστε, ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον,
ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι, οὕνεκα πολλῶν
λαῶν ἐσσι ϝάναξ, καί τοι Ζεὺσ ἠγγυάλιξε
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστασ, ἵνα σφίσι βουλεύηισθα.
τῶι σε χρὴ περὶ μὲν φάσθαι ϝέποσ ἠδ' ἐπακοῦσαι,
κρηῆναι δὲ καὶ ἄλλωι ὅ κέν τινα θυμὸσ ἀνώγηι
ϝειπέμεν' εἰσ ἀγαθόν· σέο δ' ἕξεται ὅττι κεν ἄρχηι.
αὐτὰρ ἐγὼ ϝερέω ὥσ μοι δοκεῖ ἔμμεν' ἄριστα·
οὐ γάρ τισ νόον ἄλλοσ ἀμείνονα τοῦδε νοήσει,
οἷον ἐγὼ νοέω, ἠμὲν πάλαι ἠδ' ἔτι καὶ νῦν,
ἐξ ἔτι τοῖ' ὅτε, διογενέσ, Βρισηΐδα κούρην
χωομένοι' Ἀχιλῆοσ ἔβησ κλισίηθεν ἀποϝράσ

οὔ τι καθ' ἡμέτερόν γε νόον! μάλα γάρ τοι ἐγώ γε
πόλλ' ἀπεμυθεόμην. σὺ δὲ σῶι μεγαλήτορι θυμῶι
Fείξασ ἄνδρα Φέριστον, ὃν ἀθάνατοί περ ἔτισαν,
ἠτίμασσασ· ἑλὼν γὰρ ἔχεισ γέρασ. ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
Φραζώμεσθ', ὥσ κέν μιν ἀρεσσάμενοι πεπίθωμεν
δώροισίν τ' ἀγανοῖσι Fέπεσσί τε μειλιχίοισι."
  τὸν δ' αὖτε προσέFειπε Fάναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων·
„ὦ γέρον, οὔ τι ψεῦδοσ ἐμὰσ ἄτασ κατέλεξασ.
ἀασάμην, οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι. ἀντί νυ πολλῶν
λαῶν ἐστιν ἀνήρ, ὅν τε Ζεὺσ κῆρι Φιλήσηι,
ὡσ νῦν τοῦτον ἔτισε, 'δάμασσε δὲ λαὸν 'Αχαιῶν.
ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην Φρεσὶ λευγαλέηισι πιθήσασ,
ἂψ ἐθέλω ἀρέσαι δόμεναί τ' ἀπερείσι' ἄποινα.
ὔμι δέ κ' ἐν πάντεσσι περικλυτὰ δῶρ' ὀνομήνω·
ἕπτ' ἀπύρουσ τρίποδασ, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
αἴθωνασ δὲ λέβητασ ἐFείκοσι, δώδεκα δ' ἵππουσ
πηγοὺσ ἀθλοΦόρουσ, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.
οὔ κεν ἀλήϊοσ εἴη ἀνήρ, ὧι τόσσα γένοιτο
127 ὅσσα μοι ἠνείκαντο ἀέθλια μώνυχεσ ἵπποι.
δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκασ ἀμύμονα Fέργα Fιδυίασ,
Λεσβίδασ, ἅσ, ὅτε Λέσβον ἐῢ κτιμένην ἕλεν αὐτόσ,
ἐξελόμην, αἳ κάλλε' ἐνίκων Φῦλα γυναικῶν.
τὰσ μέν Fοι δώσω, μετὰ δ' ἔσσεται ἣν τότ' ἀπέFραν,
κούρη Βρισῆοσ· καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι
μή ποτε τῆσ εὐνῆσ ἐπιβήμεναι ἠδὲ μιγῆναι,
ἣ θέμισ ἀνθρώπων πέλετ', ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν.
ταῦτα μὲν αὐτίκα πάντα παρέσσεται· εἰ δέ κεν αὖτε
Fάστυ μέγα Πριάμοιο θεοὶ δώωσ' ἀλαπάξαι,
νῆα Fάλισ χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ νηησάσθω,
εἰσελθὼν ὅτε κεν δατεώμεθα ληΐδ' 'Αχαιοί,
Τρωϊάδασ δὲ γυναῖκασ ἐFείκοσιν αὐτὸσ ἑλέσθω,
αἵ κε μετ' 'Αργείην 'Ελένην κάλλισται ἔωσι.
εἰ δέ κεν Ἄργοσ ἱκώμεθ' 'Αχαιικόν, οὖθαρ ἀρούρησ,
γαμβρόσ κέν μοι ἔηι· τίσω δέ Fε Fῖσον 'Ορέστηι,
ὅσ μοι τηλύγετοσ τρέΦεται θαλίηι ἔνι πολλῆι,
τρεῖσ δέ μοί εἰσι θύγατρεσ ἐνὶ μεγάρωι ἐῢ πηκτῶι,
Χρυσόθεμισ καὶ Λαοδίκη καὶ FιΦιFάνασσα·
τάων ἥν κ' ἐθέλῃισι Φίλην ἀνέFεδνον ἀγεσθω

πρὸσ ϝοῖκον Πηλῆοσ· ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω
πολλὰ μάλ', ὅσσ' οὔ πώ τισ ἑϝῆι ἐπέδωκε θυγατρί.
ἑπτὰ δέ ϝοι δώσω εὖ ναιόμενα πτολίεθρα,
Καρδαμύλην Ἐνόπην τε καὶ Ἱρὴν ποιήεσσαν
Φηράσ τε ζαθέασ ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον
καλήν τ' Αἴπειαν καὶ Πήδασον ἀμπελόεσσαν.
πᾶσαι δ' ἐγγὺσ ἁλόσ, νέαται Πύλου ἠμαθόεντοσ·
ἐν δ' ἄνδρεσ ναίουσι πολύρρηνεσ πολυβοῦται,
οἵ τέ ϝε δωτίνηισι θεὸν ὣσ τιμήσουσι
καί ϝοι ὑπὸ σκήπτρωι λιπαρὰσ τελέουσι θέμιστασ.
ταῦτά κέ ϝοι τελέσαιμι μεταλλήξαντι χόλοιο.
δμηθήτω! — Ἀϝίδησ τοι ἀμείλιχοσ ἠδ' ἀδάμαστοσ·
τούνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστοσ ἁπάντων —
καί μοι ὑποστήτω, ὅσσον βασιλεύτερόσ εἰμι
ἠδ' ὅσσον γενεῆι προγενέστεροσ εὔχομαι εἶναι."
τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα γερήνιοσ ἱππότα Νέστωρ·
„Ἀτρεΐδη κύδιστε, ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον,
δῶρα μὲν οὐκέτ' ὀνοστὰ διδοῖσ Ἀχιλῆϊ ϝάνακτι·
ἀλλ' ἄγετε κλητοὺσ ὀτρύνομεν, οἵ κε τάχιστα
ἔλθωσ' εἰσ κλισίην Πηληϊάδα' Ἀχιλῆοσ
εἰ δ' ἄγε, τοὺσ μὲν ἐγὼν ἐπιόψομαι, οἱ δὲ πιθέσθων.
Φοίνιξ μὲν πρώτιστα Διὶ φίλοσ ἡγησάσθω,
αὐτὰρ ἔπειτ' Αἴασ τε μέγασ καὶ δῖοσ Ὀδυσσεύσ,
κηρύκων δ' Ὀδίοσ τε καὶ Εὐρυβάτησ ἅμ' ἑπέσθων.
φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,
ὄφρα Διὶ Κρονίδηι ἀρησόμεθ', αἴ κ' ἐλεήσηι."
ὣσ' Ἔφάτο, τοῖσι δὲ πᾶσι ϝεϝαδότα μῦθον ἔϝειπε.
αὐτίκα κήρυκεσ μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρασ ἔχευαν,
κοῦροι δὲ κρητῆρασ ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
'νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσι.
αὐτὰρ ἐπεὶ 'σπεῖσάν τε 'πίον θ' ὅσον ἤθελε θυμόσ,
ὡρμῶντ' ἐκ κλισίησ Ἀγαμέμνονοσ Ἀτρεΐδαο.
τοῖσι δὲ πόλλ' ἐπέτελλε γερήνιοσ ἱππότα Νέστωρ,
δενδίλλων ἐσ ἕκαστον, Ὀδυσσῆϊ δὲ μάλιστα,
πειρᾶν, ὡσ πεπίθοιεν ἀμύμονα Πηλεΐωνα.
τὼ δ' ἐβάτην παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσησ,
πολλὰ μάλ' εὐχομένω γαιηόχωι ἐνοσιγαίωι
ῥηϊδίωσ πεπιθεῖν μεγάλασ φρένασ Αἰακίδαο.

Μυρμιδόνων ἐπί τε κλισίασ καὶ νῆασ ἱκέσθην,
τὸν δ' ηὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείηι,
καλῆι δαιδαλέηι. ἐπὶ δ' ἀργύρεον ζυγὸν ἦεν·
τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πόλιν Ἠετίωνοσ ὀλέσσασ·
τῆι ὅ γε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέε' ἀνδρῶν.
Πάτροκλοσ δέ ϝοι οἶοσ ἐναντίοσ ἧστο σιωπῆι,
δέγμενοσ Αἰακίδην, ὁπότε λήξειεν ἀείδων.
τὼ δ' ἐβάτην προτέρω, ἡγεῖτο δὲ δῖοσ Ὀδυσσεύσ,
'στὰν δὲ πρόσθ' αὐτοῖο. ταφὼν δ' ἀνόρουσεν Ἀχιλλεὺσ
αὐτῆι σὺν φόρμιγγι, λιπὼν ἕδοσ ἔνθ' ἐθάασσε·
ὣσ δ' αὔτωσ Πάτροκλοσ, ἐπεὶ 'ϝίδε φῶτασ, ἀνέστη.
τὼ καὶ δεικνύμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„χαίρετον· ἦ φίλω ἄνδρε ἱκάνετον· ἦ τι μάλα χρεώ,
ὥ μοι σκυζομένωι περ Ἀχαιῶν φιλτάτω ἐστόν."
ὣσ ἄρα φωνήσασ προτέρω ἄγε δῖοσ Ἀχιλλεύσ,
εἷσε δ' ἐνὶ κλισμοῖσι τάπησί τε πορφυρέοισι,
αἶψα δὲ Πάτροκλον προσεφώνεεν ἐγγὺσ ἐόντα·
„μείζονα δὴ κρητῆρα, Μενοιτίου υἱέ, καθίστα.
ζωρότερον δὲ κέραιε, δέπασ δ' ἔντυνε ϝεκάστωι·
οἳ γὰρ φίλτατοι ἄνδρεσ ἐμῶι ὑπέασι μελάθρωι."
ὣσ 'φάτο, Πάτροκλοσ δὲ φίλωι ἐπεπείθεθ' ἑταίρωι.
αὐτὰρ ὅ γε κρεῖον μέγα κάββαλεν ἐν πυρὸσ αὐγῆι,
ἐν δ' ἄρα νῶτον ἔθηκ' ὄϊοσ καὶ πίονοσ αἰγόσ,
ἐν δὲ συὸσ σιάλοιο ῥάχιν τεθαλυῖαν ἀλοιφῆι.
τῶι δ' ἔχεν Αὐτομέδων, 'τάμνεν δ' ἄρα δῖοσ Ἀχιλλεύσ.
καὶ τὰ μὲν εὖ 'μίστυλλε καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρε,
πῦρ δὲ Μενοιτιάδησ 'δαῖεν μέγα, ϝισόθεοσ φώσ.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη,
ἀνθρακιὴν στορέσασ ὀβελοὺσ ἐφύπερθ' ἐτάνυσσε,
'πάσσε δ' ἁλὸσ θείοιο, κρατευτάων ἐπαείρασ.
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ὤπτησε καὶ ἐν ἐλεοῖσιν ἔχευε,
Πάτροκλοσ μὲν σῖτον ἑλὼν ἐπένειμε τραπέζηι
καλοῖσ' ἐν κανέοισιν, ἀτὰρ κρέα 'νεῖμεν Ἀχιλλεύσ.
αὐτὸσ δ' ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆοσ θείοιο
τοίχου τοῖ' ἑτέροιο, θεοῖσι δὲ θῦσαι ἄνωγε
Πάτροκλον, ϝὸν ἑταῖρον· ὃ δ' ἐν πυρὶ 'βάλλε θυηλάσ.
οἳ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρασ ἴαλλον.
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιοσ καὶ ἐδητύοσ ἐξ ἔρον εἷντο,

'νεῦσ' Αἶασ Φοίνικι. 'νόησε δὲ δῖοσ 'Οδυσσεύσ,
πλησάμενοσ δ' οἴνοιο δέπασ 'δέδϝεκτ' 'Αχιλῆα·
„χαῖρ', 'Αχιλεῦ. δαιτὸσ μὲν ἐϝίσησ οὐκ ἐπιδευέισ,
ἠμὲν ἐνὶ κλισίηι 'Αγαμέμνονοσ 'Ατρεΐδαο
ἠδὲ καὶ ἐνθάδε νῦν. πάρα γὰρ μενοϝεικέα πολλὰ
δαίνυσθ'. ἀλλ' οὐ δαιτὸσ ἐπήρατα ϝέργα μέμηλε,
ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφέσ, εἰσοράοντεσ
δέδϝιμεν· ἐν δοιῆι δὲ σάασ ἔμεν' ἢ ἀπολέσθαι
νῆασ ἐυσσέλμουσ, εἰ μὴ σύ γε δύσεαι ἀλκήν.
ἐγγὺσ γὰρ νηῶν καὶ τείχεοσ αὖλιδ' ἔθεντο
Τρῶεσ ὑπέρθυμοι τηλεκλειτοί τ' ἐπίκουροι,
κηάμενοι πυρὰ πολλὰ κατὰ στρατόν, οὐδ' ἔτι φασὶ
σχήσεσθ', ἀλλ' ἐν νηυσὶ μελαίνηισιν πεσέεσθαι.
Ζεὺσ δέ σφι Κρονίδησ ἐνδέξια σήματα φαίνων
ἀστράπτει· Ἕκτωρ δὲ μέγα σθένεϊ βλεμεαίνων
μαίνεται ἐκπάγλωσ, πίσυνοσ Διί, οὐδέ τι τίει
ἀνέρασ οὐδὲ θεούσ, κρατερὴ δέ ϝε λύσσα δέδυκε.
ἀράεται δὲ τάχιστα φανήμεναι 'Ηόα δῖαν·
στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκοψέμεν' ἄκρα κόρυμβα
αὐτάσ τ' ἐμπρήσειν μαλεροῦ πυρόσ, αὐτὰρ 'Αχαιοὺσ
δηιώσειν παρὰ τῆισιν, ὀρινομένουσ ὑπὸ καπνοῦ.
ταῦτ' αἰνῶσ δέδϝοικα κατὰ φρένα, μή ϝοι ἀπειλὰσ
ἐκτελέσωσι θεοί, ἧμιν δὲ δὴ αἴσιμον εἴηι
φθίσθαι ἐνὶ Τροίηι, ϝεκὰσ Ἄργεοσ ἱπποβότοιο.
ἀλλ' ἄνα! εἰ μέμονάσ γε καὶ ὀψέ περ υἷασ 'Αχαιῶν
τειρομένουσ ῥύεσθαι ὑπὸ Τρώων ὀρυμαγδοῦ.
αὐτῶι τοι μετόπισθ' ἄχοσ ἔσσεται, οὐδέ τι μῆχοσ
ῥεχθέντοσ κακοῦ ἔστ' ἄκοσ εὑρέμεν'· ἀλλὰ πολὺ πρὶν
φράζε' ὅπωσ Δαναοῖσιν ἀλεξήσεισ κακὸν ἦμαρ.
ὦ πέπον, ἦ μὲν σοί γε πατὴρ ἐπετέλλετο Πηλεὺσ
ἤματι τῶι, ὅτε σ' ἐκ Φθίησ 'Αγαμέμνον' ἔπεμπε·
,τέκνον ἐμόν, κάρτοσ μὲν 'Αθηναίη τε καὶ Ἥρη
δώσουσ', αἴ κ' ἐθέλωσι, σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
ἰσχέμεν' ἐν στήθεσσι, φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων.'
ὣσ ἐπέτελλ' ὁ γέρων, σὺ δὲ λήθεαι. ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
παύε', ἔα δὲ χόλον θυμαλγέα· σοὶ δ' 'Αγαμέμνων
ἄξια δῶρα δίδωσι μεταλλήξαντι χόλοιο.
εἶ δὲ, σὺ μέν με' ἄκουσον, ἐγὼ δέ κέ τοι καταλέξω

ὅσσα τοι ἐν κλισίῃσιν ὑπέσχετο δῶρ' Ἀγαμέμνων·
ἕπτ' ἀπύρουσ τρίποδασ, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
αἴθωνασ δὲ λέβητασ ἐFείκοσι, δώδεκα δ' ἵππουσ
πηγοὺσ ἀθλοφόρουσ, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.
οὔ κεν ἀλήϊοσ εἴη ἀνήρ, ὧι τόσσα γένοιτο.
ὅσσ' Ἀγαμέμνονοσ ἵπποι ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.
δώσει δ' ἑπτὰ γυναῖκασ, ἀμύμονα Fέργα Fιδυίασ,
Λεσβίδασ, ἃσ, ὅτε Λέσβον ἐὺ κτιμένην ἕλεσ αὐτόσ,
ἐξέλεθ', αἳ τότε κάλλε' ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.
τὰσ μέν τοι δώσει, μετὰ δ' ἔσσεται ἣν τότ' ἀπέFρα,
κούρη Βρισῆοσ· ἐπὶ δὲ μέγαν ὅρκον ὀμεῖται
μή ποτε τῆσ εὐνῆσ ἐπιβήμεναι ἠδὲ μιγῆναι,
ἣ θέμισ ἐστί, Fάναξ, ἤ τ' ἀνδρῶν ἤ τε γυναικῶν.
ταῦτα μὲν αὐτίκα πάντα παρέσσεται· εἰ δέ κεν αὖτε
Fάστυ μέγα Πριάμοιο θεοὶ δώωσ' ἀλαπάξαι,
νῆα Fάλισ χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ νηήσασθαι,
εἰσελθὼν ὅτε κεν δατεώμεθα ληΐδ' Ἀχαιοί,
Τρωϊάδασ δὲ γυναῖκασ ἐFείκοσιν αὐτὸσ ἑλέσθαι,
αἴ κε μετ' Ἀργεΐην Ἑλένην κάλλισται ἔωσι.
εἰ δέ κεν Ἄργοσ ἱκώμεθ' Ἀχαιικόν, οὖθαρ ἀρούρησ,
γαμβρόσ κέν Fοι ἔηισ· τίσει δέ σε Fῖσον Ὀρέστηι,
ὅσ Fοι τηλύγετοσ τρέφεται θαλίηι ἔνι πολλῆι.
τρεῖσ δέ Fοί εἰσι θύγατρεσ ἐνὶ μεγάρωι ἐῢ πηκτῶι,
Χρυσόθεμισ καὶ Λαοδίκη καὶ FιφιFάνασσα·
τάων ἥν κ' ἐθέληισθα φίλην ἀνέFεδνον ἄξεσθαι
πρὸσ Fοῖκον Πηλῆοσ· ὃ δ' αὖτ' ἐπὶ μείλια δώσει
πολλὰ μάλ', ὅσσ' οὔ πώ τισ ἑFῆι ἐπέδωκε θυγατρί.
ἑπτὰ δέ τοι δώσει ἐὺ ναιόμενα πτολίεθρα,
Καρδαμύλην Ἐνόπην τε καὶ Ἱρὴν ποιήεσσαν
Φηράσ τε ζαθέασ ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον
καλήν τ' Αἴπειαν καὶ Πήδασον ἀμπελόεσσαν.
πᾶσαι δ' ἐγγὺσ ἁλόσ, νέαται Πύλου ἠμαθόεντοσ·
ἐν δ' ἄνδρεσ ναίουσι πολύρρηνεσ πολυβοῦται,
οἵ τέ σε δωτίνηισι θεὸν ὣσ τιμήσουσι
καὶ τοι ὑπὸ σκήπτρωι λιπαρὰσ τελέσωσι θέμιστασ.
ταῦτά κέ τοι τελέσειε μεταλλήξαντι χόλοιο.
εἰ δέ τοι Ἀτρεΐδησ μὲν ἀπήχθετο κηρόθι μᾶλλον,
αὐτόσ καὶ τοῦ δῶρα, σὺ δ' ἄλλουσ περ Παναχαιοὺσ

τειρομένουσ ἐλέαιρε κατὰ στρατόν, οἵ σε θεὸν ὣσ
τίσουσ'· ἦ γάρ κέ σφι μάλα μέγα κῦδοσ ἄροιο.
νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοισθα, ἐπεὶ μάλα τοι σχεδὸν ἦλθε,
305 λύσσαν ἔχων ὀλοήν, ἐπεὶ οὔ τινά φησιν ὁμοῖον
ϝοὶ ἔμεναι Δαναῶν, οὓσ ἐνθάδε νῆεσ ἔνεικαν."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ.
„διογενὲσ Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέωσ ἀποϝειπεῖν,
310 ᾗι περ δὴ φρονέω τε καὶ ὡσ τετελεσμένον ἔσται,
ὡσ μή μοι τρύζητε παρήμενοι ἄλλοθεν ἄλλοσ.
ἐχθρὸσ γάρ μοι κεῖνοσ ὁμῶσ Ἀϝίδαο πύλῃισι,
ὅσ χ' ἕτερον μὲν κεύθηι ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ ϝείπηι.
αὐτὰρ ἐγὼ ϝερέω ὥσ μοι δοκεῖ ἔμμεν' ἄριστα.
315 οὔτ' ἐμέ γ' Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα πεισέμεν' οἴω
οὔτ' ἄλλουσ Δαναούσ, ἐπεὶ οὐκ ἄρα τισ χάρισ ἦεν
317 μάρνασθαι δηΐοισιν ἐπ' ἀνδράσι νωλεμὲσ αἰεί.
356 νῦν δ', ἐπεὶ οὐκ ἐθέλω πολεμιζέμεν' Ἕκτορι δίωι,
αὔριον ἱρὰ Διὶ ῥέξασ καὶ πᾶσι θεοῖσι
νηήσω εὖ νῆασ, ἔπει χ' ἅλαδε προϝερύσσω.
ὄψεαι, αἴ κ' ἐθέλῃισθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃι,
360 ἦρι μάλ' Ἑλλήσποντον ἐπ' ἰχθυόεντα πλεούσασ
νῆασ ἐμάσ, ἐν δ' ἄνδρασ ἐρεσσέμεναι μεμαῶτασ·
εἰ δέ κ' εὐπλοΐην δώηι κλυτὸσ ἐνοσίγαιοσ,
ἤματί κε τριτάτωι Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.
ἔστι δέ μοι μάλα πολλά, τὰ κάλλιπον ἐνθάδε ϝέρρων·
378 ἐχθρὰ δέ μοι τοῦ δῶρα, τίω δέ μιν ἐν καρὸσ αἴσηι.
379 οὐδ' εἴ μοι δεκάκισ καὶ ἐϝεικοσάκισ τόσα δοίη,
388 κούρην δ' οὐ γαμέω Ἀγαμέμνονοσ Ἀτρεΐδαο,
οὐδ' εἰ χρυσείηι Ἀφροδίτηι κάλλοσ ἐρίζοι,
390 ϝέργα δ' Ἀθηναίηι γλαυκώπιδι ϝισοφαρίζοι·
οὐδέ μιν ὣσ γαμέω. ὃ δ' Ἀχαιῶν ἄλλον ἐλέσθω,
ὅσ τίσ ϝοί τε ϝέϝοικε καὶ ὃσ βασιλεύτερόσ ἐστι·
421 ἀλλ' ὕμεσ μὲν ἰόντεσ ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν
ἀγγελίην ἀπόφασθε, — τὸ γὰρ γέρασ ἐστὶ γερόντων, —
ὄφρ' ἄλλην φράζωνται ἐνὶ φρεσὶ μῆτιν ἀμείνω, —
ἥ κέ σφιν νῆασ σαόηι καὶ λαὸν Ἀχαιῶν
425 νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσ'· ἐπεὶ οὔ σφισιν ἥδε γ' ἑτοίμη,
ἣν νῦν ἐφράσσαντο, ἐμεῖ' ἀπομηνίσαντοσ.

Φοίνιξ δ' αὖθι παρ' ἧμι μένων κατακοιμηθήτω,
ὄφρα μοι ἐν νήεσσι φίλην εἰσ πατρίδ' ἕπηται
αὔριον, αἴ κ' ἐθέληισιν· ἀνάγκηι δ' οὔ τί μιν ἄξω."
ὣσ ἔφαθ', οἳ δ' ἄρα πάντεσ ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῆι,
μῦθον ἀγασσάμενοι· μάλα γὰρ κρατερῶσ ἀπέϝειπε.
ὀψὲ δὲ δὴ μετέϝειπε γέρων ἱππηλάτα Φοῖνιξ
δάκρυ' ἀναπρήσασ, περὶ γὰρ 'δϝίε νηυσὶν 'Αχαιῶν·
„εἰ μὲν δὴ νόστον γε μετὰ φρεσί, φαίδιμ' 'Αχιλλεῦ,
βάλλεαι, οὐδέ τι πάμπαν ἀμύνειν νηυσὶ θοῆισι
πῦρ ἐθέλεισ ἀΐδηλον, ἐπεὶ χόλοσ ἔμπεσε θυμῶι,
πῶσ κεν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκοσ, αὖθι λιποίμην
οἶοσ! σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺσ
ἤματι τῶι ὅτε σ' ἐκ Φθίησ 'Αγαμέμνονι' ἔπεμπε
νήπιον, οὔ πω ϝειδόθ' ὁμοιίοο πτολέμοιο
οὐδ' ἀγορῆσ, ἵνα τ' ἄνδρεσ ἀριπρεπέεσ τελέθουσι.
τούνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ϝέργων.
ὣσ ἄρ' ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκοσ, οὔ κ' ἐθέλοιμι
λείπεσθ', οὐδ' εἴ πέρ μοι ὑποσταίη θεὸσ αὐτὸσ
γῆρασ ἀποξύσασ θήσειν νέον ἡβάοντα,
οἷον ὅτε πρῶτον 'λίπον 'Ελλάδα καλλιγύναικα,
φεύγων νείκεα πατρὸσ 'Αμύντοροσ 'Ορμενίδαο,
ὅσ μοι παλλακίδοσ πέρι 'χώσατο καλλικόμοιο,
τὴν αὐτὸσ 'φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν,
μητέρ' ἐμήν· ἣ δ' αἰὲν ἔμ' ἐλλισσέσκετο γούνων
παλλακίδι προμιγήμεν', ἵν' ἐχθήρειε γέροντα.
τῆι 'πιθόμην καὶ ἔρεξα· πατὴρ δ' ἐμὸσ αὐτίκ' ὀΐσθεὶσ
πολλὰ κατηράετο, στυγερὰσ δ' ἐπεκέκλετ' 'Ερινῦσ,
μή ποτε γούνασ' ἐμοῖσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράσ,
457 Ζεύσ τε καταχθόνιοσ καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.
462 ἔνθ' ἐμοὶ οὐκέτι πάμπαν ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμὸσ
πατρὸσ χωομένοιο κατὰ μέγαρα στροφάεσθαι.
ἦ μὲν πολλὰ ϝέται καὶ ἀνεψιοὶ ἀμφὶσ ἐόντεσ
αὐτόθι λισσόμενοι κατερήτυον ἐν μεγάροισι,
πολλὰ δὲ ϝίφια μῆλα καὶ εἰλίποδασ ϝέλικασ βοῦσ
ἔσφαζον, πολλοὶ δὲ σύεσ θαλέθοντεσ ἀλοιφῆι
εὑόμενοι 'τανύοντο διὰ φλογὸσ 'Ηφαίστοιο,

πολλὸν δ' ἐκ κεράμων μέθυ 'πίνετο τοῖο γέροντοσ.
εἰνάνυχεσ δέ μοι ἀμφ' αὐτῶι παρὰ νύκτασ ἴαυον·
οἳ μὲν ἀμειβόμενοι φυλακὰσ ἔχον, οὐδέ ποτ' ἔσβη
πῦρ, ἕτερον μὲν ὑπ' αἰθούσηι εὐερκέοσ αὐλῆσ,
ἄλλο δ' ἐνὶ προδόμωι, πρόσθεν θαλάμοιο θυράων.
ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη μοι ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή,
καὶ τότ' ἐγὼ θαλάμοιο θύρασ πυκινῶσ ἀραρυίασ
ῥήξασ ἐξῆλθον καὶ ὑπέρθορον ἑρκίον αὐλῆσ,
ῥεῖα λαθὼν φύλακάσ τ' ἄνδρασ δμωιάσ τε γυναῖκασ.
'Φεῦγον ἔπειτ' ἀπάνευθε δι' Ἑλλάδοσ εὐρυχόροιο,
Φθίην δ' ἐξικόμην ἐριβώλακα, μητέρα μήλων,
εἰσ Πηλῆα ϝάναχθ'· ὃ δέ με πρόφρων ὑπέδεκτο,
καί μ' ἐφίλησ' ὡσ εἴ τε πατὴρ ϝὸν παῖδα φιλήσηι
μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσι,
καί μ' ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ μοι ὤπασε λαόν,
'ναῖον δ' ἐσχατιὴν Φθίησ, Δολόπεσσι ϝανάσσων.
καί σε τοσοῦτον ἔθηκα, θεοῖσ' ἐπιϝείκελ' Ἀχιλλεῦ,
ἐκ θυμοῦ φιλέων, ἐπεὶ οὐκ ἐθέλεσκεσ ἅμ' ἄλλωι
οὔτ' εἰσ δαῖτ' ἴμεναι οὔτ' ἐν μεγάροισι πάσασθαι,
πρίν γ' ὅτε δή σ' ἐπ' ἐμοῖσιν ἐγὼ γούνεσσι καθέσσασ
ὄψοι' ἄσαιμι προταμὼν καὶ ϝοῖνον ἐπισχών.
πολλάκι μοι κατέδευσασ ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα
ϝοίνου ἀποβλύζων ἐν νηπιίηι ἀλεγεινῆι,
ὣσ ἐπὶ σοὶ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα,
τὰ φρονέων, ὅ μοι οὔ τί θεοὶ γόνον ἐξετέλειον
ἐξ ἐμέ'· ἀλλὰ σὲ παῖδα θεοῖσ' ἐπιϝείκελ' Ἀχιλλεῦ,
'ποιεόμην, ἵνα μοί ποτ' ἀϝεικέα λοιγὸν ἀμύνηισ.
ἀλλ' Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ
νηλεὲσ ἦτορ ἔχειν. στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί,
τῶν περ καὶ μείζων ἀρετὴ τιμή τε βίη τε·
καὶ μὲν τοὺσ θυέεσσι καὶ εὐχωλῆισ' ἀγανῆισι
λοιβῆι τε κνίσηι τε παρατροπάουσ' ἄνθρωποι.
καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸσ κοῦραι μεγάλοιο.
χωλαί τε ῥυσαί τε παραβλῶπέσ τ' ὀφθαλμώ,
αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἀάτησ ἀλέγουσι κιοῦσαι.
ἡ δ' Ἀάτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίποσ, οὕνεκα πάσασ
πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
βλάπτουσ' ἀνθρώπουσ· αἳ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.

ὃσ μέν τ' αἰδέσεται κούρασ Διὸσ ἆσσον ἰούσασ,
τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν καί τ' ἔκλυον εὐξαμένοιο·
ὃσ δέ κ' ἀνήνηται καί τε στερεῶσ ἀποϝείπηι.
λίσσονται δ' ἄρα ταί γε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι
τῶι 'Αάτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶσ ἀποτΐσηι
ἀλλ' 'Αχιλεῦ, πόρε καὶ σὺ Διὸσ κούρηισιν ἕπεσθαι
τιμήν, ἥ τ' ἄλλων περ ἐπιγνάμπτει νόον ἐσθλῶν.
εἰ μὲν γὰρ μὴ δῶρα φέροι, τὰ δ' ὄπισθ' ὀνομάζοι
'Ατρεΐδησ, ἀλλ' αἰὲν ἐπιζαφέλωσ χαλεπαίνοι,
οὔ κεν ἐγώ γέ σε μῆνιν ἀπορρίψαντα κελοίμην
'Αργεΐοισιν ἀμυνέμεναι, χατέουσί περ ἔμπησ·
νῦν δ' ἅμα τ' αὐτίκα πολλὰ διδοῖ, τὰ δ' ὄπισθεν ὑπέστη,
ἄνδρασ δὲ λίσσεσθαι ἐπιπροέηκεν ἀρίστουσ
κρινάμενοσ κατὰ λαὸν 'Αχαιικόν, οἵ τε σοὶ αὐτῶι
φίλτατοι 'Αργεΐων. τῶν μὴ σύ γε μῦθον ἐλέγξηισ
μηδὲ πόδασ! πρὶν δ' οὔ τι νεμεσσητὸν κεχολῶσθαι.
οὕτω καὶ τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέε' ἀνδρῶν
ἡρώων, ὅτε πέρ τιν' ἐπιζάφελοσ χόλοσ ἵκοι·
δωρητοί τ' ἐπέλοντο παραρρητοί τε ϝέπεσσι.
μέμνημαι τόδε ϝέργον ἐγὼ πάλαι, οὔ τι νέον γε,
ὡσ ἔεν· ἐν δ' ὕμιν ϝερέω πάντεσσι φίλοισι.
Κουρῆτέσ τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι
ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα καὶ ἀλλήλουσ ἐνάριζον,
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνοσ ἐραννῆσ,
Κουρῆτεσ δὲ διαπραθέμεν μεμαῶτεσ Ἄρηϊ.
καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονοσ Ἄρτεμισ ὦρσε,
χωσαμένη ὅ ϝοι οὔ τι θαλύσια γουνῶι ἀλωιῆσ
Ϝοινεὺσ 'ϝέρξ'· ἄλλοι δὲ θεοὶ 'δαίνυνθ' ἑκατόμβασ,
οἴηι δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸσ κούρηι μεγάλοιο,
ἢ 'λάθετ' ἢ οὐκ ἐνόησεν· ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῶι.
ἡ δὲ χολωσαμένη, δῖον γένοσ, ἰοχέαιρα
ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα,
ὃσ κακὰ πόλλ' ἔρρεξε ϝέθων Ϝοινῆοσ ἀλωιήν·
πολλὰ δ' ὅ γε προθέλυμνα χαμαὶ 'βάλε δένδρεα μακρὰ
αὐτῆισι ῥίζηισι καὶ αὐτοῖσ' ἄνθεσι μήλων.
τὸν δ' υἱὸσ Ϝοινῆοσ ἀπέκτεινεν Μελέαγροσ,
πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορασ ἄνδρασ ἀγείρασ
καὶ κύνασ· οὐ μὲν γάρ κ' ἐδάμη παύροισι βροτοῖσι!

τόσσοσ ἔεν, πολλοὺσ δὲ πυρῆσ ἐπέβησ' ἀλεγεινῆσ.
ἡ δ' ἀμφ' αὐτῶι ἔθηκε πολὺν κέλαδον καὶ ἀϋτήν,
ἀμφὶ συὸς κεφαλῆι καὶ δέρματι λαχνήεντι,
Κουρήτων τε μεσηγὺ καὶ Αἰτωλῶν μεγαθύμων.
ὄφρα μὲν οὖν Μελέαγροσ Ἄρηϊ φίλοσ 'πολέμιζε,
τόφρα δὲ Κουρήτεσσι κακῶσ ἔεν, οὐδ' ἐδύναντο
τείχεοσ ἔκτοσθεν μίμνειν πολέεσ περ ἐόντεσ·
ἀλλ' ὅτε δὴ Μελέαγρον ἔδυ χόλοσ, ὅσ τε καὶ ἄλλων
οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων,
ἤ τοι ὃ μητρὶ φίληι Ἀλθαίηι χωόμενοσ κῆρ
'κεῖτο παρὰ μνηστῆι ἀλόχωι, καλῆι Κλεοπάτρηι,
κούρηι Μαρπήσσησ καλλισφύρου Εὐϝηνίνησ
Ἴδεώ θ', ὃσ κάρτιστοσ ἐπιχθονίων 'γένετ' ἀνδρῶν
τῶν τότε, καὶ ῥα ϝάνακτοσ ἐναντίον εἵλετο τόξον
Φοίβου Ἀπόλλωνοσ καλλισφύρου εἵνεκα νύμφησ.
τὴν δὲ τότ' ἐν μεγάροισι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ἀλκυόνην 'καλέεσκον ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆσ
μήτηρ ἀλκυόνοσ πολυπενθέοσ οἶτον ἔχουσα
'κλαῖ', ὅτε μιν ϝεκάεργοσ ἀνήρπασε Φοῖβοσ Ἀπόλλων.
τῆι ὅ γε παρκατέλεκτο χόλον θυμαλγέα πέσσων,
ἐξ ἀρέων μητρὸσ κεχολωμένοσ, ἥ ῥα θεοῖσι
πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο,
πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
κικλήισκουσ' Ἀϝίδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
πρόχνυ καθεζομένη, 'δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι,
παιδὶ δόμεν θάνατον· τῆσ δ' ἠεροφοῖτισ Ἐρινὺσ
ἔκλυεν ἐξ Ἐρέβεσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα.
τῶν δὲ τάχ' ἀμφὶ πύλασ ὅμαδοσ καὶ δοῦποσ ὀρώρει
πύργων βαλλομένων, τὸν δ' ἐλλίσσοντο γέροντεσ
Αἰτωλῶν, 'πέμπον δὲ θεῶν ἱερῆασ ἀρίστουσ,
ἐξελθεῖν καὶ ἀμῦναι, ὑποσχόμενοι μέγα δῶρον·
ὁππόθι πιότατον πεδίον Καλυδῶνοσ ἐραννῆσ,
ἔνθα μιν ἤνωγον τέμενοσ περικαλλὲσ ἑλέσθαι
πεντηκοντάγυον, τὸ μὲν ἥμισυ ϝοινοπέδοιο,
ἥμισυ δὲ ψιλὴν ἄροσιν πεδίοιο ταμέσθαι.
πολλὰ δέ μιν 'λιτάνευε γέρων ἱππηλάτα Ϝοινεὺσ
οὐδοῦ ἐπεμβεβαὼσ ὑψηρεφέοσ θαλάμοιο,
σείων κολλητὰσ σανίδασ, γουνώμενοσ υἱόν,

πολλὰ δὲ τόν γε κασίγνηται καὶ πότνια μήτηρ
ἐλλίσσονθ'· ὃ δὲ μᾶλλον ἀναίνετο. πολλὰ δ' ἑταῖροι,
οἵ ϝοι κεδνότατοι καὶ φίλτατοι ἦσαν ἁπάντων·
ἀλλ' οὐδ' ὣσ τοῦ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον,
πρίν γ' ὅτε δὴ θάλαμοσ πύκ' ἐβάλλετο, τοὶ δ' ἐπὶ πύργων
'βαῖνον Κουρῆτεσ καὶ ἐνέπρηθον μέγα ϝάστυ.
καὶ τότε δὴ Μελέαγρον ἐΰζωνοσ παράκοιτισ
'λίσσετ' ὀδυρομένη, καί ϝοι κατέλεξεν ἅπαντα
κήδε', ὅσ' ἀνθρώποισι πέλονθ' ὧν ϝάστυ ϝαλώηι·
ἄνδρασ μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει,
τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι βαθυζώνουσ τε γυναῖκασ.
τοῦ δ' ὠρίνετο θυμὸσ ἀκούοντοσ κακὰ ϝέργα,
'βῆ δ' ἴμεναι, χροῒ δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανάοντα.
ὣσ ὃ μὲν Αἰτωλοῖσιν ἀπήμυνεν κακὸν ἦμαρ
ϝείξασ ϝῶι θυμῶι· τῶι δ' οὐκέτι δῶρ' ἐτέλεσσαν
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτωσ.
ἀλλὰ σὺ μή μοι ταῦτα νόει φρεσί, μηδέ σε δαίμων
ἐνταῦθα τρέψειε, φίλοσ, — χαλεπὸν δέ κεν εἴη
νηυσὶν καιομένηισιν ἀμυνέμεν'! — ἀλλ' ἐπὶ δώροισ
ἔρχεο· ϝῖσον γάρ σε θεῶι τίσουσιν 'Αχαιοί.
εἰ δέ κ' ἄτερ δώρων πόλεμον φθισήνορα δύηισ,
οὐκέθ' ὁμῶσ τιμῆσ ἔσεαι πόλεμόν περ ἀλαλκών."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
„Φοίνιξ, ἄττα γεραιέ, διοτρεφέσ, εὔ τί με ταύτησ
χρεὼ τιμῆσ. φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸσ αἴσηι,
ἥ μ' ἕξει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, εἰσ ὅ κ' ἀϋτμὴ
ἐν στήθεσσι μένηι καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρηι.
ἄλλο δέ τοι ϝερέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῆισι·
μή μοι σύγχεε θυμὸν ὀδυρόμενοσ καὶ ἀχεύων,
'Ατρεΐδηι ἥρωϊ φέρων χάριν. οὐδέ τί σε χρὴ
τὸν φιλέειν, ἵνα μή μοι ἀπέχθηαι φιλέοντι.
καλόν τοι σὺν ἐμοὶ τὸν κηδέμεν' ὅσ κ' ἐμὲ κήδηι·
οὗτοι δ' ἀγγελέουσι, σὺ δ' αὐτόθι λέξεο μίμνων
εὐνῆι ἔνι μαλακῆι· ἅμα δ' ἠόϊ φαινομένηφι
φρασσόμεθ', ἤ κε νεώμεθ' ἐφ' ἡμέτερ' ἠὲ μένωμεν."
ἦ, καὶ Πατρόκλωι ὅ γ' ἐπ' ὀφρύσι 'νεῦσε σιωπῆι
Φοίνικι στορέσαι πυκινὸν λέχοσ, ὄφρα τάχιστα
ἐκ κλισίησ νόστοιο μεδοίατο. τοῖσι δ' ἄρ' Αἴασ

ἀντίθεοσ Τελαμωνιάδησ μετὰ μῦθον ἔειπε·
„διογενὲσ Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,
ἴομεν, οὐ γάρ μοι δοκέει μύθοιο τελευτὴ
τῇδέ γ' ὁδῶι κρανέεσθαι· ἀπαγγεῖλαι δὲ τάχιστα
χρὴ μῦθον Δαναοῖσι, καὶ οὐκ ἀγαθόν περ ἐόντα,
οἵ ποθι νῦν ἕαται ποτιδέγμενοι. αὐτὰρ Ἀχιλλεὺσ
ἄγριον ἐν στήθεσσι 'θέτο μεγαλήτορα θυμόν,
σχέτλιοσ, οὐδὲ μετατρέπεται Φιλότητοσ ἑταίρων
τῆσ ᾗι μιν παρὰ νηυσὶν ἐτίομεν ἔξοχον ἄλλων,
νηλήσ. καὶ μέν τίσ τε κασιγνήτοιο Φονῆοσ
ποινὴν ἢ τοῦ παιδὸσ ἐδέξατο τεθνηῶτοσ·
καὶ ῥ' ὃ μὲν ἐν δήμωι μένει αὐτόθι, πόλλ' ἀποτίσασ,
τῶι δέ τ' ἐρητύεται κραδίη καὶ θυμὸσ ἀγήνωρ
ποινὴν δεξαμένωι. σοὶ δ' ἄλληκτόν τε κακόν τε
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι θεοὶ 'θέσαν εἵνεκα κούρησ
οἴησ. νῦν δέ τοι ἑπτὰ παρίσχομεν ἔξοχ' ἀρίστασ
ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τῇσι· σὺ δ' ἵλαον ἔνθεο θυμόν,
αἴδεσσαι δὲ μέλαθρον· ὑπωρόΦιοι δέ τοί εἰμεν
πληθύοσ ἐκ Δαναῶν. μέμαμεν δέ τοί ἔξοχον ἄλλων
κήδιστοί τ' ἔμεναι καὶ Φίλτατοι, ὅσσοι Ἀχαιοί."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέΦη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„Αἶαν διογενὲσ Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν,
πάντα τί μοι κατὰ θυμὸν ἐείσαο μυθήσασθαι·
ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλωι, ὁππότε κείνων
μνήσομαι, ὥσ μ' ἀσύΦηλον ἐν Ἀργεΐοισιν ἔρεξε
Ἀτρεΐδησ, ὡσ εἴ τιν' ἀτίμητον μετανάστην.
Π 60 ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν· οὐδ' ἄρα πωσ' ἦν
ἀσπερχὲσ κεχολῶσθαι ἐνὶ Φρεσίν. ἦ τοι ἔΦην γε
σὺ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν', ἀλλ' ὅτε κεν δὴ
63 νῆασ ἐμὰσ ἀΦίκηται ἀϋτή τε πτόλεμόσ τε·
Τ 67 νῦν δ' ἦ τοι μὲν ἐγὼ παύω χόλον, ⟨ὡσ γὰρ ἄμεινον,⟩
Ι 649 ἀλλ' ὕμεσ ἔρχεσθε καὶ ἀγγελίην ἀπόΦασθε."
656 ὣσ ἔΦαθ'. οἳ δὲ ἕκαστοσ ἑλὼν δέπασ ἀμΦικύπελλον
σπείσαντεσ παρὰ νῆασ ἴσαν πάλιν· ἦρχε δ' Ὀδυσσεύσ.
Πάτροκλοσ δ' ἑτάροισιν ἰδὲ δμωιῇσ ἐκέλευσε
Φοίνικι στορέσαι πυκινὸν λέχοσ ὅττι τάχιστα.
αἳ δ' ἐπιπειθόμεναι 'στόρεσαν λέχοσ ὡσ ἐκέλευσε,
κώεά τε ῥῆγόσ τε λίνοιό τε λεπτὸν ἄωτον.

ἔνθ' ὁ γέρων κατέλεκτο καὶ Ἠόα δῖαν ἔμιμνε.
αὐτὰρ Ἀχιλλεὺσ ηὗδε μυχῶι κλισίησ ἐϋπήκτου.
οἳ δ' ὅτε δὴ κλισίῃσιν ἒν Ἀτρεΐδα' ἐγένοντο,
670 τοὺσ μὲν ἄρα χρυσέοισι κυπέλλοισ' υἷεσ Ἀχαιῶν
'δεδϝέχατ' ἄλλοθεν ἄλλοσ ἀνασταδὸν ἔκ τ' ἐρέοντο·
πρῶτοσ δ' ἐξερέεινε ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων·
„ϝείπ' ἄγε μ', ὦ πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδοσ Ἀχαιῶν,
ἤ ῥ' ἐθέλει νήεσσιν ἀλεξέμεναι δήϊον πῦρ,
675 ἦ ἀπέϝειπε, χόλοσ δ' ἔτ' ἔχει μεγαλήτορα θυμόν;"
τὸν δ' αὖτε προσέϝειπε πολύτλασ δῖοσ Ὀδυσσεύσ·
„Ἀτρεΐδη κυδιστε, ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον,
677 κεῖνοσ ⟨μήνιθμον γ' ἐθέλει σβέσαι ἠδὲ δέχεσθαι
δῶρα τα ϝοι δώσεισ, νοέειν δέ τε θυμὸσ ἀνώγει,⟩
681 ὅππωσ κεν νῆασ σαόηι καὶ λαὸν Ἀχαιῶν.
ὣσ ἔφατ'· εἰσὶ καὶ οἵδε τὰ ϝειπέμεν', οἵ μοι ἕποντο,
Αἴασ καὶ κήρυκε δύω, πεπνυμένω ἄμφω.
690 Φοίνιξ δ' αὖθ' ὁ γέρων κατελέξατο· ὣσ γὰρ ἄνωγε."
710 ὣσ ἔφαθ' οἱ δ' ἄρα πάντεσ ἐπήινεσσαν βασιλῆεσ·
712 καὶ τότε δὴ σπείσαντεσ ἔβαν κλισίηνδε ϝέκαστοσ,
ἔνθα δ' ἐκοιμήσαντο καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο.
T 1 Ἠὼσ μὲν κροκόπεπλοσ ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
2 ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φάοσ φέροι ἠδὲ βροτοῖσι·
40 αὐτὰρ ὃ 'βῆ παρὰ θῖνα θαλάσσησ δῖοσ Ἀχιλλεὺσ
σμερδαλέα ϝιάχων, ὦρσεν δ' ἥρωασ Ἀχαιούσ.
καὶ ῥ' οἵ περ τὸ πάροσ γε νεῶν ἐν ἀγῶν' ἐμένεσκον,
οἵ τε κυβερνῆται καὶ ἔχον οἰήϊα νηῶν
καὶ ταμίαι παρὰ νηυσὶν ἔσαν, σίτοιο δοτῆρεσ,
45 καὶ μὲν τοὶ τότε γ' εἰσ ἀγορὴν ἴσαν, οὕνεκ' Ἀχιλλεὺσ
ἐξεφάνη, δϝηρὸν δὲ μάχησ ἐπέπαυτ' ἀλεγεινῆσ.
54 αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πάντεσ ἀϝολλίσθησαν Ἀχαιοί,
55 τοῖσι δ' ἀνιστάμενοσ μετέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„Ἀτρεΐδη, οὐκ ἄρ τι τόδ' ἀμφοτέροισιν ἄρειον
ἔπλετο, σοὶ καὶ ἐμοί, ὅτε νῶϊ περ ἀχνυμένω κῆρ
θυμοβόρωι ἔριδι 'μενήναμεν εἵνεκα κούρησ.
τὴν ὄφελ' ἐν νήεσσι κατακτάμεν' Ἄρτεμισ ἰῶι,
60 ἤματι τῶι ὅτ' ἐγὼν ἑλόμην Λυρνησσὸν ὀλέσσασ·
τῶι κ' οὐ τόσσοι Ἀχαιοὶ ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδασ
δυσμενέων ὑπὸ χερσίν, ἐμεῖ' ἀπομηνίσαντοσ.

Ἕκτορι μὲν καὶ Τρωσὶ τὸ κέρδιον! αὐτὰρ Ἀχαιοὺσ
δηρὸν ἐμῆσ καὶ σῆσ ἔριδοσ μνήσεσθαι ὀίω.
65 ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ,
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντεσ ἀνάγκηι.
νῦν δ' ἤ τοι μὲν ἐγὼ παύω χόλον, οὐδέ τί με χρὴ
ἀσκελέωσ αἰεὶ μενεαινέμεν'· ἀλλ' ἄγε θᾶσσον
ὄτρυνον πόλεμόνδε κάρη κομάοντασ Ἀχαιούσ,
70 ὄφρ' ἔτι καὶ Τρώων πειρήσομαι ἀντίοσ ἐλθών,
αἴ κ' ἐθέλωσ' ἐπὶ νηυσὶν ἰαυέμεν', ἀλλά τιν' οἴω
ἀσπασίωσ αὐτῶν γόνυ καμψέμεν', ὅσ κε φύγηισι
δηΐου ἐκ πολέμοιο ὑπ' ἔγχεοσ ἡμετέροιο."
74 ὣσ ἔφαθ', οἳ δ' ἐχάρησαν ἐϋκνήμιδεσ Ἀχαιοί.
76 τοῖσι δὲ καὶ μετέϝειπε ϝάναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων·
78 „ὦ φίλοι, ἥρωεσ Δαναοί, θεράποντεσ Ἄρηοσ,
ἑσταότοσ μὲν καλὸν ἀκουέμεν' οὐδὲ ϝέϝοικε
80 ὑββάλλειν· χαλεπὸν γὰρ ἐπισταμένωι περ ἐόντι.
ἀνδρῶν δ' ἐν πολλῶι ὁμάδωι πῶσ κέν τισ ἀκούσαι
ἢ ϝείποι; βλάβεται δὲ λιγύσ περ ἐὼν ἀγορητήσ.
Πηλεΐδηι μὲν ἐγὼν ἐνδείξομαι· αὐτὰρ οἳ ἄλλοι
σύνθεσθ' Ἀργέϊοι, μῦθόν τ' εὖ γνῶτε ϝέκαστοσ.
85 πολλάκι δή μοι τοῦτον Ἀχαιοὶ μῦθον ἔφειπον,
καί τέ μ' ἐνεικείεσκον· ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιόσ εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺσ καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτισ Ἐρινύσ,
οἵ τέ μοι ἐν ἀγορῆι φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην
ἤματι τῶι ὅτ' Ἀχιλλῆοσ γέρασ αὐτὸσ ἀπέϝραν.
90 ἀλλὰ τί κε ῥέξαιμι; θεὸσ διὰ πάντα τελευτᾶι,
πρέσβα Διὸσ θυγάτηρ Ἀάτη, ἣ πάντασ ἄασσε,
ὀλομένη. τῆι μέν θ' ἁπαλοὶ πόδεσ, οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει
πίλναται, ἀλλ' ἄρα ἥ γε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει
βλάπτουσ' ἀνθρώπουσ· κατὰ δ' οὖν ἕτερόν γ' ἐπέδησε.
95 καὶ γὰρ δή νύ ποτε Ζῆν' ἄασε, τόν περ ἄριστον
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἔμμεναι, ἀλλ' ἄρα καὶ τὸν
Ἥρη θῆλυσ ἐοῦσα δολοφροσύνηι ἀπάτησε
ἤματι τῶι ὅτ' ἔμελλε βίην Ἡρακλεεείην
Ἀλκμήνη τέξεσθαι ἐϋστεφάνωι ἐνὶ Θήβηι.
100 ἤ τοι ὅ γ' εὐχόμενοσ μετέφη πάντεσσι θεοῖσι·
‚κέκλυτέ μοι, πάντεσ τε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι,
ὄφρ' ἔσπω τά με θυμὸσ ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγει.

σήμερον ἄνδρα Φάοσδε μογοστόκοσ Εἰλείθυια
ἐκΦανέει, ὃσ πᾶσι περικτιόνεσσι ϝανάξει,
τῶν ἀνδρῶν γενεῆσ οἵ θ' αἵματοσ ἐξ ἐμοῦ εἰσι.'
τὸν δὲ δολοΦρονέουσα προσηύδα πότνια Ἥρη·
‚ψευστήσεισ οὐδ' αὖτε τέλοσ μύθωι ἐπιθήσεισ.
εἶ δ' ἄγε, νῦν μοι ὄμοσσον, Ὀλύμπιε, καρτερὸν ὅρκον,
ἦ μὲν τὸν πάντεσσι περικτιόνεσσι ϝανάξειν,
ὅσ κεν ἐπ' ἤματι τῶιδε πέσηι μετὰ ποσσὶ γυναικὸσ
τῶν ἀνδρῶν οἳ σῆσ ἐξ αἵματόσ εἰσι γενέθλησ.'
ὥσ ἔΦατο· Ζεὺσ δ' οὔ τι δολοΦροσύνην ἐνόησε,
ἀλλ' ὄμοσεν μέγαν ὅρκον, ἔπειτα δὲ πολλὸν ἀάσθη.
Ἥρη δ' ἀΐξασα 'λίπε ῥίον Οὐλύμποιο,
καρπαλίμωσ δ' ἵκετ' Ἄργοσ Ἀχαιικόν, ἔνθ' ἄρ' ἐϝείδει
ἰΦθίμην ἄλοχον Σθενέλου Περσηϊάδαο.
ἡ δ' ἐκύει Φίλον υἱόν, ὁ δ' ἕβδομοσ εἱστήκει μείσ·
ἐκ δ' ἄγαγεν πρὸ Φάοσδε καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα,
Ἀλκμήνησ δ' ἀπέπαυσε τόκον, 'σχέθε δ' Εἰλειθυίασ.
αὐτὴ δ' ἀγγέλλουσα Δία Κρονίωνα προσηύδα·
‚Ζεῦ πάτερ, ἀργικέραυνε, ϝέποσ τί τοι ἐν Φρεσὶ θήσω.
ἤδη ἀνὴρ γέγον' ἐσθλόσ, ὃσ Ἀργείοισι ϝανάξει,
Εὐρυσθεύσ, Σθενέλοιο πάϊσ Περσηϊάδαο,
σὸν γένοσ· οὔ ϝοι ἀϝεικὲσ ἀνασσέμεν' Ἀργείοισι.'
ὥσ 'Φάτο, τὸν δ' ἄχοσ ὀξὺ κατὰ Φρένα 'τύψε βαθεῖαν.
αὐτίκα δ' εἶλ' Ἀάτην κεΦαλῆσ λιπαροπλοκάμοιο
χωόμενοσ Φρεσὶ ϝῆισι, καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον
μή ποτ' ἐσ Οὔλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
αὖτισ ἐλεύσεσθαι Ἀάτην, ἣ πάντασ ἄασσε.
ὥσ ϝειπών ϝ' ἔρριψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντοσ
χειρὶ περιστρέψασ· τάχα δ' ἵκετο ϝέργ' ἀνθρώπων.
τὴν αἰεὶ 'στενάχεσχ', ὅθ' ἑϝὸν Φίλον υἱὸν ὁρῶιτο
ϝέργον ἀϝεικὲσ ἔχοντα ὑπ' Εὐρυσθῆοσ ἀέθλων.
ὥσ καὶ ἐγών, ὅτε δ' αὖτε μέγασ κορυθαιόλοσ Ἕκτωρ
Ἀργείουσ ὀλέκεσκεν ἐπὶ πρυμνῆισι νέεσσι,
οὐ 'δυνάμην λελαθέσθ' ἀάτησ, ἧι πρῶτον ἀάσθην.
ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην καί μοι Φρένασ ἐξέλετο Ζεύσ,
ἂψ ἐθέλω ἀρέσαι, δόμεναί τ' ἀπερείσι' ἄποινα.
ἀλλ' ὄρσο πτόλεμόνδε, καὶ ἄλλουσ ὄρνυθι λαούσ·
δῶρα δ' ἐγὼν ὅδε πάντα παρασχέμεν', ὅσσα τοι ἐλθὼν

χθιζὸσ ἐνὶ κλισίηισιν ὑπέσχετο δῖοσ Ὀδυσσεύσ.
εἰ δ' ἐθέλεισ, ἐπίμεινον, ἐπειγόμενοσ περ Ἄρηοσ·
δῶρα δέ τοι θεράποντεσ ἐμῆσ παρὰ νηὸσ ἑλόντεσ
οἴσουσ', ὄφρα Fίδηαι ὅ τοι μενοFεικέα δώσω."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ Ἀχιλλεύσ·
„Ἀτρεΐδη κύδιστε, Fάναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον,
δῶρα μέν, αἴ κ' ἐθέληισθα, παρασχέμεν', ὡσ ἐπιFεικέσ,
ἤ τ' ἐχέμεν· παρα σοί. νῦν δὲ μνησώμεθα χάρμησ
αἶψα μάλ' — οὐ γὰρ χρὴ κλοτοπευέμεν' ἐνθάδ' ἐόντασ
οὐδὲ διατρίβειν, ἔτι γὰρ μέγα Fέργον ἄρεκτον, —
ὥσ κέ τισ αὖτ' Ἀχιλῆα μετὰ πρώτοισι Fίδηται
ἔγχεϊ χαλκείωι Τρώων ὀλέκοντα φάλαγγασ,
ὧδέ τισ ὑμείων μεμνημένοσ ἀνδρὶ μαχέσθω."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πολύμητισ Ὀδυσσεύσ·
„μὴ δ' οὕτωσ, ἀγαθόσ περ ἐών, θεοFείκελ' Ἀχιλλεῦ,
νήστιασ ὄτρυνε προτὶ Fίλιον υἷασ Ἀχαιῶν
Τρωσὶ μαχεσσομένουσ· ἐπεὶ οὐκ ὀλίγον χρόνον ἔσται
φύλοπισ, εὖτέ κε πρῶτον ὁμιλήσωσι φάλαγγεσ
ἀνδρῶν, ἐν δὲ θεὸσ πνεύσηι μένοσ ἀμφοτέροισι.
ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῆισ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιοὺσ
σίτου καὶ Fοίνοιο· τὸ γὰρ μένοσ ἐστὶ καὶ ἀλκή.
οὐ γὰρ ἀνὴρ πρόπαν ἦμαρ ἐσ ἠέλιον καταδύντα
ἄκμηνοσ σίτοιο δυνήσεται ἄντα μάχεσθαι·
εἴ περ γὰρ θυμῶι γε μενοινάει πολεμίζειν,
ἀλλά τε λάθρηι γυῖα βαρύνεται, ἠδὲ κιχάνει
δίψα τε καὶ λιμόσ, βλάβεται δέ τε γούνατ' ἰόντι.
ὃσ δέ κ' ἀνὴρ Fοίνοιο κορεσσάμενοσ καὶ ἐδωδῆσ
ἀνδράσι δυσμενέεσσι πανημέριοσ πολεμίζηι,
θαρσαλέον νύ Fοι ἦτορ ἐνὶ φρεσίν, οὐδέ τι γυῖα
πρὶν κάμνει, πρὶν πάντασ ἐρωῆσαι πολέμοιο.
ἀλλ' ἄγε λαὸν μὲν σκέδασον καὶ δεῖπνον ἄνωχθι
ὁπλεῖσθαι· τὰ δὲ δῶρα Fάναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
οἰσέτω εἰσ μέσσην ἀγορήν, ἵνα πάντεσ Ἀχαιοὶ
ὀφθαλμοῖσι Fίδωσι, σὺ δὲ φρεσὶ σῆισιν ἰανθῆισ.
ὀμνυέτω δέ τοι ὅρκον, ἐν Ἀργεΐοισιν ἀναστάσ,
176 μή ποτε τῆσ εὐνῆσ ἐπιβήμεναι ἠδὲ μιγῆναι·
178 καὶ δὲ σοὶ αὐτῶι θυμὸσ ἐνὶ φρεσὶν ἵλαοσ ἔστω.
αὐτὰρ ἔπειτά σε δαιτὶ ἐνὶ κλισίηισ' ἀρεσάσθω

πιείρηι, ἵνα μή τι δίκησ ἐπιδευὲσ ἔχηισθα.
'Ατρεΐδη, σὺ δ' ἔπειτα δικαιότεροσ καὶ ἐπ' ἄλλωι
ἔσσεαι· οὐ μὲν γάρ τι νεμεσσητὸν βασιλῆα
ἄνδρ' ἀπαρέσσασθαι, ὅτε τισ πρότεροσ χαλεπήνηι."
τὸν δ' αὖτε προσέϝειπε ϝάναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων·
„χαίρω σεῦ, Λαερτιάδη, τὸν μῦθον ἀκνύσασ·
ἐν μοίρηι γὰρ πάντα διίκεο καὶ κατέλεξασ.
ταῦτα δ' ἐγὼν ἐθέλω ὀμόσαι, κέλεται δέ με θυμόσ,
οὐδ' ἐπιορκήσω πρὸσ δαίμονοσ. αὐτὰρ 'Αχιλλεὺσ
τῆοσ μιμνέτω αὖθι, ἐπειγόμενόσ περ Ἄρηοσ·
μίμνετε δ' ἄλλοι πάντεσ ἀϝολλέεσ, ὄφρα κε δῶρα
ἐκ κλισίησ ἔλθηισι καὶ ὅρκια πιστὰ τάμωμεν.
σοὶ δ' αὐτῶι τόδ' ἐγὼν ἐπιτέλλομαι ἠδὲ κελεύω·
κρινάμενοσ κούρητασ ἀριστῆασ Παναχαιῶν
νηὸσ ἐμῆσ πάρα δῶρα ἐνεικέμεν', ὅσσ' 'Αχιλῆϊ
χθιζὸν ὑπέστημεν δώσειν, ἀγέμεν τε γυναῖκασ.
Ταλθύβιοσ δέ μοι ὦκα κατὰ στρατὸν εὐρὺν 'Αχαιῶν
κάπρον ἑτοιμασάτω, ταμέμεν Διί τ' 'Ηελίωι τε."
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πόδασ ὠκὺσ 'Αχιλλεύσ·
„'Ατρεΐδη κύδιστε, ϝάναξ ἀνδρῶν 'Αγάμεμνον,
ἄλλοτέ περ καὶ μᾶλλον ὀφείλετε ταῦτα πένεσθαι,
ὁππότε τισ μετὰ παυσωλὴ πολέμοιο γένηται
καὶ μένοσ οὐ τόσον ἧισιν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσι.
νῦν δ' οἳ μὲν κέαται δεδαϊγμένοι, οὖσ ἐδάμασσε
Ἕκτωρ Πριαμίδησ, ὅτε ϝοι Ζεὺσ κῦδοσ ἔδωκε,
ὗμεσ δ' εἰσ βρωτὺν ὀτρυνετον. ἦ κεν ἐγώ γε
νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμιζέμεν' υἷασ 'Αχαιῶν
νήστιασ ἀκμήνουσ, ἅμα δ' ἠελίωι καταδύντι
τεύξασθαι μέγα δόρπον, ἐπεὶ τισαίμεθα λώβην.
τὸν δ' ἀπαμειβόμενοσ προσέφη πολύμητισ 'Οδυσσεύσ·
„ὦ 'Αχιλεῦ, Πηλῆοσ υἱέ, μέγα φέρτατ' 'Αχαιῶν,
κρείσσων ἔσσ' ἐμέθεν καὶ φέρτεροσ οὐκ ὀλίγον περ
ἔγχε', ἐγὼ δέ κε σεῖο νοήματί γε προβαλοίμην
πολλόν, ἐπεὶ πρότεροσ 'γενόμην καὶ πλείονα ϝοῖδα.
τῶι τοι ἐπιτλήτω κραδίη μύθοισιν ἐμοῖσι
αἶψα δὲ φυλόπιδοσ πέλεται κόροσ ἀνθρώποισι,
ἧσ τε πλείστην μὲν καλάμην χθονὶ χαλκὸσ ἔχευε,
ἄμητοσ δ' ὀλίγιστοσ, ἐπεὶ κλίνηισι τάλαντα

Ζεύσ, ὅσ τ' ἀνθρώπων ταμίησ πολέμοιο τέτυκται.
γαστέρι δ' οὔ πωσ ἔστι νέκυν πενθῆσαι 'Αχαιούσ.
λίην γὰρ πολλοὶ καὶ ἐπήτριμοι ἤματα πάντα
πίπτουσιν· πότε κέν τισ ἀναπνεύσειε πόνοιο!
ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθαπτέμεν', ὅσ κε θάνηισι·
νηλέα θυμὸν ἔχοντασ, ἐπ' ἤματι δακρύσαντασ·
ὅσσοι δὲ πτολέμοιο περὶ στυγεροῖο λίπωνται,
μεμνῆσθαι πόσιοσ καὶ ἐδητύοσ, ὄφρ' ἔτι μᾶλλον
ἀνδράσι δυσμενέεσσι μαχώμεθα νωλεμὲσ αἰεί,
ϝεσσάμενοι χροΐ χαλκὸν ἀτειρέα. μηδέ τισ ἄλλην
λαῶν ὀτρυντὺν ποτιδέγμενοσ ἰσχαναέσθω, —
ἥδε γὰρ ὀτρυντύσ· κακὸν ἔσσεται, ὅσ κε λίπηται
νηυσὶν ἔπ' 'Αργείων, — ἀλλ' ἀθρόοι ὁρμηθέντεσ
Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισιν ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα."
ἦ, καὶ Νέστοροσ υἷασ ὀπάσσατο κυδαλίμοιο,
Φυλεΐδην τε Μέγητα Θόαντά τε Μηριόνην τε
καὶ Κρειοντιάδην Λυκομήδεα καὶ Μελάνιππον.
'βὰν δ' ἴμεν' εἰσ κλισίην 'Αγαμέμνονοσ 'Ατρεΐδαο.
αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθοσ ἔεν 'τετέλεστό τε ϝέργον·
ἑπτὰ μὲν ἐκ κλισίησ τρίποδασ 'φέρον, οὔσ ϝοι ὑπέστη,
αἴθωνασ δὲ λέβητασ ἐϝείκοσι, δώδεκα δ' ἵππουσ,
ἐκ δ' ἄγον αἶψα γυναῖκασ ἀμύμονα ϝέργα ϝιδυίασ
ἕπτ', ἀτὰρ ὀγδοάτην Βρισηΐδα καλλιπάρηιον,
χρυσοῦ δὲ στήσασ 'Οδυσεὺσ δέκα πάντα τάλαντα
ἦρχ', ἅμα δ' ἄλλοι δῶρ' ἔφερον κούρητεσ 'Αχαιῶν.
καὶ τὰ μὲν ἐν μέσσηι ἀγορῆι 'θέσαν, ἂν δ' 'Αγαμέμνων
ἵστατο· Ταλθύβιοσ δὲ θεῶι ἐναλίγκιοσ αὐδὴν
κάπρον ἔχων ἐν χερσὶ παρίστατο ποιμένι λαῶν.
'Ατρεΐδησ δὲ ϝερυσσάμενοσ χείρεσσι μάχαιραν,
ἥ ϝοι πὰρ ξίφεοσ μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄορτο,
κάπρου ἀπὸ τρίχασ ἀρξάμενοσ, Διὶ χεῖρασ ἀνασχὼν
ηὔχετο· τοὶ δ' ἄρα πάντεσ ἐπ' αὐτόθι ἥατο σιγῆι
'Αργέϊοι κατὰ μοῖραν ἀκούοντεσ βασιλῆοσ.
εὐξάμενοσ δ' ἄρ' ἔϝειπε ϝιδὼν εἰσ οὐρανὸν εὐρύν·
„ϝίστω νῦν Ζεὺσ πρῶτα, θεῶν ὕπατοσ καὶ ἄριστοσ,
Γῆ τε καὶ 'Ηέλιοσ καὶ 'Ερινύεσ, αἵ θ' ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπουσ τίνυνται, ὅ τίσ κ' ἐπίορκον ὀμόσσηι,
μὴ μὲν ἐγὼ κούρηι Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπένεικα,

ἀλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστοσ ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῇσι.
εἰ δέ τι τῶνδ' ἐπίορκον, ἐμοὶ θεοὶ ἄλγεα δοῖεν
πολλὰ μάλ', ὅσσα διδοῦσιν ὅ τίσ σφ' ἀλίτηται ὀμόσσασ."
ἦ, καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου 'τάμε νηλέϊ χαλκῶι.
τὸν μὲν Ταλθύβιοσ πολιῆσ ἁλὸσ εἰσ μέγα λαῖτμα
ῥῖψ' ἐπιδινήσασ, βόσιν ἰχθύσιν· αὐτὰρ 'Αχιλλεὺσ
ἀνστὰσ 'Αργείοισι φιλοπτολέμοισι μετηύδα·
„Ζεῦ πάτερ, ἦ μεγάλασ ἄτασ ἄνδρεσσι διδοῖσθα.
οὔ κεν δή ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσι
'Ατρεΐδησ ὤρινε διαμπερέσ, οὐδέ κε κούρην
ἦγεν ἐμεῖ' ἀέκοντοσ ἀμήχανοσ ἀλλά ποθι Ζεὺσ
ἤθελ' 'Αχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι.
νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα."
ὢσ ἄρ' ἐφώνησεν, 'λῦσεν δ' ἀγορὴν αἰψηρήν.

BOOMERANGAE USUS APUD GENTES EUROPAEAS.

In Mnem. Vol. XXXVIII p. 225 sqq. demonstrare conatus sum, vocabula *cateia, aclis, tragula* nomina varia eiusdem teli fuisse, quod apud Australiae indigenas etiamnunc frequentatur significaturque nomine *boomerang*. Quod olim in Europa quoque in usu fuisse exemplis certissimis p. 227 comprobavi. Nunc novum testimonium eius rei indicare possum. Nuper enim vidi, S. A. Naberum in Obs. Misc. ad Plut. Mor. in Mnem. Vol. XXVIII p. 348 locum attendisse, qui est in Praec. Reip. ger. p. 810 E, ubi Pl. scribit, calumnias saepe in ipsos auctores recidere, καθάπερ τῶν βελῶν ὅσα πρὸς τὸν βαλόντα φέρεται πάλιν ῥώμῃ τινὶ δοκεῖ καὶ στερεότητι τοῦ πληγέντος ἀνακρουόμενα τοῦτο πάσχειν. Plutarchum nimirum latuit causa motus reciproci, sed iure Naberus ex eius verbis collegit, ne in Europa quidem tale telorum genus incognitum fuisse, quamquam tunc quidem plura non haberet quae nobis de iis impertiret.

P. H. D.

NOTAE CRITICAE AD T. LIVII LIB. XXXI-XXXV.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



T. Livi Ab Urbe Condita libri. Edidit Antonius Zingerle. Editio maior. Vindobonae 1888—1908.

Lib. XXXI.

18. 5: *ita dimisso legato Philippus auro, argento quaeque* ⟨*alia*⟩ *coacervata erant, acceptis hominum praedam omnem amisit.*

Praebet codex Bambergensis: *argento quaequae coacervata erant*, codices recentiores: *argentoque quae coacervata erant*, quod Weissenborn recepit. Editor ex H. I. Muelleri coniectura locum constituit, sed potius restituendum credo: *auro argentoque, quae* ⟨*in foro*⟩ *coacervata erant, acceptis*; ita supplendum esse ea monent quae in capitis superioris § 5 leguntur: *ut ... iuberent aurum et argentum in forum deferri.* Cf. etiam c. 23. 8: *praeda omnis primo in forum conlata, deinde in naves inposita.*

18. 6: *tanta enim rabies multitudinem invasit, ut repente proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent, periuriumque alius alii exprobrantes et sacerdotibus maxime, qui, quos ad mortem devovissent, eorum deditionem vivorum hosti fecissent, repente omnes ad caedem coniugum liberorumque discurrerent seque ipsi per omnes vias leti interficerent.*

Crevierio duce Madvig et M. Mueller *repente* illud uncinis incluserunt, quod propter idem adverbium inferius repetitum nunc vitiose abundat. At causa nulla est quae sciolum inducere

potuerit ut id insereret: ideo non inducendum videtur, sed aliquanto melius suo loco reddendum, qui est ante voc. *invasit.*

In eodem enuntiato voc. *vivorum* expungendum esse Cobetus noster recte sed frustra monuit (Mnem. X, 1882 p. 106).

23. 1: *nam et Macedonas, quia nullus in propinquo sit hostium metus, vagari passim.*

Scribendum: *motus*, cl. XXXIII. 21. 8: *et quae nondum animos nudaverant, ad finitimorum motus consurrectura*, XXXIV. 26. 4: *in speculis fuit, si quid novi motus oreretur*, neque interpretatoribus credendum, qui male sanam lectionem utcumque explicare conantur.

29. 1: *huic* (concilio sc.) *ut occurrerent, et regis legati iter accelerarunt, et a consule missus L. Furius Purpurio legatus venit; Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt.*

Immo vero: *accurrerunt.*

29. 11: *Capua quidem, sepulcrum ac monumentum Campani populi, elato et extorri eiecto ipso populo, superest.*

Verbum *eiecto* glossema esse vocabuli *extorri* Pluygers ante me perspexisse video (Mnem. IX, 1881 p. 15).

29. 15: *Aetolos, Acarnanas, Macedonas, eiusdem linguae homines, leves ad tempus ortae causae diiungunt coniunguntque.*

C. L. Bauer emendare voluit: *leves et ad*; maluerim: *leves atque ad.*

30. 3: *sata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque agi misera magis quam indigna patienti esse.*

Lege: *patientium.*

30. 7: *circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes; semusta, truncata simulacra deum inter prostratos iacere postes templorum.*

Eliminandum est voc. *templa*. Fraudem arguunt èt *ea omnia*, quae qualia sint verba § 6 diserte docent: *delubra sibi fuisse* e. q. s., èt voc. *templorum* in fine sententiae repetitum.

33. 3: *ipse terrestres copias comparabat, magna se duo auxilia Romanis detraxisse credens, ex una parte Aetolos, ex altera Dardanos, faucibus ad Pelagoniam a filio Perseo interclusis.*

Verborum compositio suspicionem mihi iniecit, Livium scripsisse *magnum*: magnum esse credens se duo auxilia Romanis detraxisse.

36. 3: *et equitatus quidem cessit, duces caetratae cohortis non satis expectato signo ante tempus excitatis suis occasionem bene gerendae rei amisere.*

Reponendum videtur: *cessit,* ⟨*sed*⟩ *duces* e. q. s.

36. 5: *postquam ne tum quidem potestas pugnandi dabatur, quia ex tam propinquis stativis parum tuta frumentatio erat, dispersos milites per agros equitibus extemplo invasuris, octo fere inde milia, intervallo tutiorem frumentationem habiturus, castra ad Ottolobum . . . mouit.*

Verba *ex tam propinquis stativis* interpretibus difficultates praebere mirum non est, sed omnino reicienda est utraque Weissenbornii explicatio, ubi dicit: „entweder *hosti* oder est ist reciprok zu nehmen: da sein und der Feinde Lager sich so nahe waren." Stativa enim hoc loco utique regis sunt, ut c. 38. 9, quod nemo negabit qui locum totum diligenter perlegerit. Si sana est lectio, verba ita intellegenda esse arbitror: ex agris qui tam propinqui erant stativis regis. Cf. § 7: cum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra vallum suos tenuit, et Riemann, Études sur la langue et la grammaire de T. L. p. 91, ubi exponit Livium adiectivis neutro plurali positis frequentissime usum esse ad loca designanda. Si emendatione locus egeat, optima ratio sit praepositionem *ex* expungere, ita ut *tam prop. stat.* ablativus absolutus fiat: additamentum quale est *regis* vel *hostium* minime desiderari, ea quae antecedunt satis ostendunt.

36. 7: *cum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra vallum suos tenuit, ut cresceret simul* [*et*] *neglegentia cum audacia hosti.*

Dukero praeeunte editor *et* inclusit, alii alia proposuerunt, e quibus mihi quidem valde arridet H. I. Muelleri traiectio: *ut cresceret cum audacia simul et neglegentia,* sed tamen praetulerim:

ut cresceret simul⟨ato m⟩et⟨u⟩ neglegentia cum audacia hosti, cl. § 5 supra: ubi latentem intra vallum hostem vidit, in tumulos quoque ac sub ipsum vallum exprobrans metum successit.

37. 12: *ducenti Macedonum equites eo proelio periere, centum ferme capti; octoginta admodum ornati equi spoliis simul armorum relatis abducti.*

Est haec lectio duorum cod. rec., cum in Bambergensi sit: *equi sunt spoliis*, in nonnullis: *equis spoliis*. Unde mihi nata est suspicio, corrigendum esse: *equi cum spoliis*. Cf. c. 40. 4: servitia inde cum cetera praeda abduxit.

39. 10: *erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum, quae, nisi ubi praelongis hastis velut vallum ante clipeos obiecit, quod ut fiat libero campo opus est, nullius admodum usus est.*

Lege: *praelongas hastas*, cl. XXXII. 17. 13: ubi conferti hastas ingentis longitudinis prae se Macedones obiecissent, ibid. 14: hastile fragmento ipso acuto inter spicula integrarum hastarum velut vallum explebat. Cf. etiam XXXIII. 5. 6, XXXV. 30. 6, XXXVI. 18. 6.

42. 8: *maximo usui fuit Amynander, quo duce Athamanes itinerum periti summis montibus per calles ignotas sequentibus eos hostibus in Aetoliam perduxerunt.*

Resecandum est emblema *hostibus*, quod sententiam corrumpit: *sequentibus* enim dativus est a verbo *ignotas* pendens, *eos* autem obiectum verbi *perduxerunt* sc. Aetolos.

Lib. XXXII.

1. 1: *L. Lentulo Italia, Q. Villio Macedonia ... evenit.*

Praenomen alterius consulis fuit P. Cf. XXXI. 49 i. f.: creati sunt consules L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus, XXXII. 3. 2: P. Villius in Macedoniam cum venisset, atrox seditio militum ... excepit.

1. 10: *nuntiatum est ... in Herculis aede capillum enatum.*

Corrige: *capillum ⟨in signi capite⟩ enatum*, cl. § 13 infra:

lauream in puppi navis longae enatam. Litterarum similitudo, quae est in vocabulis *capillum* et *capite*, causa fuit ut scriba ea, quae nondum exaraverat, iam se scripsisse putaret.

12. 8: *substitit in tumulo quodam dimisitque suos per omnia iuga vallesque, qui palatos in unum colligerent.*

Sensu vacua haec sunt, itaque supplendum est: *dimisitque* ⟨*e q u i t e s*⟩ *suos* e. q. s.

16. 11: *oppidani primo inpigre tuebantur moenia; dein fessi vulneratique aliquot . . . ad deditionem inclinarunt.*

Bambergensis exhibet: *haud inpigre*, unde profecti alii alia frustra temptarunt. Mirum ni auctor scripserit: *haud* ⟨*d i u*⟩ *inpigre.*

18. 8: *lacessendo missilibus eos, qui in praesidio erant, cum ad excursiones elicuissent, refugiendo in vicem sequendoque et levibus sine effectu certaminibus eo neglegentiae et contemptus adduxerunt, ut cum refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent.*

Post *facerent* excidisse credo verba *oppidum ceperint*, quibus restitutis *cum* nimirum coniunctionis vice fungitur.

23. 9: *transfugarum Italicorum magna multitudo erat, pars ex Hannibalis exercitu metu poenae a R o m a n i s Philippum secuta, pars* e. q. s.

Dele frigidum emblema *a Romanis*. Continuo, hercle, sequitur: hos desperata salus, s i R o m a n i v i c i s s e n t, ad rabiem magis quam audaciam accendebat.

23. 12: *auctor erat Attalus incensis operibus omittendae extemplo oppugnationis: pertinacius Romanus in incepto perstabat. is quoque, ut pro omnibus portis disposita videt praesidia regia nec facile erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit.*

Codex optimus praebet: *pertinacius cū intus romanus.* Weissenborn, dicens difficile esse quid tandem Livius pro *Quinctius* scripserit indagare, litteras corruptas omnino omisit, quem Zingerle secutus est — Schenkl coniecit *pertinacius contra Romanus.* Equidem maluerim: *pertinacius a d t e m p u s Romanus* atque post

perstabat ex haplographia excidisse opinor: *at.* Cf. c. 19. 8: neque ex iis, quae tum ad tempus faceret, aestimantes graviorem post bellum dominum futurum cernebant.

32. 15: *'istuc quidem' ait Romanus, 'par omnibus periculum est, qui cum hoste ad conloquium congrediuntur, si nulla fides sit.'*

Verba *si nulla fides sit*, quae alii aliter emendare studuerunt, aliquis in margine adscripserat, unde deinde in textum se insinuarunt neque apud Polybium leguntur, qui habet XVII. 1. 8: *τοῦ δὲ τῶν 'Ρωμαίων στρατηγοῦ θαυμάσαντος καὶ Φήσαντος, ἴσον εἶναι πᾶσι τὸν κίνδυνον καὶ κοινὸν τὸν καιρόν.*

37. 5: *legati deinde regis intromissi; quibus longiorem exorsis orationem brevis interrogatio, cessurusne iis tribus urbibus esset, sermonem incidit, cum mandati sibi de iis nominatim negarent quicquam. sic infecta pace regii dimissi.*

Vitiosa est in hisce verborum interpunctio: post *incidit* enim plene distinguendum, post *quicquam* virgula collocanda est.

40. 1: *De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege est mota, cum fraude Philoclis proditam urbem vi ab eo teneri argueret, ille ab ipsis Argivis se defenderet accitum.*

Praestare opinor lectionem, quam undecumque petitam Weissenborn recensuit: *ut se defenderet*, qua recepta ex praecedentibus ad *ille* (h. e. Nabis) cogitando supplendum est *argueret.*

Lib. XXXIII.

2. 3: *et dum regem auferunt perferuntque parte membrorum captum, paulisper contio intermissa est.*

Pro corrupto verbo *perferunt* nescio an reponendum sit: *proferunt*: cum regem, qui conciderat, sustulissent et protulissent h. e. multitudini ostendissent, eum parte membrorum captum esse apparebat, qua de causa paulisper contio intermissa est.

4. 4: *ad hoc duo milia caetratorum, quos peltastas appellant, Thracumque et Illyriorum — Trallis est nomen genti — par numerus bina milia erant.*

Ad verba *par numerus* annotavit aliquis in margine: *bina milia erant*, quod scholium in textum ex margine irrepsit.

9. 7: *in hos incompositos Quinctius ... elephantis prius in hostem actis inpetum facit, ratus partem profligatam cetera tracturam. non dubia res fuit; extemplo terga vertere Macedones.*

Dictorum ratio requirit: *non* ⟨*d i u*⟩ *dubia res fuit*. Ex haphographia error ortus est.

11. 8: *sed et succensebat non immerito Aetolis ob insatiabilem aviditatem praedae et adrogantiam eorum, victoriae gloriam in se rapientium, quae vanitate sua omnium aures offendebat.*

I. F. Gronovius coniecit: *qua vanitate sua*, sed emendandum videtur: *quae* ⟨*g e n s*⟩ *v. sua.*

12. 1: *Indutiae quindecim dierum datae hosti erant et cum ipso rege constitutum conloquium; c u i u s priusquam tempus veniret, in consilium advocavit socios.*

Quis advocavit? Quinctius nimirum. Hoc igitur nomen pro *cuius* substituendum videtur.

15. 1: *Androsthenes ... ad Nemeam ... castra locat. ibi partem dimidiam exercitus, divisam trifariam, et omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensem Sicyoniumque agros et Phliasium iubet.*

Madvigii recensio est lectionis in codice Bambergensi traditae: *parte dimidia exercitus dimissa dimidiam trifariam divisit et omnes.*

Livii manum ita a summo viro restitutam esse nemo umquam mihi persuadebit; non dubito quin auctor, cum Androsthenem partem dimidiam exercitus agros hostium depopulari iussisse intulerit, etiam tradiderit quo consilio partem dimidiam alteram retineret in castris. Ideo ad veram lectionem haec propius accedere puto: *ibi parte dimidia exercitus* ⟨*a d e x e r c e n d u m*⟩ *dimissa dimidiam trifariam divis a m et omnes* e. q. s. Cf. V. 27. 2: pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, Cic. Fin. I. 69: ludicra exercendi aut venandi consuetudo, nec non Liv. XXXIV. 9. 11 et 13. 3.

23. 7: *aeris tulit in triumpho ducenta triginta septem milia quingentos* e. q. s.

Manifestum emblema *in triumpho* delendum est in media triumphi descriptione, cum praesertim supra § 4 iam legimus: multa signa militaria tulit e. q. s. Ridicule igitur verba *in triumpho* postea repetuntur.

25. 4: L. Furius et M. Claudius Marcellus consulatu inito, cum de provinciis ageretur et Italiam utrique provinciam senatus decerneret, ut Macedoniam cum Italia sortirentur tendebant. *Marcellus, provinciae cupidior, pacem simulatam ac fallacem dicendo et rebellaturum, si exercitus inde deportatus esset, regem, dubios sententiae patres fecerat.*

Emenda: *Marcellus,* ⟨*illius*⟩ *provinciae cupidior,* Macedoniae sc. Post ultimas *Marcellus* nominis litteras librarius similes pronominis litteras neglexit. Idem Polybius XVIII 25 affirmat: Μάρκος αὐτός, ἐπιθυμῶν τῆς εἰς Ἑλλάδα διαβάσεως, ἀντέλεγε.

31. 6: *Antiochus rex erat, quem transgressurum in Europam, cum primum ei vires suae satis placuissent, non dubitabant.*

Probabilius existimo Livium scripsisse: ⟨*Causa*⟩ *Antiochus rex erat.*

33. 1: *Ludis vero dimissis cursu prope omnes tendere ad imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium . . . haud procul periculo fuerit.*

Malim: *ut ruente turba eum unum adire, c. d. c.*

33. 6: *nec hoc finitimis aut propinquae vicinitatis hominibus aut terris continentibus iunctis praestet, sed maria traiciat.*

Non cum Weissenbornio *iunctis* tamquam glossa eliminandum, sed ante hoc verbum *aut* reponendum videtur.

34. 3: *denuntiatum, ut excederet Asiae urbibus.*

Nescio an sit inserendum: *ut* ⟨*rex*⟩ *excederet.*

35. 7: Cn. Cornelius Philippo regi *suasit, quoniam pacem impetrasset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romam le-*

gatos . . . ad Tempe Thessalica Philippus est conventus. qui cum se missurum extemplo legatos respondisset, Cornelius e. q. s.

Locus alienus, quo verba *ad Tempe Thessalica Philippus est conventus* in textum irrepserunt, ipse emblema manifestum arguit; annotatio enim, quae haud dubie a commentatore aliquo in margine adscripta erat, rerum narratarum cursum inepte nunc interrumpit.

48. 3: (Hannibal) *ubi cum in portu naves aliquot Phoenicum onerarias cum mercibus invenisset et ad egressum eum e nave concursus salutantium esset factus, percunctantibus legatum se Tyrum missum dici iussit.*

Immo: *cum mercatoribus*: iidem fuerunt qui eum egressum e nave salutarunt quosque ipse ad cenam deinde invitavit, cf. § 5: magistros navium mercatoresque invitari iussit.

Lib. XXXIV.

4. 9: *quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus nisi ingens cupido agros continuandi?*

Scriptum fuisse suspicor: *ingruens cupido.*

4. 16: *ne ⟨eas⟩ simul pudere, quod non oportet, coeperit, quod oportet, non pudebit.*

Duce F. L. Lentzio multi editores pronomen *eas* inseruerunt, at nil addendum esse opinor. Cato hanc monitionem in commune pronuntiat, quae quomodo ad feminas pertineat in reliqua orationis parte demonstrabit. Locum sic explicandum censeo: Profecto simulac pudere quod non oportet coeperit (ut paupertatem feminis iam pudori esse modo exposui), id quod oportet non pudebit (quod idem in feminas cadere exemplis nunc vobis ostendam).

6. 8: *ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? quid? vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata.*

Editor *quid* ex nescio cuius coniectura recensuit, in cod. B exaratum est *quae* — alii alia proposuerunt: *quia, quippe, ecquae, quam.*

Suspicio me tenet, ita locum in integrum esse restituendum ut remoto molesto interpretamento *quae vetus* ad rogationem suam orator nihil respondeat nisi: *regia lex, simul cum ipsa urbe nata.*

7. 3: *magistratibus ... togae praetextae habendae ius permittemus, nec ut vivi solum habeant* [*tantum*] *insigne, sed etiam ut cum in eo crementur mortui: feminis dumtaxat purpurae usu interdicemus?*

H. I. Muellero auctore editor *tantum* seclusit et recte fecit, nam pro glossa voci sequenti *dumtaxat* suprascripta ducenda est, ut c. 40. 5 voc. *prope* monente P. R. Muellero iure inclusit ut glossam adverbii *tantum non*, quod in versu sequenti legitur. Non igitur M. Muellero assentiendum est, *usitatum* pro *tantum* scribi iubenti.

11. 2: *venerunt querentes castella sua oppugnari nec spem ullam esse resistendi, nisi praesidium Romanus misisset.*

E Bekkeri coniectura haec scripta sunt pro tradita lectione: *praesidium romanis missis et* (B) vel *praesidio romanus miles esset* (M).

Ita potius emendandum esse censeo: *praesidium Romanum missum esset.*

15. 7: *non sustinuit impetum eorum statio, quae portae adposita erat; et ceteri, postquam intra vallum hostem vident, ipsi castris exuti signa armaque abiciunt.*

Locus, cuius scriptura ne in libris mss. quidem constat, sic corrigendus videtur: *quasi castris exuti.*

18. 5: *in consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut ... parsimonia et vigiliis et labore cum ultimis militum certaret nec quicquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium haberet.*

Lege: *sui praecipui.* Cf. Nepos Them. 6. 2: idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo, Val. Max. IV. 3. 13: Scipio Aemilianus post duos inclytos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos ... officio legationis functus est.

21. 4: *cum se muros subisse cerneret intentosque praedones ad tuenda moenia esse, tum uti cum suae factionis hominibus meminisset arcem occupare. id, uti praeceperat, factum.*

Voc. *uti* ex eodem vocabulo in linea sequenti male repetitum exstirpandum esse arbitror.

24. 2: 'ne istuc' inquit 'Iuppiter optimus maximus sirit Iunoque regina, cuius in tutela Argi sunt, *ut illa civitas inter tyrannum Lacedaemonium et latrones Aetolos praemium sit posita in eo discrimine, ut miserius a vobis recipiatur quam ab illo capta est.*

Pro *a vobis* nonnulli scribere voluerunt: *a nobis*. Reponendum esse existimo: *a Nabide* cl. § 4 infra: *itaque vos rogamus, Romani, ut et ab Nabide Argos reciperetis et ita res Graeciae constituatis, ut ab latrocinio quoque Aetolorum satis pacata haec relinquatis.*

In hisce autem non omnia recte se habere puto, cum e cod. rec. scriptura *pacata haec* recepta sint, in codice optimo *haec* non legatur. Ideo Madvig *pacatam* (i. e. Graeciam), Weissenborn *pacata omnia* proposuerunt; equidem maluerim: *pacatas* (i. e. res Graeciae).

25. 12: *conprensi deinde quidam et alii; ex iis occisi plures, pauci in custodiam coniecti: ⟨multi⟩ proxima nocte funibus per murum demissi ad Romanos perfugerunt.*

Voc. *multi* a nescio quo non recte additum esse credo; sana sunt omnia, dummodo ita interpungantur: *ex iis occisi plures; pauci, in custodiam coniecti, proxima nocte ... perfugerunt.*

26. 5: *omnium principum Graeciae praeter Aristaenum eadem sententia erat, cum causa belli non alia esset, inde potissimum ordiendum bellum.*

E codicum lectione ambigua (*ordiendi belli* B — *ordiundi bellum* M) ita quondam scriptum est. Praetulerim: *inde potissimum ordiendum* inducto voc. *belli* v. *bellum*, quod scribam per neglegentiam e versu superiore iterasse suspicor.

30. 2: *postquam id quoque traditum Romanis audivit esse ⟨et⟩ ...*

a mari quoque toto se interclusum .... caduceatorem primum in castra misit.

Drakenborchio praeeunte editor *et* adiecit, quod sane in hac periodo intricatissima desideratur. At vero vocula non inserenda est, sed pro verbo *esse* substituenda utpote sub compendio latens, quod ambigue exaratum olim per *esse* perperam explicatum est. Verbum *esse* nimirum non modo abundat sed etiam loco ipso, quem obtinet, arguitur.

32. 12: *agedum, quos in contione conprehensos omnibus audientibus civibus tuis te in custodia habiturum esse pronuntiasti, iube vinctos produci; miseri parentes, quos falso lugent, vivere sciant. at enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani?*

Madvig legere voluit: *produci, ut miseri,* quod in ed. Par. 1510 primum occurrit. Quae si vera est lectio, corruptela forsitan ita orta sit ut coniunctio *ut* per errorem in versum sequentem migraverit (*ut iam ita sint haec*), ubi certe necessaria non est.

34. 4: *nunc inpensa quoque magna eget in opera, in machinationes et tormenta, quibus tanta urbs oppugnanda est, in commeatus vobis nobisque in hiemem expediendos.*

Evidens est ridiculum interpretamentum removendum esse. Cf. XXXVII. 26. 8.

37. 6: *exciderat pacis mentio ex omnium animis, et in stationes non ultra quieturi discurrunt. paucorum excursio lacessentium et emissa iacula extemplo et Romanis dubitationem, quin bellandum esset, exemerunt.*

Cum cod. rec. *et Romanis* plerumque ab editoribus scribi solet, quamquam nonnulli, a manu codicis optimi B profecti (*qui et Romanis*), locum corruptum esse et coniecturis resarciendum putarunt: *quietis R.* Weissenborn — *Quinctio et R.* Koch proposuit. Equidem credo, ed. post. Par. 1513 genuinam lectionem eo reposuisse quod omissis *qui et* unum nomen *Romanis* scripsit, quandoquidem vereor ne *qui et* nata sint ex litteris prioribus verbi *quieturi*, quod supra est, a librario oscitanti repetitis.

52. 9: *ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius, regis Philippi filius, fuit et Armenes, Nabidis tyranni filius, Lacedaemonius.*

Expelle putidum emblema, quo post varios casus, post tot discrimina rerum tyranni Lacedaemonium eum fuisse iam tandem edocemur.

61. 2: *Aristonem quendam Tyrium nanctus Ephesi expertusque sollertiam levioribus ministeriis, partim donis, partim spe praemiorum oneratum, quibus etiam ipse rex adnuerat, Carthaginem cum mandatis mittit.*

Verba *quibus etiam ipse rex adnuerat* post verbum *mittit* traicienda sunt utpote quae ad voc. *mandatis* sint referenda. Cf. infra § 7: Aristonem quendam, Tyrium advenam, instructum mandatis ab Hannibale et rege Antiocho venisse.

Lib. XXXV.

2. 7: *si tumultus in Hispania esset, placere, tumultuarios milites extra Italiam scribi a praetore. mens ea senatus fuit, ut in Hispania tumultuarii milites legerentur.*

Verba *mens — legerentur* pro annotatione habenda est primum a nescio quo in margine adscripta, deinde imprudenter in textum recepta. Neque in libris mss. lectio constat, cum unus cod. M verba *placere ... Hispania* praebeat, ceteri non nisi verba *placere tumultuarii milites extra Italiam legerentur.*

6. 10: *scripserat ... hostes e manibus emissos, quod equitibus legionariis et tardius datum signum esset et persequi fugientes non licuisset.*

Corrigendum est: ⟨*longius*⟩ *non licuisset,* nam equites revera hostes persecutos esse e c. 5. 12 novimus, ubi haec leguntur: postquam terga dabant et in fugam passim effundebantur, tum ad persequendos eos legionarii equites immissi.

7. 2: *instabit enim cura alia, quod civitas faenore laborabat et quod, cum multis faenebribus legibus constricta avaritia esset, via*

fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transscriberent.

Legendum esse credo: *via* ⟨*nova*⟩ *fraudis inita erat.* Multae illae faenebres leges non minus perlatae erant ad fraudem ex avaritia natam compescendam.

12. 8: *nullum exercitum Romanum in Graecia esse, nec* [*propter*] *Gytheum aut maritimos alios Laconas dignam causam existimaturos Romanos, cur legiones rursus in Graeciam transmittant.*

Editores *propter* I. F. Gronovio praeeunte fere includunt, sed dubito an Livius scripserit: *in Graecia esse nec propter,* ⟨*nec*⟩ *Gytheum* e. q. s. Ita scilicet *propter* adverbium est = in vicinia Graeciae.

12. 12: *nam neque, ut ante se moveat Philippus, quam Antiochus cum exercitu transierit in Graeciam, suadere.*

Quicumque ea quae praecedunt diligenter perlegerit, quin nomen *Philippus* moleste abundet vix dubitabit.

19. 2: (Hannibal) *melius esse ratus et percunctari causam repentinae alienationis et purgare se, tempore apto quaesita simpliciter iracundiae causa auditaque, 'pater Hamilcar' inquit* e. q. s.

Non constat lectio *tempore apto,* quam unus cod. M exhibet, cum ceteri *a tempore* vel *ac t., at t., aut t.* praebeant. I. F. Gronovius coniecit *tempore capto,* sed veram lectionem esse existimo: *tempore dato* vel *dato tempore* h. e. oblata occasione.

29. 2: *Cretenses et hostium auxiliares, equitumque idem genus, Tarentini, praesidio aquatoribus erant.*

Dele puerile additamentum *Tarentini*; praecedunt nempe haec: Cretensium levis armatura et Tarentini equites super torrentem proelium commiserunt.

33. 9: *huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus praetor eorum.*

Pronomen *eorum,* quod Vossius expungere voluit, non habet ad quod referatur; fortasse corruptum est ex *Aetolorum.* Sequuntur haec: *nam cum id ipsum decretum posceret eum Quinctius, non*

veritus maiestatem viri, aliud in praesentia, quod magis instaret, praevertendum sibi esse dixit: decretum responsumque in Italia brevi castris super ripam Tiberis positis daturum.

Praebent codices tantum non omnes: *primo aliud,* quod coniecturis nonnulli emendare studuerunt; nescio tamen an *primo* servandum sit cl. c. 36. 2 et 38. 1, ubi *primo — deinde* legitur.

35. 2: *quem . . . qui occupasset occidere, eum totius gratiam rei apud Lacedaemonios laturum.*

Verbum declarandi deest. Conicio verbum *statutum* post *laturum* propter litterarum similitudinem omissum esse.

44. 1: *In concilium ut ventum est, aegre a Phaenea praetore principibusque aliis introductus facto silentio rex dicere orsus.*

Adverbium *aegre,* quod in multis libris mss. praetermissum est, e linea inferiore in superiorem migravit. Legendum enim est: *aegre facto silentio* sc. propter ingentem favorem multitudinis et effusam vulgi laetitiam cum plausibus clamoribusque, quibus regem exceptum esse Livius supra enarravit.

47. 7: *hunc forte ingenio vanum Aetoli et Antiochus impulerant in spem regni Macedoniae, quod is vere regum stirpis esset, si Amynandrum Athamanesque Antiocho coniunxisset.*

Haec neque latina sunt (cf. *hunc — is* de eodem Philippo dicta!) neque probabilem interpretationem verba *quod is . . . coniunxisset* admittunt. Si tamen pro *quod is* mecum substitueris *quasi,* grammaticae veneris auxilio atque revocaveris ipsius Livii observationem dicacem ironiaeque plenam.

48. 3: *partim loricatos, quos cataphractos vocant, partim sagittis ex equo utentes eī, a quo nihil satis tecti sit, averso refugientes equo certius figentes.*

Ita tandem locus, cuius lectio in libris mss. non constat (*aversos refugientis equo* B — *aversos refugiente equo* ceteri), e coniectura recensitus est. Equidem voc. *refugientes* glossema verbis *averso equo* additum itaque male in contextam orationem receptam esse arbitror.

DE HERODOTO, ARTIFICIORUM AESTIMATORE.

SCRIPSIT

J. BERLAGE.



Ante hoc fere triennium in societate Rheno-Traiectina facta inquisitione demonstravi scriptores Graecos saeculorum quinti et quarti ante Chr. n. pulcherrimorum operum, illis temporibus et Athenis et in ceteris Graeciae urbibus conditorum, quorumque ipsi aequales essent, mentionem paene nullam facere, licet rerum conscriptio, orationes panegyricae ad celebrandos Graecos et imprimis Athenienses habitae, disputationes Socraticae, comedia vetus Aristophanea et aliorum, multifariam materiem praeberent artium mirabundos progressus commemorandi recensendi aestimandi. Inde concludere conatus sum illius aetatis homines artes figurativas artificesque ipsos contempsisse atque viles habuisse, neque ante tempora Hellenistica, quae vocantur, cum divinus artis afflatus paullatim languesceret, scientiae vero et disciplinae mire florescerent, apud idiotas studium amoremque architectonices sculpturae picturae ortum esse, id studium tamen praesertim praeteritarum aetatum monumenta amplecti, nec minus admiratione maiorum quam vera artis intelligentia excitari. Et ne tunc quidem eas artes vulgi opinioni aeque probatas fuisse ac poësin rhetoricam philosophiam. Pro testimonio esse quod variae artes et disciplinae Musis essent dedicatae, illae autem numquam suam habuerint Musam. Addere nunc possum in glyptothecis Europaeis innuberabilem copiam imaginum poetarum oratorum philosophorum spectari, architecti sculptoris pictoris, paene nullam, ita ut summi

artifices, qui toties aliorum vultus et staturas expresserunt, ipsi numquam expressi sint. Eius contemptus, cuius testem manifestum haberemus Lucianum in notissimo dialago: „Vita sive somnium", fuisse causas primum quod veteres Graeci, quamquam pulcherrima artificia ipsi conderent, tamen adhuc universa divinae artium naturae intelligentia carerent, deinde τέχνας βαναύσους omnino despicerent, neque sentirent artes figurativas in his quidem radices suas habere, sed ex his velut arbores proceras et elegantes, humili et sordida terra relicta, in caelum usque crevisse.

Quae mihi demonstranti unus ex auditoribus doctissimis et clarissimis obiecit, me Herodoti operis mentionem nullam fecisse, qui sedulo plurima anathemata notavisset et enumeravisset. Quod autem de illo rerum scriptore tacuissem causa imprimis haec fuit, quod inquisitioni meae certas aetatis fines posueram. Nulla fuit aetas qua artes tantum incrementum ceperint, tantopere omnium cum admiratione floruerint, quam saeculi quinti ante Christum natum secunda pars, quare in scriptores huius aetatis aequales et posteriores praesertim animum adverteram. Herodoti autem opus non usque ad eam aetatem perductum est, quamobrem istorum monumentorum rationem habere non potuit. Quoniam vero ad universam quaestionem de artium aestimatione apud veteres iudicandam sine dubio scire interest, quid Herodotus de illis censuerit, hisce paginis in Halicarnassensis illius opinionem inquirere decrevi. Etenim simodo in ullo scriptore Graeco antiquiore, in isto intelligentia iudicium, amor certe atque studium operum artis exspectandus est, siquidem in libri sui exordio declarat se opus suum divulgavisse ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστά, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισι ἀποδεχθέντα, ἀκλεέα γένηται, i. e. ne facta hominum longo aevo in oblivionem abirent, *neve monumenta magna et admirabilia, et a Graecis et a barbaris condita, sua gloria carerent.*

Scriptor enim noster non minus filius fuit logographorum quam pater historicorum, itaque velut transitum ab Hecataeo Milesio ad Thucydidem Atheniensem constituit. Qui ut rerum causas subtilius investigavit earumque cursum sanius magisque

sobrie iudicavit, in arandis igitur scientiae agris altius penetravit, ita in multo breviores fines contraxit, soli historiae politicae rerumque militarium opera data. Herodotus vero velut Hecataeus et ipse quasi περίοδον γῆς scripsit, itaque, ut verba eius supra relata declarant, ad monumenta quoque hominum non solum Graecorum sed et barbarorum animum advertit.

Videamus igitur quomodo illud propositum peregerit.

Centum paene locis mentionem alicuius monumenti notavi, nunc plures in eodem capite, nunc locos longiores qui amplius unum caput occupant. Capita sunt haec:

L. I cc. 14, 24, 25, 50, 51, 70, 92, 98, 163, 164, 179, 181, 183, 185, 186, 215.
L. II cc. 44, 101, 108, 110, 111, 121, 124, 125, 126, 127, 130, 132, 134, 135, 136, 137, 138, 143, 148, 149, 153, 155, 158, 169, 170, 172, 175, 176, 178, 180, 181, 182.
L. III cc. 41, 47, 60, 148.
L. IV cc. 15, 26, 81, 87, 88, 152, 162, 179.
L. V cc. 58, 59, 60, 62, 77, 82, 83, 84, 85, 102, 119.
L. VI c. 19.
L. VII cc. 170, 225.
L. VIII cc. 27, 33, 82, 121.
L. IX cc. 70, 80.

In his etiam comprehensi sunt loci qualis L. I c. 164 legitur: „Phocaeenses ... etiam signa ex templis ceteraque dona secum asportaverunt praeter aes, lapidem, picturas et L. V c. 102 ... inque iis templum Cybeles, deae indigenae, deflagratum est." Permulta monumenta (triginta fere) nominata sunt sine alia descriptione nisi materia designata.

Ad quindecim monumenta commemorantur quae ad usum tantum comparata sunt, nulla ornandi ratione habita, velut moenia complurium urbium, fluminum moles, fossae cett. Circiter viginti quinque locis perpauca addita sunt, velut pondus, modus, colores, imaginum habitus. Reliqua monumenta brevissime descripta sunt vel dignata aliquo adiectivo ornanti, velut: ἀξιοθέητος sive θέης ἄξιος, λόγου ἄξιος, ἀξιαπηγητότατος, πολλῷ κάλλιστος καὶ πολλῷ μέγιστος, cett.

In omni copia ornamentorum quinquies artificis nomen com-

memoratum est: primo annuli Polycratis factor Theodorus Samius; idem crateris argentei a Croeso Delphis dedicati vulgo factor creditus, addito argumento *σὺ τὸ συντυχὸν Φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι* —; tertio Glaucus Chius crateris ab Alyatte donati artifex: *ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε* —; quarto Eupalinus, aquaeductus Samii architectus; quinto Rhoecus, Heraei quod ibidem est architectus. Uberius descripta sunt:

L. I c. 50 leo aureus in basi laterum aureorum positus, a Croeso Delphis donatus.

L. I c. 93 Alyattis, Croesi patris, sepulcrum
c. 98 Ecbatanorum moenia.
c. 179 moenia Babylonis.
c. 181 ibidem regia, templum et turris Beli.

L. II Aegypti monumenta:
cc. 124, 125, 126, 127, 134, 136 pyramides.
c. 137 templum Bubastis.
c. 148 labyrinthus Aegyptius.
c. 149 lacus Moeridis.
c. 155 Latonae templum in urbe Buto.
cc. 169, 170, 175 templum Athenae cum propylaeo et variis sepulcris.

L. III c. 47 lorica lintea ab Amaside Spartiatis dono missa
c. 60 aquaeductus Samius.

L. IV c. 152 crater Samius in Heraeo dedicatus.

Iam videndum est quales sint eae descriptiones, quare exempla quaedam accuratius sunt consideranda.

L. I c. 179 notissima Babylonis moenia sic describuntur: „Oportet vero me insuper designare ubi terra e fossa egesta insumta et quemadmodum moenia constructa sint. Fossam ducentes simul e terra egesta lateres fingebant, quos fictos numero satis multos coquebant in fornacibus; deinde pro calce bitumine usi calido, et per tricenos ordines laterum crates calami interstipantes primum fossae parietes aedificabant, dein eadem ratione moenia ipsa. Super ipsis moenibus praeter oras domus uno tabulato instructas erigebant inter se oppositas. Medium spatium relinquebant viam quadrigis circumvehentibus aptam. Portae in circuitu moenium sunt centum, omnes aeneae, itidem postes et superiora limina."

L. I c. 181. Beli templum, quod est Babylone, describitur aeneis portis instructum, quadratum, unoquoque latere duo stadia longum. In medio templo turris solida aedificata est, et in longitudinem et in latitudinem unius stadii, et in hac turri secunda turris posita est, et in hac quidem alia usque ad octo turris numero. Quarum ascensus extrinsecus circum omnes turres exstructus est. In medio fere ascensu deversorium est et sedes sunt ad quiescendum factae. Extremae turri cella ampla superstructa est, inque cella magnus est lectus bene stratus cui adstat mensa aurea; simulacrum ibi nullum inest ...

L. II c. 155 „... templum Latonae, in quo scilicet oraculum inest, et ipsum magnum est et propylaea habet sexaginta pedes alta. Quod vero rerum quae ibi cerni poterant maximam admirationem mihi movit indicabo. Est in illo delubro Latonae cella ex uno lapide confecta, cum altitudine tum longitudine et omnes parietes inter se pares sunt, quisque eorum quadraginta cubitorum. Pro tecto iacet in ea lapis alter cuius pars propendens est quatuor cubitorum."

L. II cc. 124, 125 sic describitur Cheopiae pyramidis exstructio: „Cheopem regem factum ad extremam miseriam eos detrusisse: clausis enim omnibus aedibus primum rebus sacris eos prohibuisse, deinde omnes Aegyptios sibi laborare iussisse. Aliis assignatum esse ut e lautumiis montis Arabis lapides usque ad Nilum flumen traherent; aliis imperavit ut lapides lintribus transvectos et exceptos ad Libycum, quem vocant, montem ducerent. Centena milia hominum per singula trimestria spatia in opere faciendo occupati erant. Vexandi populi tempus praeteriisse decem annorum, in munienda via per quam lapides ducerent, in opere non multo minore meo iudicio quam pyramis est — quippe cuius longitudo sit quinque stadiorum, latitudo sexaginta pedum, altitudo, ubi est maxima quadraginta octo pedum, lapidis politi sigillorumque insculptorum — in hac autem munienda via decem illos annos praeteriisse et in construendis cameris subterraneis in eo colle in quo starent pyramides, quae sibi sepulcra facienda curavisset in insula, fossa a Nilo adducta. In exstruenda ipsa pyramide viginti annos consumptos esse, cuius ex omni parte unumquodque latus esset octingentorum pedum, et par altitudo, quum quadrata esset

forma, lapidis politi et arctissime iuncti; nullum e lapidibus triginta pedibus minorem esse. C. 125 Hac ratione ea pyramis aedificata est: graduum more, quos alii crossas alii bomides vocant. Quam quum primum talem fecissent, reliquos lapides machinis e brevibus lignis factis tollebant, humo in primum ordinem graduum tollentes. In quem quoties lapis ascenderat in altera machina, quae in primo ordine erat, ponebatur, a quo alia machina in secundum ordinem trahebatur. Quod enim ordines graduum tot machinae erant, sive eandem machinam unam et portabilem lapide ablato in quemque ordinem transportabant; nam in utramque partem quemadmodum refertur a nobis expositum esto. Summa autem pyramidis pars primum perfecta est, tum proximam eius partem, denique quae in terra posita imaque pars erat, perfecerunt. Etiam literis Aegyptiis in pyramide notatum est quanta pecunia opificibus in radices et caepe et allium erogata sit; et quemadmodum bene memini, quae mihi interpres literas legens dixit, mille sescenta talenta argentea expensa sunt. Quae si ita se habent, quantum porro consumptum sit in ferrum, quo opus faciebant in cibum et vestem opificum in promptu est. Quandoquidem per temporis spatium, quantum dixi, opera faciebant, aliud spatium consumebant, quo lapides secabant et adducebant, et fossam subterraneam muniebant, idque ut puto non breve."

Labyrinthus Aegyptius l. II c. 148 sic describitur „... aedificaverunt labyrinthum paullum supra Moeridis lacum circum crocodilorum fere urbem situm, quem ego vidi descriptione sane maiorem. Nam si quis Graecorum moenia et opera effecta comprehendat, minoris laboris et sumptus ea esse appareat quam labyrinthum illum. Attamen templum quod Ephesi et Sami est dignum quoque est quod memoretur. Iam pyramides erant fama maiores et harum quaeque multis et magnis monumentis Graecorum par, labyrinthus vero et pyramides superat. In quo quippe duodecim sunt atria contecta, portis adversis, sex in septentrionem sex in meridiem spectantia, contigua; idem murus extrinsecus cingit. Cubicula insunt dupla, altera subterranea, altera in illis superterrena, tria milia numero, utraque mille et quingenta. Quae supra terram sunt conclavia ipsi perambulantes vidimus, et ipsi contemplati de iis loquimur; subterranea vero

auditu cognovimus. Aegyptiorum enim praefecti monstrare omnino nolebant, dicentes sepulcra ibi esse regum illorum qui illum labyrinthum inchoavissent et sacrorum crocodilorum. Ita de conclavibus subterraneis dicimus quae fando audivimus, superiora vero maiora monumentis humanis ipsi vidimus; transitus enim per conclavia et ambages per aulas diversissimae infinitam admirationem nobis movebant ex atrio in cubicula transeuntibus et e cubiculis in porticus, in alia cubicula e porticibus et e cubiculis in alias aulas. Horum omnium tectum lapideum est ut parietes, parietes autem pleni figurarum insculptarum, unumquodque atrium columnis e lapide albo quantum potest arctissime iuncto circumdatum. Anguli extremi labyrinthi contigua est pyramis ducentorum quadraginta pedum in qua magnae figurae insculptae sunt; via ad eam sub terra munita est."

Subsequitur (c. 149) haec Moeridis lacus delineatio: „Maiorem admirationem quam iste labyrinthus, qui talis est, Moeridis qui vocatur lacus excitat, iuxta quem labyrinthus aedificatus est, cuius lacus circuitus dimensio sunt tria millia sescenti stadii, schoeni sexaginta, pari longitudine ac tota Aegypti ora maritima. Spectat longus hic lacus ad septentriones et meridiem, quinquaginta orguias altus, ubi altissimus est. Manu factum et effossum esse ipse prae se fert. Circiter in medio lacu duae sunt pyramides, quinquaginta orguias utraque super aquam eminens, alteraque pars sub aqua aeque alta aedificata est, et in utraque positus est colossus lapideus in sella sedens. Ita pyramides sunt centum orguiarum, centumque orguiae efficiunt stadium sex iugera metiens, quum orguia constet sex pedibus sive quatuor cubitis, quum pedes sint quatuor palmarum, cubitus sex palmarum. Aqua in lacu non ex ipso gignitur (regio enim ibi aridissima est), e Nilo per fossam adducta, et per sex menses in lacum influit, sex menses rursus in Nilum effluit. Et dum effluit per sex illos menses in fiscum regium quotidie e piscibus talentum argenteum confert, dum aqua influit viginti minas (c. 150). Dicebant indigenae etiam lacum eum sub terra in Syrtim Libycam efluere, qua parte occidentem versus in mediam terram spectat, praeter montem qui super Memphin est. Quoniam eius fossae nusquam terram egestam videbam, in id enim animum adverteram, rogavi lacus accolas, ubi terra effossa

esset. Qui mihi indicantes quo egesta esset facile persuaserunt. Ex aliis auctoribus enim compereram Nini quoque in Assyriorum urbe tale quid accidisse. Sardanapali enim regis Nini opes magnas et subterraneis in thesauris asservatas fures rapere constituerant. A suis domibus initio facto fures sub terra divinantes foderunt usque ad regiam, terramque effossam e cuniculo, cum nox venerat, in Tigrim flumen, quod Ninum praeterfluit egerebant, quoad consilium perfecerunt quod volebant. Talem etiam lacus Aegyptii fodiendi rationem fuisse audivi, nisi quod non noctu sed interdiu fiebat: Aegyptios enim terram effossam in Nilum egessisse; qui acceptam dispersurus erat. Ita autem hic lacus effossus esse dicitur."

L. II c. 137 de templo quod Bubasti est haec narrantur: „Urbs Bubastis ... in qua etiam Bubastis delubrum est; memoratu dignissimum. Alia enim templa maiora sunt et pretiosiora, nullum vero aspectu iucundius: Bubastis autem Graeca lingua Artemis est (c. 138). Eius templum hoc modo constructum est. Praeter aditum, reliquum insula est; a Nilo enim fossae adductae sunt inter se non mixtae, sed usque ad aditum templi utraque infertur, altera ab altera parte circumfluens, utraque centum pedes lata arboribus inumbrata. Propylaea sexaginta pedes alta sunt, figuris sex cubitorum ornata memoratu dignis. Quum in media urbe sit templum, ab omni parte a circumambulantibus conspicitur. Urbe enim sursum exaggerata, templum, non mutatum ex antiqua constructione, cerni potest. Circumdat orbis muri typis insculptus; intus est lucus procerissimarum arborum circum aedem grandem plantatus, in qua simulacrum inest; latitudo et longitudo aedis ab omni parte stadium metitur. In aditu via est lapidibus strata circiter trium stadiorum spatio, per forum ad orientalem partem ducens, ad quadringentos pedes in latitudinem patens; ab utraque parte viae arbores altissimae surgunt; ducit ad Mercurii aedem."

L. II c. 169 de templo Athenae haec leguntur: Saïtae omnes ex illo pago oriundos reges intus in eo delubro sepeliverunt. Amasios enim sepulcrum longius a cella distat quam Apriae eiusque maiorum, tamen id quoque in aula aedis est: porticus lapidea grandis, columnis palmas arbores imitantibus et reliquo

sumptu ornata. Intus in porticu thalamus binis portis instructus, inque eo sepulcrum est."

L. III c. 60 aquaeductus Samius sic celebratur: „De Samiis fusius locutus sum quoniam ab iis tria omnium Graecorum maxima opera confecta sunt, inque his montis ad trecentes pedes alti cuniculus infra incipiens, duobus ostiis instructus. Longitudo cuniculi septem stadiorum est, altitudo et latitudo utraque octo pedum. Perque totum eum alter cuniculus viginti cubitos altus tres pedes latus effossus est, per quem aqua a magno fonte derivata tubis in urbem pervenit. Architectus huius cuniculi fuit Eupalinus Naustrophi filius Megarensis. Id unum ex tribus operibus est; secundum moles marina circum portum ducta, altitudine ad centum viginti pedes, longitudine amplius duorum stadiorum. Tertium ab iis confecta est aedes maxima omnium quas novimus aedium, cuius architectus primus fuit Rhoecus, Philae filius ex ipsa Samo oriundus. Has ob causas de Samiis fusius exposui."

Hinc quatuor opera minora proferam a scriptore nostro delineata:

L. I c. 50 notus ille leo Delphicus a Croeso dedicatus describitur: „Peractis sacrificiis magna auri copia liquefacta dimidiatos lateres ex eo conflavit in longitudinem sex palmarum, in latitudinem trium palmarum, in altitudinem unius palmae, centum septendecim numero, inque illis quatuor e puro auro, binorum talentorum et dimidii, ceteros lapides dimidiatos ex electro, binorum talentorum pondo. Leonis quoque imaginem faciendam curavit ex auro puro decem talentorum pondo. Leo iste, cum deflagravit templum Delphicum a lateribus dimidiatis (in his enim positus erat) decidit et nunc iacet in Corinthiorum thesauro talenta sex et dimidium pendens; tria enim talenta et dimidium ex eo liquefacta perierunt [1])."

---

1) In huius bibliothecae voluminis proximi parte prima de basios constructione argute disseruit L. Leopold vir doctissimus, multo altiorem fingens quam auctore Steinio vulgo putabant. Ad quam conjecturam fulciendam fortasse etiam adhiberi potest id quod de illo leone eodem capite verbis sequentibus narratur: *οὗτος ὁ λέων, ἐπείτε κατεκαίετο ὁ ἐν Δελφοῖσι νηός, κατέπεσε ἀπὸ τῶν ἡμιπλινθίων* ..... In tam humili monumento, quam fingi solebat, verbum *καταπίπτειν* vix locum suum habet, ab alto tantum *καταπεσεῖν τι* recte dici potest.

L. III c. 47 memoratur lorica lintea ab Amaside Spartiatis dono data, multis sigillis intextis distincta, ornata auro et lana xylina. Ut admiratione digna sit, facit unumquodque filum, quod quum tenue sit ipsum, trecenta sexaginta fila in se contineat, quae cerni possunt omnia.

Postremo duo crateres commemorandi sunt, quorum alterum Lacedaemonii Croeso dono missum a Samiis raptum arguebant. (L. I c. 70) Samii ipsi a Lacedaemoniis post oppressum Croesum sero venientibus se emisse perhibebant, aeneis sigillis extrinsecus circa marginem repletum, et trecentas amphoras capientem, alterum (L. IV c. 152) aeneum et ipsum a Samiis factum ad exemplum crateris Argolici: „in circuitu grypum capita eminentia sunt; dedicaverunt in Heraeo suppositis tribus colossis aeneis septenos cubitos altis, nixis genibus procumbentibus."

Hae descriptiones, quamquam vulgo notae, tamen lectoribus proponendae fuerunt, ut earum ingenium penitus pernosceretur. Exempla non temere elegi: aedificiorum sunt pleraque, quoniam ea tantum fusius discripta sunt; ante omnia aedificiorum Aegyptiorum, pyramidum unius omnium insignissimae, Labyrinthi, propter magnitudinem et varietatem, lacus Moeridis itidem propter operis vastitatem; templi et turris Babylonis ob celebritatem, eiusdem urbis moenium, templi Latonae, aquaeductus Samii propter structuram; templi Bubastis propter amoenitatem; templi Athenae, quod in urbe Saï est, ob columnarum capituli descriptionem. Leonis Delphici, propter pretium, magnumque studium quo scriptor omnia regis Lydii anathemata amplectitur; craterum duorum propter ornamentorum descriptionem.

Quid nos haec omnia docent de Herodoto artificiorum iudice? Quibus rebus in spectandis artificiis animus eius maxime movetur? Primum omnium movetur operis magnitudine et difficultate. Unde tam multus est in describendis et admirandis Labyrintho, lacu Moeridis, pyramide Cheopis, aquaeductu Samio. Huc quoque spectat frequens mensurarum mentio, non modo in monumentis supra descriptis sed in iis quoque de quibus nihil fere amplius dicitur, velut L. IV c. 81 dolium aeneum a Scythis factum commemoratur amplitudine sextuplum eius quod in ore Ponti est, et facile sescentas amphoras capiens, crassitudine

sex digitorum; L. II c. 110 statuae lapideae duae a rege Sesostri in memoriam sui et uxoris relictae triginta cubitorum, liberorumque quatuor viginti cubitorum altitudine; c. sq. obelisci duo lapidei, uterque ex uno lapide, altitudine centum cubitorum, latitudine octo cubitorum. L I c. 183 solidum signum aureum duodecim cubitorum. L. II c. 153 hoc legitur: pro columnis tectum aulae sustinent colossi duodecim cubitorum.

Eodem pertinet mentio monumentorum ingentium etiam sine designatione mensurarum, et sine alia descriptione, velut L. II c. 175 haec annotantur: Amasis in urbe Saï quoque Athenae propylaea mirifica confecit altitudine et magnitudine omnia longe superantia, et quod attinet ad magnitudinem et naturam lapidum, et colossos magnos et praealtos sphinges viriles dedicavit, aliosque lapides magnitudine ingentes ad ornandum adduxit. Imprimis notanda sunt haec: in exordio descriptionis aquaeductus Samii etiam duo reliqua opera magna Samiorum: molem marinam et Heraeum enumerat, praemissis his verbis (L. III c. 60) ἐμήκυνα δὲ περὶ Σαμίων μᾶλλον, ὅτι σφι τρία ἐστὶ μέγιστα ἁπάντων Ἑλλήνων ἐξεργασμένα, κ. τ. ἑ. *De Samiorum igitur historia politica fusius et copiosius disputavit quam de aliorum Graecorum, quia tria sunt opera maxima omnium Graecorum ab iis perfecta.*

Cum magnitudine operis nimirum difficultas saepe coniuncta est, velut in aquaeductu supra relato, in munienda via a monte Arabe ad montem Libycum transferendorum lapidum causa, sed et in opere parvo aliquando difficultatem et subtilitatem admiratur scriptor noster, velut in contexendis trecentis sexaginta filis loricae illius in unum filum tenuissimum.

Tum ratio in construendis operibus adhibita movet nostrum, teste descriptione laterum coquendorum, cratibus vimineis farciendorum in Babylonis moenibus aedificandis, teste descriptione subducendorum lapidum in aedificanda pyramide, teste etiam quod inquirit in terram e Moeridis lacu egestam, teste admiratione domus illius monolithae supra a me laudatae et alterius (L. II c. 175), quae tota ex urbe Elephantine per tres annos a duobus milibus opificum adducta esset.

Eodem spectant frequentes descriptiones operum, quae ad usum tantum comparata sunt, sive technicorum, inter quas praeter a me allatas est L. I c. 185 enarratio flexuum Euphratis fluminis

et lacus a Nitocri regina effossorum, c. 186 aggerum et pontis eiusdem fluminis in urbe Babylone factorum, c. 158 fossae a Nilo flumine ad sinum Arabicum ductae.

Deinde pretii monumentorum curiosus est Herodotus, unde fit ut imprimis aureorum anathematum mentionem faciat. Ante omnia ditissimi regis Croesi dona aurea et argentea L. I cc. 50, 51, 92 studiose enumerat, sed et aliam aedium supellectilem pretiosam commemorat, velut L. I c. 183 imagines mensam scamnum sellam aram auream, L. III c. 148 procula aurea et argentea Maeandri Samii, L. IV c. 179 tripodem aureum in templo Tritonis cett.

Magnitudinem difficultatem structuram pretium operum igitur imprimus miratur noster. Nonne et pulchritudine elegantia venustate movetur eius animus? In hac questione tractanda primum allegandum est adiectivum ornans supra a me exscriptum: *πολλῷ κάλλιστος καὶ πολλῷ μέγιστος*: quod manifestum facit eum et formae rationem habere. Reliqua ibidem allata: *ἀξιοθέητος* sive *θέης ἄξιος, λόγου ἄξιος, ἀξιαπηγητότατος* cett. alias quoque virtutes spectare possunt, quas eum maxime mirari supra demonstravi, sed ea tamen quasi quandam pulchritudinis admirationem quoque spirare videntur, sine qua non facile fuissent adhibita; id solum dicendum est verba quibus admirationem exprimit admodum ieiuna esse et puerilia. Artificum nomina vidimus quinquies modo allata esse, si sola pulchra monumenta spectas nonnisi quater; semel notabilis haec sententia addita est: *οὐ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι*. L. II c. 137 haec verba insignia legimus: „maiora et pretiosiora sunt alia templa, nullum hoc est venustius." In tot operibus enumeratis haec exempla sane admonum pauca sunt.

At non in frequenti usu laudationum et exclamationum saepe vanarum artis intelligentiam et amorem cerni recte dicat quis, sed multo magis in accurata et pia descriptione. At id ipsum miramur istas descriptiones quae non structuram sed formam et ornamenta spectent nusquam fere inveniri. *Uno* tantum loco columnarum capituli forma commemoratur i. e. L. II c. 169: *στύλοισί τε φοίνικας μεμιμημένοισι*.

Omnium vasorum in templis dedicatorum unum tantum describitur L. IV c. 152, illud dico quod Samii e decima parte

quaestus Gadibus facti fecerunt, craterem Argolicum: „in circuitu grypum capita eminentia sunt; et dedicaverunt in Heraeo subiectis tribus colossis aeneïs septem cubitos longis, nixis genibus procumbentibus." In tanta copia imaginum, quae exstabant in eis regionibus quas scriptor peragraverat nulla fusius describitur quam Arionis imago (L. I c. 24), nec tamen illa descriptio amplius continet quam haec verba: ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἄνθρωπος. Sigilli sane Delphici cuiusdam describitur forma (L. I c. 51) pueri per cuius manum aqua fluit, sed nullam aliam ob causam nisi ut demonstretur illud tantum Lacedaemoniorum donum esse, non aspergillum, quod falsa inscriptione donum Lacedaemoniorum vocatum esset.

Subductis rationibus statuamus necesse est Herodotum multo magis moveri magnitudine difficultate pretio structura operis quam forma pulchritudine elegantia. Neque enim solum spectandum est quid commemoretur in eius περιηγήσει, sed etiam quid omittatur, quid desideretur. En habemus scriptorem pro illius aetatis ratione, quem Angli vocant „mundi cursorum", cui prae ceteris popularibus potestas esset *comparandi* varia architecturae sculpturae picturae genera, qua re nihil magis amorem intelligentiamque artium stimulare solet, qui tamen artis Aegyptiacae et Graecae nullam umquam comparationem init, in tanta templorum copia nonnisi semel idque tribus verbulis capitulorum formam describit, colorum admirabilium in opere tectorio adhibitorum mentionem nullam facit, sigilla illa lignea perantiqua vitam spirantia, nusquam commemorat, in colossorum tantum mensuris stupet; qui Heraeum Samium et Artemisium Ephesium ob magnitudinem uno verbo tangit, (L. II c. 148) formam a ceterorum templorum forma diversam ideoque Graecis ipsis enarratione dignam omittit, qui ex innumerabili copia statuarum elegantium artis archaicae, Delphis et alibi dedicatarum, ne unam quidem honoris causa nominat, qui omnium operum, quae vidit, quater tantum auctoris nomen affert, qui ut verbo dicam de arte ipsa paucissima tantum eaque puerilia exilia obsoleta profert.

At vero oportet quaerere num mirandum sit eum tam pauca proferre. Videturne haec verborum parsimonia pro testimonio

esse eum artem parum curare, si cogitamus quam difficile sit luculenter simul et subtiliter de artis natura disserere? Quotusquisque est qui Aegypto peragrata non ante omnia monumentorum immensitatem, constructionis laborem narret, nec sacrario aliquo religioso visitato praesertim ingentem vim auri et argenti referat? Numeri, mensurae, pondera, pretia non solum manu prehendi possunt sed descriptioni quasi solidam materiem praebent, sed artis vim et naturam persequentem et consectantem quam saepe ipsa effugere videtur prehendentemque velut umbra e manibus elapsa eludere!

Habemus te reum confitentem. Primum ut sit aliud de alicuius ornamenti genere acute et subtiliter disputare, aliud diligenter et fideliter verbis delineare, concedamus sane hoc quoque non cuiusvis hominis esse; recte enim dicis multo plures ingentia, sumptuosa, stupenda in ore habere quam mediocria, concinna, congruentia amare. Sed id ipsum miramur Graecum hominem ingeniosissimum ex gente illa elegantissima omniumque artium peritissima e peregrinationibus suis de artis operibus nullas sententias domum referre nisi quas quivis homo de plebe hodierna, omni artis iudicio destitutus, enuntiaturus sit.

Quodsi eum comparamus cum aequalibus subsequentibusve rerum scriptoribus, oratoribus, philosophis, poetis fatendum quidem est eum aliquo tamen studio monumentorum teneri, siquidem visa frequenter enumeret, neque tanta certe itinera initurus esset nisi illa quoque contemplandi cupidus. Et vere mirantes rogamus quo illud regiones peregrinas variaque monumenta cognoscendi studium, quod in priscis logographis, quorum quasi progenies ipse fuit, viguisse videtur, evanuerit. Sed reputantibus formam et elegantiam ab eo reliquis operum virtutibus fere postponi, nec nisi verbis exilibus et obsoletis enuntiari, inquisitio nostra confirmare videtur quod in exordio posueramus: Graecam gentem ante aetatem Macedonicam pulcherrima quidem artificia procreavisse, nihilominus artes figurativas artificesque ipsos omnino parvi habuisse, artisque naturam divinam numquam perspexisse.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex vol. XLII pag.* 368).



CVI.

ΕΞΟΥΛΗΣ ΔΙΚΗ CUI COMPETAT ET DE LEGE SACRATA HALICARNASENSI.

Ἡ *ἐξούλης δίκη* iure Attico duarum actionum vicem sustinet: iudicati actionis et quasi vindicationis rei. De iudicati quidem actione adeo non dubitatur, ut Caecilius *τὴν ἐξούλης* semper adversus condemnatum dari dixerit, quamobrem notatur ab Harpocratione [1]); de altero genere haud perinde convenit. Credunt enim viri docti, quibusdam dominis, ergo non omnibus, *τὴν ἐξούλης* dari, ut ecce Thalheim [2]) propositam actionem necessario heredi accommodat, voluntario denegat. Verum enimvero, quam habet *ἐξούλης δίκην* statim post mortem testatoris necessarius heres, eam adiudicatione nanciscitur extraneus. Testis est auctor Leochareae [3]), quum narrat post mortem eius, cuius de hereditate agatur, se iure agnati [4]) *πορευ(θῆναι) εἰς τὰ κτήματα*, sed

1) V. Ἐξούλης.

2) *Rechtsalterthümer* (1895) p. 133¹.

3) Demosth. XLIV.

4) Id est, nullo, quia solis necessariis heredibus concessum est *ἐμβατεύειν* (or. cit. § 19; cf. Isae. III § 62), ceteri omnes prohibentur *ἀνεπίδικον ἔχειν κλῆρον* (Demosth. XLVI § 22).

spe potiundi excidisse. Scilicet, quia ἐξήγαγε(ν) eum adversarius *Φάσκων αὐτοῦ εἶναι* [1]). Porro quid? *Ἐλάχομεν*, inquit, *πρὸς τὸν ἄρχοντα τοῦ κλήρου* [2]). Quid ut inde consequeretur? Non id exprimit, sed reapse apparet, ideo eum hereditatem vindicavisse, ut haberet post adiudicationem *τὴν ἐξούλης* [3]). Sic Romae quoque post cretionem iam nihil magnopere interest inter suum heredem et heredem voluntarium [4]). Quod peccat Thalheim circa voluntarium heredem denegando *τὴν ἐξούλης*, idem peccat Leist [5]) circa emptorem, qui privatum auctorem habeat. Interest inter hunc et eum, qui ab aerario emerit, quod hic statim tutus est adversus verum rei dominum, *ἃ μὲν γὰρ τὸ δημόσιον πέπρακεν*, qui doceret, *ὡς ἀδίκως οὐ προσήκοντα πέπρακεν*, non audiretur [6]); ex diverso, cui privatus vendiderit, is quinquennium expectabit, quod omnibus [7]) actionibus statutum est [8]), atque sic tutus erit.

---

1) or. cit. (XLIV) § 32. 2) or. cit. § 34.

3) Ergo iure quidem Romano petitur ab herede bonorum possessio non habendi interdicti gratia (quod persuadere cupit Gaius III § 34), sed ne quis alius interdictum nanciscatur (cf. harum observ. cap. XCII i. f.). Ex diverso iure Attico fit ἐπιδικασία non magis alterius prohibendi causa (Andoc. I § 121: λαγχάνει .... τῆς ἐπικλήρου ..... ἵνα μὴ ἐπιδικάσωμαι ἐγώ; Isae. III § 61: ἵνα οὖν ..... μὴ ὡς ἐρήμων τῶν κλήρων ἐπιδικάζεσθαί τινες τολμῶσι, ... τὰς ἐπιδικασίας οἱ εἰσποίητοι ..... ποιοῦνται), quam nanciscendi τὴν ἐξούλης.

4) Cf. tamen Gai. II § 37, § 58 (ia. 52).

5) *Der Attische Eigentumsstreit* cap. IV (p. 45 sqq.).

6) Demosth. XXXVII § 19 (Lipsius, *das attische Recht* p. 667 not. 110). Cf. Revillout, *Précis* (1903) p. 609; Mitteis, *röm. Privatr.* I (1908) p. 18**, eo qui pertinere putat Pap. Tebt. 5, 99 sq. Sed ibi potius recipi videtur, ne ipse fiscus venditionem rescindat, sicut apud Michel 471 l. 25/8. 44/8. Ex diverso, ne dominii iure quis evincat, diserte cavetur apud Michel no. 1383 C lin. 1—6. His consequens esse recte contendit adversus decessores suos Lipsius (*der attische Process* p. 722) populum βεβαίωσιν, id est, auctoritatem („*Evictionsleistung*") non debere, quia, quod res publica vendiderit, evinci id non potest. Dicta transfert ad laudationem auctoris et carpit van Meurs, *Rechtsgedingen* etc. (Diss. Utr. 1914 p. 54/5). Sed adnotare debuerat Lipsius, apud Pollucem VIII 99 πρυτανεύει δ' ἐξ αὐτῶν (= τῶν πωλητῶν) εἷς, ὃς τὰ πωλούμενα βεβαιοῖ) verbum βεβαιοῦν tantundem valere quantum κυροῦν, id est, addicere (cf. *das att. Recht* p. 748 not. 264). Delere denique debuerat (*Process*) p 838 (post notam 195): *confiscirt und.*

7) Iis exceptis, quibus brevius tempus statutum est, ut ecce: (νόμος) κελεύει τὰς ἐγγύας ἐπετείους εἶναι (Demosth. XXXIII § 27) Ad eam legem novissime scripserunt Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 105⁷; Partsch, *Bürgschaftsrecht* I (1909) p. 252/3; Lipsius, *Att. Recht* p. 713/4. Generalem fuisse ne credam, movet me, quod ipse orator eam quodammodo remittit (οὐκ ἰσχυρίζομαι τῷ νόμῳ).

8) Demosth. XXXVI § 27: τοῖς μὲν γὰρ ἀδικουμένοις τὰ πέντ' ἔτη (ὁ Σόλων) ἱκανὸν ἡγήσατ' εἶναι εἰσπράξασθαι.

Non enim ulla causa est, cur *τὴν προθεσμίαν* ad in personam actiones („*Schuldklagen*") dumtaxat pertinere decernant Meier et Schoemann [1]) et item Lipsius [2]). Excludebat utique quinquennalis praescriptio in servitutem petitionem [3]), eratque vindicationibus obicienda *ἡ προθεσμία* sub Ptolemaeis [4]), quod demonstratur papyro celeberrimo, inter Taurinenses primo [5]): *εἰ καὶ τις ἐπιχωρήσαι* [6]) *τοῖς ἐπερχομένοις καὶ ἐπιχειροῦσι τῶν ἀλλοτρίων ἐμποιεῖσθαι, μὴ συγχωρητέον εἶναι πλείονα ἐνιαυτοῦ ἢ καὶ ἐτῶν δύο ἢ τριῶν τῇ προθεσμίᾳ* [7]) *καὶ ταύτην* [8]) *μηδ' ὁλοσχερῶς πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἔχουσί τι δίκαιον* [9]). Constituit denique Plato [10]) *προθεσμίαν*, id est, *χρόνου ὅρο(ν), ὃν ἐάν τις ᾖ κεκτημένος, μηκέτ' ἀμφισβητεῖν ἐξεῖναι.* Ergo, qui a privato emisset, ei quinquennium expectandum, ex diverso cui fiscus vendidisset, is statim ab evictione tutus erat, quamobrem fiebat, ut, qui metueret evictionem, suasmet ipse res ab aerario compararet, et est eo modo explicandum [11]) alterum instrumentum Wilckenianum [12]). Non propterea sequitur illi denegari, huic dari *τὴν ἐξούλης*. Contrarium eo efficitur, quod vincere videmus ea actione, qui a privato auctore emerit. Ut ecce Micio, quem stitimus superiore

---

1) *Att. Prozess* p. 636.

2) *Att. Prozess* p. 838. Perimi dicit (not. 203) „*alle aus Contracten hervorgehenden vermögensrechtlichen Forderungen*".

3) Plaut. Epid. 498 (Dareste, *Nouv. rev. histor.* XXIV (1906) p. 685).

4) De iure veteri Aegyptio cf. Revillout, *Précis* (1903) p. 524, 609/10, 628, 677, 773.

5) col. VII lin. 23—27. Est in eodem papyro alter locus *περὶ προθεσμιῶν* (col. IV lin. 30—32) sed obscurus, nisi emendabitur, ut emendatum est, *προστάγμα(τα)* et explicabitur *ποιεῖσθαι*: *satisfacere.*

6) I. e., subveniret.

7) I. e. *πρὸς τῇ προθεσμίᾳ.* Putat Lumbroso (*Recherches* (1870) p. 88) ipsam *προθεσμίαν* fuisse *ἐτῶν δύο.* In eundem errorem delabi videtur Revillout, *Précis* (1903) p. 613, 1482 et item Mitteis ad Chrestom. II 31.

8) Requiritur *τοῦτο.*

9) Ex iure Romano cf. edictum praetoris quod exstat l. 1 § 1 D. 4. 6 (Lenel § 44) atque praeterea l. 8 § 17 D. 5. 2. Ex iure novo: Garsonnet, *Traité de procéd.* II (1885) p. 66: „*la cour de cassation a relevé équitablement de la déchéance par eux encourue les demandeurs en cassation que l'invasion du territoire et la rupture des communications entre Paris et les départements avaient empêchés de se pourvoir en temps utile*".

10) Leg. XII 7 (pag. 954) (Lipsius, *das Attische Recht* p. 676 not. 5).

11) Cf. Observ. nostrae ad pap. § 19.

12) *Actenstücke der kgl. Bank zu Theben* 2 (pag. 9).

capitulo [1]), τὴν ἐξούλης perfert Dicaeogene auctore dato [2]). Et fuisse potest Micio vel emptor vel creditor sub pignore, quia, antequam pignus luatur, iure Attico nihil interest inter creditorem et emptorem [3]), proinde nihil interfuerit oportet, utrum θέτην an πρατῆρα daret quis auctorem [4]). Etiam Zenothemin adversus Demonem [5]) persequi pignus suum τῇ ἐξούλης perspicuum est, quia Demo fatetur [6]) deduxisse se Zenothemin, praescribit autem adversus illius ἐμπορικὴν ἐξούλης, quod non detur ἐμπορικὴ praeterquam συμβολαίων, id est, ex contractu, καὶ, inquit, περὶ ὧν ἂν ὦσι συγγραφαί [7]). Quod addit ideo, quia potestas vocabuli συμβόλαιον apud Graecos quam latissime extenditur, neque solos contractus utique comprehendit, sed paene omne omnino iuris vinculum. Quamobrem Demonis multum intererat inveniri in lege συγγραφῶν mentionem, quod non intellexit Thalheim [8]). Ergo contra quam putat hic [9]) de suo fortasse συγγραφῶν mentionem intulit Demo, quum alibi [10]) in pari causa desit et damnet eam Anonymus Bekkeri [11]) v. δίκη ἐμπορική, quod interpretatur: ὄνομα δίκης, ἣν πρὸς τοὺς ἐμπόρους περὶ ὅτου δὴ λαγχάνουσι, quod praeterea confirmatur auctoritate Lysiae [12]). Sunt autem in Demonis Zenothemidisque iudicio notabilia: quod τῇ ἐξούλης rem mobilem [13]) persequitur Zenothemis; quod inde non patitur deduci se a Proto Demonis vel debitore vel institore, sed ab ipso Demone [14]); quod huic iussioni Demo obtemperat [15]);

1) Obs. CV (quaerebatur, cur, quum petat, det auctorem).

2) Isae. V 22—24. Cf. Leist, op. cit. p. 53/4.

3) Cf. cap. LXXXIX.

4) Isae. X § 24.

5) Demosth. XXXII (cf. Thalheim, Herm. XXIII (1888) p. 202—210).

6) orat. cit. § 17, § 20.

7) orat. cit. § 1.

8) Herm. cit. p. 209: „*auch wenn das Gesetz nur von συμβ. sprach, so genügte dies dem Verfasser für seine Zwecke völlig*".

9) Pergit: „*und deshalb halte ich den Zusatz für echt*".

10) Demosth. XXXIII § 1, § 2.

11) Anecd. I p. 237/8.

12) XVII § 5.

13) Prorsus singulare hoc esse dicit Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 133 not. 1 (i. f.). Sed cf. Demosth. 52 § 10; Lys. 23 § 11; Plaut., Rud. 859 (iis 839/40), quos locos examinabimus statim.

14) or. cit. (Demosth. XXXII) § 17.

15) or. cit. § 20.

quod non huic tantum qui deduxisset, sed etiam Proto actionem intentat Zenothemis [1]). Scilicet datur ἡ ἐξούλης, si fides est Harpocrationi [2]), etiam περὶ ἀνδραπόδου .... καὶ παντὸς οὗ φησί τις α(ὐ)τῷ μετεῖναι, quocirca apud Lysiam [3]) species proponitur iure domini manus inicientium et dicentium se paratos ἀφιέναι, εἴ τις .... ἄγοι φάσκων ἑαυτοῦ δοῦλον εἶναι, id est, cum quo habituri essent τὴν ἐξούλης. Sic apud Plautum [4]) propter *amicam*, quam de ara Veneris vi deripere leno voluit, *hunc ego scelestum in ius rapiam exules dica*, id est, ἐξούλης δίκῃ [5]), exclamans quem non movit Plesidippus? Quin immo non de rebus dumtaxat corporalibus sed etiam de quantitate agi potuisse τὴν ἐξούλης et extra causam iudicati, demonstrat orator, quocum certandum fuit Callippo [6]), verbis Callippi de pecunia deposita et ablata denuntiari iubens ei qui abstulisset: ὅτι ..., εἴ τίς με βούλεται ἀφελέσθαι, πρόξενον ὄντ' ἂν [7]) ἀφαιρεθῆναι [8]). Ergo non debemus mirari, cur de re mobili τὴν ἐξούλης dictare Zenothemidi in mentem venerit. Protum autem non admisit idem alieno nomine deductorem, ne scilicet post deductionem èt Demo iudicium recusaret, quod non deduxisset, èt Protus, quod non suo nomine deduxisset [9]). Postulavit, ut aut suo nomine hic deduceret aut Demo deduceret; quum illud Protus nollet offerretque vice iustae defensionis sponsionem poenalem Syracusas [10]), paruit

1) or. cit. § 26.

2) v. ἐξούλης.

3) XXIII § 11.

4) Rud. 859 iis 839/40.

5) Ita Palmerius et recentissimus quisque editor (cf. Dareste, *Revue de philol.* 30 (1906) p. 102).

6) Demosth. LII § 10.

7) Editur ὄντα.

8) Cf. Isae. III § 62: εἴ τις αὐτὴν ἀφῃρεῖτο, ... ἐξῆγεν ἂν ἐκ τῶν πατρῴων.

9) Ex diverso putat Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 292, propterea non admisisse, quod Protum satis munitum sciret instrumentis. Quasi vero eadem illa Demoni creditori vel negotii domino profutura non fuissent, quamdiu in fide maneret Protus. Quod perspexit ipse Mitteis, itaque propterea recusatum Protum, rursus fingit, ut fides eius labefactaretur („*insofern als die Umgehung des Protos diesem von selbst zeigen musste, wo sein wahres Interesse lag*"). Quo nihil potuit excogitari artificiosius.

10) Or. cit. (Demosth. XXXII) § 18: προὐκαλεῖθ' ὁ Πρῶτος αὐτὸν ..... ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τὴν τῶν Συρακοσίων.

Demo: deduxit. Quaerit hic Thalheim [1]) sapienter, quomodo Zenothemis efficere hoc potuerit, quum possideret Protus [2]). Etenim videri possidentem aliquid efficere posse negando se deduci, sed non possidentem et deduci nolentem tuto posse contemni [3]). Et respondet Mitteis [4]) non prudenter: propterea potuisse, quod negaret Protum possidere. Ergo possidebit quisque vel non arbitrio adversarii? In eo quaestio consistit: quomodo Zenothemis potuerit possidentem cogere defensionem ut omitteret, non possidentem ut susciperet. Aut potuit, quia ius erat certum: possessione cedendum [5]), qui suo nomine deducere nollet. Aut potuit, quia non erat possessio certa, quo verba ducunt, nam *εἴχετο τοῦ σίτου* Zenothemis [6]) *ἀντείχετο* Protus [7]), quod procedit optime, si frumentum in horreo publico quasi apud sequestrem iacuit. Ergo propterea legem sibi ferri ab adversario passi sunt Protus Demoque, quia non poterant aliter possessionem retinere vel nancisci. Porro autem huic *ἐξούλης*, Proto *κλοπῆς* vel *βλαβῆς* Zenothemis actionem intentavit [8]). De hac actione Protus depectus est [9]), atque sic ingens praeiudicium Demo passus [10]) praeter *τὴν παραγραφὴν* habebat, quod speraret, nihil. Sed, ut redeamus in viam, datur *ἡ ἐξούλης* quum ei, cui conventione pignus quaesitum est, tum ei, cui propter sententiam pignus competit, quale fuit pignus, cuius nomine Onetori ipse Demosthenes intentavit *τὴν ἐξούλης*, quum condemnavisset

---

1) Herm. cit. p. 205 ima.

2) Or. cit. § 14: *τὸν δὲ σῖτον ὁ ἠγορακὼς εἶχεν.*

3) „*Das* (*Ablehnen der ἐξαγωγή*) *hätte doch nur Sinn als Vertheidigungsmaassregel, wenn Z. im factischen Besitze sich gegen P. und D. zu wahren* (*gehabt*) *hätte*".

4) *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 290.

5) Metu scilicet gravioris poenae.

6) or. cit. § 13.

7) or. cit. § 25.

8) Hanc quoque *δίκην ἐμπορικὴν* fuisse, docet auctor *τῆς ὑποθέσεως* (§ 3). Errat utique Thalheim, quum scribat (Herm. cit. p. 204) *ἐξούλης* Protum conventum damnatumque (Mitteis, *Ztschr.* cit. XXIII p. 291/2: hypothecaria actione, quod eodem redit). Verum viderat Hug, Comment. de orat. adv. Zenoth. (1871) p. 18/9, quocum sentit Lipsius, *das Attische Recht* p. 657[77].

9) or. cit. § 26.

10) Or. cit. § 21. — Praeiudicium factum esse Demoni, optime perspexit Thalheim, Herm. cit. p. 204/5, sed non perspexit èt proprietatis causae per furti actionem praeiudicari, èt furti recte agi *πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*, si recte agatur *ἐξούλης ἐμπορική*, quum neutra ex contractu sit.

Aphobum [1]), proinde huius in bonis pignus quaesivisset, quo de pignore supra [2]) disputatum est. In qua causa miratur Leist [3]), quid ita pignoris persecutio adversus extraneum detur; putat enim [4]) *ἐξούλης* cum eo tantum agi posse, qui pignori ipse dederit. Nos non miramur, quibus sicut Lipsio [5]) *ἡ ἐξούλης* generalis veluti in rem actio esse videatur, cuius *ἐπὶ παντὸς τοῦ ἐκ τῶν ἰδίων ἐκβαλλομένου τάττεται τοὔνομα* [6]), qualis hodie iure Anglico in rem actio datur [7]), nam, qui ius Romanum [8]) sequuntur, apud eos de singulis in re iuribus singulae actiones proponuntur. Cur ergo Sardiana hypotheca [9]) anni circitur 300 ante Chr. conventionem habet (col. 2 lin. 6/7), ut post legem commissoriam exercitatam, tunc liceat creditrici rem adversus quemcumque defendere vel vindicare? Scilicet nihil obstat, quominus *quis de ea re, cuius actio vel defensio primum sibi competit, sequentem agere patiatur, veluti .... creditor .... debitorem de proprietate pignoris* [10]), quominusve ab initio, ut ita fiat, conveniat. Sciendum praeterea est *τὴν ἐξούλης* possidenti esse periculosam, cui, si res actoris esse pronuntietur, non tantum re carendum erit, sed litis aestimatio [11]) aerario solvenda [12]), quod

1) Demosth. XXX § 2.

2) cap. LXII.

3) *Eigentumsstreit* (1886) p. 52/3.

4) Op. cit. p. 49.

5) *Das Attische Recht* p. 667/8: „*Ihre* (i. e. *τῆς ἐξούλης*) *Zulässigkeit ..... haben* (*wir*) *auf alle Fälle .... auszudehnen, in denen man ein besseres Recht auf* (*d*)*en Besitz behauptet*".

6) Harpocr. v. ἐξούλης.

7) Kerr, *the Student's Blackstone* (1887) p. 320: „*claims to possession of real property are now asserted by the one universal remedy of an action*".

8) Cf. ex diverso Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 286: „*eine Klage* (*findet*) *sich im germanischen Sachenrechte*".

9) Editur in: *Amer. Journal of archaeol.* 1912 p. 13/4.

10) L. 63 D. 42. 1.

11) Τὸ ἴσον.

12) Ita fuisse ius, testatur Harpocr. v. *ἐξούλης*, quem laudant Hudtwalker, *Ueber die Diaeteten* (1812) p. 146⁸⁷ et Lipsius, *Att. Prozess* p. 668⁴¹² (*Attisches Recht* p. 672 not. 127). Nec dubium est, quin in causa iudicati alterum tantum populo debeatur (Demosth. XXI § 44), sed in rei veluti vindicatione minus constare debebat, qui verba Demosthenis (ibid.): *ἂν δὲ μικροῦ πάνυ τιμήματος ἄξιόν τις .... βίᾳ .... ἀφέληται*, transferunt cum Harpocratione (v. *βιαίων*) ad *βιαίων δίκην*, veluti Meier et Schoemann, *Att. Prozess* p. 546 (Lipsius p. 646, *Attisches Recht* p. 637/8). Etsi valde nunc quidem confidit Lipsius Isaei testimonio (V § 22).

fit ideo, quia ἡ ἐξούλης perinde ut Germanorum vindicatio [1]) non proprie in rem actio est, sed ex delicto adversus eum, qui dominum aut vi deiecerit aut non admiserit [2]). Mansit poena, postquam coepit vis festucaria et civilis [3]) interponi tantum, ut de proprietate iudicaretur. Quia igitur ἡ ἐξούλης deducenti periculosa est, ideo videmus apud Isaeum [4]) Micionem balnei possessorem deduci se ab adversario facile pati, ceteros quoque possessores, quibus alienasset Dicaeogenes, deduci se passuros perhiberi — eodem exemplo omni de possessione controversia omissa deduci se patitur Zenothemis [5]) et paratum se similiter dicit Nicomedes [6]), εἴ τις .... ἄγει φάσκων ἑαυτοῦ δοῦλον εἶναι — quia scilicet his non tanti fuit rem interim possidere, quanti periculum evitare, ipsorum quum esset arbitrii vel non admittere vel recedere [7]), nam deduci volentem possessorem ni deducat actor, non potest lis initium accipere et manebit suo loco possessio [8]). Nec mirum, etsi constaret possessionis commodum, ut possit auctore dato rem possessor retinere, hoc modo interverti [9]), quum possit dubitari, sitne verum commodum iuberi *auctoritatem ostendere* [10]) aut re carere [11]). Quod adeo dubitatum est, apud quos ista iura obtinuerunt [12]), ut videamus in placito quodam Longobardico [13]) quasi privilegium fisco vindicari, ne possessor ipse constitutus de iure suo probet [14]), sed potius ad

---

1) Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 512; Hübner, *Immobiliarpros.* p. 34 sqq.; erat igitur *propter invasionem* solvenda *compositio* (cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 512/3 (cum not. 8); Hübner, *Immobiliarproz.* p. 203 sqq.; *Ssp.* III 48 § 1).

2) Poll. VIII § 59: ἐκβάλλῃ ἢ σχεῖν κωλύσῃ.

3) Lys. XXIII § 12: κατὰ τοὺς νόμους.

4) Isae V § 22—24.

5) Demosth. XXXII § 17.

6) Lys. XXIII § 11.

7) Cf. in re simili Cic. pro Tull. 8 § 20. Pertinere ad interdictum uti possidetis, quo tempore nondum ultro citroque vis fieret, demonstravimus cap. LXXIII.

8) Similiter manebit, si deducere volente possessore actor deduci nolit, quocirca supra diximus non possidentem et deduci nolentem tuto posse contemni.

9) Non constare docuimus superiore capite CV.

10) Hübner, *Gerichtsurkunden* (*GU*) no. 704. Laudo ubique τὰ πρωτότυπα.

11) Revera si quis auctoritate munitus est, commodo eius cedit, sin minus detrimento.

12) Obtinuisse apud Graecos et Germanos, demonstravimus cap. CV.

13) *GU* 651 (*Immobiliarprozess* p. 164)

14) *quod non esset legis, ut pars palatii consignaret cuilibet homini.*

petitorem commodum hoc transferat. Quod nec obtinuerat antea [1]) nec postea mansit [2]). Erant tamen vel sic, etiam Athenis, quibus pluris esset rem interim possidere, quam periculum evitare; Onetor utique, quum possideret [3]), deduxit [4]), idem Demo fecit. Et hic quidem: (ἡμῖν), inquit [5]), *οὐδὲν ἦν πλέον, ἀλλ' .... ἢ τοῦτον ἐξάγειν ἢ ἀπολωλεκέναι τὰ ἡμέτερ' αὐτῶν*, qui sermo possidenti [6]) prima facie non videtur convenire, quia hic, si non deducit, deducendus est nec propterea *ἀπόλλυσι τὰ ἑαυτοῦ*, quia deductus habet *τὴν ἐξούλης*. Amittet certe possessionem *μέχρι δίκης τέλους*: hanc igitur ut retineret, Demo deduxit. Quid igitur, si uterque vult deducere, neuter deduci, et possessorem uterque se contendit? Non potest sine interdicto veluti possessorio exitum res habere [7]), quocirca videbimus infra, fueritne eiusmodi actio Atheniensibus cognita. Ante observabimus potuisse de proprietate sine periculo agi non per *ἐξούλης* actionem — quod dissimulat adversarius Dicaeogenis [8]): *ἡμεῖς δ' οὐκ ἐξάγομεν, δέδιμεν γὰρ μὴ ὄφλωμεν δίκας* [9]) — potuisse utique de re immobili, per actionem *καρποῦ* (in praedio rustico) vel *ἐνοικίου* (in praedio urbano); cuius rei testis est Lysias apud Harpocrationem [10]), quin immo debuisse, si fides Harpocrationi [11]) ipsi est habenda, acturum *ἐξούλης* prius instituere *καρποῦ* (vel *ἐνοικίου*) *δίκην* et post harum alteram utram *οὐσίας*, sic deinde pervenire ad *τὴν ἐξούλης*. *Καρποῦ* (vel *ἐνοικίου*) et *οὐσίας* cuius rei actiones fuerint, quodammodo ambiguum est [12]). Quamquam

---

1) Cf. *GU* 656 (ubi refertur de vetustiore lite).

2) Cf. *GU* 685; 701.

3) Demosth. XXIX § 3.

4) Demosth. XXX § 2.

5) Demosth. XXXII § 18.

6) Possedisse se intendit Demo.

7) Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 299 not. 1 (p. 300): *„ohne Besitzesschutz weiss mann nicht, wer das Recht zur* deductio *hat"*. Plane, ubi deductio interdicti pars est, ut fuisse Romae supra demonstravimus (cap. LXXIII), ibi ne hoc quidem remedium suppeditat. Idcirco, ni fallor, aliquando placuit ut ultro citroque vis fieret (cf. Gai. IV § 166).

8) Isae. V § 22.

9) Ἐξούλης, quibus *προστιμᾶται τὸ ἴσον* (Lipsius, *das Attische Recht* p. 672 not. 127), non *ἐπωβελία*, quam intelligi iubet Schoemann (ad Isae. l.l.).

10) v. *καρποῦ δίκη*. 11) v. *οὐσίας δίκη*.

12) Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 130[1]; Lipsius, *das Attische Recht* p. 679/81.

veluti possessoriam neutram [1]) fuisse certum est, inprimis, quia [2]) docet Harpocratio [3]) neutram pertinere eo, ut actor interim possessionem suam faciat [4]), deinde vero, quia Lysias apud Harpocrationem [5]) proprietatis causam contineri *καρποῦ* (vel *ἐνοικίου*) iudicio auctor est, quod vel magis [6]) obtinebit circa *οὐσίας* iudicium. Ignoratur tamen, quod praestationis genus in *οὐσίας* iudicium venerit, nam circa alterum post patefactos Ptolemaeorum papyros, hodie confidenter adfirmari potest, fuisse actionem, qua peteretur summa toties ducta, quot quis menses possedisset praedium alienum. Nam illic [7]) ita est: *ἐὰν δέ τις ἀποβιάσηται* [8]), *ἀποτεισάτω ὁ ἀποβιασάμενος τοῦ οἰκήματος ἑκάστου τοῦ μηνὸς (δραχμὰς) τριάκοντα τοῦ δὲ περιβόλου (δραχμὰς) ἑξήκοντα*, quibus praemittitur [9]) cuiusdam ab invasore *σταθμοῦ* [10]) sui petitio, ut solvat *τοῦ μὲν παρεληλυθότος (χρόνου) .... τὸ ἐνοίκιον* [11]). Adscribitur huic petitioni alia quoque constitutio [12]), per quam iniustus emptor perinde ut invasor pendere iubetur [13]) *τὰ ἐνοίκια παντὸς τοῦ χρόνου*. Est igitur *ἐνοίκιον* nihil aliud, quam pecunia propter invasionem pro portione temporis quo quis detinuisset debita [14]).

---

1) De priore consentit Lipsius (p. 681).

2) Argumentum debeo Hermanno Ferdinando Hitzig, *das griech. Pfdr.* (1895) p. 140 not. 1 (i. f.).

3) v. *οὐσίας δίκη*.

4) Etenim ἐξῆν, inquit, *τοῖς ἔ(χ)ουσι κρατεῖν τῶν κτημάτων, καὶ εἰ τὴν δίκην τὴν τοῦ καρποῦ ἢ τοῦ ἐνοικίου καὶ εἰ τὴν δευτέραν ἡττηθεῖεν τὴν τῆς οὐσίας.* Ἔ(χ)ουσι debeo Lipsio (p. 679 not. 12). Aliis placuit (ἀ)λοῦσι.

5) v. *καρποῦ δίκη*. Vix ad rem pertinet Demosth. XLVIII § 45 (Lipsius, *das Attische Recht* p. 757 not. 303).

6) Ne prius de proprietate litigetur quam de possessione.

7) P. Petrie III 20 Vo. III 5—7. Est anni 275.

8) Similiter habet testa Atheniensis (*Archiv. f. Papyrusf.* IV p. 219 = *Athen. Mitth.* XIV) *ἐὰν δὲ βιάσηται*.

9) P. Petrie cit. (III 20) Ro. I. Est anni 246.

10) Lin. 3. — *Σταθμὸς* et *οἴκημα* idem est: P. cit. Vo. III lin. 6/7 ia. 3 (Revillout, *Mélanges* p. 365, 368; *Précis* p. 40 (= 633); Schubart, *Archiv. f. Papyrusf.* II p. 149 ima; Schulten, Herm. 32 (1897) p. 536: „*der (auf dem κλῆρος) befindliche Hof*"). Cf. P. Hal. 1 lin. 178/9, ubi legendum censeo: *ἀποφραξαμένους* (vel *ἀποφαρξαμένους*) *τὰ οἰκήματα ἀποτρέχειν*.

11) P. cit. (Petrie III 20 Ro. I) lin. 11/2.

12) P. cit. (III 20) Ro. IV.

13) Lin. 10/1.

14) Vertit Revillout, *Précis de droit égyptien* (1903) p. 40 (= 636): „*droits d'habitation*", Mahaffy, *Archiv. f. Papyrusf.* I p. 289: „*fine in the shape of rent*", p. 288: „*rent and fines for ..... violent occupation*".

Quod non semper erat certum ut in causa *σταθμοῦ* et *περιβόλου*; veluti superest petitio [1]) in causa *κλήρου* [2]), qua petit cleruchus ab invasore *τὰ ἐκφόρια καθότι καὶ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις ἐμίσθουν*. Saeculo post [3]) data superest petitio [4]), qua petit dominus *προγονικῆς οἰκίας* [5]) ab invasore praeter rem ipsam *τοῦ ἀδικίου* [6]) *κατὰ τὸ διάγραμμα χαλκοῦ τάλαντα πέντε* [7]). Sed non apparet eam pecuniam pro portione temporis crevisse. Quocirca ad superiora exempla propius accedit, quod potest iure Romano dominus aut a praedone condicendo, *quod* hic *mercedis nomine ceperit* [8]), aut ab omni possessore ipsam rem vindicando pensiones aedificiorum, *quas* hic *percepit aut percipere poterat*, recuperare [9]) nec minus vecturas navium [10]) vel iumentorum et similia [11]); interest tamen, quod rem non possidenti et fructus condicenti exceptio potest obici [12]) „quod praeiudicium fundi non fiat", ex diverso, quum res vindicatur, fructuum et mercedum aestimatio tempus accipiendi iudicii retrorsus non egreditur [13]), nisi hereditatis petitione actum sit [14]). Quamquam videtur prima fronte contraria Diocletiani constitutio [15]), qua iubetur mala fide possessor *omnes fructus cum ipsa re praestare*, bona fide possessor *exstantes, post litis autem contestationem universos*. Ergo crediderim constitutionem, quam voluit Tribonianus ad rei vindicationem pertinere, ab ipso auctore contemplatione hereditatis petitionis datam esse [16]),

---

1) P. Magd. 1, 10—12. Est anni 222.

2) Aliud esse *σταθμόν* aliud *κλῆρον*, iam docuerunt Wilcken, *Gött. gel. Anz.* 1895 p. 150; Revillout, *Mélanges* (1895) p. 368, quos alii secuti sunt.

3) Anno 127.

4) P. Taur. 3 = Paris. 14.

5) Lin. 12/3.

6) Opponitur: *τῆς ὕβρεως*.

7) Lin. 41/5.

8) L. 55 D. 12. 6.

9) c. 5 pr. C. 3. 32.

10) L. 62 pr. D. 6. 1.

11) Veluti mercedes pro servorum operis (cf. l. 55 D. 12. 6).

12) L. 18 D. 44. 1.

13) Steph. sch. 58, 81, 117 ad Bas. 15. 1.

14) Theod. sch. 1 ad Bas. 42. 1. 60. Remittit ad l. 18 pr. D. 22. 1 demonstrandi causa, *ὡς μόνη ἡ νερεδιτάτις πετιτίων ἀπαιτεῖ καὶ τοὺς πρὸ προκατάρξεως καρπούς*.

15) c. 22 C. 3. 32.

16) Facile potuerunt initio rescripti a Triboniano cancellari tria verba: *in hereditatis petitione*.

qua constat actione bona fide possessorem de praeterito hactenus conveniendum, ut fructus praestet, *per quos locupletior factus est*[1]), id est, quos non consumpsit[2]). Constat certe Valentinianum anno 369 praescripsisse, ut in proprietatis iudicio[3]) praedoni fructus[4]) *a die invasi loci* aestimentur[5]), quocum iure congruit petitio[6]) quarti saeculi, qua petit, qui solebat agros elocare[7]) *τοῖς βουλομένοις τῶν φόρων καὶ τελῶν*[8]), ut reddere sibi invasor iubeatur praeter ipsam rem etiam[9]) *τοὺς φόρους*[10]) *τοῦ τοσούτου*[11]) *χρόνου*. Licet autem Harpocration docere videatur *ἐξούλης* non posse agi, nisi ante perferantur *ἐνοικίου* (vel *καρποῦ*) et *οὐσίας δίκαι*, tamen, quia apud oratores[12]) talis necessitas non apparet, prope est, ut existimem, consilium magis esse quam interdictionem, ne ab initio quis *ἐξούλης* agat, quum expediat ipsi praeiudicia sibi comparare[13]), quemadmodum Cluentius Oppianicum *reum statim non fecit*, quum posset, sed maluit eum antea *duobus praeiudiciis* (Scamandri et Fabricii) *damnar(e)*[14]).

---

1) L. 40 § 1 D. 5. 3; c. 1 § 1 C. 3. 31.

2) Possunt quidem fructus non consumpti in lucrum possessoris non vertisse, id est, quos donavit, et non extantes in lucrum eius vertisse, id est, quos vendidit (cf. Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 205 post notam 3). Potuit nihilominus Diocletianus fructus *per quos possessor locupletior factus est* brevitatis compendio *extantes* appellare.

3) Hoc docent verba *non in sola rei redhibitione teneatur.*

4) Et eos *duplos.*

5) c. 1 C. Th. 4. 18. Similiter praescribitur de colono retento lege Romana Curiensi (C. Th. 5. 9. 1). Cf. Planta, *das alte Raetien* (1872) p. 340[1].

6) Pap. Amh. 142. Data est post 341 (Chrestom. II 65).

7) Lin. 5.

8) Frequens est id genus conductio. Veluti conducitur *BGU* 166 et P. Flor. 64, 20 (*Archiv* IV p. 450) *ἀντὶ τῶν δημοσίων*; P. *Soc. It.* 32, 11 *ἀντὶ τοῦ φόρου*; P. Flor. 18, 17—19 *ἀντὶ τῶν κατ' ἔτος εἰς τὸ δημόσιον ἐκφορίων*. Fit similiter P. Tebt. 311 et 373, nisi additur utrubique *διάπεισμα* et item P. Tebt. 376, 15—18, nisi promittitur (lin. 29/30) *κατ' ἔτος πυροῦ ἀρτάβη μία*. Non abludit P. Genev. 20, 6/7, ubi quis praedium a fisco emit *πρὸς τὰ ἐκφόρια* (cf. P. demot. Rylands 18: *πρὸς τάλαντον ἕν*). Cf. denique Pap. *Class. Phil.* I 8 (*Archiv* IV p. 174); Oxy. 1123; CPR I 19, 8/9; P. Gizeh 67088.

9) Lin. 17.

10) I. e. *τοὺς φόρους καὶ τέλη.*

11) I. e. *παντὸς τοῦ.*

12) Veluti in causa Micionis vel Onetoris.

13) Quia cum periculo *ἐξάγει*, si deducere non vult adversarius. Idcirco non tenet argumentum, quo pugnat Thalheim (*Rechtsaltertümer* (1895) p. 130 not. 1): *„ohne den Zwang* (*würde*) *niemand den umständlicheren Weg eingeschlagen haben.*"

14) Pro Cluent. 20 § 56; 22 § 59.

Eodem igitur modo tribui existimo electionem, utrum quis velit *ἐνοικίου* (vel *καρποῦ*) an *ἐξούλης* agere, quemadmodum propter dotem liberum est *δίκην σίτου ἢ τῆς προικὸς αὐτῆς .... δικάσασθαι* [1]). De Attica veluti in rem actione vidimus. Videamus nunc Atheniensibus fueritne cognita actio veluti possessoria. Verba sunt Aristotelis [2]): *ὁ μὲν ἄρχων εὐθὺς* [3]) *εἰσελθὼν πρῶτον μὲν κηρύττει· ὅσα τις εἶχεν πρὶν αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ἀρχήν, ταῦτ' ἔχειν καὶ κρατεῖν μέχρι ἀρχῆς τέλους*. Adnotant ibi cives mei [4]) haec *obscura et corrupta* esse; fateor obscura, corrupta nego. Est edictum, quo promittit *ὁ ἄρχων* possidentibus tutelam suam ab eo temporis puncto, quo magistratum inierit, donec cum depositurus sit. Etsi dominis putabat Photiades [5]), non possidentibus; etiam dominis Pappulias [6]), non solis possidentibus. Sed domini satis ubique legibus et ipso iure civili tuti sunt, quocirca verosimilius est, quod nos posuimus: possidentibus *τὸν ἄρχοντα* auxilium ostendisse. Atqui conferri iubent [7]) iusiurandum heliasticum [8]), quod adversus *γῆς ἀναδασμὸν* tamquam propugnaculum aliquod obiectum sit, proinde vetant mirari, cur quasi alterum propugnaculum contra eundem timorem obiectum sit *τὸ τοῦ ἄρχοντος κήρυγμα*. Non animadvertunt, adversus eiusmodi metum ut non fuerit ineptum spem ponere in iureiurando civium, valde futurum fuisse ineptum *ἄρχοντος κήρυγμα* invocare, magistratus annui et adversus populares tempestates ac procellas omnino debilis. Verborum autem Aristotelis si quid esset corruptum, tentari posset rescribendum esse *μέχρι δίκης τέλους*, id est, eatenus ab archonte defensum iri possessorem, donec de proprie-

---

1) Isae. III § 9, § 78.

2) Resp. Athen. 56 § 2.

3) Cur *εὐθὺς*, dicetur statim.

4) Nihil adfert Lipsius, *das attische Recht* p. 57/8.

5) 'Αθηνᾶς XVII p. 156: *τὸ κήρυγμα .... ἀφορ(ᾶ) εἰς τὴν ἐξασφάλισιν παντὸς δικαίου ἐπὶ τῆς ἰδιωτικῆς ἰδιοκτησίας τῆς τε ἀκινήτου καὶ κινητῆς ὑπὸ τῶν ἤδη κειμένων νόμων ἀνεγνωρισμένου.*

6) *Ztschr. der Sav.-St.* XXVII p. 361.

7) Photiades p. 156; Pappulias p. 362.

8) Demosth. XXIV § 149. Simile iusiurandum ab omnibus civibus exigebatur Itani: *οὐδὲ γᾶς ἀναδασμὸν οὐδὲ οἰκιᾶν οὐδὲ οἰκοπέδων οὐδὲ χρεῶν ἀποκοπὰν ποιησέω* (Dittenb. Syll. (1900) no. 462 lin. 21-24). Issaeis sufficere visum est magistratuum iusiurandum: *μηδέποτε τὰν πόλιν μήδε τὰν χώραν ἄνδαιτον ποήσεσθαι* (Syll. cit. no. 933 lin. 10/1).

tate iudicetur; quia in possessione tuenda semper ultima linea fuit eritque de proprietate sententia, neque id Graecos latuit. Veluti docet ipse Aristoteles in Problematis [1]: *δεῖν .... νέμεσθαι τὸν κεκτημένον ἕως ἂν κριθῇ*, nec aliter lege sua definivit Zaleucus [2]: *ἕως τῆς κρίσεως.* Sed neque vocabulorum *δίκης* et *ἀρχῆς* permutatio palaeographicis rationibus commendatur et potuit facile archon condicionem omittere, quam ne praetor quidem Romanus in interdicto suo expressit: ut sit possessio firma salvo dumtaxat proprietatis iudicio. An vero sic abundat clausula *μέχρι ἀρχῆς τέλους*? Ideo negandum videtur, quia possessorum intererat integrum annum de tutela certos esse, quod apud Romanos eis contigit generali clausula perlata, ut ex edictis perpetuis ius diceretur. Tuetur autem *τὸ κήρυγμα* non omnem possessorem, sed eum qui possederit, antequam *ὁ ἄρχων* magistratum inierit [3]. Quid, si quis possederit quidem, sed desierit? Tacita videtur subesse condicio, ne quis desierit, antequam edictum proponeretur [4], idque causae, cur *ὁ ἄρχων εὐθὺς εἰσελθὼν πρῶτον μὲν κηρύττει*, ne scilicet vel brevissimum temporis punctum possessoribus oppugnandis detrudendisve vacet. Haec si vera sunt, fuit etiam Athenis interdictum *possidenti vis ne fiat* et actio cognita veluti possessoria, etsi non putat Lipsius [5]. Ceterum videtur [6] archon hoc edicto res mobiles et praedia pariter comprehendisse, neque id videri debet vel potest mirum reputantibus *τὴν ἐξούλης*, in qua proprietatis causa vertatur, pariter

1) 29 § 13.

2) Apud Polyb. XII 16 § 4.

3) *πρὶν αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ἀρχήν.*

4) Eodem modo clausula *quae libera ante bellum fuissent* in senatusconsulto de pace cum Antiocho facienda (Liv. 37 c. 56), tacitam videtur habere legem ut perstiterint (ad diem pugnae) et in sententia Minuciorum (Bruns, font. (1909) no. 184) lin. 28/9, qui K. Sextilibus Caecilio et Mucio consulibus possederit, ita possidere ei permitti, si nunc quoque possideat. Accurate loquitur Constantinus c. 1 C. Th. 4. 11 (Haenel 13): *usque ad nostra decennalia .... possidentes* (= *σχόντες*) .... *securi possideant.*

5) *Das attische Recht* p. 681. Praeiverat Beauchet, *Droit privé de la républ. Athén.* III (1897) p. 100 (post notam 3): *„la possession .... n'est dans le droit attique l'objet d'aucune protection semblable à .... nos actions possessoires."* Cf. Meier et Schoemann, *att. Prozess* p. 493 (Lipsius p. 674/5).

6) Photiadi utique (p. 156), ex diverso Pappuliae (p. 362) sola praedia, quod caveatur *ἀπ' ἀναδασμοῦ γῆς.*

de utroque rerum genere competere. Apparet igitur apud Athenienses quoque dari ius honorarium, quod tamen uno dumtaxat praecepto contineatur: *possidenti vis ne fiat*; apparet praeterea ne Attica quidem iura ab eo errore [1]) immunia fuisse, quo tribuitur propria actio possessori etiam adversus dominum rei, perinde quasi non sufficiat *βλάβης δίκη*, si quid praeter ius dominus moliatur. Ceterum valde notandum est, *τὸν ἄρχοντα* ei possessori prospicere, qui possederit, *antequam* honorem ipse caperet, quum Romanus praetor ei prospiciat, qui possederit *intra annum*, id est, *post* diem trecentesimum sexagesimum quintum ab interdicto retrorsus computandum, rex autem Angliae, teste Glanvilla [2]), ei qui *post ultimam transfretationem suam in Normanniam* [3]) vel *infra assisam* (*su*)*am* [4]), id est, ut generaliter comprehendit: *infra tempus a domino rege de consilio procerum ad hoc constitutum* possederit [5]). Atheniensi igitur possessori nascitur interdictum, si possidere coeperit ante statutum tempus (id est, magistratus *εἴσοδον*), Romano vel Anglo perit, ante statutum tempus si possidere desierit, quod apud Anglos quidem certum est, apud Romanos autem a redditione interdicti [6]) retro computatur, nisi in epistula Marci Antonii ad Tyrios [7]) certus dies statuitur, ex quo restituenda sit per vim ablata possessio Hyrcano: *ἀξιοῦμεν .... ὑμᾶς, εἴ τινα χωρία Ὑρκανοῦ ὄντα .... πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἢ Γάιον Κάσσιον .... ἐπιβῆναι τῆς ἐπαρχίας ἡμῶν νῦν ἔχετε, ἀποδοῦναι αὐτῷ ...., εἰ δέ τινα ἔχετε πρὸς αὐ-*

---

1) Error cur sit, diximus etiam cap. LIX (i. f.) et LXXXII (i. f.).

2) Tractat de leg. lib. XIII.

3) Cap. 33, 35, 36, 37.

4) Cap. 39.

5) Cap. 32. — Similiter *προθεσμία* ponitur vel omnibus causis vel quibusdam vel posita commemoratur èt apud Aesch. I § 39 (cf. Andoc. I § 87-89) èt in papyris Lagidarum frequenter (veluti pap. Tebtun. 5 lin. 1-5, lin. 44-48) èt apud Livium 39 c. 3 (i. f.); 39 c. 44; 42 c. 22; 43 c. 14 èt c. 2 pr. C. Th. 9. 17; c. 6 pr., § 6 C. Th. 11. 24; et c. 1 § 2 C. 11. 54 (53) èt apud Cassiodorum I 18 § 2 èt in lege Burg. XVII § 1 (= Visig. Eur. 277) èt in Capitularibus 80 § 1 (unde pendent *GU* 202 et 202*a*); 69 § 8 (Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* V § 81 not. 17). Ergo hic ubique condonantur, quae ante *τὴν προθεσμίαν* gesta sint, sed novo exemplo Eleorum decreto (Michel 1334, 7/8) *ὅσσα κα ὕσταριν γένωνται τῶν περὶ Π. δαμιοργῶν*, nisi emendandum est *ὅσσα κα* (*μά*).

6) Quod restitutorium est (cf. superius cap. LXXI).

7) Joseph., Antiq. XIV § 314-318.

τὸν δικαιολογίαν, ὅταν ἔλθωμεν ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐξέσται ὑμῖν ταύτῃ χρῆσθαι. Restitui iubet ablata post eum diem, quem secuta est Cassii ingressio. Cui iussu hactenus est similis forma senatusconsulti, quod interponitur inter Itanios et Hierapytnios [1]), sed deest ibi clausula de proprietatis causa reservanda, sicut deest in senatusconsulto, quod redditum est inter Messenios et Lacedaemonios [2]) et in eo quod redditum est inter Magnetes et Prienenses [3]) atque de pace cum Antiocho facienda [4]), quo senatusconsulto libertas recipitur civitatibus, quae *in libertate* (id est, in libertatis possessione) fuissent *pridie quam cum Antiocho rege in Asia pugnatum est* [5]), Minuciorum denique sententia [6]), ubi recipitur ei possessio, qui K. Sextilibus Caecilio et Mucio coss. possederit. Accedit Graeci regis Antigoni κρίσις [7]), Samiis Prienensibusque possessionem salvam esse, (ὧν ἑκάτεροι) Ἀλεξάνδρου διαβάντος εἰς τὰν Ἀσίαν ἐνέμοντο. Nec certus dies nec ab interdicto annus retro praestituitur lege agraria, quam habemus [8]), ergo admittitur vetustissima quaeque querela sed *ante idus Martias, quae post hanc legem rogatam primae erunt.* Quod genus προθεσμίας probavit etiam rex Antigonus literis datis ad Teios [9]), quibus praestituit veteribus controversiis sub iudice terminandis partim (lin. 26/7) biennium, ἀφ' οὗ ἄ(ν τὸ διάγραμμα προτ)εθῇ, partim (lin. 38/9) ὅταν .... ἡ συνθήκ(η ἐπικυρωθῇ), annum; probavit denique lex Halicarnasensis (§ 3), de qua paulo post dicemus (ἐπικαλέτω ἐν ὀκτὼ καὶ δέκα μησὶν, ἀπ' ὃ τὸ ἄδος ἐγένετο). Interdictum quoque de vi armata nullum tempus retro praestituit, quocirca competit perpetuo [10]). Attico quidem interdicto

---

1) Dittenb. Syll. (1900) 929 lin. 51-54.

2) Michel no. 31 lin. 52-55 iis. lin. 63-66: ὁπότεροι ταύτην τὴν χώραν κατεῖχον, ὅτε Λεύκιος Μόμμιος κτέ., ὅπως οὗτοι οὕτως ἔχωσιν.

3) Dittenb. Syll. (1900) 928 lin. 53-55.

4) Liv. 37 c. 56.

5) Superioribus similis est προθεσμία in Senatusconsulto (Dittenb., Or. gr. inscr. 435), quo rata esse iubentur (lin. 13-16), ὅσα διώρθωσαν Pergami reges πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἢ Ἄτταλον τελευτῆσαι, sed supervacanea, quia Attalo populus Romanus successerat, perinde acsi dixisset senatus: εἰς ἐσχάτην ἡμέραν (ibid. 436, 9).

6) Bruns. font. (1909) no. 184 lin. 23/9.

7) *Dialekt-inschr.* 3758 lin. 146 (Rhod.).

8) Bruns, font. (1909) no. 11 lin. 18.

9) Michel no. 34.

10) Cic. ad Fam. XV 16 § 3; l. 3 § 12 D. 43. 16 (Cuiac. Observ. V 20)

tacite inesse videri condicionem, possidere ne quis desierit, antequam magistratum *ὁ ἄρχων* iniret, supra diximus, proinde effectu contineri eo dicendum est tempus ante quod coepisse, post quod durasse, possessionem oporteat, sed unum et idem, non duplex, quemadmodum in formula petitoria apud Glanvillam [1]) intenditur, possedisse patrem avumve *in dominico suo sicut de feodo tempore regis Henrici primi vel* (= et) *post primam coronationem domini regis.* Ergo hic etiam possessionis adquisitae tempus spectatur, non, ut in eisdem gentis [2]) interdicto amissae dumtaxat (*post ultimam transfretationem*), ex diverso solius adquisitionis apud Zelitas, ubi cavent de agro publico, ut restituatur, *εἴ τις τι κατέκτηται ἰδιώτης, ἐξ οὗ ἡ ἀκρόπολις κατελάφθη ὑπὸ τῶν πολιτῶν* [3]), post quod tuti erunt, qui ante possederint [4]), et item apud Halicarnasenses, ubi datur ius proprietatis abiurandae [5]), *οἵτινες* [6]) *τοτ' εἶχον, ὅτε Ἀπολλωνίδης καὶ Παναμύης ἐμνημόνευον* [7]), qui tunc nondum erant magistratum ingressi [8]), quocirca rem similem esse iocatur Valeton [9]) interdicto non *uti possidetis* vel *utrubi fuit*, sed *uti possidebitis, utrubi fuerit.* Est scilicet *assisa* [10]) in futurum tempus egrediens [11]), proinde

1) II cap. 3 § 1.

2) At apud Gallos in interdicto utrumque tempus spectatur; datur enim intra annum ei, qui annum possederit (Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) no. 749).

3) Michel no. 530, 5-7.

4) Sic iure Anglico, in quibus causis vetustas pro lege servetur, tuti sunt, quorum antecessor possederit „*before the commencement of the reign of Richard the First*" (Stephen, *Commentaries* I (1899) p. 24, p. 488), id est, a. d. 3 non. Sept. 1189. In quibusdam praeterea requirebatur, ut possedissent *intra* 60 annos aut ipsi aut cui heredes facti essent (ibid. p. 490).

5) De proprietatis abiuratione apud Germanos diximus superiore capite (CV).

6) Tacite supplet Valeton, Mnemos. XXXVI p. 296 lin. 2/3: quorumve auctores (p. 303/4 ipsos auctores iurare iubet).

7) *Inscr. jur. gr.* I § 4: .... *ὅρκον ἔναι τῷ νεμομένῳ* ...,. *καρτερὸς δ' ἔναι*, id est, possessionis commodo uti, *οἵτινες κτέ.* Ex diverso putant plerique (etiam Valeton, Mnem. XXXVI p. 295/6; 304) hoc ipsum iurandum esse possessori: possedisse se *Ἀπολλωνίδου μνημονεύοντος.* Dat *τῷ νεμομένῳ*, ut nos, „(*den*) *Behaltungseid*" Swoboda, *archaeol.-epigraph. Mittheil.* XX (1897) p. 126. Non possumus enim in re dubia analogiam iuris Germanici solam ducem non sequi.

8) Etenim § 2 vetantur qui nunc sint *μνήμονες παραδιδόναι* .... *τοῖς μνήμοσι ἐπὶ Ἀπολλωνίδεω* .... *καὶ Παναμύω* (cf. Valeton, Mnemos. XXXVI p. 322/3).

9) Mnemos. XXXVI p. 300, 302.

10) *Assisam* esse vidit Rühl (Philol. 41 (1882) p. 62) sed appellavit novo vocabulo „*Normaljahr*". Quem temere irridet Valeton, Mnemos. XXXVI p. 300, 302, 806, 328.

11) Quasi dixisset: *καρτερὸς ἔναι οἵτινες τότ' ἐσχηκότες ἔσονται, ὅτε* Α. *καὶ* Π.

consumptura de possessione controversias non tantum praeteritas omnes, quum soleat *assisa* quaelibet vetustas dumtaxat controversias perimere, sed etiam futuras, antequam novi mnemones [1]) magistratum inierint. Esset autem vere res ridicula, si lex tantum temporis intervallum [2]) vacuum reliquisset possessoribus detrudendis, sed, ne hoc fieri possit, ipsa comprehendit, quomodo interim de possessione certetur: *ὅ,τι ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσι τοῦτο καρτερὸν* [3]) *ἔναι*. Ergo duplex est *προθεσμία*: post Apolloniden *μνήμονα* in possessione retinenda potior ut sit, qui tunc possederit; intra annum et sex menses ut stetur mnemonum testimonio neve iureiurando discernatur. Nam sponte apparet sublato lapidicidae vitio ita restituendam esse legis § 3: *ἤν δέ τις θέλῃ δικάζεσθαι περὶ γῆς ἢ οἰκίων ἐπικαλέτω ἐν ὀκτὼ καὶ δέκα μησὶν ἀπ' ὅ τὸ ἄδος ἐγένετο· νόμῳ δὲ* ΜΗ [4]) *κατάπερ νῦν* [5]) *ὀρκῶσαι* [6]) *τὸς δικαστάς* [7]). *Ὅ,τι ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσιν, τοῦτο καρτερὸν ἔναι.* Etiam vitio lapidicidae non sublato intellexit Dareste [8]) intra annum et sex menses abrogari ius commune, quo iuret reus. Quocirca *τὸ κατάπερ νῦν ὀρκῶσαι* ad solemnitatem solam refert [9]). Ex diverso Valeton [10]) praescriptionem *νόμῳ δὲ κατάπερ νῦν* porrigit ad clausulam *ὅ,τι ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσιν τοῦτο καρ-*

ἐμνημονευκότες ἔσονται. Eodem modo tempora commutasse videtur, cui debetur inscr. Michel no. 199 lin. 12, 13, 16: *ἀφ' οὗ* (*Ὀρχομένιοι*) *Ἀχαιοὶ ἐγένοντο*. Erit igitur haec quoque *assisa* in futurum concepta.

1) Apollonides et Panamyes vel etiam horum successores.

2) Sex menses vel annum et sex menses, recte si conicimus prioribus *μνήμοσιν*, quum lex ferretur, dimidium annum superfuisse.

3) An in perpetuum, videbimus.

4) ΜΗ excidit. Eius vitii certa sunt exempla *Inscr. jur. grecq.* XXII § 17; Michel no. 1334, 7; Dittenb. Syll. (1900) no. 737, 72.

5) I. e. secundum ius commune, quo redibitur post annum et sex menses.

6) *Τὸν νεμόμενον* scilicet; cf. § 4 .... *ὅρκον ἔναι τῷ νεμομένῳ .... ὀρκὸν δὲ τὸς δικαστάς*. Ex diverso iureiurando actorem Dareste, *Inscr jur. gr.* (I) p. III, mnemonas adstringendos putant Swoboda, *archaeol.-epigr. Mitth.* XX (1897) p, 122, Valeton, Mnemes. XXXVI p. 294. Quorum illud ut posset admitti, non scriptum oportebat: *ὅ,τι ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσιν, τοῦτο καρτερὸν ἔναι*, hoc ut posset, converso ordine scriptum: *ὅ,τι ἂν οἱ μνήμονες εἰδέωσιν, τοῦτο καρτερὸν ἔναι. Ὀρκῶσαι τὸς δικαστάς.*

7) *Τὸς δικαστὰς* adigere, non adigi iusiurandum, plene demonstravit Valeton, Mnemos. XXXVI p. 294.

8) *Inscr. jur. grecq* (I) pag. III.

9) Ibid. p. 8: „*en se conformant pour les formalités au droit commun*".

10) Mnemos. XXXVI p. 293/5.

τερὸν ἦναι, quod ius, commune et vetus, eripi censet iis, qui annum et sex menses post legem afuerint, ex anteriore causa rem suam esse vindicantibus, acsi lex diceret: ἐπικαλέτω (παρὼν) ἐν ὀκτὼ καὶ δέκα μησὶν; et excludi eos τῷ ὅρκῳ. Itaque sanctum esse sub specie aequi iuris adversus exules, ne esset necesse horum bona apertis verbis diripienda concedere [1]). Quae sententia nimis artificiosa videtur: Graecam civitatem a bonis exulum publicandis, quod puderet, abstinuisse [2]). Ergo cavetur lege, intra προθεσμίαν τὴν τῶν ὀκτὼ καὶ δέκα μηνῶν de proprietate ne iuretur, post προθεσμίαν ut iuret, qui μνημονεύοντος Ἀπολλωνίδου possederit; excipitur praeterea ne iurent, (οἵτινες) ὕστερον ἀπεπέρασαν, id est, qui post *assisam* abalienaverint [3]), nulla alia ratione, ut videtur, quam quod possessoris commodum comparatorem spectare coeperit [4]). Interim quia standum erit mnemonum testimonio, videndum, utrum hoc testimonium tantundem valeat, quantum proprietatis abiuratio. Est quidem lex ambigue scripta (καρτερὸν ἦναι), sed, siquid divinandum est, verosimilius utique videtur differri possessoris iusiurandum, quam remitti; ergo constituitur veluti possessorium interdictum temporarium, ut lege agraria, quam habemus [5]) et laudavimus supra: *ante idus Martias, quae post hanc legem rogatam primae erunt*. Difficilior est existimatio, cur tandem intra annum et sex menses non possessoris iureiurando sed μνημόνων testimonio stari placuerit. Videndum igitur inprimis, quales μνήμονας Halicarnasus eo tempore habuisse credenda sit, id est, quia Gortynici in comparationem non veniunt [6]), utrum similes illis, quorum apud

---

1) Ibid. p. 302, 308-310.

2) Cf. Cic. de Off. II 23 § 81.

3) Detracta temporis mentione (ὕστερον) occurrit eadem exceptio quater in lege agr. inscr. (Bruns (1909) no. 11 lin. 15, 17, 54, 64), bis in lege Antonia de Termessibus (ibid. no. 14 I lin. 32, II lin. 25/6).

4) Ex diverso putat Valeton, Mnemos. XXXVI p. 296, 304, 306, propterea quod iam possit comparator iure antiquo et mnemonum testimonio rem vindicare. Quod *nominatim constitu(end)um* fuerat (l. 67 D. 18. 1).

5) Bruns, font. (1909) no. 11 lin. 18.

6) Gortynicos μνήμονας (cf. *Inscr. jur. grecq.* (I) p. 429-431) in comparationem ideo venire negamus, quia non proprium magistratum gerunt, sed magistratibus adsident.

Aristotelem memoria exstat [1]) vel Iasensibus [2]) vel neutris. Ergo coepit lex Halicarnasensis a praecepto: (§ 2) τὸς [3]) μνήμονας μὴ παραδιδόναι [4]) μήτε γῆν μήτε οἰκία τοῖς [5]) μνήμοσιν ἐπὶ Ἀπολλωνιδέω, quod expeditam habet interpretationem, modo quis sumat [6]), apud hos fuisse aerario commissarum velut exulum [7]) rerum custodiam [8]); deinde standum censet, ut vidimus, intra annum et sex menses eorum de possessione omnium praediorum testimonio; quocirca visi sint oportet habere eius rei aliquam prima specie notitiam, non vero tantam, ut perpetua testimonii dictio tuto iis permitti potuerit. Quod optime procedit, si erant non contractibus sed tributis praepositi; tributis enim praepositi, fieri non potest, quin singularum rerum dominos usu quodam cognitos habeant [9]), licet iusta et legitima scientia destituantur, quae competere non potest nisi iis, qui contractibus praesideant, ne his quidem, nisi ἡ ἀναγραφὴ ius faciet [10]). Solet enim tributum adscribi ei, qui praedio utatur fruatur, nec is utique dominus est, aut proprietatis iudicio, si lis ei moveatur, utique superior futurus. Quamobrem nullus legislator illis in civitate recte constituta testimonium de proprietate et ius facturum detulerit; sed in rebus turbidis et civilibus discordiis fessis [11]) etiam hoc paulisper salu-

---

1) Polit. VI 5 (8) § 4 (i. f.). Halicarnasenses his adsimulare non dubitat Valeton, Mnemos. XXXVI p. 315/8.

2) Eos Valeton ab Halicarnasensibus rectissime separat, Mnemos. XXXVI p. 318-320 (ad Dittenb. Syll. (1898) no. 96 = Michel no. 460).

3) I. e. τὸς ὄντας.

4) Παραδιδόναι recte habet. Cf. Valeton, Mnemos. XXXVI p. 322-325, 334.

5) I. e. τοῖς ἐσομένοις.

6) Praeivit Dareste, *Inscr. jur. grecq* (I) pag. 7/8.

7) Exulum bona publicari solere constat (Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 126 not. 1), itaque mirum est, quod in decreto Eleorum (Michel no. 1334, 8 sqq.) possident (*οἱ*) ἐπ' ἄσ(σ)ιστα, id est, agnati (Meister, *Berichte* (*Leipzig*) 50 (1898) p. 224).

8) Ex diverso credit Valeton, Mnemos. XXXVI p. 330/1, apud eos fuisse custodiam rerum pupillarium et eorum, qui legitime abessent, eamque custodiam lege relaxatam exulum odio, ut eorum bona diriperentur. Ergone exules legitime absunt, ut de pupillis taceam?

9) Cf. Apulei. de magia 101: (*dico*) *Pudentillam suo nomine emisse, ... Pudentillae nomine pro eo agello tributum dependi. praesens est quaestor publicus cui depensum est.*

10) Hoc explicabitur capite harum Observ. CVIII.

11) Legem nostram non esse simpliciter τεχνικήν, quod putabat Rühl, Philol. XLI

tare, vel certe tolerabile, haberi potest, vel magis si, ut nos coniecimus, de possessione sola testimonio transigetur ipsius proprietatis et principali causa salva. Eosdem autem commissis et tributis praefuisse, non est, quod miremur. Post quod eo lex pertinebit, ut inprimis res commissae vinculo relaxentur [1]), deinde, intra annum et sex menses suae cuique res secundum *μνημόνων* testimonium vi possessae restituantur; tunc redeatur ad ius vetus et proprietatis abiurationem, dato iureiurando, *οἵτινες τοτ' εἶχον ὅτε Ἀπολλωνίδης καὶ Πανάμυης ἐμνημόνευον* [2]), vel quodcumque tempus deinceps leges statuissent. Oportet enim *assisam* qualemcumque [3]) identidem renovari [4]), idque ipsum est, cur praestat alter praestituendi modus.

(*Continuabuntur*).

---

p. 60 („*es handelt sich um eine Neuordnung des Prozessverfahrens in Grundeigenthumsstreitigkeiten*"), optime demonstravit Valeton, Mnemos. XXXVI p. 311, ex legis sanctione (§ 5).

1) Ergo perstamus in opinione recepta (*Inscr. jur. gr.* (I) pag. 6): latam esse legem sedandarum discordiarum gratia.

2) Ergo totus annus, quo Apollonides et Panamyes *ἐμνημόνευον*, unius momenti vicem obtinebit, eritque *καρτερὸς*, qui eius anni brevissima parte possederit? An qui totum annum in possessione fuerit? An qui *ἔσχατον*? Ceterum Anglica demonstratio, ut avus paterve possederit *tempore regis Henrici primi*, 35 annos comprehendit.

3) Sive demonstratur adquisitionis tempus, ne nemo possit propter nimiam vetustatem ius suum probare; sive amissionis, ne nulla posterior controversia umquam *termino quies(c)at*, ut loquitur Conradus II (Diplom. 275).

4) Cf. Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 357; Brunner, *Entst. der Schwurgerichte* (1872) p. 320 ia. 313; Kerr, *the student's Blackstone* (1887) p. 168 lin. 3 sqq.

MISCELLANEA.

SCRIPSIT

CH. CH.F. CHARITONIDES.



Ad Athenaeum.

Lucubratiunculas meas in editionem Kaibelianam Athenaei per paucorum annorum decursum, e quo *τὰ εἰς τὸν Ἀθήναιον διορθωτικά* scripsi in libro qui *Τεσσαρακονταετηρὶς τῆς καθηγεσίας Κ. Σ. Κόντου* inscribitur, intermissas, nec tamen umquam prorsus neglectas, nunc resumo et iam haud pauca repperi quae vel hodie post multas multorum curas utiliter cum Mnemosynes lectoribus communicari mihi posse videantur.

Initium faciam e p. 21 f, ubi fertur: *καὶ Τέλεσις δὲ ἢ Τελέστης ὁ ὀρχηστοδιδάσκαλος πολλὰ ἐξεύρηκε σχήματα ἄκρως ταῖς χερσὶ τὰ λεγόμενα δεικνύς. Φίλλις δ' ὁ Δήλιος μουσικὸς τοὺς ἀρχαίους φησὶ κιθαρῳδοὺς κινήσεις ἀπὸ μὲν τοῦ προσώπου μικρὰς* ΦΕΡΕΙΝ, *ἀπὸ ποδῶν δὲ πλείους, ἐμβατηρίους καὶ χορευτικάς.*

Corruptum esse *φέρειν* vides. Quid reponendum? Kaibelio ante oculos forte habenti quae p. 629 b leguntur: *ἐζήτουν γὰρ κἀν ταύτῃ (τῇ χειρονομίᾳ) κινήσεις καλὰς καὶ ἐλευθερίους, ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα περιλαμβάνοντες· καὶ τὰ σχήματα* ΜΕΤΕΦΕΡΟΝ *ἐντεῦθεν εἰς τοὺς χορούς, ἐκ δὲ τῶν χορῶν εἰς τὰς παλαίστρας* saltem scribendum esse *μεταφέρειν* videtur. Mihi quidem placet reponere ΦΑΙΝΕΙΝ pro *φέρειν* coll. quod paulo post (p. 22 a) legitur: *Τελέστης ὁ Αἰσχύλου ὀρχηστὴς οὕτω ἦν τεχνίτης, ὥστε ἐν τῷ ὀρχεῖσθαι φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα* et p. 631 b: *γυμνοὶ γὰρ ὀρχοῦνται οἱ παῖδες, ἐρρύθμους φοράς τινας ἀποτελοῦντες καὶ σχήματά τινα τῶν χειρῶν κατὰ τὸ ἀνάπαλον, ὥστ'*

ἐμφαίνειν θεωρήματά τινα τῆς παλαίστρας καὶ τοῦ παγκρατίου κινοῦντες ἐρρύθμως τοὺς πόδας. Saepissime autem utrumque verbum φέρειν et φαίνειν a librariis confundi norunt omnes. V. Cobet *Var. Lect.* p. 121 et *Nov. Lect.* p. 334.

p. 30a: ἐκέλευε δὲ τούτῳ στολὴν φορεῖν βαρβαρικήν, ὡς καὶ Δημαράτῳ, δοὺς τὰ πρότερον ὑπάρχοντα καὶ εἰς στολὴν Γάμβρειον προσθεὶς ἐφ' ᾧτε μηκέτι Ἑλληνικὸν ἱμάτιον περιβάληται.

Pro περιβάληται K. coniecit περιβαλέσθαι. Immo facilius est corrigere περιβαλεῖται. Cf. p. 264b: παρέδωκαν ἑαυτοὺς τοῖς Θεσσαλοῖς δουλεύειν καθ' ὁμολογίας, ἐφ' ᾧ οὔτε ἐξάξουσιν αὐτοὺς ἐκ τῆς χώρας οὔτε ἀποκτενοῦσιν, αὐτοὶ δὲ τὴν χώραν αὐτοῖς ἐργαζόμενοι τὰς συντάξεις ἀποδώσουσιν. Neque hoc ignorandum Procopium, ut docet Herwerdenus *Mnemos.* XXXIV, p. 40, formulam ἐφ' ᾧ de re futura aut cum futuro coniungere solere aut cum coniunctivo aut cum infinitivo.

p. 57a: Καλλίας δ' ἐπὶ τῆς ῥαφανίδος εἴρηκε τὴν ῥάφανον.

I. Meyer in *Spicil. emend. et observ. in noviss. Ath. edit.* (1897) p. 13 scribit: „Pro ἐπὶ substitui malim ἀντί". Sine causa idonea. Cf. p. 106f: παρὰ τίνι ὁ ἐπίπλους εἴρηται ἐπὶ τοῦ λίπους καὶ τοῦ ὑμένος. p. 365b: σύνδειπνον εἴρηκεν ἐπὶ συμποσίου Λυσίας. p. 366c: ἐν Λημνίαις τὸ τακερὸν ἔταξεν ἐπὶ τοῦ τρυφεροῦ. p. 367b: παρὰ τίνι ἐπὶ τοῦ ἀγγείου ἡ παροψὶς κεῖται et ibidem c: ἐν δὲ Εὐρώπῃ πάλιν ἐπὶ παροψήματος διὰ πλειόνων εἴρηκεν. p. 368b: ἐπὶ ἡδύσματος ἡ παροψὶς κεῖται etc. Permulta huiusmodi usus testimonia apponere licet e Grammaticis et Lexicographis.

p. 78d: πάντων τῶν καλουμένων ξυλίνων καρπῶν ὠφελιμώτερά ἐστι τοῖς ἀνθρώποις τὰ σῦκα et p. 81a: τὰ δὲ κυδώνια — κοινῶν ἁπάντων ἐστὶ τῶν μήλων εὐστομαχώτατα.

Utrobique K. adnotat „ὠφελιμώτατα K." et „εὐστομαχώτερα ACE: corr. K.". Ita scribendum esse mihi non videtur. Athenaeus secutus est sequiorum συνήθειαν, qua pro superlativis comparativi ponuntur. Cf. p. 27b: πάντων δὲ τούτων ὁ Σαβῖνος κουφότερος. p. 43b: σταθμήσας τὸ ἀπὸ τῆς ἐν Κορίνθῳ Πειρήνης καλουμένης ὕδωρ κουφότερον πάντων εὗρον τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. p. 64b: ΧΕΙΡΟΝΕΣ δὲ πάντων (τῶν βολβῶν) οἱ Αἰγύπτιοι. p. 298b: αἱ ἐγχέλεις εὐχυλότεραι πάντων εἰσὶ ἰχθύων. p. 306e: καταδεέστεροι δὲ πάντων οἱ χελλῶνες. p. 508b: ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ Πολιτείας· εἰ καὶ πασῶν εἴη αὕτη ΒΕΛ-

ΤΙΩΝ, *μὴ πείθοι δ' ἡμᾶς, τί πλέον*; p. 609 b: *Ξενοπείθειαν τὴν Λυσανδρίδου μητέρα πασῶν τῶν κατὰ Πελοπόννησον γυναικῶν γεγονέναι* ΚΑΛΛΙΟΝΑ. Quod p. 86 c corrigere Meinekius voluit: *ῥωμαλεώτατα δὲ τῶν κογχυλίων Φησίν εἶναι ὁ Διοκλῆς κόγχας, πορΦύρας, κήρυκας* pro *ῥωμαλεώτερα* equidem intactum relinquo. Eiusmodi exempla permulta Galenus praebet. V. Contus *ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ* 1876, p. 83 et Wagnerus in editione Apollodori p. LIX.

p. 99 d: *καὶ Δημάδης δ' ὁ ῥήτωρ ἔλεγε τὴν μὲν Αἴγιναν εἶναι λήμην τοῦ Πειραιῶς, τὴν δὲ Σάμον ἀπορρῶγα τῆς πόλεως.*

Solus A veram lectionem retinuit, *ἀπώρυΓα*. A Demade tamen magis expectes formam priscam *ἀπώρυΧα*. V. Contus *ἐν τῇ Ἀθηνᾷ* Vol. II p. 306 et Herwerdenus in *Lex. Graec. Suppl. et Dialect.* Vol. I p. 193.

p. 107 a: *τό τε μαρτύριον τοῦ οὕτω διεσκευασμένου ἥπατος δίκαιος εἶ σὺ ἀπομνημονεῦσαι προειρημένου σοι πάλαι, ὅτε περὶ τῶν ὠτίων καὶ τῶν ποδῶν ἐζητοῦμεν.* p. 262 e: *οὐχ ὡς ἀπειρημένου τοῦ τοιούτου καθάπερ ἐν Κῷ τῇ νήσῳ ὅταν τῇ Ἥρᾳ θύωσιν.* p. 308 c: *λέξω δὲ καὶ μὴ προβληθέντος διὰ τί οἱ πυθαγορικοὶ τῶν μὲν ἄλλων ἐμψύχων μετρίως ἅπτονται, τινὰ δὲ καὶ θύοντες, ἰχθύων μόνων οὐ γεύονται τὸ παράπαν· ἢ διὰ τὴν ἐχεμυθίαν; θεῖον γὰρ ἡγοῦνται τὴν σιωπήν.*

Ut natura Graeci sermonis postulat, expectaveris accusativos absolutos *προειρημένον, ἀπειρημένον, προβληθέν*, pro genitivis. Incredibile dictu est quoties in syllabis finalibus scribae titubaverint. Apud Nostrum in Chrysippi verbis p. 137 f: *ὡς μακρόθεν οὐκ ἀστείως παρεισδύσεως γινομένης, δέοντος ἀπέχεσθαι τούτων τῶν μακρόθεν* Kaibelius recte pro *δέοντος* scripsit *δέον*. Sed praeiverat meus magister Contus *ἐν τῷ Ἀθηναίῳ* Vol. VII p. 117. Animadvertendum etiam pro *θεῖον γὰρ ἡγοῦνται τὴν σιωπήν* cum Meinekio praeferendum *ὅσιον γὰρ κέ.* Saepissime *θεῖος* et *ὅσιος* in libris permutantur. V. Contus *ἐν τῷ Ἀθηναίῳ* Vol. VII p. 460.

p. 134 a et 642 e pro *παραμασύντην — παραμασύντας* scribendum *παραμασήτην — παραμασήτας*, ut p. 242 c *παραμασήτης*, vel potius *παραμασητήν — παραμασητάς — παραμασητής*. V. G. Dindorfius in Thesauro Vol. VI p. 328 b et Contus *ἐν ταῖς Γλωσσικαῖς Παρατηρήσεσι* p. 55.

p. 134 c: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστάσιον.

Meyer in libello supra laudato p. 19 scribit: „Aut scribendum est Ἰσοστασίῳ aut inserendum ante Ἰσοσ. dativus δράματι".

Miror virum doctum non perspexisse scriptoris usum. Loqui Athenaeum frequentius quam putaveris more veterum ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστασίῳ aut rarius ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἰσοστασίῳ ne umbra quidem dubitationis extat. Attamen ratione sequiorum quoque uti ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστάσιον vel ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἰσοστάσιον certissimum est. Optimum factu est ad demonstrandum usum scriptoris Nostri testimonia apponere.

a). ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστασίῳ. E nube exemplorum perpauca afferam: p. 120 b: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συμποσίῳ. p. 121 d: et 506 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἱέρωνι. p. 125 e: ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις Συντρέχουσι. p. 141 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τριπολιτικῷ. p. 145 a: ἐν δευτέρῳ τῶν ἐπιγραφομένων Παρασκευαστικῶν. pp. 146 f, 409e, 476e: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ, et sic passim. Legitur etiam p. 110 d: ἐν δὲ τῷ Μενελάῳ ἐπιγραφομένῳ. p. 157 b: ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις. Cf. pp. 172 d. 279 c. 283 a. 410c. 490 c. 648 d.

b). ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἰσοστασίῳ. Paucissima eiusmodi exempla apud Nostrum inveniuntur. p. 86 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Εὐβουλοθεομβρότῳ. p. 606 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Γραφῇ. Dixit etiam p. 100 c: ἐν τῷ Ποντικῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι. p. 247 d: κἀν τῷ ἐπιγραφομένῳ Παρασίτῳ δράματι. Quare fallitur Meyer l.l. p. 27 scribens: „p. 230 e: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Φακῇ. Hoc uno loco titulus fabulae cum antecedenti appositione ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι congruit".

c). ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστάσιον. Simili modo dixit p. 86 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἁλιεύς. p. 90 e et p. 438 c: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τυράννων ἀναίρεσις. p. 124 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι. p. 324 f: ἐν δὲ τῷ ἐπιγραφομένῳ Παιδικά. p. 442 b: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Σταθμοί. p. 567 c: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δ' Ὀρεσταυτοκλείδης. p. 609 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συναγωγή. p. 615 e: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὁμώνυμοι. Frustra igitur Meyer ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστασίῳ pro ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστάσιον postulavit.

d). ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἰσοστάσιον. Similia videas

p. 108 f: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Σικελία. p. 142 f: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἄρχων. p. 230 d: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Βασιλεῖς. p. 276 b: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ συγγράμματι Ἀρσινόη. p. 359 c: ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι Χαλκεῖα. p. 702 b: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Φακῆ. Cf. etiam p. 649 a: ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πύλαι δράματι. Notabilis est structura p. 313 b: Ἐπαίνετος δ' ἐν Ὀψαρτυτικῷ φησι σμαρίδα, ἣν ἔνιοι καλοῦσι κυνὸς εὐνΑΙ, ut coll. p. 328 f correxit Meinekius. Conferre possis: καὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον ἐπωνόμασαν Φάραγξ βότρυος διὰ τὸν βότρυν, ὃν ἔκοψαν ἐκεῖθεν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ (V. T. Num. XIII, 25). δεῦρο καὶ πορευθῶμεν πρὸς τὸν Βλέποντα· ὅτι τὸν προφήτην ἐκάλει ὁ λαὸς ἔμπροσθεν ὁ Βλέπων (ib. Reg. I. IX. 9). ᾧ κλῆσιν ἔθεντο Οὐαλεντιανός (Phot. Bibl. p. 61 Bekk.), de quo v. Contus ἐν τῇ Ἐπιστημονικῇ Ἐπετηρίδι τοῦ Πανεπιστημίου 1907—1908 p. 48.

p. 148 b: κατεστρώθη ἐπὶ πηχυαῖα βάθη τὰ ἐδάφη τῶν ἀνδρώνων ἐμπεπετασμένων δ ι κ τ ύ ω ν τ ο ῖ ς ἕ λ ι ξ ι ν.

Pro δικτυωτΟΙς ἕλιξιν editoris praetulerim δικτυωτΑΙς ἕλιξιν.

p. 173 e: περὶ Μαγνήτων λέγων τῶν ἐπὶ τΟΥ ΜαιάνδρΟΥ ποταμΟΥ ὅτι ΔελΦῶν εἰσιν ἄποικοι.

Scr. τῶν ἐπὶ τῼ Μαιάνδρῼ ποταμῼ, ut mox: Μάγνητες οἱ ἐπὶ τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ. Quod infra legitur: Δημήτριος δ' ὁ Σκήψιος — ἐν τῷ Λακωνικῷ φησιν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τ ῆ ς κ α λ ο υ μ έ ν η ς Ὑ α κ υ ν θ ί δ ο ς ἱδρῦσθαι ἥρωας κέ. diversum est. De re alias tractabimus.

p. 177 a: Ἰόβας δὲ τούτους (τοὺς αὐλοὺς) Φρυγῶν εἶναι εὕρημα, ὀνομάζεσθαι δὲ σκυταλίας κατ' ἐμφέρειαν τοῦ πάχους.

Inseratur verbum φησί post εὕρημα. Eodem remedio utendum p. 86 a.

p. 192 c: καὶ οἱ δειπνήσαντες ἀπελύοντο φωτὸς ὄντος.

Suppleo φωτὸς ἔ τ' ὄντος.

p. 207 d: ἐν οἷς κῆποι θαυμασίως ἦσαν ὑπερβάλλοντες τοῖς φυτείοις, διὰ κεραμίδων μολυβδινῶν (scr. μολυβδίνων) κατεστεγνωμ έ ν ω ν.

Schw. corrigenti διὰ κεραμίδων μολυβδίνων κατεστεγνωμένΟΙ obtemperare debuit editor.

p. 208 e: διὰ τροχιλίων εἰς τὰ θωράκια λίθοι παρεβάλλοντο.

Editor adnotat: „rectius τροχιλιῶν". Secundum inscriptiones praefere τροχιλΕΙῶν. V. Meisterhans[3], p. 53.

p. 212a (Posidon.): *διόπερ μετεώριζε τοὺς Ἀθηναίους δι' ἐπιστολῶν.*

Equidem apud Posidonium scripserim *ἐμετεώριζε* cum augmento.

p. 213d: *ἣν ἡ Ῥωμαίων σύγκλητος ἐπισχεθῆναι πεποίηκεν.* Non indignum Posidonio est *ἐπισχεθῆναι*, quod in *ἐπισχεθεῖν* mutandum suspicatur Kaibelius. Cf. Nymph. Heracl. p. 549b: *ὥστε διὰ τὸ πάχος ἐν δυσπνοίᾳ αὐτὸν συσχεθῆναι καὶ πνιγμῷ* et Menod. p. 672e: *τῶν Καρῶν δεισιδαιμονίᾳ περισχεθῆναι.*

p. 214a: *Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος εὐθέως καὶ οὗτος τοὺς μὲν εὖ φρονοῦντας τῶν πολιτῶν — ἐκποδὼν [εὐθὺς] ἐποιήσατο.*

Editor adnotat: „*εὐθὺς* om. C vix recte, quamquam *εὐθὺς* post *εὐθέως* non sane scripsit Posidonius; aliter turbatum est". Nullas turbas video equidem. Qui aures habent sentient secundum *εὐθὺς* insititium esse.

p. 225d (Xenarch.): *ὁ δ' εὐθὺς ἐξάρας πρόχουν | τῶν ὁμοτέχνων τις τοῦ μὲν ἀκαρῆ παντελῶς | κατέχεε, κατὰ δὲ τῶν ἰχθύων ἀπαξάπαν | εἴποις γ' ἂν αὐτοὺς ἀρτίως ἡλωκέναι.*

Praestat *εἶπάς γ' ἄν*. V. v. Leeuwen in *Aristoph. Vesp.* p. 36.

p. 248f: *Σάτυρος δ' ἐν τῷ Φιλίππου βίῳ — εἴποτε δριμύ τι προσφέροιτο τῶν ἐδεσμάτων ὁ Φίλιππος, συνέστρεφε τὴν ὄψιν ὡς συνδαινύμενος.*

Iniuria sperni videtur correctio *συνδακνόμενος*. (V. Schw. in *Animad. in Ath.* Vol. III p. 470).

p. 251c: *ὦ βασιλεῦ τί δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς, ὅτε καὶ [ὑμεῖς] οἱ θεοὶ τοιαῦτα πάσχετε;*

Suspectum mihi seclusi.

p. 260c: *πλείους τε τῶν Θετταλῶν τῶν αὐτῷ πλησιαζόντων ᾕρει μᾶλλον [ἐν] ταῖς συνουσίαις ἢ ταῖς δωρεαῖς.*

K. adnotat „*ᾕρει* C: *ᾑρεῖτο* A, in *τὸ μᾶλλον* participium (velut *καταχηλῶν*) latere putat Wilam.".

Qui verborum sententiam diligenter perpenderit, fortasse mecum praeferet traditam lectionem deleta sola praepositione. *Τὰ πονηρὰ ἀνθρώπια*, ut Xenophon ait in Memorab. II, 3, 17, *οὐκ ἂν ἄλλως μᾶλλον ἕλοις ἢ εἰ δοίης τι, τοὺς δὲ καλοὺς κἀγαθοὺς ἀνθρώπους προσφιλῶς χρώμενος μάλιστ' ἂν κατεργάσαιο.* Philippus tamen etiam *τοὺς ἀκολάστους Θετταλοὺς* colloquiis magis capiebat, nempe *καθωμίλει*, quam donis alliciebat.

p. 260e (Theopomp.): καὶ περιήγοντο μὲν δύο καὶ τρεῖς ἑταιρουμένους, αὐτοὶ δὲ κἑ.

Kaibelius adnotat „ἑταιρευομένους Pol.". Quantocius recipienda Polybiana scriptura. Luculenter de ἑταιρεῖν — ἑταιρεύεσθαι — ἑταιρίζεσθαι tractavit meus magister Contus ἐν τῇ 'Αθηνᾷ Vol. V p. 112—113.

p. 261d. Locum quamquam longiorem non gravabor describere ut res tanquam ante nostros oculos posita sit: Τιρυνθίους δέ φησι Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ κωμῳδίας φιλόγελως ὄντας, ἀχρείους δὲ πρὸς τὰ σπουδαιότερα τῶν πραγμάτων, καταφυγεῖν ἐπὶ τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον ἀπαλλαγῆναι βουλομένους τοῦ πάθους, καὶ τὸν θεὸν ἀνελεῖν αὐτοῖς, ἢν θύοντες τῷ Ποσειδῶνι ταῦρον ἀγελαστὶ τοῦτον ἐμβάλωσιν εἰς τὴν θάλατταν, παύσεσθαι· οἱ δὲ δεδιότες μὴ διαμάρτωσι τοῦ λογίου τοὺς παῖδας ἐκώλυσαν παρεῖναι τῇ θυσίᾳ. ΜΑΘΩΝ οὖν εἷς καὶ συγκαταμειχθείς, ἐπείπερ ἐβόων ἀπελαύνοντες αὐτόν, τί δῆτ'; ἔφη· δεδοίκατε μὴ τὸ σφάγιον ὑμῶν ἀνατρέψω; γελασάντων δὲ ἔμαθον ἔργῳ τὸν θεὸν δείξαντα ὡς ἄρα τὸ πολυχρόνιον ἦθος ἀμήχανόν ἐστι θεραπευθῆναι.

Apparet Tirynthios oraculi metu pueros arcuisse sacrificiis. Non igitur μαθεῖν necessarium erat, sed λαθεῖν. Unius literulae mutatione lucrabimur veram manum, quae fuit: ΛΑΘΩΝ οὖν εἷς καὶ συγκαταμειχθεὶς κἑ. Quod attinet ad syntaxin cf. Thucyd. III, 106: ἔλαθον καὶ προσέμειξαν τοῖς ἐν Ὄλπαις Ἀμπρακιώταις.

p. 279a: ζῆν δ' ἐστὶ τὸ τοιοῦθ'; Β. ὡς λέγουσιΝ οἱ σοφοί.

Malim ὡς λέγουσί Γ' οἱ σοφοί.

ib. e: καὶ γὰρ οὗτος ζῆν μὲν ἡδέως .... χαίρουσιν, ὥς φησι Ποσειδώνιος.

Inseratur post οὗτοι articulus τῷ ζῆν μὲν ἡδέως .... χαίρουσιν.

p. 291a (Nicom.): πολλὰς τέχνας λάβοις ἂν ἐνδόξους πάνυ, ὧν ΤΟΝ μαθεῖν βουλόμενον ὀρθῶς οὐκ ἔνι ΤΑΥΤΑΙΣ προσελθεῖν.

Num potius ὧν ΤΙΝΑ (id est τέχνην) μαθεῖν βουλόμενον ὀρθῶς — ΤΑΥΤΗΙ προσελθεῖν? Sequentia meam sententiam confirmabunt.

p. 292a (Diphil.): ναύκληρος ἀποθύει τις εὐχήν, ἀποβαλὼν τὸν ἱστὸν ἢ πηδάλια συντρίψας νεὼς ἢ φορτί' ἐξέρριψ' ὑπέραντλος γενόμενος.

Necesse opinor est participium ἐκρίψας poetae reddere.

ib. c: *πληγὰς γὰρ ἔτι προσλαμβάνειν ἐλθόντα καὶ τὴν νύχθ' ὅλην διακονεῖν.*

Malim *πληγὰς γὰρ ἔστι λαμβάνειν* etc.

ib. e (Arched.): *ἐν ᾧ τὸ λάχανον αἵ τε τῶν παροψίδων τὸν ἄνδρα δριμύτητες εὐφραίνουσι* ΜΟΥ, *ἑφθὸν τὸν ἰχθὺν ἐπιδίδωμ' ἔχοντα τοὺς χυμοὺς ἐν αὐτῷ.*

Quantopere mihi displicet illud ΜΟΥ. Nonne latet ΙΔΟΥ *ἑφθὸν τὸν ἰχθὺν* etc.?

p. 296d: *ὅτι Ἰάσων* ΜΕΤΑ *τῶν Τυρρηνῶν ἐμάχετο.*

Scriptum esse ΜΕΤΑ *τῶν Τυρρηνῶν* pro ΚΑΤΑ *τῶν Τυρρηνῶν* deteriorum scriptorum more vix credo.

p. 298c: *ὁ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ γίνεσθαι αὐτὰς (τὰς ἐγχέλεις) οὔτε ᾠοτοκοὐ*CAC *οὔτε ζῳοτοκού*CAC *ἀλλ' οὐδὲ ἐξ ὀχείας, ἀλλ' ἐν τῷ βορβόρῳ καὶ τῇ ἰλύι σήψεως γινομένης.*

Quia anguillae neque animantes neque ex ovis pariuntur scripsisse Aristotelem suspicor: *οὔτε ᾠοτοκουμένας οὔτε ζῳοτοκουμένας.*

p. 299a: *οἱ δ' Ἀττικοί, καθὼς Τρύφων φησί, τὰς ἑνικὰς χρήσεις ἐπιστάμενοι διὰ τοῦ* Υ *τὰς πληθυντικὰς οὐκέτι ἀκολούθως* ἘΠΙ*φέρουσιν.*

Scr. ἘΚ*φέρουσιν.*

ib. d: *καὶ ὁ ποιητὴς οὖν θέλων δηλῶσαι* ΤΟ *εἰς βάθος* ΤΟΥ *ποταμ*ΟΥ *καιόμενον οὕτως ἔφη· τείροντ' ἐγχέλυές τε καὶ ἰχθύες.*

Duo menda in oculos incurrunt, sed nullo negotio tolli possunt. Expuncto articulo ΤΟ ante *εἰς βάθος* emenda „*δηλῶσαι εἰς βάθος* ΤΟΝ *ποταμ*ΟΝ *καιόμενον*" etc.

p. 305e (Archestr.): *τούτου δ' οὐ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν | οὐδ' ἐσιδεῖν ἐσσοισιν, ὅσοι μὴ πλεκτὸν ὕφασμα | σχοίνου ἐλειοτρόφου κοῖλον χείρεσσιν ἔχοντες | εἰώθασι δονεῖν ψήφους αἴθωνι λογισμῷ | ἄρθρων μηλείων ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλ*ΩΝ.

Intolerabilem soloecismum maculasse locum quis non concedat mihi? Sed facile est corrigere: *ἄρθρων μηλείων* Τ' *ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλ*ΕΙΝ.

p. 311b (Archestr.): *ὅλους δ' αὐτοὺς ἀλεπίστους ὀπτήσας μαλακοὺς χρηστῶς προσένεγκε δίχ' ἅλμης.*

Pro tradita lectione *μαλακῶς χρηστούς* noster Corayus scripsit *μαλακῶς ὡς χρή,* Wilamowitzius *μαλακοὺς χρηστῶς,* quod editor

recepit, et δίχ' ἅλμης pro δι' ἅλμην Meinekius. Equidem audacius scripserim μαλακοχρίστους — δι' ἅλμης.

ibid. f: οἱ δ' ἐν τῷ Νείλῳ ποταμῷ λάτοι τὸ μέγεθος εὑρίσκονται καὶ διακοσίας λίτρας ἔχοντες.

Nonne praestat Schw. correctio ἕλκοντες pro ἔχοντες? V. Schw. Animad. in Ath. Vol. III p. 326.

p. 314a: τοῦτο δὲ ποιῶν ἀναγκάσεις τὸ σοὶ δοκοῦν λαβεῖν αὐτόΝ.

Editor suspectum habens αὐτόΝ coniecit αὐτόΣ. Noli sollicitare. Cf. p. 603d: „διόπερ καὶ Δαρεῖος τοῦτο μαθὼν ηὔξατο τῷ Ἡλίῳ τὰς χεῖρας ἀνατείνας ἢ αὐτὸΝ βασιλεύειν ἢ Ἀλέξανδρον". V. Contus ἐν τῷ Ἕλληνι Φιλολόγῳ p. 68 etc. et ἐν τῇ Ἀθηνᾷ Vol. XIII p. 643—648.

p. 338e (Antiphan.): τὰς σηπίας δὸς πρῶτον Ἡράκλεις ἄναξ, ἅπαντα τεθολώκασιν. οὐ βαλεῖς πάλιν ἐς τὴν θάλατταν καὶ πλυνεῖς; μὴ Φῶσί σε Δωρίας, ἀλλ' οὐ σηπίας εἰληΦέναι.

Transponendum interrogativum: οὐ βαλεῖς πάλιν ἐς τὴν θάλατταν καὶ πλυνεῖς μὴ Φῶσί σε Δωριὰς ἀλλ' οὐ σηπίας εἰληΦέναι;

p. 394d (Aristot.): καὶ αἱ θήλειαι δ' ἀλλήλας ἀναβαίνουσιν, ὅταν ἄρρην μὴ παρῇ, κυνήσασαι.

K. adnotat: „κύσασαι C utrumque Arist. codices". Minime facio cum editoribus praeferentibus scripturam κυνήσασαι. V. Contus ἐν τῇ Ἀθηνᾷ Vol. XXV p. 130.

p. 400b: Ἡγήσανδρος δ' ὁ ΔελΦὸς ἐν ὑπομνήματι κατὰ τὴν Ἀντιγόνου τοῦ Γονατᾶ Φησι βασιλείαν τοσοῦτον πλῆθος γενέσθαι λαγῶν ἐν Ἀστυπαλαίᾳ, ὡς τοὺς Ἀστυπαλαιεῖς περὶ αὐτῶν μαντεύσασθαι καὶ τὴν ΠυθίΑΝ εἰπεῖν κύνας τρέΦειν καὶ κυνηγετεῖν.

Sine mora restituenda Cobeti emendatio „καὶ τὴν ΠυθίΑΝ ἈΝειπεῖν" ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ p. 507.

p. 406d: τοιούτων ἔτι πολλῶν λεγομένων ὁ Δημόκριτος ἔΦη· ἀλλὰ κἂν Φακῆς ἐάσατε ἡμᾶς μεταλαβεῖν ἢ αὐτῆς γε τῆς χύτρας, μὴ καὶ λίθοις τις ἡμῶν βεβλήCΕται.

Immo praestat βέβλΗται.

p. 410c: ὅταν δὲ τούτων τινὸς θίγῃς, εὐθὺς ἀποκαθαίρῃ τὴν χεῖρα εἰς τὰ χειρόμακτρα, ὡς πάνυ ἀχθόμενος ὅτι κατάπλεά σοι ἀπ' αὐτῶν ἐγένετο.

Sic omnes editores. Apud Xenophontem, unde haec Athenaeus sumsit, pro *κατάπλεα* legitur *πλέα*, cui, ut ratio postulat, omnes interpretes subintellegunt *ἡ χείρ*, non *τὰ χειρόμακτρα*. Equidem quamquam non semel Nostrum errasse scio, vix tamen credo eum in tam clara luce caecutisse. Uniuscuiusque corrigere est: *ὅτι καταπλέα σοι ἀπ' αὐτῶν ἐγένετο.*

p. 452a: *πολιορκούντων* Κ*ρῶμνον.*

Requiro apud Athenaeum Κ*ρῶμν*Α*ν*. Mox fertur *τοῖς ἐν τῇ* Κ*ρώμνῃ.*

p. 453d: *μεμελοπεποιημένοι* ut recentiores, contra p. 632d: *διὰ τὸ μεμελοποιηκέναι*, ut veteres.

p. 455e: *πεποίηται δὲ τῆς πτισάνης τοὔνομα ἀπὸ τοῦ πτίσσειν καὶ ἀνεῖν.*

K. adnotat „cf. Hes. s. v. *ἀνεῖν*". Hesychius scribit: *ἀνεῖν· ἀνακαθαίρειν. ἀναπαύειν. Οἱ δὲ ἀναπλεῖν κριθὰς βεβρεγμένας.*

Si quid mutandum, rectius scripseris *αἴνειν* pro *ἀνεῖν*: *πεποίηται δὲ τῆς πτισάνης τοὔνομα ἀπὸ τοῦ πτίσσειν καὶ αἴνειν*, id est *ἀπὸ τοῦ πτίσσειν ἤγουν αἴνειν*. Neque vero ignorandum apud Grammaticos et Scholiastas copulam *καί* pro *ἤγουν* poni. Cf. p. 63a: *Ἀττικοὶ δ' εἰσὶν οἱ λέγοντες ὅρμενον τὸν ἀπὸ τῆς κράμβης ἐξηνθηκότα. Σοφοκλῆς Ἰχνευταῖς κἀξορμενίζει κοὐκ ἐπισχολάζεται βλάστη. παρὰ τὸ ἐξορούειν καὶ βλαστάνειν.* p. 302b: *ὠνομάσθη δὲ θύννος ἀπὸ τοῦ θύειν [τε] καὶ ὁρμᾶν.* p. 401e: *προφέρεσθαι δὲ δίκαιόν ἐστιν ὑμᾶς σὺν τῷ Σ ἐτυμολογώτερον· παρὰ τὸ σεύεσθαι γὰρ καὶ ὁρμητικῶς ἔχειν τὸ ζῷον εἴρηται.* Ultima verba I. Meyer l.l. p. 35 sic corrigit: *παρὰ τὸ σεύεσθαι γὰρ διὰ τὸ ὁρμητικῶς ἔχειν.* Sed ex quibus dixi mutatione non opus est. De usu quo *καί* ponitur tanquam pro *ἤγουν*, *ἤτοι* v. Lehrsius *Die Pindarschol.* p. 21.

p. 499c: Kaibelius Musuri auctoritatem secutus edidit: *καθ' ὃν χρόνον ἐπεδήμησας ⟨ἐν⟩ Σάμῳ, Διαγόρα, πολλάκις οἶδά σε παραγινόμενον εἰς τοὺς ἐμοὺς πότους.* Equidem dubito. Cf. p. 138d: *Φασὶ δέ τινες καὶ ἄνδρα Συβαρίτην ἐπιδημήσαντα τῇ Σπάρτῃ.* p. 159d: *νεανίσκον φησί τινα ἐκ τῆς Ἰωνίας σφόδρα πλούσιον ἐπιδημῆσαι ταῖς Ἀθήναις.* p. 505d: *ὡς ἐπεδήμησε ταῖς Ἀθήναις.* Cum praepositione est p. 351a: *πυνθανόμενος δὲ ἐν Ἰλίῳ ἐπιδημεῖν αὐτόν.*

p. 508c: *οὐδ' ὣς διὰ ταῦτα θαυμαστέος ἐστίν.*

K. adnotat: „οὐδὲ διὰ ταῦτα E fort. recte". Me iudice expuncto interpretamento διὰ ταῦτα lege: οὐδ' ὡς θαυμαστέος ἐστίν.

p. 509e: μέχρι τούτων δὲ ἡμῖν πεπεραιώσθω καὶ ἥδε ἡ συναγωγή.

Herwerden *Mnemos.* 1876, p. 315 scribit: „Byzantinorum est περαιοῦν pro περαίνειν. Hic malim πεπεράνθω". Quod H. voluit est p. 588a: κἀμοὶ μὲν τὰ καλὰ τῶν ἑταιρῶν ἀποφθέγματα πεπεράνθω μέχρι τούτων. Sed rectius meus magister Contus ἐν ταῖς Γλωσσικαῖς Παρατηρήσεσι p. 391 docet scribens: Τὸ ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς τοῦ Ἀθηναίου „μέχρι τούτου ἡμῖν πεπεραιώσθω καὶ ἥδε ἡ συναγωγή" ἔτρεψεν ὁ Ἑρουερδὴν εἰς τὸ πεπεράνθω, ἀλλ' ἂν εἶνε ἀναγκαία ἡ μεταβολή, ἡμεῖς προκρίνομεν τὸ πεπερατώσθω. Τοῦ παρακειμένου πεπεράτωμαι ἔχομεν καὶ ἄλλα μαρτύρια καὶ τὸ τοῦ Ἀλεξανδρέως Πάππου· „καθ' ὃ δὲ πεπεράτωται ἑστώσης". Εὐκολώτατον δ' ἦτο νὰ μεταπέσῃ τὸ πεπεραΤώσθω εἰς τὸ πεπεραΙώσθω, παραγομένων μάλιστα τῶν βιβλιογράφων ὑπὸ τῆς ἐν τοῖς χρόνοις αὐτῶν κρατούσης συνηθείας, καθ' ἣν παρελαμβάνετο τὸ περαιῶ καὶ περαιοῦμαι ἀντὶ τοῦ περατῶ καὶ περατοῦμαι.

p. 514b: αὗται δὲ τὰς μὲν ἡμέρας κοιμῶνται, ἵνα νυκτὸς ἐγρηγορῶσι.

Malim ἐγρηγόρωσι.

p. 524b: πισσήρων τε μόρος καὶ δένδρεον αἰὲν Ἀθαλλές.

Vide quae sagacissime monuit meus magister Contus ἐν τῇ Ἀθηνᾷ Vol. I p. 554.

p. 533d: Πόσσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἑορτὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι καὶ Διονυσίῳ Χοοπότῃ θυσιάσαντα ΚΑΙ τὴν Χοῶν ἑορτὴν αὐτόθι καταδεῖξαι.

Ut Graeca sit oratio eliminandum καί: καὶ Διονυσίῳ Χοοπότῃ θυσιάσαντα τὴν Χοῶν ἑορτὴν αὐτόθι καταδεῖξαι.

p. 534c: ὑποδήματα παρηλλαγμένα ἐφόρει, ἃ ὑπ' αὐτοῦ Ἀλκιβιάδες καλεῖται.

Valde scriptura Ἀλκιβιάδες repugnat analogiae postulanti Ἀλκιβιαδίδες, ut Ἰφικρατίδες. Forma Ἀλκιβιάδες optimae grammaticae satisfactum esset, si ab Ἀλκιβίας nomine, non Ἀλκιβιάδης, esset derivatum, ut Δεινίας — Δεινιάς, Προυσίας — Προυσιάς. Cf. Ἀντι-

γονίς, Σελευκίς, Νεστορίς, Βερενικίς -ίδες. Recte igitur olim Meinekius scribendum esse Ἀλκιβιαδίδες monuit. Idem remedium loco Pollucis VII, 89 Cobetus praebet scribens *Nov. Lect.* p. 156: „ἀπὸ δὲ τῶν χρησαμένων Ἰφικρατίδες, Δεινιάδες, Ἀλκιβιάδες, Σμινδυρίδια, Μυννάκια. Emenda, sodes, Ἀλκιβιαδίδες, Σμινδυρίδεια, Μυννάκεια".

p. 546 d: δεικνύων καὶ τὸν θάνατον αὐτοῦ π α ρ' α ὐ τ α ῖ ς τ α ῖ ς ἐ π ι θ υ μ ί α ι ς τῆς μέθης γενόμενον.

K. corrigenti παρ' αὐτὰς τὰς ἐπιθυμίας non obsequor. Saepe apud seriores praepositio παρά cum dativo construitur, ubi accusativum expectaveris. Cf. p. 123 a.

p. 568 c (Alex.): τὰς ὀφρῦς πυρρὰς ἔχει τις· ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ. συμβέβηκεν εἶναι μέλαιναν· κατέπλασεν ψιμυθίῳ.

Leg. κ α τ έ π λ α σ α ν.

p. 573 c: ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν στρατείαν ἦγεν ὁ Πέρσης.

Scr. σ τ ρ α τ ι ά ν.

p. 576 a: οὗτος ὁ Νάνος (scr. Νᾶνος) ἐπιτελῶν γάμους τῆς θυγατρὸς κατὰ τύχην παραγενόμενον τὸν Εὔξεινον π α ρ α κ έ κ λ η κ ε ν ἐπὶ τὴν θοίνην.

Adnotat Kaibelius „potius παρεκάλεσεν". Non sollicitanda tradita scriptura. Nam saepe recentiores scriptores ponere solent perfectum pro aoristo. Cf. ib. p. 10 d: ἀλλ' ἐκεῖνος τῷ μὲν Μαχάονι μετ' ἀλφίτου καὶ τυροῦ δ έ δ ω κ ε τὸν οἶνον. p. 123 a: Ἱππόλοχος ὁ Μακεδὼν — τοῖς χρόνοις μὲν γέγονε κατὰ Λυγκέα καὶ Δοῦριν τοὺς Σαμίους. p. 245 e: λέγοντος δέ τινος τῷ Κορύδῳ ὡς τῆς αὐτοῦ γυναικὸς ἐνίοτε καὶ τὸν τράχηλον καὶ τοὺς τιτθοὺς καὶ τὸν ὀμφαλὸν φιλεῖ 'πονηρόν, ἔφη, 'τοῦτ' ἤδη· καὶ γὰρ ὁ Ἡρακλῆς ἀπὸ τῆς Ὀμφάλης ἐπὶ τὴν Ἥβην μ ε τ α β έ β η κ ε ν. P. 233 a (ex Eph. aut Demoph.) pro: καὶ διακληρουμένων ἡ μὲν σκυθρωπὴ οὖσα κατὰ τὸν βίον καὶ σεμνότητος πλήρης τὸν Ἐριφύλης ὅρμον, ἡ δὲ ὥρᾳ διαφέρουσα καὶ μάχλος οὖσα τὸν τῆς Ἑλένης ε ἴ λ η φ ε Wilamowitzius legit ἔλαχε, Marxius εἴληχε, quod praefero. V. Wagnerus in *edit. Apollod.* p. LXIII.

p. 585 e: Φρύνη συνδειπνοῦσά ποτε γράσωνι ἄρασα φορίνην· λαβέ, εἶπε, κ α ὶ τ α ῦ τ α τράγε.

Scripsit καὶ ταῦτα τράγε pro καὶ κατάτραγε Meinekius. Equidem malim κᾆτα τράγε.

p. 604 a: Εἰ γὰρ ὁ ζωγράφος χρώματι πορφυρέῳ ἐναλείψειε τουδὶ

τοῦ παιδὸς τὰς γνάθους, οὐκ ἂν ἔτι καλὸν φαίνοιτο. ΟΥ ΚΑΡΤΑ δεῖ τὸ καλὸν τῷ μὴ καλῷ φαινομένῳ εἰκάζειν ἄν. γελάσας δ' ἐπὶ τῷ Ἐρετριεῖ Σοφοκλῆς κέ.

Quid tandem sibi velit istud ΟΥ ΚΑΡΤΑ et quo modo cum praecedentibus cohaereat nemodum quod sciam probabiliter explanavit. Verti potest tradita lectio: NON MULTUM *oportet pulchro cum eo quod pulchrum videtur comparare.* Sed talis interpretatio abhorret a loci sententia, quae perspicua est: non IGITUR etc. Quare adhibe spretam medicinam οὐκ ΑΡΑ, ad quam Epitomatoris vestigia οὐ γάρ ducunt, addita etiam alia aliorum criticorum coniectura: οὐκ ἄρα δεῖ τὸ καλὸν τῷ μὴ καλῷ φαινομένῳ εἰκάζειν. ἀναγελάσας δ' etc. Neque dubito quin vitiosa scriptura etiam e sequente „κάρτα δοκέον τοῖς Ἕλλησιν εὖ εἰρῆσθαι" nata sit.

p. 604 c: κάρφος τῷ μικρῷ δακτύλῳ ἀφαιρετέοντα.

Inauditum, credo, hoc verbum est. Malo cum aliis ἀφαιρέοντα, id est βουλόμενον, πειρώμενον ἀφαιρεῖν.

p. 606 f: τούτῳ δὲ τῷ ἐλέφαντι συνετρέφετο θήλεια [ἐλέφας], ἣν Νίκαιον ἐκάλουν.

Non sollicitandum. V. infra p. 607 a: τὸ δ' αὐτὸ ἐποίει καὶ ὁ ἄρρην ἐλέφας.

In Phylarchi et in Chamaeleontis fragmentis apud Athenaeum p. 606 e et 611 b: edidit Kaibelius: ναυαγίᾳ χρησάμενος et ναυαγίῳ ἐχρήσατο.

In utroque loco, ut editio Dindorfiana docet, fertur non solum scriptura ναυαγίῳ sed etiam ναυαγίᾳ. Sed nihil opus est οἴνου παρόντος ὄξος ἐρασθῆναι πιεῖν. Recte Dindorfius et Meinekius et in altero loco ediderunt ναυαγίᾳ ἐχρήσατο.

p. 609 d: ἐξέδωκε δὲ καὶ Ἱππάρχῳ τῷ υἱεῖ τὴν παραβατήσασαν αὐτῷ γυναῖκα Φύην τὴν Σωκράτους θυγατέρα, καὶ Χάρμου τοῦ πολεμαρχήσαντος θυγατέρα ἔλαβεν Ἱππίᾳ περικαλλεστάτην οὖσαν τῷ μετ' αὐτὸν τυραννεύσαντι.

K. adnotat: „ἔλαβεν non verum, latet fort. nomen virginis velut Ἐλάτην". Crotone sanius ἔλαβεν est. Optime de patre dici potest λαμβάνω τῷ υἱῷ γυναῖκα, ut etiam hodierni Graeci παίρνω γιὰ aut 'ς τὸ γυιό μου γυναῖκα. Cf. Plut. Gorg. p. 512 b: καὶ τῷ υἱεῖ αὐτοῦ οὔτ' ἂν δοῦναι θυγατέρα ἐθέλοις, οὔτ' ἂν αὐτὸς τῷ σαυτοῦ λαβεῖν τὴν ἐκείνου et Menandr. Circumt. v. 334

(p. 74 v. L.): ἑτέρους ζητητέον ἐστὶν γάμους μοι· τῷ γὰρ υἱῷ λαμβάνω τὴν τοῦ Φιλίνου θυγατέρα.

p. 613 d: καίτοι γ' οἶδα καὶ Ἀνάχαρσιν τὸν Σκύθην ἐν συμποσίῳ γελωτοποιῶν ἀγέλαστον διαμείναντα, πιθήκου δ' ἐπεισαχθέντος γελάσαντα φάναι, ὡς οὗτος μὲν φύσει γελοῖός ἐστιν, ὁ δ' ἄνθρωπος ἐπιτηδεύσει.

Infinitivus φάναι unde pendeat non video. Expectabam participium φάντα.

p. 616 b: φήσας μόνῳ αὐτῷ λέγειν ὅπου κατωρύχοι τὸ χρυσίον.

Optime Meinekius et Dindorfius pro monstroso κατωρύχοι ediderunt e codicibus κατορωρύχοι.

p. 616 b: φιλοσκώπτης τις μέλλων ὑπὸ τοῦ δημίου σφάττεσθαι.

K. adnotat: „fort. φιλόσκωψ τις". Nullam video causam cur non praeferatur tradita scriptura.

p. 626 a: οὐ παραληπτέον δὲ τὴν μουσικήν, φησὶν Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης etc.

Kaibelio e Polybio scribenti οὐχ ἡγητέον δὲ non assentior. Fortasse de suo Athenaeus scripsit οὐκ ὑποληπτέον δέ etc.

p. 639 e: ἀπαγγεῖλαί τινα τῷ Πελασγῷ ἄνδρα — διότι ἐν τῇ Αἱμονίᾳ σεισμῶν μεγάλων γενομένων ῥαγείη τὰ Τέμπη ὄρη ὀνομαζόμενα καὶ διότι διὰ τοῦ διαστήματος ὁρμῆσαν τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ ἐμβάλλοι εἰς τὸ τοῦ Πηνειοῦ ῥεῖθρον.

Scrib. ἐμβάλοι pro ἐμβάλλοι.

p. 645 b: ἐστὶν δ' ἑφθὸν πύρινον, σταῖς σὺν μέλιτι.

Expunge punctum ante σταῖς, quod typothetae mendum est.

p. 646 f: μνημονεύει αὐτῶν καὶ Ἔφιππος ἐν Κύδωνι· πρόκειται τὸ μαρτύριον (p. 642 e).

Meus magister Contus ἐν τῇ Ἀθηνᾷ Vol. IV p. 289 pro τὸ μαρτύριον πρόκειται scripsit προέκκειται, cuius participium occurrit p. 105 c: κολύβδαιναν δ' εἴρηκεν Ἐπίχαρμος ἐν τοῖς προεκκειμένοις. De ἐκκεῖσθαι — προεκκεῖσθαι diligenter suo more meus magister disputavit in *Bull. de Corresp. Hell.* 1879, p. 275—280, cuius copiis addam Eustath. Comment. ad Hom. p. 673, 41 et p. 1181, 28: ὡς προέκκειται. Simplic. Comment. ad Arist. Vol. VII p. 165, 10: ἐν δὴ τούτοις τοῖς προεκκειμένοις πολλαχοῦ προϊσχόμενος.

Correctio mei magistri magis loco Athenaei convenit, sed

nullam πειθανάγκην ut mutemus traditam scripturam video. Inspice mecum usum Nostri scriptoris.

Apud Athenaeum non solum in hoc uno loco invenitur verbum προκεῖσθαι pro προεκκεῖσθαι, sed fere ubique, e. g. p. 241 e: ἦν δὲ καὶ ὁ Φιλόξενος τῶν παρασίτων, ὡς Ἀξιόνικος εἴρηκεν ἐν τῷ Χαλκιδικῷ· πρόκειται δὲ τὸ μαρτύριον (p. 239 f). p. 315 c: τὴν μέντοι ἐνικὴν (τοῦ ὀρφώς) εὐθεῖαν ὀξυτόνως προφέρονται Ἀττικοί. Ἄρχιππος Ἰχθύσιν, ὡς πρόκειται (p. 315 b). p. 319 c: Πέρκη· καὶ ταύτην Ἐπίχαρμος Ἥβας γάμῳ μέμνηται καὶ Σπεύσιππος ἐν β′ Ὁμοίων καὶ Νουμήνιος, ὧν τὰ μαρτύρια πρόκειται (p. 319 b). p. 327 c: ἐμνημόνευσε δ' αὐτοῦ καὶ Νουμήνιος ἐν τοῖς προκειμένοις (p. 327 b). p. 373 e: ὅτι δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ πληθυντικοῦ ὄρνις λέγουσι πρόκειται τὸ Μενάνδρειον μαρτύριον (p. 373 c). p. 397 e: καὶ ἀναγινώσκουσι μὲν οὕτως παρ' Εὐπόλιδι ἐν Ἀστρατεύτοις — πρόκειται δὲ τὸ μαρτύριον (p. 397 c). p. 410 b: χειρόμακτρον δὲ καλεῖται ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ὠμολίνῳ· ὅπερ ἐν τοῖς προκειμένοις (p. 409 c). p. 496 a: πέταχνον ποτήριον ἐκπέταλον, οὗ μνημονεύει Ἄλεξις ἐν Δρωπίδῃ· πρόκειται δὲ τὸ μαρτύριον (p. 125 f). p. 504 f: καὶ ὁ μέν, ὡς πρόκειται, παραιτεῖται πίνειν μεγάλοις ποτηρίοις (p. 504 d). p. 591 d: εἴρηκεν δὲ περὶ τοῦ πλούτου αὐτῆς Τιμοκλῆς ὁ κωμικὸς ἐν Νεαίρᾳ — πρόκειται δὲ τὸ μαρτύριον (p. 567 e). Similiter dixit Clemens Alex. Strom. II, 5, 8: Πλάτων δὲ βασιλέα τὸν σοφὸν εἴρηκεν ἐν τῷ Πολιτικῷ, καὶ πρόκειται ἡ λέξις (cap. IV, 2). Apoll. Alex. de Constr. p. 138, 4 Bekk.: ὥς γε ἐδείχθη κἀν τοῖς προκειμένοις ... et p. 138, 16: βραχὺς ἀρκέσει λόγος, ὥς γε καὶ πρόκειται.

Praeterea ut dictum est πρόκειται pro προέκκειται, sic etiam προεθέμην pro προεξεθέμην in Schol. Euripid. Vol. I p. 195, 8 Schw. τὴν δὲ ἱστορίαν ταύτην ἤδη προεθέμεθα ὅ τε Πέλοψ κέ. Sed p. 198, 25 fertur: τὸ χρυσόμαλλον ἀρνός· καὶ τοῦτο προεξεθέμεθα. Adnotandum etiam in Schol. Eurip. Vol. IV p. 21, 6 Dind. esse: δύναται τὸ λέγειν Ζηνὸς ὁρκίαν θέμιν βοηθῆσαι τοῖς προκειμένοις. In nova tamen editione Vol. II p. 155, 18 editum est τοῖς προεκκειμένοις e correctione Schwartzii.

Hinc colligas προκεῖσθαι pro προεκκεῖσθαι non solum in omnibus fere Athenaei locis occurrere, sed etiam apud alios recentiores scriptores. Quid faciendum? Mutare ubique πρόκειται in προέκκειται debemus an putandum praeter προέκκειται dici

etiam *πρόκειται*, ut *προείρηται*? Secundum rectum arbitror.

p. 669 d: *σὸν οὖν ἐστιν, ὦ μουσικώτατε, τὴν χιλιέτη μου ταύτην ζήτησιν ἀπολύσασθαι.*

Pro *ἀπολύσασθαι*, ut monuit Casaubonus, scribendum *ἐπιλύσασθαι*. Cf. p. 670 f: *ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ ἱερώτατος Πλάτων ἐν ἑβδόμῳ Νόμων πρόβλημά τι προβάλλει στεφανωτικόν, ὅπερ ἄξιόν ἐστιν ἐπιλύσασθαι.* V. Pezopullus *ἐν τῇ Ἀθηνᾷ* Vol. XVIII p. 221, qui similem errorem corrigit, et Lehrsius in *De Aristarch. Stud. Hom.* p. 200—1 et Contus *ἐν ταῖς Γλωσσ. Παρατ.* p. 438. Quorum copiis adde Eustath. Comment. ad Hom. p. 1926, 58: *ὁ ἐπιλυσάμενος τὸ ἀπορηθὲν ἐξέπινεν.*

Priusquam observationum mearum finem faciam, non abs re erit pauca orthographica vitia Kaibelianae editionis adiicere, ut in Panegyrico Conti p. 365—8 feci.

p. 25 d scr. *στέφανον περσέας* pro *περσαίας*. Eadem ratione p. 293 e *λυγέαν* pro *λυγαίαν*. V. Contus *ἐν τῇ Ἀθηνᾷ* Vol. III p. 563—567 et *ἐν τῷ Ἀθηναίῳ* Vol. V. p. 489.

p. 76 c scr. *λευκερίνεως* pro *λευκερινεώς*. V. Thesauri Vol. V p. 215 c et II p. 887 c.

p. 88 d scr. *μελικήραν* pro *μελίκηραν*, de quo cur Lobeckius dicat: „minus recte *μελικήρα* scribitur" nescio.

p. 93 b scr. *ζωογονοῦντος* pro *ζῳογονοῦντος*. Contra p. 129 c *ἀνασεσῳσμένων* pro *ἀνασεσωσμένων*. Pariter p. 447 e, 559 d.

ib. scr. *χοιρινῶν* pro *χοιρίνων* et contra p. 207 d et 224 c *διὰ κερκμίδων μολυβδίνων* et *ἐκ τῶν Ταρακίνων νήσων* pro *μολυβδινῶν* et *Ταρακινῶν*, cuius nominativus *Ταρακῖναι* apud Ptolemaeum Geogr. Narr. occurrit Vol. I. 336, 2. 350, 2. 356, 11.

p. 110 f et 330 b scr. secundum Arcadium p. 17 *γαλακτόχρωτας* et *γαλακτόχρωτα*. Similiter *τερενόχρωτες, ξανθόχρωτες, τακερόχρωτ' εἴδη, κηρόχρωτος* pro *τερενοχρῶτες, ξανθοχρῶτες* etc. p. 132 d, 325 e, 330 b, 449 b, 608 d. Cf. *αἰολόχρως, ἀλλόχρως, ἀλφιτόχρως* (Mnem. 1907, p. 263), *ἀνθεσίχρως, ἁπαλόχρως, ἀργόχρως, ἄχρως, βούχρως, γλυκερόχρως, δίχρως, ἐνερόχρως* (Cob. *Var. Lect.* p. 258. Mnem. 1901, p. 188. 1889, p. 18), *ἐρυθρόχρως, ἑτερόχρως, θαλασσόχρως, θρυψίχρως, ἰσχυρόχρως, κροκόχρως, κυανόχρως, λειόχρως, λεπτόχρως, λευκόχρως, λιπαρόχρως, μελάγχρως, μελανόχρως, μελέχρως* (v. Mayser in *Grammat. der Griech. Pap.* p. 296—7), *μολυβδόχρως, μονόχρως, νευρόχρως, οἰνόχρως, ὁμόχρως, πάγχρως,*

παρθενόχρως, πελαργόχρως, ποικιλόχρως, πολιόχρως, πολύχρως, πυρίχρως, πυρόχρως, πυρρόχρως (*Mnemos.* 1878, p. 11), *ῥοδόχρως, ταμεσίχρως, τρεψίχρως, τρίχρως, τρυφερόχρως, ὑπολευκόχρως, Φοινικόχρως, χιονόχρως*. Dictum est etiam adverbialiter *προσχρῶτα* et *συγχρῶτα* pro *πρόσχρωτα* et *σύγχρωτα*. Cf. Lobeck *Paral.* p. 255, Ritschel, *Thom. Mag.* p. 221, 232 et me Ποικ. Φιλ. Vol. I, p. 291.

p. 128d scr. *ἰσοπλατὴς ἄρτος* pro *ἰσόπλατυς*. G. Dindorfius scribit in Thesauro Vol. VI, p. 677b: „Ap. Athen. reperio etiam *ἰσόπλατυς*, initio I. 4 — ubi dicit *Ἄρτος ἑκάστῳ ἰσόπλατυς ἐδόθη*. Sed suspectior ea scriptura. *Ἰσόπλατυς* Casaubonus. Scribendum videtur *ἰσοπλατής*". Sola forma *ἰσοπλατής*, cuius neutrum *ἰσοπλατές* apud Archem. p. 209c occurrit, recte habet. Cf. *ἀνισοπλατής, ἀπλατής, ἑτεροπλατής, εὐπλατής*.

βαθύς — *βάθος*: *ἀβαθής, ἀγχιβαθής, ἀμετροβαθής, ἀπειροβαθής, ἰσοβαθής, μελαμβαθής, τηλεβαθής*.

βαρύς — *βάρος*: *ἀβαρής, ἑτεροβαρής, ἰσοβαρής, κεντροβαρής, Φλοιοβαρής, χειροβαρής*. De *γυιοβαρής, καρηβαρής, κεφαλοβαρής, οἰνοβαρής, τυπωτοβαρής* (I. G. XIV, 1780), *χαλκοβαρής* non convenit utrum sint *ὀνοματικά* an *ῥηματικά*. Quaerendum e. g. *οἰνοβαρής* sit *ὁ βάρος ὑπὸ τοῦ οἴνου ἔχων* an *ὁ οἴνῳ βεβαρημένος*. Cf. Hom. Od. *γ*, 139: *οἴνῳ βεβαρηότες* et *τ*, 122: *βεβαρηότα — οἴνῳ*.

Non erat tangendum Lucianeum Anach. § 24: *ἐπειδὰν πρότερον αὐτῶν γυμνὰ τὰ σώματα καταμαλάξαντες καὶ διαπονήσαντες ἐρρωμενέστερα καὶ ἀλκιμώτερα ἐξεργασώμεθα καὶ κοῦφα καὶ εὔτονα καὶ τὰ αὐτὰ βαρέα τοῖς ἀνταγωνισταῖς*, ubi Noster Zekides haerens frustra pro *τὰ αὐτὰ βαρέα* requirit *ταὐτοβαρέα*, id est eiusdem ponderis adversariis corporibus. Luce clarius est *κοῦφα* et *βαρέα* inter se opponi. Loci sensus est: munus gymnastae est corpora cum *κοῦφα* tum adversariis *βαρέα* efficere, ut e. g. in luctatione opus est. Cf. Philostr. de Gymnast. III: *ἔστι τοίνυν ἀγωνίας ξυμπάσης τὰ μὲν κοῦφα ταῦτα· στάδιον, δόλιχος, ὁπλίτης, ἅλμα· τὰ βαρύτερα δὲ παγκράτιον, πάλη, πύκται· πένταθλος δ' ἀμφοῖν ξυνηρμόσθη· παλαῖσαι μὲν γὰρ καὶ δισκεῦσαι βαρεῖς, τὸ δ' ἀκοντίσαι καὶ πηδῆσαι καὶ δραμεῖν κοῦφοί εἰσιν*. Cf. etiam XI, XV, XXXI, L, LV, LVII et Jüther in *Philostr. über Gymnast.* p. 192.

εὐρύς — εὖρος: ἰσοευρής.

ἡδύς — ἧδος: ἀηδής, θυμηδής, μελιηδής.

θρασύς — θράσος: ἀθαρσής, δοριθαρσής, κυνοθαρσής, λυκοθαρσής, μεγαθαρσής, πανθαρσής, πολυθαρσής. Cf. me *ἐν τοῖς Ποικίλοις Φιλολογικοῖς* Vol. I p. 253—5.

παχύς — πάχος: ἀνισοπαχής, γουνοπαχής, δουρατοπαχής, ἑτεροπαχής, εὐπαχής, ἰσοπαχής, κνημοπαχής, νευροπαχής.

ταχύς — τάχος: ἀνισοταχής, ἰσοταχής.

ὠκύς: ἀνεμώκης, ἱππώκης, ποδώκης, πτερυγώκης. Cf. Eustath. p. 340, 20, Lobeck. in *Phryn.* p. 537 et me *ἐν τῇ Ἀθηνᾷ* Vol. XXIV p. 242.

Remanet alterum vitium apud Nostrum nemini hucusque animadversum quod nullo negotio tolli poterit. In verbis Numenii p. 315 b pro *σκορπίον ἢ ὀρφὸν π ε ρ ι τ ρ η χ έ α* scribe accusativum more recentiorum [1]) *περιτρήχεα* et refer ad nominativum *περίτρηχυς*, non *περιτρηχύς — περιτραχής*, ut Lexica. Similiter ab Archestrato dictum est *ὑπότρηχυν* (Athen. p. 288 b). In Galeni scriptis Vol. XIX p. 72 et Dioscoridis Vol. I pp. 540, 574, 594, 611 circumferuntur formae *ὑποτραχύς, ὑποτραχέα, ὑποτραχέσι.* Sed satis est in his omnibus futilem librorum auctoritatem contemnere audere. Quid verum sit ratio et certa analogia patefaciet. Cf.

ἀμβλύς: ὕπαμβλυς.

βαθύς: πρόβαθυς (in Thesauro falso accentu *προβαθύς*). Apud Kumanuden Σ. Α. Λ. e deteriore scriptore memoratur adverbium *προβαθέστερον* quasi a *προβαθής* fictum.

βαρύς: ἀμφίβαρος (*ἀμφιβαρεῖς* pro recto *ἀμφιβάρεις* est in E. M. v. *ἀμφικέλεμνον*), *ὀξύβαρυς, περίβαρυς, ὑπέρβαρυς* (*ὑπέρβαρύ τι ἄχθος* Hippocr. Vol. II p. 174, 5 Teubn. *τὰν ὑπερβάρεα* (*τιμάν*) in recentiore Aeolica inscriptione Cauer *Delect. Inscript.* p. 156, 127, 15). Adiectivum *καταβαρής*, quod occurrit apud Dionem Cassium XXXIX, 42: *πλοῖα καταβαρῆ* LXXIV, 13: *καταβαρεῖς αὐτοὺς ἰδόντες* et apud Pollucem I, 103: *καταβαρεῖς εἶναι τὰς πλάστιγγας* I, 172: *νῆες καταβαρεῖς* cogitandum an verbale sit a *καταβαρύνομαι — καταβαροῦμαι* (V. Contus *ἐν τῷ Λογ. Ἑρμῇ* p. 634, 5): *καταβαρής = καταβεβαρημένος.* Similia

---

1) V. Contus *ἐν τῷ Σωκράτει* Vol. II p. 122.

verbalia plena manu Contus dabit ἐν τῇ 'Αθηνᾷ I p. 545 sqq. Quod autem attinet ad Aeschyleum ὑπερβαρὴς ἐμπέτνων (Agam. 1175) ἐπέχω.

βραχύς: ἀμφίβραχυς, δίβραχυς, μεσόβραχυς, ὁλόβραχυς, παραληγόβραχυς, πρόβραχυς, τρίβραχυς, ὑπέρβραχυς.

γλυκύς: ἐπίγλυκυς, ὀξύγλυκυς, ὑπόγλυκυς, φιλόγλυκυς. Formae ὀξυγλυκέως — ὀξυγλυκεῖ (Galen. Vol. XI p. 286; XVII, ι, p. 427) vitiatae sunt pro ὀξυγλύκεος — ὀξυγλύκει. De ἄγλυκυς — ἀγλυκέστερον pro ἀγλευκής — ἀγλευκέστερον v. Schneiderus in editione Theophrasti Vol. V p. 296.

δασύς: ἐπίδασυς, ὑπέρδασυς, ὑπόδασυς. Pro ὑποδασέα — ὑποδασέας scribe apud Dioscoridem ὑποδάσεα — ὑποδάσεας (Vol. I pp. 356, 361, 453).

δριμύς: ὑπέρδριμυς, ὑπόδριμυς.

ἡδύς: (ὑπέρηδυς).

ἥμισυς: ὑπερήμισυς.

θῆλυς: ἄθηλυς, ἀνδρόθηλυς, ἀρρενόθηλυς — ἀρσενόθηλυς, ἡμίθηλυς, μειξόθηλυς, πάνθηλυς, φιλόθηλυς. Apud Nonnum Dion. XLVIII, 365 scribendum: ἤνιδε μαζοὺς ὄμφακας οἰδαίνοντας ἀθηλέας ab ἀθηλής, non, ut in Teubneriana editione Vol. II p. 350 fertur, ἀθήλεας ab ἄθηλυς. V. Contus ἐν τῇ 'Αθηνᾷ Vol. I p. 556.

ὀξύς: ἄποξυς, κάτοξυς, πάροξυς, σύνοξυς, ὕποξυς, ψεύδοξυς. Falso accentu κατοξέα apud Galenum scribitur Vol. IX p. 387 pro κατόξεα.

παχύς: ὑπέρπαχυς, ὑπόπαχυς.

πλατύς: ἐπίπλατυς, ὑπόπλατυς. Pro ὑποπλατεῖς (Galen. Vol. IV, 596) et ἐπιπλατεῖς (Theophr. H. Pl. VIII, 5, 9) scribendum ὑποπλάτεις et ἐπιπλάτεις.

πολύς: πάμπολυς, ὑπέρπολυς.

Choeroboscus scribit p. 62, 31 Gaisf.: Τὰ εἰς ΥΣ σύνθετα, εἰ μὲν ἀπὸ ἁπλοῦ εἰς ΥΣ ληγόντων εἰσὶ συντεθειμένα, τὴν τῶν ἁπλῶν φυλάττουσι κλίσιν, οἷον βραχύς βραχέος, τρίβραχυς τριβράχεος, πῆχυς πήχεως, δίπηχυς διπήχεος, θῆλυς θήλεος, ἀρσενόθηλυς ἀρσενοθήλεος, ἰχθύς ἰχθύος, κάλλιχθυς καλλίχθυος, ὀφρύς ὀφρύος, λεύκοφρυς λευκόφρυος· εἰ δὲ ἀπὸ ἄλλων τινῶν εἰσι συντεθειμένα, διὰ τοῦ ΔΟΣ κλίνονται, οἷον ἔπηλυς ἐπήλυδος, νέηλυς νεήλυδος κτέ. Cf. p. 233, 11. V. etiam Lobeckius in Phryn. p. 533—541 et Contus ἐν τῇ 'Αθηνᾷ Vol. XIX p. 523 sqq.

p. 139a et alibi scr. τίτθαι (V. 'Αθηνᾶ, Vol. XIII p. 524, 628).

p. 149a et 409d scr. ἀπομαγδαλιάν pro ἀπομαγδαλίαν.

p. 170d scr. εἰς ὅ τι.

p. 242f scr. Φρῖξος. p. 256a: Γεργῖνοι. p. 297c: σπίλον. p. 489a et 492a: Θρᾷξ. p. 516e: πύον. p. 576a: Νᾶνος. p. 576e: Λᾶγον (V. Cobet ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ p. 286). p. 620b: 'Οδύσσεια. p. 641d: νίψαι.

p. 282b edidit K. ἐκτεθῆσθαι. Sed p. 89b παρατεθειμένοις et p. 288d παρατέθεικε.

p. 293a scr. Μαρωνείτης, ut alibi.

p. 297b scr. δύσπειστοι pro δύσπιστοι. Cf. ἄπειστος (Hyperid. contra Demosth. XIV), ἀμετάπειστος, εὐμετάπειστος, εὐανάπειστος.

p. 306a et 385c scr. ὠγαθή et ὠγαθέ (V. 'Αθηνᾶ, Vol. XIII p. 513).

p. 322f scr. ἀτταγῖνον pro ἀτταγεινόν.

p. 390f edidit K. περίθοιτο. Contra p. 488a περιθοῖτο (V. Voemelius in *Demosth. Cont.* p. 69).

p. 397f scr. λιπόνεως pro λειπόνεως (V. Cobet ἐν τῷ Λογίῳ Ἑρμῇ p. 216).

p. 447a scr. λάλλαζε duplici λ pro λάλαζε (V. Cobet in *Mnemos.* 1875 p. 336).

p. 477e scr. συνεστιαθέντος pro συνεστιαΣθέντος, ut recte scribitur συνεστιαθέντα p. 138d. Quaerendum autem an non κολουθέντων pro κολουΣθέντων scribendum sit p. 69b. V. Rutherford in *The New Phryn.* p. 99 et Herwerdenus in *Mnem.* 1906 p. 425.

p. 492f. Pro παρεστήκεσαν recipienda genuina codicis C lectio παρειστήκεσαν. Cf. ἐφειστήκεσαν et περιειστήκεσαν (p. 202b et 560e). Praeterea pro παραπεπήγεσαν et ἐκπεπτώκει (p. 202b et 560e) legit K. παρεπεπήγεσαν et ἐξεπεπτώκει. Contra p. 529b, 624d, 677e προπεπόμφει, προσαναπεπληρώκει et καταβεβλήκει intacta reliquit. Eadem prorsus confusio animadvertitur in augmento verborum ἀναλίσκειν et καταναλίσκειν. Sic habes ἀνήλισκε(ν) p. 146c, 229d, 532c, ἀνήλισκον p. 275b, κατανηλωκυιῶν p. 96e et κατανηλωμένων p. 655c,d. Contra προκατανάλισκε p. 214d, παραναλωμένων p. 292f, ἐξαναλώθησαν p. 520c. Semper autem in Atticis inscriptionibus augeri verba ἀναλίσκειν — προαναλίσκειν — προσαναλίσκειν notum est. Equidem et verbi καταναλίσκειν

exemplum e recentiore Attica inscriptione apponam: *καταvηλωκέναι* (C. I. A. II, v, 4322).

pp. 508e, 517 scr. *ἑταιρείαν* et *ἑταιρείας* (V. Ἀθηνᾶ Vol. XIII p. 578—80).

p. 520e, f scr. in ionico sermone *ἐπρήθη, ἀποδεχθείς, ἀπικομένη* pro *ἐπράθη, ἀποδειχθείς, ἀφικομένη*.

p. 559b scr. Εὔβουλος ἐν ΧρυσίλλΗ pro ἐν ΧρυσίλλΑ. V. Contus *ἐν ταῖς Γλωσσικαῖς Παρατηρήσεσι* p. 61 sqq. et Ἀθηνᾶ, Vol. XIII p. 525—6. Contra p. 560f scr. *παρὰ* Κύννᾳ pro Κύννῃ. V. Cobet in *Mnemos.* 1875, p. 321.

pp. 585e, 641d scr. *κριμνάμεναι — κρίμνανται*. Cf. me in Panegyrico Conti p. 358. V. etiam *Mnemos.* 1877, p. 219; 1881, p. 70; 1906, p. 49.

In Fabulas Aesopicas.

Fab. 107 (p. 54 Halm.): *ἐπεὶ δὲ πάντα ἐκφορήσας (τὰ σκεύη ὁ ἰατρὸς) κἀκείνην ἐθεράπευσεν, ἀπῄτει τὸν συνταχθέντα μισθόν. Μὴ βουλομένης δ' αὐτῆς ἐ π ι δ ο ῦ ν α ι, ἤγαγεν αὐτὴν εἰς τὸν ἄρχοντα.*

Quod diductis litteris notavi mutandum in *ἀ π ο δ ο ῦ ν α ι*.

Fab. 237 (p. 144): *παραγενομένων δ' αὐτῶν (τῶν λαγωῶν) ἐπί τινα κρημνόν, ᾧ λίμνη ἐ π έ κ ε ι τ ο, ἐνταῦθα βάτραχοι ἀκούσαντες τῆς ποδοψοφίας ἑαυτοὺς εἰς τὰ βάθη τῆς λίμνης ἐδίδοσαν.*

Pro *ἐπέκειτο* sensus postulat: *ᾧ λίμνη ὑπέκειτο*. Nostrum est ubicumque praepositiones *ὑπο, ἀπο, ἐπι* pro arbitrio reponere.

Fab. 264 (p. 129): *ἡ δὲ συκάμινος ἔφη· ἀλλ' ἔγωγε οὐκ ἄχθομαι πρὸς τὸν σὸν θάνατον ὑπηρετοῦσα· καὶ γὰρ ὃν αὐτὸς φόνον κατειργάσω, τοῦτον εἰς ἐμὲ ἐ ξ α ι μ ά τ ω σ α ς.*

Ad corrigendum illud monstrosum *ἐξαιμάτωσας*, quod quasi aenigma suum Oedipum expectat, nihil auxili praebent codices. Cum autem manifesto loci sententia flagitet quod *transferre* vel *derivare* significat, solutionem aenigmatis mecum inspice. Si pro *ἐξαιμάτωσας*, quod idem valet *ἐξαίμαξας* scripseris, eiusque secundam per E protuleris, lux affulgebit: *τοῦτον εἰς ἐμὲ ἐ ξ έ μ α ξ α ς*, id est *ἀπεσπόγγισας, ἀπέδωκας*. Sic et rei imago

servatur et veram me iudice lectionem habes. Confusionis exemplum dabo. In Sophoclis Elect. vs. 446 pro κηλῖδας ἐξέμαξεν fertur et vitiosa scriptura ἐ ξ α ί μ α ξ ε ν. Contrariam corruptelam odoror in Progymn. Nicephori I (Rhet. Graec. Waltz Vol. I p. 487, 26): τί μοι τοιοῦτον ἐπλέξατο στέφανον, ὡς ἐκ ῥόδων στίλβοντα καὶ ὡς ἐξ ἀκανθῶν ἐ κ μ ά σ σ ο ν τ α· ὅλην προβέβληται αἱμασιάν, ἡλίκα περιφρίσσει τὰ κέντρα, ubi sine dubio scribendum αἱ μ ά σ σ ο ν τ α. Denique et pro ὅ λ η ν lege ὅ σ η ν. Ceterum neque hoc ignorandum quod apud Pollucem legitur I, 214: τῷ κέντρῳ ἐξαιμάΣΣειν in Cyr. Const. VII, I, 29 ferri: ἰσχυρῶς ἐξαιμάττων τῷ κέντρῳ, ubi et varia lectio est ἐξαιματῶν.

Ad Aelianum.

Var. Hist. I, 21: καθεύδοντι δὲ ἑσμὸς μελιττῶν Ὑμηττίου μέλιτος ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ καθίσασαι ὑπῇδον τὴν τοῦ Πλάτωνος εὐγλωττίαν μαντευόμεναι ἐντεῦθεν.

Non assentior Herchero delenti verba Ὑμηττίου μέλιτος. Equidem malim pro καθίσασαι scriptum esse καθεῖσαι. Confundi autem καθεῖσα et καθίσασα Cobetus in Nov. Lect. p. 645 docet. Quod ad rem pertinet cf. ib. XII, 45: Πλάτωνος δὲ (Φρύγιοι ᾄδουσι λόγοι) μελίττας ἐς τὸ στόμα κηρίον ἐργάζεσθαι. καὶ Πινδάρῳ τῆς πατρῴας οἰκίας ἐκτεθέντι μέλιτται τροφοὶ ἐγένοντο, ὑπὲρ τοῦ γάλακτος παρατιθεῖσαι μέλι" et Olympiodor. Vit. Plat. I: κειμένου αὐτοῦ μέλιτται προσελθοῦσαι πεπληρώκασιν αὐτοῦ τὸ στόμα κηρίων μέλιτος.

Ib. V, 2: ἵδρου ἱδρῶτα θερμὸν ἰξώδη ὅμοιον ὡ ς μύξαις.

Fortasse ὁμοιόν πως μύξαις.

In Scholia Lucianea.

In novissima Rabiana editione p. 11, 6 fertur: ἀλλ' εὖ ἴσθι, ὡς οὐδεὶς στοιχήσει ταύτῃ τῇ θέσει σου, καὶ εἰ μάλα Φρενήρης.

Pro Φρενήρης Rabe propter ἄγνοιαν usus recentiorum, apud quos Φρενήρης idem quod παράφρων vel ἐμμανής significat, ΦρενΗτης coniicit. V. quae Contus diligenter ἐν ταῖς Γλωσσικαῖς Παρατηρήσεσι p. 37 tractavit. Est etiam in Lex. Photii p. 68, 12 Reitz.: ἀκρομανής· ὁ Φρενήρης.

p. 57, 1: Σκαμβωνίδης τὸν δῆμον.

Lege τῶν δήμων. V. Contus ἐν τῇ 'Αθηνᾷ Vol. IV p. 137—161. I, p. 537. XIII, p. 591—93.

In Platonis Protag. p. 341 e.

Locus paulo pluribus describendus, ut certius lectori constet logica Platonicorum verborum ratio: 'Επεὶ ὅτι γε Σιμωνίδης οὐ λέγει τὸ χαλεπὸν κακόν, μέγα τεκμήριόν ἐστιν εὐθὺς τὸ μετὰ τοῦτο ῥῆμα· λέγει γὰρ ὅτι θεὸς ἂν μόνος τοῦτ' ἔχοι γέρας, ΟΥ δήπου τοῦτό γε λέγων, κακὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, εἶτα τὸν θεόν φησι μόνον τοῦτ' ἂν ἔχειν καὶ τῷ θεῷ τοῦτο γέρας ἀπένειμε μόνῳ· ἀκόλαστον γὰρ ἄν τινα λέγοι Σιμωνίδην Πρόδικος καὶ οὐδαμῶς Κεῖον.

Kroschelius haerens in vocabulo εἶτα scribendum esse pro eo εἴπερ vel εἴγε censet. Sed interprete hic locus magis indigere videtur quam medico. Difficultas non in εἶτα sed in praecedente negatione ΟΥ extat, quae ad universum locum κατά τι τάχος λόγου referenda est. Nam saepe negatio ΟΥ vel bipartitam orationem negat particulis ΜΕΝ et ΔΕ [1]) ligatam, ut in celebrato loco Demosthenis *de Corona* p. 288, 179: ΟΥΚ εἶπον μὲν ταῦτ' οὐκ ἔγραψα δέ, οὐδ' ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ, οὐδ' ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους vel participium et verbum, ut in praeposito Platonis loco. Quae si ita sunt, vertam: *dicit enim: deus solus id habet munus, scilicet non potest verum esse, opinor,* (= οὐ γὰρ δήπου), *cum hoc intelligat, malum probum esse, deinde deum ponere solum hoc habere et deo id muneris impertisse soli.* Simillimus locus est in Apologia p. 20c: ΟΥ γὰρ δήπου σοῦ γε οὐδὲν τῶν ἄλλων περιττότερον πραγματευομένου, ἔπειτα τοσαύτη φήμη τε καὶ λόγος γέγονε, quem inepto παραδιορθώματι noster Zekides corrumpit in editione sua p. 89 scribendo: οὐ γὰρ ⟨ἂν⟩ δήπου σοῦ γε — λόγος ἐγεγόνειν.

Ad Lucianum.

De Somn. c. 2: δύναται γὰρ καὶ τοῦτο φύσεώς γε, ὡς οἶσθα, τυχὼν δεξιᾶς.

Fortasse scr. δύναιτο γὰρ ἂν καὶ τοῦτο κέ.

---

1) V. Cobet, *Mnemos.* 1877, p. 83—84 et 1876, p. 82—83.

c. 4: *συνεχὲς ἀναλύζων καὶ δακρύων τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπόπλεως, καὶ διηγοῦμAI τὴν σκυτάλην καὶ τοὺς μώλωπας ἐδείκνυON.*

Praestat *δακρύΩN* ˋΩN *τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπόπλεως, καὶ διηγού*μHN *τὴν σκυτάλην κἑ.*

ib. *ἐπεὶ νὺξ ἐπῆλθε, κατέδαρθον ἔτι ἔνδακρυς, καὶ τὴν νύχθ' ὅλην ἐννοῶν.*

Mihi magis arridet *καὶ τὴν νύχθ' ὅλ*HN ˋHN *ἐννοῶν* vel *ἐνενόουν*. In Alex. s. Pseud. § 11 pro *ἀφ' οὗ ἑαυτὸν ἐγενεαλόγει μητρόθεν* Dindorfius scripsit e cod. Vat. *ἀφ' οὗ ἑαυτὸν γενεαλογῶν ἦν μητρόθεν.*

c. 7: *ἐγώ, φίλε παῖ, Ἑρμογλυφικὴ τέχνη εἰμί — οἰκεία τε καὶ συγγενὴς οἴκοθεν.*

Erat, credo, lacuna *** ΘEN, quam sciolus nescio quis ἔναυλον ἔχων praecedens adiectivum *οἰκεία* imperite voce *οἴκοθεν* explevit. Fritzschius collato Tox. § 51: *ἐγὼ δὲ Ἀλανός τέ εἰμι καὶ τῇ παιδὶ ταύτῃ συγγενὴς μητρόθεν* etiam h. l. idem restituit. Equidem Lucianum dedisse arbitror: *οἰκεία τε καὶ συγγενὴς* ˋANΩΘ*εν*. Exempla dabit Thesaurus Vol. I, II, p. 1072 B. V. etiam Ahrensius in Teubneriana editione Theocriti p. IV.

ib. *οὐδὲ ἐπὶ λόγοις ἐπαινέσονταί σε πάντες.*

Post *λόγοις* fortasse deest vocabulum: *οὐδὲ ἐπὶ λόγοις* MONON *κἑ.* Cobetus in *Mnemos.* 1875, p. 437 scribit: (Demosth. p. 48, 17) *ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσατε, ἵνα μὴ* MONON *ἐν τοῖς ψηφίσμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ.* Corrupit omnia qui frigidissime addidit: *ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις.* Sed tradita Lucianea lectio Sophocleo loco Antig. 543: *λόγοις δ' ἐγὼ φιλοῦσαν οὐ στέργω φίλην* defensa sit.

c. 14: *ὅτι πληγὰς οὐκ ὀλίγας εὐθὺς ἀρχομένῳ μοι χθὲς ἐνετρίψατο.*

Vox *χθές* pro *τῇ προτεραίᾳ* non convenienter habet. Mihi in *χθές* latere *ὁ θεῖος* videtur.

c. 16: *καί τι καὶ ὑπέμνησεν, οἷα μικροῦ δεῖν περὶ ἐμοῦ ἐβουλεύσατο.*

Verba *μικροῦ δεῖν* h. l. sensu cassa mihi videntur. Litera finali *οἷ*A iterata lux affulgebit: *οἷ*A Ā = *πρὸ μικροῦ* [*δεῖν*] *ἐβουλεύσατο.* Deinde, ut fit, error errorem peperit et *δεῖν* est a correctore interpolatum.

AD PHILUMENUM.

p. 13, 17 Wellm. scr. δραχμιαῖοι. Recte p. 21, 9 δραχμιαίους.

p. 14, 19: πρὸς δὲ τὸ κατᾶξαι ἔμμηνα ἀπὸ βαλανείου δίδου μετ' οἰνομέλιτος θερμοῦ.

Quid κατᾶξαι τὰ ἔμμηνα ab κατάγνυμι significet non intellego. Aelius Promotius, ut editor notat, scribit: ἄγει δὲ καὶ ἔμμηνα ἐν λουτρῷ ποθεῖσα, unde crederes corrigendum esse: πρὸς δὲ τὸ κατάξαι ab κατάγειν.

p. 17, 19: συκῆς ὀπὸς εἰς τὸ πλῆγμα ἐνσαχθείς.

Pro ἐνσαχθεὶς ab ἐνσάττομαι praestat codicis D lectio ἐνσταχθείς ab ἐνστάζομαι. Cf. p. 15, 27: συκῆς ὀπὸς ἐνσταζόμενος τοῖς δήγμασιν et p. 40, 17: συκῆς ὀποῦ σταλαγμοὺς τέσσαρας ἢ πέντε — πότιζε.

p. 24, 25: ἐχΕοδήκτους et sic passim. Nisi forte putas leges Graeci sermonis non valere apud Phil. scripsisse putandum est ἐχΙοδήκτους pro ἐχΕοδήκτους.

p. 28, 25 scr. λιποθυμία pro λειποθυμία.

p. 27, 21: ἀπὸ τῶν τρήσεων τοῦ δήγματος et p. 29, 23: συμβαίνει δὲ τοῖς ὑπὸ τούτου δηχθεῖσιν ἀπὸ μὲν τῶν τρήσεων ἐμφανῶν οὐσῶν αἷμα ἐκκρίνεσθαι καὶ μετ' ὀλίγον ἰχῶρα δυσώδη.

Emenda τρΩσεων pro τρΗσεων. Cf. p. 28, 23: συμβαίνει δὲ τοῖς πεπληγμένοις ἔμετος καὶ ἰχῶρος ἔκκρισις ἀπὸ τῆς τρώσεως, καὶ οἴδημα γίγνεται, μετ' ὀλίγον δὲ καὶ πάλιν ἰχωρροεῖ et p. 36, 12: τοῖς οὖν ὑπ' αὐτῆς δηχθεῖσιν αἱ τρώσεις ἐμφανεῖς γίγνονται — τεσσάρων γὰρ στοίχων τρώσεις ὁραθήσονται — αἷμά τε ἐκκρίνεται πρῶτον καθαρόν, μετ' ὀλίγον δὲ ἰχωρῶδες et p. 39, 20: τοῖς δὲ ὑπὸ τῆς τρυγόνος θαλασσίας πληγεῖσι συμβαίνει μὲν προφανῆ εἶναι τὴν τρῶσιν, ἄλγημα δὲ etc.

p. 37, 8 scr. σιδία pro σίδια.

IN AETIUM.

Serm. XII, p. 9, 10. Addito articulo legendum: τέμνειν δὲ τὴν ἔνδον φλέβα ⟨τὴν⟩ παρ' αὐτὸ τὸ σφυρόν. Cf. supra l. 5: πρῶτον μὲν τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα τεμνόντων ἡμῶν, ἔπειτα δὲ τὴν παρὰ τὰ σφυρὰ ἢ τὴν ἰγνύαν. Eandem medelam adhibe p. 18, 10:

παρεθέμεθα δὲ καὶ ⟨τὰ⟩ περὶ διακαύσεως εἰς τὸ μὴ ἀγνοεῖσθαι et mox l. 19: πυρίαι αἱ δι' ἐλαίου καὶ αἱ διὰ τῆς Φρυκτῆς κέγχρου, ἔτι δὲ μᾶλλον ⟨αἳ δι'⟩ ἁλῶν ἐν μαρσίποις et p. 46, 10: χρὴ δὲ ⟨τὴν⟩ κατ' εὐθεῖαν τοῦ ῥευματιζομένου σκέλους Φλέβα τεμεῖν. Cf. infra l. 20: ἐφ' οὗ σαφῶς ἔγνων ἡλίκην δύναμιν ἔχει τὸ τὴν κατ' εὐθεῖαν τοῦ πάσχοντος μορίου τέμνειν Φλέβα.

ib. p. 10, 1: ἐάν τις πρὶν κενῶσαι τὸ πᾶν σῶμα Φαρμάκοις δριμέσι χρήσηται κατὰ τοῦ πεπονθότος μορίου, δυσιατοτάτην ἐργάΖεται τὴν διάθεσιν.

Praestat ἐργάΣεται, quod codd. ΞΟ et Galenus praebent.

p. 12, 15: ῥητέον δὲ καὶ τὴν λοιπὴν ἐπιμέλειαν διὰ τὸ ἔσθ' ὅτε ἀνάγκην τῆς χρήσεως γΕνέσθαι.

Praesente γΙνεσθαι, non aoristo opus esse arbitror. Eodem modo peccatum est p. 22, 3.

p. 14, 3: ἐπὶ δὲ τῶν μὴ ΚΑΤΑΔεχομένων καταπίνειν τὰ σφαιρία δίδου τὸ ἀπόβρεγμα τῆς κολοκυνθίδος et p. 54, 17: θεραπεία ἐπὶ τῶν μὴ ΚΑΤΑΔεχομένων Φλεβοτομεῖσθαι ἢ καθαίρεσθαι.

Requiro ΑΝεχομένων pro ΚΑΤΑΔεχομένων. Cf. p. 54, 20: ὡς μηδὲ τοὔνομα τῆς Φλεβοτομίας ἢ καθάρσεως ἀκούειν ἀνέχεσθαι. Consimile corruptelae genus pessumdedit Galenum, Vol. XI p. 215, ubi pro ΑΝΑΔέχεσθαι recte meus magister Contus ἐν τῷ 'Αθηναίῳ Vol. V p. 496 scribendum esse ἀνέχεσθαι dicit.

p. 22, 16: ἄλλο. 'Ασκληπιάδου ἰσχιαδικοῖς.

Transpone interpunctum: ἄλλο 'Ασκληπιάδου. ἰσχιαδικοῖς κἑ. Cf. p. 23, 7. 25, 8. 26, 7.

p. 27, 15: προκάθαιρε δὲ αὐτοὺς ὀπῷ τιθυμάλλου.

Requiro τοὺς τόπους.

p. 32, 2 lege: τὰ πολλὰ δὲ ἀπὸ τῶν προγόνων ἐπιτηδειότητες εἰς τὰ ἔΚγονα μεθίστανται pro ἔΓγονα.

p. 35, 5 scr. πΩρώδεις τε καὶ λιθώδεις pro πορώδεις.

p. 36, 3 ἀλλά ΤΕ καὶ ἀσαρκότερα τὰ μόρια ταῦτα.

Vix opus est dicere cur placeat ἀλλά ΓΕ καὶ ἀσαρκότερα κἑ. Saepe in libris utrumque vocabulum confundi constat.

p. 52, 16: κελεύσας οὖν αὐτόν, ἀποπλύναντα τὸ ἐπιχρισθὲν ὕδατι θερμῷ, καταπλασθῆναι καταπλάσματι δι' ὑδαροῦς μελικράτου συντΕθέντα καὶ ἐλαίου γλυκυτάτου βραχέος κἑ.

Cod. Z praebet συντΙθέντΙ. Perspicuum est συντΙθέντα requiri.

p. 67, 17: *χρήσιμον οὖν ἐστι τῇ προκειμένῃ διαθέσει, μετὰ τὸ παύσασθαι τὰς ὀδύνας προσαγόμενον ἢ καὶ μ ε τ ρ ί* AC *ο ὖ σ* AC.

Malim *ἢ καὶ μετρί*ΩN *οὖσ*ΩN.

p. 68, 12: *καὶ ἄλλο Φάρμακον χρήσιμον ὑπάρχον ἅπασι τοῖς ποδαγρικοῖς ἔν τε ταῖς παρακμαῖς τῶν Φλεγμονῶν καὶ μετὰ ταύτας ἐστίν, ὅπερ ἐπιγράΦουσιν Αἰγύπτιον, δι' οἰσυπηρῶν ἐρίων καιομένων σκευαζομέν*H.

Corrig. *σκευαζόμεν*ON.

p. 70, 7: *μίγνυνται δὲ καὶ τῷ διὰ τοῦ κρόκου προγεγραμμένῳ Φαρμάκῳ καὶ τῷ διὰ τῶν μεταλλικῶν, ὀλίγον μὲν τῶν τροχίσκων προσπλέκοντ*ЄC, *πλείονι δὲ τῷ Φαρμάκῳ κἑ.*

Quam contorta est haec verborum compositio. Legendum *ὀλίγον μὲν τῶν τροχίσκων π ρ ο σ π λ ε κ ό ν τ* ΩN.

p. 129, 12: *ἀΦροδίσια ἀπεχέσθω.*

Malim codd. OZ lectionem *ἀΦροδισίων.*

p. 131, 1: *παρέπεται δὲ τοῦτο τὸ ἄλγημα σΦοδρότερον περὶ τὰ νεῦρα καὶ ἄρθρα διὰ προΦαν*OΥC *αἰτίας.*

Vel puer corrigat *διὰ προΦαν*ЄIC *αἰτίας.*

Orthographica menda. Scr. 24, 5: *Φοινῖσσον.* 36, 12: *χαλκίοις.* 60, 3: *σιδία.* 64, 11: *ἀκινδυνότερα.* 81, 17: *λεπτῦνον.* 95, 5: *σχίνου.* 108, 16: *πλάκιον.*

XIII, p. 283 (Athen. XVIII): *πρὸς δυσαΧθῆ κάκωσιν τῶν ἐντυγχανόντων.*

Recipienda codd. VWB lectio *δυσαΛθῆ.* Cf. XV, 65, 17. 69, 9. 92, 21. 112, 8.

XV, p. 10, 3: *πρὸ πάντων δὲ Φυλάττεσθαι προσήκει μήτε ψυχρὰν τὴν ἐμβροχὴν προσΦέρειν μήτ' ἐπὶ πλείονα χρόνον ἐπικειμένην ἐᾶν καὶ καταψύχεσθαι.*

Copula *καί* expuncta lege: *μήτ' ἐπὶ πλείονα χρόνον ἐπικειμένην ἐᾶν καταψύχεσθαι.*

Ib. p. 18, 2: *παρὰ δὲ τὴν Φύσιν, αἱ μὲν ἥμεροι [χοιράδες], αἱ δὲ κακοήθεις. Αἱ μὲν οὖν ἥμεροι χ ο ι ρ ά δ ε ς κἑ.*

Resecto emblemate res optime habet.

p. 42, 9: *εἶτα μεταβαλὼν εἰς θυίαν.*

Num *μετ*ЄM*βαλὼν εἰς θυεῖαν?*

p. 129, 10: *ποιεῖ πρὸς τοὺς ἐν δικαστηρίῳ μαστιγωθέντας καὶ ξ ε σ θ έ ν τ α ς.*

Malim *ξανθέντας.*

p. 130, 13: *καὶ χρῶ ὡς* ΜЄΓ*ίστῳ Φαρμάκῳ.*

Scr. *ὡς* ΚΑΛΛ*ίστῳ Φαρμάκῳ.*

p. 135, 14: *καὶ ἐφ' ὧν βούλει ἐπὶ τὴν ἐπιφάνειαν τὰς ὕλας* ΠΡΟC*καλέσασθαι.*

Leg. ΠΡΟ*καλέσασθαι.* Cf. quae meus amicus Pezopullus *ἐν τῇ Βυζαντίδι* Vol. II p. 524 scripsit.

Inscriptio emendata.

ΤΙ ΣΤΗΚ(Ε)ΙΣ ΑΝΘΡΩΠΕ ΤΑΥΤΑ ΒΛΕΠΩΝ; ΥΠΑ-ΛΟΥΣΟΥ.

Aenigmatis instar ultima vox viris doctis offendendi et coniiciendi materiem dedit. Wilhelm coniicit ΥΠΑ(= *ὕπαγε* [1])ΛΟΥ-ΣΟΥ. Kretschmer [2]) ΥΠΑΛΕΥΣΟΥ. Papageorgiu [3]), qui scripsit ΥΠΑΟΔΟΥΣΟΥ, requirit ΥΠΑΓ' ΟΔΟΥ ΣΟΥ (*ὕπαγ' ὁδοῦ σου = τραύα τὸν δρόμον σου*). Coniecturis his, quarum nulla mihi satisfacit, addatur haec mea. Equidem colloqui mortuum cum viatore existimans suppleverim:

M. ΤΙ ΣΤΗΚ(Ε)ΙΣ ΑΝΘΡΩΠΕ ΤΑΥΤΑ ΒΛΕΠΩΝ; V. ΥΠΑΛ-(Γ)ΟΥ(Σ)ΟΥ (= *ὑπ' ἄλγους σου,* id est *τὸ σὸν ἄλγος ἐποίησέ με ταῦτα βλέπειν.*

De recentiore autem voce *στήκω* cum compositis *ἀντιστήκω, διαστήκω, ἐπιστήκω* etc. vide quae diligentissime suo more meus magister Contus *ἐν τῇ Ἐφημερίδι τῶν Φιλομαθῶν* 1878, p. 367—9 disputavit.

---

1) V. *Πολίτης, Λαογρ.* III. 644.
2) Glotta IV, p. 311.
3) Athen. Mitt. 1911, p. 280.

DE ORIGINE CISTOPHORUM.

SCRIPSIT

G. VAN HOORN.



Cistophori, quod genus nummum saeculi II a. Chr. n. initio in ora occidentali Asiae minoris tam vulgatum erat, ut praeda argenti signati in triumpho anno CXC de rege Antiocho et Aetolis acto magnam partem ex cistophoris constaret [1]), in duodecim fere urbibus signati sunt, quae ad unam omnes in dicione regum Pergamenorum fuerunt [2]). Nomen acceperunt a cista mystica, quae in parte obversa conspicitur; cista corona hederacea circumdata est, quippe quae ad Bacchi cultum spectet





I

Cistophorus Pergamenus, Cat. Brit. Mus. Mysia Pl. 26, 1;
G. F. Hill, Handbook of Greek and Roman coins Pl. 10, 2

(vid. imag. I). Pars aversa exhibet corytum duobus serpentibus circumplicatum. Hoc signum ad Herculem referendum esse per se satis est probabile, confirmatur autem, si eos nummos consi-

1) Livius 37, 46.
2) Daremberg et Saglio, Dictionnaire des Antiquités, s. v. *Cistophori*.

deramus, qui munere dimidii cistophori et qui quartae partis funguntur (vid. imag. II); quorum in parte obversa pellis leonina et clava conspiciuntur, quae signa vulgo Herculi attribuuntur; in parte aversa uva et folium vitis Bacchum denuo significant.

Civitas autem Pergamena nec non reges Attalici artissime coniuncti erant tam cum Baccho quam cum Hercule. Alexandri



II

Dimidium cistophori, Cat. Brit. Mus. Ionia Pl. 12.

exemplum secuti per utrumque deum a Iove se prognatos esse non solum Attalici sed etiam Ptolemaei professi sunt. Ad Bacchum auctorem generis spectant etiam duo oracula, quae Attalum tauri filium, *ταυρόκερων* dicunt. Quod cognomen deum mysteriis cultum significare solet [1]). In eis nummis vero, quos civitas Pergamena iam antea suo iure cudendos curaverat, folium hederaceum signatum erat.

Herculem quoque, patrem Telephi, summo honore fuisse in ea urbe, quam filius temporibus heroicis condidisse dicebatur, iam satis notum erat, antequam rudera zophori minoris Pergami effossa nos edocuerunt, quanti Pergameni hanc fabulam facerent. Nostrae disputationi non prorsus inutile est commemorare coniecturam Schraderi v. cl., qui inter has imagines, quae vitam Telephi spectant, consecrationem arae in honorem *Διονύσου Καθηγεμόνος*, qui dicitur, occurrere putat [2]). Quod si verum est, apparet artificem zophori quoque intellexisse, quam arte illa numina inter se cohaererent.

Quisnam dubitat ex his argumentis concludere Pergamenos reges primos cistophoros cudendos curavisse, ornavisse signis et attributis tam domui regiae quam civitati propriis? Ovum

1) H. v. Prott, Dionysos Kathegemon (Athen. Mitteil. XXVII 1902, pag. 186). Huius dei sacra mystica in titulis Pergamenis commemorantur.

2) Archäol. Jahrb. 1900, pag. 131.

Columbi dicas. Quin etiam confirmatur res arte nummum respecta.

In quibusdam cistophoris Pergami signatis (vid. imag. I) ea pars arcus, quae ex coryto prominet, accuratissime scalpta est [1]). Cum quibus confer alia exempla, velut omnia ea, quae Ephesi facta sunt [2]): in his imago arcus tantummodo adumbrata vix cernitur, artifex monetalis negligentius egit, ὅσον ἀφοσιούμενος, ut Graeci aiunt. Quo recentiora autem exemplaria sunt, velut ea, quae Cicero proconsul nomine suo ornanda curavit, eo incertius imagines significant, quid sibi velint. Hoc indicio nobis non magis opus est ad comprobandam coniecturam nostram, quam ad oppugnandam doctrinam, quae adhuc apud multos de origine cistophorum valet.

Imhoof-Blumer v. cl. nos admonuit [3]) circa annum CC Ephesi didrachma usurpata fuisse et drachmas, utraque Dianae capite ornata, normae Rhodiae, quae universo nomine Asiatica dicitur [4]). Illorum pondus est 6,65—6,22 gr., harum circiter 3, 25 gr. [5]). In hanc normam (Angl. „standard”) pondus cistophorum bene quadrat, quod est circiter 12,7 gr. pretio duplicato. Coniecit v. cl. cistophoros pro tetradrachmis habendos esse; primos Ephesi signatos, in usum mercaturae accommodatos ad normam ponderis iis temporibus in Asia occidentali vulgatam. Sed admonendum est cistophoros ipsos habuisse nummos sibi proprios, qui dimidii et quartae partis munere fungebantur. Concludemus ergo novam familiam nummariam completam et absolutam iuxta nummos capite Dianae ornatos Ephesi ortam esse? — Disputatio igitur in id discrimen adducta est, utrum verisimilius

1) Catalogue of the Greek coins in the British Museum, *Mysia* Pl. 26, 1.
Non fortuito factum videtur, ut Hill v. d. hunc nummum potissimum eligeret, cum uno exemplo totum genus illustraturus esset: G. F. Hill, Handbook of gr. and rom. coins, Pl. 10, 2.

2) Catal. Br. Mus., *Ionia* Pl. 12; cf. Head, Coins of Ephesus (Numismatic Chronicle 1880).

3) Abh. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1884: Die Münzen der Dynastie von Pergamon, pag. 38.
Cf. in eiusdem academiae actis anni 1910: H. v. Fritze, Die Münzen von Pergamon.

4) v. Fritze l.l. pag. 15: „Kleinasiatische Währungen”.

5) Catal. Br. Mus., *Ionia* Pl. 11, 1—3.

sit novum genus nummum inventum atque institutum esse a civitate quadam (Ephesum dico), quae iam nummos haberet eiusdem normae ponderis, an ab ea civitate, quae nummis egeret normae novae [1]) in usum mercaturae cum gentibus externis, quae hac norma iam uterentur. Fac examen librae in neutram partem inclinare: exitus non dubius erit, si posuerimus in lance argumenta Pergamena supra allata: de Baccho atque Hercule, diis regiis, de natura mystica illius, de arte neglegentiore exemplarium Ephesiorum; quibus quae opponit Imhoof-Blumer, ea parum definita sunt et incertiora: Ephesum cistam mysticam in novis nummis signasse, ut civitatibus Asiae interioris morem gereret; de Hercule autem siletur; neque vero in pecunia Ephesia antiquiore attributa Herculis conspiciuntur, cum in Pergamenis tetradrachmis regiis saepissime arcus occurrit; item pecunia antea a civitate suo iure signata corytum exhibet forma simpliciore [2]).

Nuper duo viri docti de cistophoris egerunt [3]): alter cistam mysticam ad Sabazium, Pergami cultum, refert; de qua sententia desistendum est, si recte ex Livio effecimus nummum nostrum iam anno CXC vulgatum fuisse; nam Sabazii cultus post hunc demum annum Pergami institutus est [4]).

Quandt v. d. ratione vitiosa disserit, cum in omnibus civitatibus, ubicunque cistophori signarentur, mysteria Bacchi acta esse putat. Haec ratio disserendi valet de ea civitate, quae primos cistophoros signavit; sed ubi primum hi nummi inventi atque vulgati sunt, fieri potuit, ut aliae urbes consuetudinem asciscerent in usum mercaturae, nec tamen ulla mysteria agerent.

Disputatione de origine iam absoluta paucis admonendum videtur, quam mirum sit civitatem illam sive regem, quicunque

1) Pergameni, quo tempore cistophori orti sunt, norma Attica utebantur, qua tetradrachmi pondus fere 16, 9 gr. erat.

2) v. Fritze l.l. Tab. I, 9.

3) Eisele: Roscher, Mythol. Lexikon, s. v. Sabazios.

Guil. Quandt, De Baccho ab Alexandri aetate in Asia minore culto (Dissertationes philologicae Halenses XXI, 2, 1913).

4) Die Inschriften von Pergamon, Nr. 248 = Dittenberger, Orientis Graecae Inscriptiones, Nr. 331.

fuerit, cui origo cistophorum debeatur, *mysticam* cistam, mysteriorum indicium, in publicis nummis signasse. Hoc explicandum est ex natura religionis Asiaticae. In ipsa Graecia cultus publicus etiam Liberi placidior erat; mansuefactum diceres; pristinam ac nativam indolem Bacchicam amiserat et, quidquid furoris fanatici ex antiquis temporibus supererat, privatim exercebatur, non publice. At regiones in ora orientali maris Aegaei sitae, magnis imperiis Asiaticis atque Indicis propiores, priscum ardorem alebant. Ibi mystae et mysteria in publicis titulis saepe occurrunt; ibi thiasos minus arcanos et occultos fuisse apparet. Neque casui tribuendum est, quod ex ipsa Asia, ex ipsa illa aetate Bacchus ille ingens oriundus est, qui ante alios mentem incitatam, animum vere Dionysium repraesentat: Liberi caput marmoreum dico, quod musei antiquarii nostri Lugduno-Batavi flos est et nitor.

Sed de hoc alibi.

AD VIRG. ECL. VI, 34.

Anno 1914 p. 404 pro *tener* proposui *teres*, immemor (urgebat enim typotheta) me eadem coniectura iam ad paginam implendam usum esse a. 1911 p. 440. Hoc temporis intervallo eam refutare conatus erat v. d. *Iohn C. Rolfe* in diario Americano c. t. Classical Philology VII (1912) p. 245, qui locus nunc demum mihi in manus venit. Ubi vir praestantissimus, licet mihi concedat prorsus inepte huc trahi Lucr. V, 400, tamen traditam lectionem esse retinendam contendit quoniam *tener* sit *recens natus* (Angl. *youthful*). Quae disputatio quamvis sit ingeniosa et bonae frugis plena, me tamen minime convincit. Quid enim nunc sibi istud *ipse* vult? Contra si *teres* legimus, omnia sunt praestantissima: e parvis istis primordiis natus *ille ipse* est mundi orbis *teres* (i. e. *perfectus* et *absolutus*) quem admiramur omnes. Similiter *ipse* adhibitum est loco Lucretiano quo abuti solent viri docti: e primordiis non solum natus est *terrae limus* sed etiam *aether ignifer ipse*.

Meam cum docto Americano litem idonei dirimant iudices. Certe non poenitebit eos venustam illam eius et doctam legisse commentatiunculam. J. J. H.

DE REMI ACTIONE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Meo remigio rem gero.

In re navali apud veteres post diligentissima philologorum architectorumque studia atque experimenta etiamnunc multa dubia, obscura, inexplicabilia manent manebuntque, donec homo, et philologiae et rerum nauticarum et disciplinae mechanicae peritissimus, aliquando exsistat et eas res satis dignas existimet quibus animum mentemque penitus advertat. Quid enim? Sunt artes et disciplinae, quas qui ignorant aliis numquam exponere vel impertiri sint conaturi, velut qui artis musicae rationes numquam didicerit, haud facile musicas quaestiones apud Aristotelem commentatione atque meditatione sua expedire sustinebit. At vero aliae sunt, quas nemo non callere, certe intellegere atque aliis explicare posse sibi videatur: commentatores, artis pugilandi omnino imperitos, certamen Daretis Entellique apud Vergilium legentibus mirum in modum obscurasse quondam in Mnemosynes Vol. XXVI (1898) p. 181 demonstravi, neque aliter eos in re nautica errasse, cum Aen. III 510 et Prop. III (IV) 21, 12 interpretari vel corrigere temptarent, in eadem disputatiuncula p. 176 sqq. expositum est.

Multae igitur quaestiones in veterum re navali solvendae restant, quas ego quidem, utpote mechanica scientia haud satis imbutus, ne tangere quidem ausim. Cum vero remigandi artem plus quinque et triginta annos exercuerim, certaminibus permultis interfuerim, de arte ipsa multa cogitaverim, nonnulla

etiam scripserim iudicibus idoneis accepta probataque, quasi ius mihi vindico de una re, quae etiam nunc controversa est, meam sententiam proferre. Motum triremium dico, atque ad scribendum me impulit repetita lectio dissertationis, quam 'Nautica' inscriptam S. A. Naberus ὁ μακαρίτης in Mnemosynes Vol. XXIII (1895) p. 234—269 evulgavit. Cuius scriptionis meritum hoc esse censeo, quod multa, quae de re nautica nobis innotuerunt, concise collecta ac lucide disposita vir summus sua scribendi elegantia enarravit. Ubi tamen ipse nodum aliquod extricare conatur, iam statim apparet ei quoque persuasum fuisse, rerum usu philologo opus non esse si de re navali apud veteres scribere vellet. Unde factum est ut de τοῦ ὑπηρεσίου significatione mira quaedam aperuerit, quae in Mnemosynes Vol. XXIV (1896) p. 227—231 iam satis me redarguisse confido: cf. etiam Mnem. Vol. XXVI (1898) p. 177 not.

Quomodo autem Naberus tunc ad quaestiones delatus est, quae longe dissitae erant a finibus eius provinciae? Ipse profitetur, librum Breusingi *Aenigma Solutum, Die Lösung des Trierenrätsels*, qui de τῷ ὑπηρεσίῳ quoque primus eum dubitantem fecerat, se induxisse, ut me quoque induxit ad scriptoris inventum cum nostratibus communicandum in actis diurnis novis, quae diebus XXII et XXIII mensis Decembris anno 1892 Roterodami emissa sunt.

Rem altius paulo repetere liceat.

Ante Breusingi librum emissum nemo umquam dubitavit quin tribus remigum ordinibus eodem tempore simul operantibus triremes promoveri solitae sint, conatus vero triremem construendi, quae ternis remorum vicibus ageretur, in Britannia, in Francia, alibi usque ad id tempus ad unum omnes successu caruerant.

Anno 1889 Breusingus primus sententiam pronuntiavit, prorsus numquam duos tresve ordines simul ad opus fuisse imperatos, verum tempestate serena τοὺς ζυγίτας — in mari turbido τοὺς θρανίτας — in proelio vero τοὺς θαλαμίτας remos suos egisse.

Popularibus suis minime persuasisse videtur, cuius rei num causa fuerit quod nonnullos errores in libro suo insuper protulisset equidem nescio, Nabero sane ita visum est. At Naberum

et me tunc quidem habuit assentientes, ita ut uterque nostrum inventum eius in nostra patria — ille philologis latine, ego patrio sermone nostratibus omnibus — palam faciendi operam susceperimus, ipse etiam cum inventore, qui cum olim per maria cucurrisset, tunc futuros nautas apud Bremenses artem suam docebat, per litteras collocutus sim.

Annis praeterlabentibus cum rei memoriam nullo tempore deposuissem, sed curas meas et cogitationes saepe ad eam contulissem, multae causae effecerunt ut opinionem prorsus mutarem, e quibus tres praecipuae hae sunt:

I. Ars remigandi si a remige bono ac perito exercetur, facilis simplex lenis nulli non videbitur, sed revera perquam intricata composita difficilis est. Inde fit ut centuriones classiarii nostri nautaeque artis eius ne elementa quidem noverint. Quidni? Ipsa navigandi ratio mutata remigum opus atque officium prorsus mutavit. Antea ipsa navis remis propellebatur, remi in cursu primas agebant et iure navis alae dicebantur: nunc vero navis velis aut vapore concitata aequora findit; remis unae cumbae protruduntur, quae non nisi raro demittuntur — in alto, si quis casu in mare decidit, — in salo, ad homines ad litus euntes ac redeuntes deportandos. Quae cum ita sint, non satis curae impenditur ut cumba, transtra, remi, scalmi ad iustam normam delineata fabricataque sint; pro rebus minoris momenti iam habentur: ars ipsa inde male instruitur, male discitur, male exercetur a classiariis nostris. Ne quis igitur eorum iudicio, ubi de remorum usu agitur, nimium tribuat etiam atque etiam moneo.

II. Quis tandem in re nostra iustus ac locuples iudex esto? Homo et philologiae et remigandi artis et scientiae mechanicae ab omni parte peritus versatusque. Si talem virum de tribus remigum ordinibus eodem tempore operantibus ne dubitare quidem videbimus, non erit quod ipsi amplius dubitemus.

Ecce autem Warrius, vir doctissimus, qui Collegii Etonensis in Britannia rector nunc est, non solum verbis sed etiam re aenigma solvit. Adulescens cum esset, exercitatione assidua accurataque remex egregius factus in nobilissimis certaminibus multa praemia reportavit; hodie discipulos suos, qui aliquando Oxonii vel Cantabrigiae studiosi futuri sunt, non tantum linguas

antiquas docet sed etiam remigare, atque iure ac merito optimus remigandi magister apud Britannos existimatur. Ille autem in remorum actionem quae in triremi fuerit studia diuturna contulit diligentissimaque, quorum fructus quivis legere et hodie Etoniae conspicere potest. Exemplum videlicet minutum eiusmodi navigii construxit, quod ibi in bibliotheca asservatur, sed etiam segmentum transversum triremis aedificandum curavit, in quo pueri Etonenses quondam remos agere solebant et fortasse etiamnunc agunt.

Vir doctissimus simul et ipso usu peritissimus rem effici posse re comprobavit.

III. Qui hucusque de remorum actione in triremibus egerunt, aut ipsi remos tractare secundum leges artis numquam didicerant aut unam eandemque didicerant remigandi rationem, ne exsistere quidem aliam quandam suspicati. Nempe modus sive stilus, ut nunc remiges loquuntur, Britannicus ubique fere docetur, quandoquidem Britanni ceterarum gentium in remigando magistri sunt. Exstat tamen stilus a vulgari illo diversus, quem in libello *The Field* A. Crawshay anno 1906 descripsit: liber ad manum mihi non est, sed ex epitome, quam inter legendum confeci, ea quae de remo deque remigandi methodo Turcarum edocet meo more atque verbis meis nunc referre possum.

Remi generatim dividi ita possunt ut aut Turcici sint aut non Turcici. Quaestio autem, utrum hi an illi praestent, a Britannis ad Bosporum habitantibus tam saepe posita est ut remigum omnium interesse iam videatur de illis certiores fieri.

Norma ac regula, quam in remo construendo Turcae sequuntur, a quovis alio remo multum discrepat, quae qualis sit exsequar.

Remus prima specie informis videtur vastusque, cuius rei causa haec est quod pars interior (h. e. quae in remigando intra cumbam movetur) formam habet ovatam ac crassiorem tantaeque gravitatis est ut tantidem ponderis sit quanti pars exterior: ita remi onus totum latere navigii sustinetur [1]), unde laborem re-

---

1) Naberus l.l. p. 235 ad demonstrandum *τοὺς ζυγίτας* magis recessisse ab navis pariete quam *τοὺς θαλαμίτας* et *τοὺς θρανίτας* magis quam *τοὺς ζυγίτας* ita ratiocinatur: „Quid enim? Ut utilis remigis opera sit nec frustra defatigetur, remus

migis *ἐν τῷ προνεύειν* valde imminui, vires vero *ἐν τῷ ἀναπίπτειν* congruenter augeri manifestum est. Remus fagineus, affabre factus, ab omni parte teres, vi elastica praeditus nostroque flexibilior, scalmo unico iunctus est laqueo e corio facto et bene semper peruncto, cum ipse corio amictus non sit. Itaque opus non est e scalmo remum eximere, qui si lateri obvertitur, pars interior nihil fere spatii obtinet neque ullo modo molesta est remigi otianti. Scalmus reclinis non sinit laqueum inter remigandum destringi.

Ceterum remus manu totus fabricatur cultroque vulgari informatur, fricatur deinde charta glareosa atque manubrium tam laeve est ut pusulae in manibus numquam exsistant. Palmula denique in lunae dimidiae formam exsculpta, unde fit ut cornua sive anguli dum undas findunt prohibent ne obliquetur.

Iam ad ipsam remigandi methodum, ad 'stilum Turcicum' animum advertamus. Supra dictum est, Turcas aenigma solvisse quomodo remex onere remi levari posset, eo scilicet, quod partes remi interior exteriorque pari momento libratae sunt. Deinde scalmus 6—8 centimetris longius a remige abest quam scalmi nostri, ita ut palmula magis in puppim versus in aquas demittatur atque aquae massa consentanea ad ductum pereat. Quin etiam plus perit aquae, cum Turca promptam illam firmamque aquae prensionem, quam voc. 'catch' Britanni significant, minime agnoscat. Palma proclivi remum omni virium intentione ac toto pondere suo ad pectus trahere incipit, cum palma aquam nondum attigit. Sequitur ictus vehementissimus, quem ductum tractumve vix ac ne vix quidem dicere possis. Lente deinde ex aqua palma tollitur neque quicquam roboris remigi in procumbendo est adhibendum: *ἐν τῷ προνεύειν* revera requiescere ac se recolligere potest. Palma ubi aquam reliquit, non invertitur neque gutta quidem sublime iacitur.

Nos momentum omne ponimus in ictus initio, in fulminea

---

quarta vel etiam tertia parte sui scalmo sustentari debet." At egregie fallitur: ratio certa exigitur inter pondera utriusque partis remorum, quam nostri remiges interdum efficiunt plumbi aliquid remi capulo infundendo, neque aliter veteres, cf. Athenaeus V 37: (*κώπας*) *αἳ διὰ τὸ μόλυβδον ἔχειν ἐν τοῖς ἐγχειριδίοις καὶ γεγονέναι λίαν εἴσω βαρεῖαι κατὰ τὴν ζύγωσιν, εὐήρεις ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς χρείας.*

illa aquae prensione, sed etiam si omnes motus eodem fere tempore incipiant, prius tamen palmam demittimus, deinde pertrahimus: ictus Turcicus motus unus est. Nos aquas obstantes trudimus, Turcae verberant. In cumbis nostris etiamsi vellemus, secundum Turcicam rationem remigare non possemus: truncus noster procumbens a scalmo nimis remotus est quam ut totis viribus niti valeat. Ergo in Turcica remigandi methodo non ictus brevis et longus agnoscuntur: est ictus brevis semper sed tamen aequabilis et numero sive frequentiae nullo modo obnoxius.

Quae cum ita sint, Turcica remigandi ratio ad addiscendum multo facilior quam nostra est. Ego quidem, qui tamdiu remos Britannicos in cumbis Britannicis tractaverim, nostram praefero, sed non ardua mihi est remigatio remis Turcicis et Turcico stilo. Rursus Britannis, qui modo Turcico assuefacti, aliquamdiu stilo Britannico eorumque remis usi non sunt, ad hos redire molestum est, unde satis patet, Turcicam methodum ad discendum faciliorem esse.

Nuper phaselum graviorem (Turc. 'kaik'), a remigibus utrimque septenis impulsum, undas spectabam secantem. Gubernator stans in puppi remo cursum dirigebat: speculator in prora sedebat, unde locum piscosum prospiceret. Remi quattuordecim pariter omnes mare feriebant ictu tam clare sonanti, ut strepitus procul audiri posset. Velocitas, qua navigium proruebat, admirationem mihi movit. Numerus ictuum perparvus erat; horologium mecum non portabam, sed non plus viginti quattuor fuisse horae sexagesima pro certo affirmaverim.

Ista fere sunt quae scriptor Britannus exposuit, quae cum attente perlegissem et mecum reputassem, haec quaestio quasi ultro se mihi obtulit, num forte veteres in triremibus propellendis Turcica remigandi ratione usi sint. Nempe aenigma illud, quomodo tres remorum ordines uno tempore simul agi potuerint, solutum iam videtur, si fieri potest

1. ut in procumbendo manubria remorum sine ulla virium intentione ad puppim versus possint referri (Polyb. ἐξωθεῖν),

2. utque, remi cum longitudinis gravitatisque diversae sint, ictus eorum semper tamen eiusdem sit longitudinis atque adeo

brevitatis, h. e. ictus frequentatio ad spatium nil pertineat.

Quod utrumque in Turcica remigatione usu venire vidimus.

Accedit quod lingua quoque suadet ut veteres ita remigasse credamus. Quis umquam actionem nostrorum remigum cum ictu vel pulsu conferat? Revera tractui vel ductui similior est, et cuivis tironi haec monitio identidem inculcatur: 'A long pull a strong pull!' Quis nunc 'remum flectere in sale' vel 'in unda lentare' pro iusto ac legitimo remigis officio ponat? Nos remos rigidos affectamus, flexiles laxosque ut reprobatos quantocius abicimus. Quis hodie remigem aquas findere, dividere, icere, ferire, verberare iubeat? Id enim, quo ictus totus apud veteres complebatur atque etiamnunc apud Turcas completur, nimirum apud nostros quoque fit quidem, sed non nisi initium denotat ictus, cuius antiquius propriumque officium est aquas ductu quam longissime sustentato protrudere.

Ista utrum probabiliter a me disputata sint necne iudicibus iustis idoneisque in Britannia iudicium relinquo.

Denique hoc monere velim, si quis nodis in re navali apud veteres solvendis posthac operam dare velit, ut quasi ad rem integram semper accedat suoque remigio rem gerat neve auctoritati, studiis prorsus diversis fere partae, eiusmodi virorum quicquam tribuat qui scribere de rebus quas non intellegunt minime vereantur. Inde stultos illos errores et mirificas opiniones ortas videbis, quales apud Baumeisterum in *Denkmälern des klassischen Altertums* s. v. *Seewesen* Breusingus significavit qualisve a Grasero Philol. XLIII p. 301 venditatur, remiges veterum τὸ προνεύειν non novisse neque eo in remigatione opus esse! In hisce utique studiis tenendum est Ἐπιχαρμεῖον illud:

νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

DE CANTORIBUS EUPHORIONIS

ET

DE QUIBUSDAM ALIIS DISPUTATIUNCULAM

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Parvi momenti haec, sat scio, atque adeo leviuscula planeque contemnenda severis videbuntur censoribus quorum nunc summa est in nostra republica auctoritas. At innocua fore, placida leniaque iam nunc promitto. Nihil quod sit traditum impia hic manu violabitur, nullum cuiusquam rei gravioris labefactabitur fundamentum; procul erit „subiectivismus" ille qui cum Danaidum comparari solet dolio; quid quod ne istud quidem hic deprehendetur vitium, quod hac aetate vel maxime notari solet si quis graviore dignus videtur ignominia. Quod in sermone vernaculo „propriae" insignitum nomine „sapientiae" cuiusmodi esse videatur iis qui eo delectantur vocabulo, fere intelligere mihi videor: sic enim plecti perstringique solent quicunque in praesentia ceterorum omnium, qui sunt quique fuerunt, neglecta doctrina suam aliquam promere coniecturam, novi aliquid comminisci, denique quid ipsi opinentur declarare ausi sunt. Sed simul quam parum aptum illud sit nomen quantaque iniquitas eorum qui frequenter eo utuntur penitus sentio. An non *propria* laborare praestat *sapientia* quam *aliena stultitia*? Nonne omnis in quavis arte progressus ad eos potissimum est referendus, qui paulo inconsideratius dixerunt aliquid quod non esset dictum

prius? Num huic soli rei danda est opera ut in dies maior fiat doctrinae materies qua tandem aliquando obruamur miseri? An quovis nobis est enitendum modo ut et *vivat* ars nostra et *vivamus* ipsi qui in ea *vitae* posuerimus tabernacula?

Sed haec mittamus. Quid enim longa gravique praefatione opus est disputatiunculae in qua ne cupidissimus quidem iudex vel levissimum sit inventurus audaciae arrogantiaeve vestigium? In tenui labor hic et ne tenuem quidem inde mihi promitto gloriam.

Conabor enim lucis aliquid afferre parti cuidam historiae literariae Romanae, paululum quidem lucis, sed tamen, ut opinor, eiusmodi, ut quae illius partis peculiaris sit indoles melius etiam, si fieri potest, quam antea perspiciatur. A *cantoribus* ea *Euphorionis* appellatur, quod nomen nunc quidem vulgo est notum et decantatum, sed ut fieret *Luciani Muelleri* debetur prudentiae, qui solus hic effecerit quod in aliis nominibus longa demum aetas efficere solet: ut convicium semel unoque tempore dictum certa certorum fiat hominum appellatio qua posthac statim innotescant omnibus. Ingens rei utilitas! Non enim iam magnis verborum nobis est utendum ambagibus, sed istud *cantores Euphorionis* audientes, subito totum illum poetarum gregem habemus ante oculos, artis eorum nobis subit memoria et tantum non audimus versiculos.

Tamen, ut iam diximus, a *convicio* illud traxit nomen originem, a convicio quod primus excogitavit omnium dicacissimus mortalium *M. Tullius Cicero*. Is enim (Tusc. III, 19, 45), versibus quibusdam Ennii citatis sic exclamat:

„o poetam egregium! quamquam ab his *cantoribus Euphorionis* contemnitur."

Et in epistola ad Att. VII, 2, 1:

„Brundisium venimus VII kal. Dec. usi tua felicitate navigandi; ita belle nobis

flavit ab Epiro lenissumus Onchesmites.

Hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendito."

Non potuit facetius: *simulat* orator sibi *imprudenti* in medio sermone pedestri illum *excidere* hexametrum; sed de industria, idque felicissime, eum esse consarcinatum ut novum, nobisque notissimum, poetarum genus derideretur quis non sentit? Non

enim solum graviter illud in fine versus sonans tetrasyllabum, sed disertius etiam ipsum venti nomen, non ab aliqua coeli parte sed multo doctius ab ignoto aliquo Epiri deductum oppidulo, doctos illos Alexandrinorum imitatores eorumque evocat epyllia. Nam quin utrobique iidem significentur poetae quis dubitet? Clamat hoc et pronomen *his* et participium *νεωτερι-ζόντων*.

Est autem scripta haec epistola anno 50, *Tusculanae* vero *quaestiones* anno demum 44 editae sunt. Ergo, ut minimum dicam, per quinque annos istud Tulli in *iuniores* perduravit odium. Sed simul cum ipsorum arte natum esse et omnino verisimile est et gravissimo potest demonstrari argumento [1]).

Cum *adolescentulis* nobis res est qui neque nimia laborant verecundia et *novis* student rebus: si non totum orbem terrarum totamque mortalium gentem, at literas certe emendare gestiunt et *inveteratis* levare morbis. Nam *vetera* omnia contemnunt, et si suo sibi vocabulo rem ornare volumus, *fastidiunt*. Paene dixeris ipsum *fastidiendi* verbum cum substantivo quod est *fastidium* illorum causa esse excogitatum. In mentem modo revocate vobis versiculos illos.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus, hoc lenius ille
Quo melior vir et est longe subtilior illo,
Qui multum puerum est loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra *fastidia* nostra

1) Conferantur quae ad refutandam recens natam opinionem eorum, qui censent vocabulis q. s., *Cantores Euphorionis* et *οἱ νεώτεροι* non Catullum eiusque amicos a Cicerone peti sed Gallum et ... Virgilium, acute doctique et multorum virorum doctorum, quos et nostra tulit aetas et priora tulerunt saeula, ratione habita disputavit Adolfo Gandiglio in libro c. t. *Cantores Euphorionis. Sulle relationi tra Cicerone e i poeti della nuova scuola romana. Bologna Ditta Nicola Zanichelli* 1904. Utique praestantissimus ille liber hic consulatur: apparebit quam multa cum copiosissima Gandilii doctrina communia habeat haecce disputatiuncula, quae a longe diverso profecta initio tamen prorsus eodem pervenit. Et, quod multo maioris est momenti, libro non magni ambitus (130 sunt paginae) omnia diligenter Gandilius collegit docteque perpendit quae ad hoc de Catullo eiusque grege caput et olim et nunc pertinere visa sunt.

qui si Horatii non sunt [1]), at elegantis sunt poetae quique historiam literarum Latinarum probe cognitam haberet. *Fastidiebant* pueri Horatio aequales Lucilium, sed adversus illos tamen antiquus satiricus strenuum erat nactus patronum, plagosum illum Orbilium. Neque minus Lucilium *fastidiebant* Valerii Catonis discipuli, idque ipso admonente et instigante magistro, quem quotidie operam dantem viderent ut Lucilii versus male tornatos „emendaret" scilicet. Et Valerii Catonis discipuli erant ... ipsi nostri Cantores Euphorionis, qui tamen nunquam praeceptorem suum, a quo tam bene antiqua contemnere et adunco naso suspendere didicerant, adeo habuerunt in deliciis quin hunc quoque versiculis suis crudeliter proscinderent. Novimus Bibaculi illud „en cor Zenodoti en iecur Cratetis" ceterosque hendecasyllabos quibus grammaticum ad inopiam adactum ludibrio habuit. Sed quid de Lucilio hic loquor? Ipsum ipsum aio Latinae poeseos atque adeo literarum Latinarum patrem, venerandum illum sanctumque Ennium nihili faciebant. Quod nisi nobis pro testimonio dixisset Cicero, ex ipsis eorum versiculis et e tota horum poetarum indole facile efficeremus. Sed dixit Cicero et ita quidem dixit ut statim intelligamus iam hoc satis fuisse causae cur *νεωτέρους* istos ferre non posset et cur eos novo convicio notandos deridendosque censeret. Ipse enim Ennium summa suspiciebat venerabaturque pietate. Sed alia accedebat causa eaque, ut opinor, multo etiam gravior. Sordebat adolescentulis nostris ipsa Tulliana eloquentia: inflata ea iis nimisque verbosa videbatur et ad Lysiacam redeundum simplicitatem identidem clamabant, seque solos *Atticorum* dignos nomine vociferabantur. Quodsi cui mirum videtur eosdem qui *poesin* Alexandrinam, operosam illam contortam obscuram, haberent in deliciis, nullam probasse eloquentiam nisi quae omni fuco omnique magnificentia careret, et nostra aetas eiusdem discrepantiae admodum diserta praebet exempla et quominus tunc inter Romanos ita se res habuerit et alia nos dubitare vetant nomina et illud *Licinii Calvi* qui in utroque genere insignem tenuit locum.

---

1) Quin Horatii sint neminem iam dubitare contendit Wissowa Herm. 49 p. 479, qui et alia docte disputat et persuadere legentibus nititur *multum puerum* idem esse quod *multos pueros*. Cras credam.

Esto: „Cantores Euphorionis" ferre non potuit Cicero et internecivum cum iis gessit bellum. Quod non anno demum 46 vel 50 exarsisse, sed statim adolescentulis nostris esse indictum cum prae Tulliana et Demosthenea eloquentia Lysiacam tamquam vere Atticam extollere coepissent satis iam nobis esse persuasum potest. Quid quod qui totum illum tumultum Euphorionicum recte describere atque vividis depingere coloribus cupit nulla re adiuvatur magis quam paucis illis verbis versiculisque quibus ille orator et hi poetae inter se sunt digladiati. Quod ego sentiens ... sed paulo altius mihi hic res est repetenda.

Anno ergo huiusce saeculi I diario vernacule scripto, cui titulus „Onze Eeuw" (*Saeculum nostrum*), disputationem quandam quam *de grege Catulli* („de kring van Catullus") inscripseram, inserendam curavi, qua nihil quod unquam sermone nostro scripsi magis civibus meis innotuit magisque eos delectavit. Quid enim? De *iunioribus* legebant poetis scriptoribusque qui ardentissimo quodam verae pulchritudinis amore inflammati nihil non comburere planeque delere gestirent quod iam esset dictum prius quodque ullam redoleret antiquitatem. Convicia eorum audiebant maledictaque omnemque eos videbant moventes lapidem ut tandem aliquando illud exstruerent sincerae poeseos et eloquentiae monumentum ad quod quidquid postea scripturi cantaturique essent homines exigeretur; adolescentulos cognoverant strenuos, ne gravissimos quidem reformidantes labores dummodo ex ipsorum manibus prodiret opus limatissimum et in quo (nam hoc potissimum spectabatur) nova essent omnia et inaudita, et aliorum et suimet ipsorum censores severissimos. Quique disputatiunculam meam legebant in medio etiam vivebant tumultu literario, qui paucis ante annis in patria nostra erat exortus. Quid mirum omnes sensisse statim me de Catullo eiusque sociis scribentem simul cogitasse de iis qui inter nostrates poetas essent *οἱ νεώτεροι*, verbaque mea ... me ipso melius intellexisse legentium nonnullos? Ipse enim noviciorum opera atque opuscula (nam hoc quoque illis cum Cantoribus Euphorionis commune erat quod *tenui labore* maxime delectabantur) ipse, aio, noviciorum opera atque opuscula libaveram tantummodo, at qui penitus ea hauserant statim quis sub Valerii Catonis, quis sub Catulli, Calvi, Bibaculi lateret persona perspiciebant, totamque Galliam

Cisalpinam, communem illorum (certe plurimorum ex eorum numero) patriam in amoenas Hollandiae Septentrionalis transferebant silvas quas nostri novicii poetae querelis suis planctibusque implere solerent. Nam qui sibi conscii sunt nova et nullius pedibus trita se ambulare via nunquam inventis suis adeo laetantur quin simul acri pungantur vexenturque dolore quod ab aequalibus non suo aestimentur pretio, utpote qui ne hoc quidem intelligant cur tam flebiliter lacriment lamententurque.

Raro contingit philologis ut apud cultiorum hominum, sed qui ipsam nunquam attigerunt philologiam, populum tantum obtineant favorem. Qui quamvis mihi gratus esset iucundusque, tamen alia quaedam accedebat res qua multo gauderem magis. *Damstéus* enim meus, optimus ipse poeta Latinus et in Romanorum literis versatissimus, in ipsa nostra Mnemosyne (a. 1902) disputatiunculam illam meam suo exornavit praeconio, meque ibi protulisse aliquid quod et novum esset et verum et praeterea summi in tota hac causa gravissima momenti pretiique demonstravit. Quod quale sit mox videbimus, nunc ad Ciceronem redeo.

Intellexeram mirum quantum lucis vitaeque huic de quo tunc agebam et nunc ago tempori praebere illud vel ipso verborum sono suavissimum Catulli carmen:

> Disertissime Romuli nepotum
> Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
> Quotque post aliis erunt in annis,
> Gratias tibi maximas Catullus
> Agit, pessimus omnium poeta,
> Tanto pessimus omnium poeta
> Quanto tu optimus omnium patronus.

Quod in ore omnium esse solet qui latine didicerunt unquam. Sed quotusquisque recte illud intelligit? Certe non intellexit Westphalius, cuius me adolescente studiosorum terebatur manibus liber, quo Catulli carmina, singulari a se venustate Germanice versa, ita disposuerat, coniunxerat, illustraverat ut tamquam quaedam *fabula Romanensis* nasceretur, lectu iucundissima quaeque sua varietate legentem suavissime detineret. Sed in septem hisce versiculis illustrandis fuit mire infelix. Statuit enim Ci-

ceroni hic pro opera sibi praestita gratias agere Catullum. Qualem operam putas? Poetae orator concessit ... amicam utrique amatam. Unquamne quidquam audivisti absurdius, turpius, inhumanius? Equidem ne in rerum quidem natura istud esse crediderim. Quod si tamen tunc factum esse sumimus, quid sibi volunt *optimus* ille *orator* et *pessimus poeta* inter se oppositi? An summo oratore opus fuit qui mulierculae permutationem istam commendaret et nunc poeta noster pudore suffunditur qui donum acceperit quod quivis vir non plane omni humanitatis sensu destitutus — ne poetam dicam — esset abominaturus? Quanto ergo venustius elegantiusque veteres commentatores in causa publica privatave a Cicerone Catullum ita defensum coniecerunt ut victor inde poeta discederet! Dignum profecto istud meritum quod magnifice versibus extollatur neque miramur ipsum poetam prae arte illa, cuius praestantiam modo sit expertus, suam atque semet ipsum plane contemnere et nihili facere. Videsne quam apte nunc *pessimus poeta optimo* opponatur *oratori*?

Sed quamvis venusta sit et elegans coniectura illa, solidum quo innitatur fundamentum habet nullum. Utar hic argumento quod nunc plerisque sordet planeque proscribendum videtur, illo quod *e silentio* dicitur. Quod cur hac aetate tanta soleat condemnari severitate intelligere mihi videor. Nostro uti ingenio et tantum non cogitare vetamur — hoc *saeculum* est. Atqui in tanta certorum testimoniorum indiciorumque qua nostra ars laborat inopia, de cogitatione actum est si missa facta erunt argumenta e silentio, neque iam quidquam miseris relinquitur philologis praeter illum materiae coacervandae laborem, qui solus nunc est in honore. Nego ergo, pertinaciter nego, unquam in ullo iudicio pro reo Catullo verba fecisse Ciceronem, quoniam in multis illis qui supersint Ciceronis libris de toto illo negotio nihil inveniatur. An de illa victoria silere potuisset orator noster suarum laudum minime parcus, et ne in aliqua quidem epistola ullam eius fecisset mentionem? Credat hoc qui credere possit.

Alia ergo insistendum via intellexi et, quamvis ad incitas redactus, inveni aliquid quod neque nunc absurdum mihi videatur et tunc admodum placeret. Sic enim in vernacula illa disputatione, quam modo commemoravi, causam meam egi: *rem*, pro

qua hic gratias agit Catullus ignoramus et, ut opinor, ignorabimus semper; fortasse tam parvi fuit momenti ut illis solis qui poeticam scripsit quique accepit epistolam potuerit innotescere. Sed non est cur diu quae illa fuerit rogemus. Non enim in illa vertitur quaestionis cardo sed in sola *optimi oratoris* et *pessimi poetae* oppositione. Gratias oratori agit poeta laetaturque sibi hanc oblatam facultatem, refutandi atque adeo deridendi summi viri qui quam inique de se suisque commilitonibus iudicet modo audiverit. Poterat et alia occasione uti, sed quam primam nactus est libenter arripit. *Cantores Euphorionis* cum contemptu nominaverat Cicero, innotuerat hoc Catullo; ergo simulatque invenit quod scribere ei debeat possitve, se unum eorum esse profitetur gloriaturque. Potuitne salsius urbaniusque gloriari simulque — acerbius mordaciusque? Nemo enim poeta *ex animi sententia* semet ipsum *pessimum omnium poetam* dicit. Quod si tamen facit in epistola ad adversarium, a quo tamquam *pessimus* poeta sit notatus, contrarium et hic eum cogitare et in iis versiculis ubi eundem *optimum oratorem* dicit manifestum est. Sic simul poesin suam Alexandrinam defendit et adversarii perstringit eloquentiam Demosthenicam. Quodsi quis quaerit cur *Euphorionis* potissimum cantores τοὺς νεωτέρους appellaverit Cicero, quamprimum quaerere desinat censeo. Unum alterumque forte fortuna ipsius Euphorionis legerat versiculum Cicero simulque ut contortum nimis fucatumque abiecerat e manibus, posthac quidquid absurdi et insulsi legisset Euphorionis nomine insigniturus. Denique „velitatio in certamine literario" (verba haec sunt Damstéi, ad cuius disputationem mox redibo) totum est carmen Catullianum XXXXVIIII, praetereaque nihil, sed velitatio e qua totum certamen eiusque strepitus clamoresque sat bene cognoscantur.

Invenisse me istud dicebam. Reverane inveneram? Tum, cum vernaculam illam disputationem in lucem edebam, vulgo dudumque notum putabam. De ea re dubius aliquis esse potest atque in errore versari. Quod variis modis fieri solere tribus lubet demonstrare exemplis, quae neque sunt illepida et cognitu utilissima videntur. Denique μεταβολὴ πάντων γλυκύ.

Agricola quando a Tacito sit scriptus, non solum quo anno vel mense sed etiam quo die atque etiam qua fere diei hora

pro certo inter viros doctos constat. Mortuum enim Agricolam die 23° m. Augusti anni 93 ipse Tacitus (c. 44) testatur, eiusdemque haec verba sunt (c. 45): „*nobis* ... *ante quadriennium amissus es*". Sed et haec c. 44 legimus: „(non licuit Agricolae) *principem* Traianum videre". Atqui *principem* Traianum dici non potuisse quamdiu tantummodo destinatus esset Nervae successor, sed tum demum cum mortuo iam Nerva solus regnaret sic esse appellatum Mommsenus nos docuit. Mortuus autem Nerva est die 27° m. Ian. a. 98 ergo *post* illum diem Agricola scriptus est. Sed ne e *quatuor* annis *quinque* vel paulo minus quam *quinque* fiant, sumendum est *statim* post 27[um] m. Ian. a. 98 editum librum, ita ut meditandi componendique vix ullum Tacito relinquatur tempus. Quod parum verisimile. At ego intellexeram, et olim primum me intellexisse credebam, a viris doctis nullam haberi rationem verborum quae apud Tacitum leguntur loco, quem in citando vacuum reliqui, quaeque nos totum locum sic accipere vetant ut Tacitus dicat nunc *cum scribat* quatuor praeteriisse annos. Sunt verba *tam longae absentiae condicione*. Quorum equidem diligenter ratione habita sic per multos annos in scholis meis verba Taciti interpretabar: „infelici casu, longa illa absentia, factum est ut te amitterem quadriennio ante mortem tuam, sive quadriennio maturius quam ceteri omnes". Novamque, ut dicebam, eam interpretationem semper opinabar donec in manus meas venit venustissimus *Welschingeri* libellus c. t. *Tacite et Mirabeau* (Parisiis prodiit ille apud Émile Paul frères), ubi Mirabellum in carcere suo Vincennensi sic audimus interpretantem: „nous t'avions perdu par une longue absence quatre ans avant que tu nous fusses enlevé par la mort." „Quid nobis" dixerit aliquis „turbulentum istum excitas demagogum? Sit ille Tacitum tamquam deum aliquem veneratus, utpote qui sibi tantam praebuerit materiem in tyrannos declamandi, quidni *verba* historici prave ab eo accepta sumamus?" Ad illum ergo omnium praestantissimum me convertam Taciti interpretem, Io. Muellerum dico, cuius librum in paucorum venire manus suspicor, satis enim antiquus et, ut aiunt, „rarus" esse videtur (editus est Hamburgiae a. 1766). Ibi autem haec legimus: „diess ist unser grösster Schmerz, dass wir dich wegen unserer langen Abwesenheit schon *vier Jahre vorher* verloren

haben". Utiliora mihi etiam sunt haec vocabula Germanica quam illa Francogallica. An verba *ante quadriennium* Germanice tantummodo sic vertere licet: „vor vier Jahren" et non sic quoque: „vier Jahre vorher"?

Sic omnis legentibus eximebatur scrupulus; de ipso die quo liber scriptus esset fiebamus incertiores sed aequo animo illud ferendum damnum nobis constabat quod tanto compensaretur lucro; scribi enim *potuisse* a Tacito librum intelligebamus.

Haec ergo quam novam esse putaveram interpretatio mea admodum erat antiqua. Contrarium mihi in alio evenit Taciti loco:

Dial. de Or. c. 17 med. demonstrare nititur Aper post mortem Ciceronis non iam tot praeteriisse annos ut liceat tempus quo nunc fiat colloquium tempori Ciceronis tamquam *novum* opponere antiquo, atque sic computat:

„(Cicero) VII idus Decembres [1]) occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtsi se et Q. Pedium consules suffecit. Statue sex [2]) et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et viginti et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas."

Negligere hic possumus bonorum codicum lectionem *centum et decem* (pro *centum et viginti*) quae mox (c. 24 extr.) Materni verbis refutatur sic ipsam hanc Apri computationem referentis: „cum praesertim *centum et viginti* annos ab interitu Ciceronis in hunc diem ... collegerit". Neque hoc morari nos debet quod mire sane Claudii Neronisque aetas tamquam *una* nobis propo-

---

1) Hanc vocem supplevit Lipsius.

2) Sic Lipsius; codices aperto vitio *novem*. Lipsii correctio et eo commendatur quod totidem regnavit annos Augustus quot qui deinceps enumerantur (56). Dubium enim non est quin hic arcanae cuidam indulgeat sapientiae Tacitus quae innititur numeris. Hoc quoque Tacito observatione dignum visum est quod Claudius et Nero = Tiberius + Caligula + Galba Otto Vitellius ita ut Augusti aetas quodammodo inter proximos eius successores bipertito dividatur. Hoc illud esse opinor cur Claudius et Nero *unam* efficiant „stationem".

natur eam solam ob causam quod uterque per quaternos denos imperitaverit annos. Nam id quidem, quamvis nobis absurdum [1]) videatur, immotum stabit quocunque tandem modo cetera huius loci verba interpretabimur. Denique si utrobique (et c. 17 med. et c. 24 extr.) *centum et decem* legerimus, colloquium a. 67 habitum esse nobis erit statuendum, tum autem Tacitus non erat *iuvenis admodum* (c. 1 post medium) sed puer annorum duodecim.

Esto: centum et viginti computantur anni cum inter se adduntur:

Augustus	56
Tiberius	23
Caligula	4
Claudius et Nero	28
Galba Otto Vitellius	1

denique *sexta statio* qua Vespasianus rempublicam fovet.

Videbam ultima verba plerumque sic accipi ut *sexta statio* esset sextus *annus* ita ut colloquium habitum fingeretur inter Kal. Iul. 74 et Kal. Iul. 75 (v. H. II, 79), sed simul videbam falsissimam eam interpretationem esse. Quid enim? 74 + 43 (quo anno occisus Cicero) non sunt 120 sed 117 anni, neque nobis licet illud 120 tamquam „numerum rotundum" accipere, siquidem ét c. 17 med. ét c. 24 extr. ipsa vocabula *in hunc diem colliguntur* (*collegerit*) nos de *accurata* cogitare computatione iubent. Quodsi non ipsum illud *diei* indicium haberemus, tamen non crederemus *sic nude* hic Tacitum ponere 120 pro 117, qui Germ. c. 37 sic loquatur: „ex quo (anno quo Caecilius Metellus et Papirius Carbo consules fuerunt, h. e. a. 113) si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti *ferme* et decem anni computantur." Sunt autem 113 + 98 = 211 et hoc Tacitus dicit *ducentos ferme et decem annos*. Tam cautus ille est cum „rotundum" pro ipso ponit numerum!

Sed hoc gravissimum quod nemo mortalium unquam *stationem* [2])

1) Est tamen et eius quoque rei ratio quaedam, v. supra p. 254 ann. 2.

2) Cf. Kayseri, quem, eheu, immatura nobis mors ademit, praestantissima facetissimaque dissertatio „de Dialogo de Oratoribus" L. B. apud E. J. Brill a. MDCCCCII p. 26 sqq.

dixit vel dicere potuit pro *anno.* Sunt *stationes* hae omnes quae hic enumerantur: 1 Augusti 2 Tiberii 3 Gaii 4 Claudii Neronisque imperium 5 Galbae, Othonis, Vitellii annus 6 Vespasiani imperium. Quo *anno* habitum fingatur colloquium non dicitur, sed facile computatur:

in hunc diem colliguntur 120 anni

detrahamus 43 qui intercedunt inter Ciceronem occisum et Christum natum

restant 77

ergo a. 77 p. Chr. n. colloquium habitum fingitur cui 22 annos natus interfuit Tacitus.

Sic ego iam per viginti fere annos hunc Taciti locum et Kaysero et aliis literarum studiosis eram interpretatus. Et quamvis viderem meam ab aliorum virorum doctorum, quos consulere potui, recedere interpretationem, tamen nunquam eam publici iuris facere ausus eram, quia iam et alios multos in eandem incidisse non poteram non credere. Ecce tum vir quidam in arte nostra primarius e scriniis defuncti amici non minus celebris eandem tamquam novam et tamquam utilissimam, utpote quae inveteratum iam errorem tolleret, in lucem edidit. Ecquid me tum nimiae meae verecundiae poenituisse censes?

Inscii saepe nova invenimus, saepe quae nova nobis invenisse videmur dudum nobis sunt praerepta. Utriusque generis iam singula dedi exempla. Addere e priore genere unum etiam lubet. Iam alibi fuse illud enarravi sed nova nunc ratione exponendum videtur. Tam enim *novum* est illud inventum (quod equidem *inventum* meum dici posse primo tempore ne suspicabar quidem, utpote qui putarem semper omnes mortales mecum idem vidisse: ne in mentem quidem mihi venerat aliam esse *posse* aliorum sententiam) tam novum illud, aio, est, ut iam saepe sim expertus *legentibus* me non persuasisse. Ergo tamquam cum praesentibus colloquar, si forte sic causam meam vincere possim!

Metamorphosesin Ovidii semper vehementer sum delectatus, sed nullum earum locum magis unquam sum admiratus quam *iudicium armorum* illud. Nec mirum: hic enim poetam et rhetorem *αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον* et fuisse et esse voluisse tota eius indoles totaque vita testatur. Hunc ergo raptim percurramus ut nobis appareat quanta arte hic verum describatur iudicium

singulaque eius *momenta*, ex ipso hominum commercio desumpta, nobis ponantur ante oculos:

Consedere duces: videmus viros amplissimos gravissimosque suas sibi occupantes sellas, componunt vultus, aures arrigunt, denique parati sunt ad audiendum iudicandumque.

Et vulgi stante corona: plebis sedantur strepitus, ordine adstant omnes, summi momenti exspectant certamen.

Surgit ad hos . . . Aiax. En iam in certamen illud procedit litigantium alter et quo modo procedat clarum fit ex iis quae adduntur: *utque erat impatiens irae . . . torvo vultu respexit . . . intendensque manus.*

Sequitur oratio plena irae et indignationis; argumentis vix utitur orator uno hoc contentus: prae se nullius pretii esse homuncionem adversarium suum.

123 sq. Finierat Telamone satus, vulgique secutum
Ultima murmur erat.

Indignatur et ipsa corona tam strenuum bellatorem, de toto exercitu et de causa Argivorum tam bene meritum, vel in dubium venire de hereditate tam bene merita.

Post hunc Ulysses adsurgit iamque ipse status vultusque eius callidum prodit causidicum. Et callida est tota eius oratio: de adversarii meritis nihil detrahit sed et alia eius notat vitia et nimiam arrogantiam, qui se solum virum fortem, ceteros omnes duces ignavos timidosque demonstrare veritus non sit. Suam cum ceterorum *ducum* et *procerum* causam coniungit Ulysses et sibi eorum conciliat gratiam, in ipsum Aiacem iram movet et invidiam.

Iam altera quoque oratio ad finem est perducta. Quid nunc sequitur, quid sequi debet?

382 *Mota manus procerum est.*

Si legeretur *mota manus vulgi est*, id aliquatenus certe vehementer probarem. Quid enim? Nova quadam *re* quae *evenit* opus hic est. Singula, quemadmodum iam dixi, iusti iudicii ita sunt enumeranda *momenta* ut nihil desit. Quid autem usitatius quam bono oratori a circumstante *plaudi* corona? Sed non est, ut opinor, vulgus de summa eloquentia, de perfecta illa et consummata ipsius Ovidii arte oratoria, idoneus iudex. Ad *proceres* summa rei redit.

Quid autem illi nunc *agere* dicuntur? Si viros doctos audis, quorum nunc sola probari videtur interpretatio, prorsus nihil *agunt*, quod quidem prodeat in lucem: intimae eorum cogitationes, quas pectore clausas tenent, significantur verbis:

mota manus procerum est.

Quae verba vulgo nunc sic accipiuntur, quemadmodum accepit Gierigius, ut *manus* sit *consilium, collegium.* Sed ne quid dicam de ipsa illa voce, quae si sic esset hoc loco adhibita, satis contumeliosa videri deberet atque ut hoc quoque mittam admodum inepte eosdem illos reges qui modo *duces* sint appellati subito nunc *manum procerum* dici — quanto enim foret elegantius *moti sunt proceres*, quantopere ipsa vox spondaica in initio versus posita totius loci deceret gravitatem! — ut haec mittam quae quamvis magni tamen non maximi sunt momenti et praeterea iam accurate a me sunt exposita (in libro *de Ovidio poeta* L. B. apud E. J. Brill 1905 p. 50 sqq.) quam languide et insulse nunc bis eadem dicuntur. Quid enim? *moti sunt proceres* (sic breviter nunc dico tota illa *manu* abiecta). Quid aliud hoc est quam: „persuasit iudicibus Ulysses" et „in suam pertraxit sententiam"? Sed nonne prorsus idem significant quae adduntur: *quid facundia posset re patuit*? „Persuasit iudicibus Ulysses" et „quid posset facundia patuit": quid est aliud bis idem dicere nisi hoc est? Et quis non sentit ét „mota manus procerum *erat*" nunc requiri ét verbis „et quid facundia posset re patuit sqq." accuratius *explicari, illustrari, describi* id quod *factum esse* modo breviter sit indicatum? Nonne sic quoque apparet, id quod totus contextus, totumque hoc *drama* clamat, praecedere debere *rem* quae *peragatur* a iudicibus, idque *palam* ita ut tamquam spectatores in cavea eam nostris *contemplemur* oculis? Et quid *fit*, quid *peragitur* a iudicibus postquam utraque pars ab iis audita est? *In consilium* ut opinor *eunt*, quod aut χειροτονίᾳ fit aut, id quod hoc loco malim, tabella in urnam coniicienda, certe *manu movenda.* „Manum movent proceres": subobscure sic quid *fiat* significatur sed statim illud illustratur addito: „et quid facundia posset, re patuit sqq.: „diribentur tabellae, quarum multo maior pars Ulyssi adsignabat hereditatem."

Sic ego mihi nostrum locum semper eram interpretatus, putaveramque inde a tempore, quo scripti essent versus illi, de

alia interpretatione ne cogitatum quidem esse. Gymnasii demum Leidensis praeceptor expertus sum me inscium nec quidquam tale suspicantem novi aliquid et prorsus inauditi esse commentum. An, ita ut in loco illo *Agricolae* Tacitei, sic se res habet, ut per aliquot saecula vera interpretatio regnaverit sola, dein falsa sit suborta quae illam non solum de suo detruderet solio sed et in diuturnum pelleret exsilium? Certe apud Planudem verissima haec legimus: ἐκινήθη δὲ τῶν ἐν τέλει ἡ χείρ.

Ut ad Catullum redeam: ipsene primus mortalium inveneram carminis XLVIIII hoc primarium atque adeo solum fuisse consilium ut ludibrio haberetur antiquus orator, honorifico testimonio ornaretur nova ars poetica? Contendit hoc Damstéus inventumque hoc vehementer laudat; neque, hercle, blandiendi id causa facit — non haec praestantissimi viri indoles. Profecto iam hic habeo quod optimo iure gaudeam, sed addit idem quod multo laeter magis, non mea causa sed omnium qui has in deliciis habent literas. Sic enim fere Damstéus disputat (meis hic utar verbis): „iam tum lepidissimum illud Catulli carmen esse penitus sentimus, si *velitationem in certamine poetico* esse sumimus. Quid vero si *causam* indicare poterimus cur certo quodam tempore sic ad Ciceronem scripserit, si noverimus pro quo hic beneficio agat gratias atque hoc etiam accesserit ut iocosa haec et acerba gratiarum actio ipsi beneficio lepidissime respondeat? Nonne inde illa velitatio vitae veritatisque mirum quantum accipiet? Legite nunc quae ipse Cicero dicit in oratione pro Murena c. 13:

in qua (sc. arte oratoria) si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem: nunc nihil de me dico, sed de iis, qui in dicendo magni sunt aut fuerunt

ecquid huc Catullus respicit iocosis illis oratoris laudibus neque minus iocosa suae artis contemptione?"

Coniectura haec est sed qua venustior et ingeniosior nulla possit fingi. Quo anno orationem pro Murena habuit Cicero, Catullus erat in flore aetatis et, ut opinor, artis etiam: agebat enim annum 24. Fac nunc Ciceronem eius orationis exemplum poetae vel dono dedisse vel legendum commodasse, quam egregiam nactus hic erat occasionem simul gratias agendi salseque perstringendi oratorem cuius neque genus magnopere admiraretur

et a quo sciret dilectam sibi artem contumeliose nominatam?

Coniecturae Damstéianae simile aliquid — προσκυνῶ δὲ τὴν Ἀδράστειαν — deprehendisse mihi videor quo Catulli carmen illustraretur LIII:

Risi nescioquem modo e corona,
Qui cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens,
„Di magni, salaputium disertum!"

Haud dubie *salaputium* vocabulum est spurcum obscenumque, certe est plebeium et quo sola uti soleat faex urbana. Ergo iam unum illud vocabulum dramation quoddam atque mimum efficit haud indignum hendecasyllabis his facetissimis. Ante oculos nobis stat unus e tunicato popello qui adstupens animamque retinens mordacissimam excipit orationem qua Caesaris ille cliens potentissimus perstringatur conficiaturque ab adolescente audacissimo facundissimoque; tandem aliquando se continere non potest manumque movet non ad plaudendum sed ad extremam significandam admirationem, atque in vocem erumpit turpem quidem et ridiculam sed quam eam ipsam ob causam ex intimo hominis pectore prodiisse toti coronae atque ipsis iudicibus sit persuasissimum. Laudem ergo Licinianae facundiae continet carmen singularem mireque disertam. At tutior navis quae binis quam quae singulis tenetur ancoris. Quid si non solum lepidissimum esse *argumentum* carminis nobis apparuerit, sed simul perspecta erit causa cur *tunc* peculiari illo sit exornatus Calvus praeconio, si intellexerimus eo tempore non potuisse *aptius* laudari Calvum quam hoc inculti rudisque scurrae praeconio? Nonne aliquantisper cum Calvo Catulloque ceterisque de grege τῶν νεωτέρων poetarum oratorumque adolescentibus vivere nobis videbimur?

Atque invenisse mihi videor locum qui miraculo quodam quadamque μεταμορφώσει nos vivos videntesque in pristinum illud tempus reducat. Legimus enim in *Bruto* § 289:

at cum *isti Attici* dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur.

Scripta haec sunt a. 46, sed nunc, nunc maxime tenendum illud quod supra dixi: iam statim cum de νεωτέρων studiis aliquid

inaudivisset, simul in eos invectum esse Ciceronem. An putemus per multos eum annos aequo tulisse animo quod contemneretur atque derideretur summopere venerandus ille Ennius et tum demum huius suscepisse patrocinium contra protervos istos petulantesque rabulas? Quid vero cum inaudivisset ab iisdem se cum Demosthene suo sperni fastidirique? Siluisse eum putemus an statim paratam habuisse gravem aliquam vituperationem qua eos percelleret prosterneretque? Quid quod ipsa illa *Bruti* verba admodum diserte nos docent respici hic a Cicerone aliquod iudicium suum iam multo ante pronuntiatum quodque verissimum esse multorum annorum docuerit usus. Quid enim mordacius quam hoc: „Atticos istos *a corona* cum dicant, relinqui, iam multo ante dixi demonstravique, at nunc addere aliquid possum quod multo sit gravius: iam et a prudentibus relinquuntur, qui aliquantisper, ut tamen quid nova ista sibi vellet dicendi ars cognoscerent audire eos sustinuerunt"? Et nonne id in ipso illo: „quod est ipsum miserabile" inesse statim quivis admonitus sentit?

Esto: vulgo notum erat Tullianum illud „Attici a corona relinquuntur". Refutat hoc iudicium Catullus narratiuncula sua iocosissima, in qua, ut Donati utar verbis, „magna inest moralitas". Ex ipsa illa corona infimum virum commoverat nova eloquentia, et revera se vehementer commotum hac re vel maxime erat testificatus ille quod ne tum quidem spurcis abstinere posset vocabulis quibus quotidie in suis uti soleret colloquiis. Iam duo haec Catulli carmina, et illud „disertissime Romuli nepotum" et hoc „risi nescioquem" sufficiunt ad demonstrandum quantas in republica literarum dederint turbas *cantores* illi *Euphorionis* qui simul aut omnes aut certe multi eorum erant *oratores Attici.* Nostris id oculis cernere videmur et audire auribus. Adolescentuli sunt literarum amore ardentes, quibus novum inflare spiritum gestiunt, nam nova omnia appetunt, vetera contemnunt. Gravissima exagitant censura antiquos omnes scriptores poetasque neque inter se parcunt.

Pugnaces sunt mordacesque neque ullum unquam fuit vatum genus *irritabile* magis. Saepe ultro appetunt alios sed nunquam non repugnant lacessiti. Qui fuerint satis notum est: nihil enim facilius quam e praestantissima Catulli editione Muelleriana

eiusque appendice nomina eorum colligere. Sed de uno dicendum est aliquid novi, ut opinor, quem hactenus tantum modo noviciorum *fautorem* fuisse noveramus, et quem nunc ego et ipsum novae dedisse huic arti operam demonstrare conabor, puerorum illum dico magistrum (nam infra vicum Tuscum, heu, decidit) *Cornelium Nepotem*.

Cornelius Nepos quo consilio atque adeo qua mente vitas istas *imperatorum* (nam longe longeque iis praestat vita *Attici* atque etiam breve istud excerptum quod e maiore vita *Catonis* a se excerptum esse ipse testatur) scripserit non potes non admirabundus, dum unam alteramque legis, rogare. Num pueros et plane ignaros historiae adultos aliquam certe eius partem vult docere? Dixeris hoc propter *Pelop.* 1: „medebor cum satietati tum ignorantiae lectorum" aliosque locos in eandem sententiam. Sed quid pueris indoctaeque plebeculae cum *Datame* et *Eumene*? Quid cum flosculis istis quos multos operi aspersos invenimus? Quid cuiquam discendi cupido prodesse possunt ineptiae quae *de Regibus* inscribuntur aliaeque paulo minus absurdae? Equidem *Aemilium Probum* missum facere nolo: admodum enim mihi verisimile videtur ipsius Nepotis opus a sero nato compilatore retractatum, multis ornamentis nudatum, denique omnibus modis corruptum ad nos pervenisse. Nam si sic omnia scripsisset Nepos, qui eum laudare Cicero poterat? Et quantis eum laudibus exornat princeps oratorum! Legimus in Epl. ad Att. XVI, 5, 5:

„Nepotis epistolam exspecto. Cupidus ille meorum, qui ea quibus maxime γαυριῶ legenda non putet? Et ais μετ' ἀμύμονα. Tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος"

quae licet ita torqueat Nipperdeyus ut *verae laudis* vix quidquam insit, nullo tamen modo negari potest prodi illis Ciceronis sollicitudinem de Nepotis iudicio.

Atque verbis „(Nepos) ea quibus maxime γαυριῶ legenda non (putat)" haud dubito quin alludatur ad illam Nepotis ad Ciceronem epistolam cuius nobis hoc servavit fragmentum Lactantius:

„tantum abest, ut ego magistram esse putem vitae philosophiam beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistros vivendi quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in

schola de pudore et continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere."
Certe nulla est idonea causa cur Lactantio fidem non habeamus haec tamquam Nepotis verba citanti. Et sunt lepidissima neque scribi potuerunt nisi ab homine semet ipsum minime contemnente.

Praeterea multis vitarum tam imperatorum quam Catonis Atticique locis apparet auctorem *hominis literatissimi* affectasse gloriam. Fortasse ipsae quoque imperatorum vitae olim ex eo genere fuerunt quod nunc „pulchrarum literarum" nomine significare solemus, fortasse eas poetis oratoribusque ipsi amicis Nepos composuit unde desumerent flosculos quos libris suis adspergerent. Nam eum se esse cui de summis ingeniis promptum paratumque habere liceat iudicium hisce in vita Attici verbis vel disertissime pronuntiat (c. 12):

„idem (Atticus) L. Iulium Calidum, quem *post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum* poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum propter magnas eius Africanas possessiones in proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrum Antonii, absentem relatum expedivit."

Solus mortalium Nepos hoc nobis *Lucii Iulii Calidi* servavit nomen. Est profecto cur doleamus ne unum quidem eius ad nos pervenisse versiculum, nam quin bonus fuerit poeta minime dubito. *Amicitiae* datum esse honorificum illud Nepotis de eo iudicium Nipperdeyus contendit, cui libenter adstipulor dummodo ea intelligatur amicitia quae literatum cum literato, poetas cum poetarum patrono atque fautore coniungit. Nam strenuum atque benevolum poetarum patronem Nepotem novimus e dulcissimis illis versiculis quibus suum libellum ei dedicat Catullus. Quid vero si ipsum Nepotem in medio Cantorum Euphorionis posuero grege? An maiorem natu eum fuisse dicamus quam qui cum adolescentulis et paene pueris luderet? Nam Catullum a. 86, Nepotem a. 100 natum esse probabilis est coniectura. Hoc certe nemini incredibile videbitur ei „noviciorum" genus adeo placuisse ut illud imitari, si res ita ferret, conaretur. Cuius equidem studii manifestum mihi deprehendere videor indicium in his verbis quae leguntur in vita *Catonis*:

„in quibus (Catonis Originibus) multa industria et diligentia comparet, nulla *doctrina*".
En *νεώτερον* purum putum! Laudat scriptorem veterem sed eo vultu, leni placidoque, qui *clementiam* atque adeo *misericordiam* prodat; virtutes quasdam minores ei relinquit sed multo maiorem excelsioremque denegat. Quid enim sibi vult *doctrina* quae *industriae et diligentiae* tam diserte *opponatur*? Certe non de ea nobis hic est doctrina cogitandum quae nunc eo solet appellari nomine. Quid enim illa ab *industria diligentiaque* iam differt? An ingenii acumen et venustas accedere debet ut vera exsistat *doctrina*? Sic equidem censeo, sed a plerisque qui doctorum sibi nomen vindicant reclamari scio.

Peculiarem quandam apud Cantores Euphorionis vim habent vocabula quae sunt *doctus* et *doctrina*. Quae cuiusmodi sit sic optime apparebit si dixero Nepotis de quo agimus loco *industriam* et *diligentiam* ad *inventionem* pertinere sed *doctrinam* ad *elocutionem*. Doctus is iis videtur qui severa lege vocabula conquirat eligatque et versiculos sententiolasque construat limatissimas exactissimasque. *Docti* dici semper omnes poetae Latini voluerunt sed nulli magis quam adolescentuli nostri doctae poeseos Alexandrinae imitatores, apud quos fere *termini technici* vim vox ea nacta est. Atque huius *artis* nil Cato habuit: „rem tene, verba sequentur" haec ei sola erat scribendi lex; verba rariora et subobscura, quae ipso sono aures permulcerent consueta omnia et trita *fastidientium*, e suis sibi latebris protrahere ne conatus quidem est. Nam quod sic illud *nulla doctrina* explicat Nipperdeyus ut in Catonis Originibus „nulla" dicantur „docta iudicia inveniri nullaeque inquisitiones generales ut apud Polybium" id ne tum quidem probarem si immemor essem vinculi quod Nepotem cum Catullo coniunxit. Talia enim si ab historico postulasset Nepos, semet ipsum nihili historicum esse confessus esset.

Quaerat nunc quispiam: illine adolescentuli turbulenti, suae artis admiratores fervidissimi, antiquorum contemptores, reverane *novi* aliquid in literas invexerunt Romanas?

Difficile dictu. Unde enim faciamus initium? Certe haud pauca quae in Catullo peculiaria observamus iam inveniuntur apud Laevium venustissimum poetam, qui certe haud ita paucis ante

Catullum annis vixit. Vide H. DE LA VILLE DE MIRMONT *le poète Laevius*, Bordeaux Feret et fils et confer RICHARD BÜTTNER *Porcius Licinus und der literarische Kreis des Q. Lutatius Catulus*, Leipzig Teubner 1893, librum utilissimum, qui tamen philologis parum innotuisse videtur.

Videamus quae fere illa sint. Scripsit *epyllia* Laevius quorum unum certe coniecturis minime audacibus ita possumus „reconstruere" (sit venia vocabulo novicio!) ut saltem de partibus eius earumque dispositione constet.

Nomen ei est *Protesilaodamia*: agit ergo de teneris illis Protesilai et Laodamiae amoribus, tam crudeliter diremptis. E prima parte supersunt haec:

inibi inruunt cachinnos
ioca dicta risitantes

et

complexa somno corpora
operiuntur ac suavi quie
dicantur.

Haec ergo nuptias describebat hilaritatis amorisque plenas.

Ad ultimum caput (an *scenam* dicam vel *actum*?) non dubium est quin hi pertineant versus:

num quaepiam alia de Ilio
Asiatico ornatu affluens
aut Sardiano ac Lydio
fulgens decore et gratia
pellicuit?

Domi sola desidet Laodamia tristis anxiaque: dudum finitum esse bellum Troiamque captam iam certior facta est, nunc quidni redeat maritus dilectissimus sollicita quaerit et de more mulierum nihil non metuit. Atque illis, quos servavit Priscianus, versiculis equidem hosce praefigendos coniicio, qui leguntur apud Nonium:

nunc quod meum admissum nocens
hostit voluntatem tuam?

Quid quod et ipse Protesilai obitus diserte commemoratur fragmento apud Muellerum 24.

Quot fere versus totum epyllion impleverit ne divinare quidem possumus, credo tamen non fuisse admodum longum carmen.

Sed totus eius decursus, varietas, ars e versibus superstitibus satis elucet.

Delectatum esse Laevium epylliorum suorum titulis admodum audacter compositis et nomen *Protesilaodamia* testatur et alterum illud *Sirenocirca*, nam et hoc epyllion fuisse, quo Ulyssis errorum pars quaedam subtili arte fuerit enarrata, coniicere in promptu est.

Et omnino novorum inauditorumque vocabulorum artifex fuit Laevius. Unum exempli causa affero quod ceteris omnibus est disertius. Sordet ei vox trita et decantata *lacerare*, ergo e substantivo quod est *accipiter* novum *accipitrandi* verbum fingit, quocum conferri potest istud *hostit* modo citatum. In *componendis* vero vocabulis ipsum Catullum carminis de Attide poetam superat.

Nova haec omnia et inaudita Gellius XIX, 7 affert ex *Alcestide*: en aliud epyllion, plenum vicissitudinum neque sua sibi carens laetitia. Nam *laetitia* utique poetae huic opus est. Quodsi antiqua poesis vel tragica vel epica ei in epyllio struendo laeti atque *lascivi* praebet nihil, ipse eiusmodi aliquid comminisci non veretur. Ecce petulantissima haec ex epyllio de .... casto illo sanctoque amore Hectoris et Andromachae:

Andromacha per ludum manu
lascivola ac tenellula
capiti meo trepidans, libens
insolita plexit munera

vix poteris non irasci poetae prae suis deliciis decoris et reverentiae nimis immemori.

Communis autem horum epylliorum, quale est *Protesilaodamia*, *Sirenocirca*, *Alcestis*, *Andromache* fuisse titulus videtur ἐρωτοπαίγνια. Commemorantur et eius *polymetra*. Ecquid *alterum* hoc est eiusdem corporis epylliorum nomen? Certe totam illud decet artem Laevii, qui nulli rei operam dederit magis quam novis metris in poesin latinam introducendis. Quis non Catulli in Attide admiratur ionicos a minore? Atqui non minus sunt elegantes, varii, operosi ionici illi a maiore Laevii, quos raro ingenii acumine e Charisio eruit Lucianus Muellerus.

Habemus ergo apud Laevium: epyllia, metra nova varia, vocabulorum compositorum ingentem copiam. Profecto non Ca-

tullus vel aliquis ex eius amicis et aequalibus illud *invenerunt* genus quo inclaruerunt cantores Euphorionis.

Et qui fuit aetatis illius finis? Ne hoc quidem accurate describere possumus; vel sic potius dixerim: sensim ea transiit in novam quacum multis firmisque cohaeret vinculis. Quod cum uno satisque diserto erit demonstratum argumento, summam quandam huiusce conabor conficere disputatiunculae.

Apud Suidam de *Parthenio* et alia leguntur et haec:

Παρθένιος ... ἐλεγειοποιὸς καὶ μέτρων διαφόρων ποιητής. οὗτος ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμησαν· εἶτα ἠφείθη διὰ τὴν παίδευσιν.

Quoniam nullus Cinna notus esset qui Mithridatem profligasset, pro Κίννα aliud alius vir doctus reposuit nomen. Sed quid nos cogit de *imperatore* hic cogitare Romano, quo duce splendidam reportaverint de Mithridate victoriam et ingenti sint praeda potiti Romani? Quidni tribunum aliquem fuisse militum intelligamus, qui, cum strenue pugnasset, de praeda hunc captivum ab imperatore suo acceperit praemium? Quid vero si hic Cinna fuit pater Cinnae illius, qui sua *Smyrna* clarum est adeptus inter *cantores Euphorionis* nomen? Et a patre Cinna manumissus est *propter doctrinam* Parthenius. Quod eius ei dederat documentum? Ut opinor, et alios eius liberos docuit et ipsum illum clarissimum futurum poetam. Sed *scripsit* Parthenius παθήματα ἐρωτικά idque Gallo, qui inde latinas faceret elegias. Fuitque Gallus amicus Virgilii qui notissimo illo loco Buc. IX, 35 Varium coniunxit cum Cinna, cuiusque et ipsius eclogae tam multa habent quae nobis Catulli artem revocant in memoriam, denique cuius amicus Gallus in Euphorionis illius, a quo nostri poetae suum sibi nomen traxerunt (inviti et inscii) et praeterea ut equidem opinor aut nihil aut perpauca, carminibus revera totus fuit.

Denique parum accurate hactenus viri docti auream poeseos latinae aetatem a Virgilio Horatioque incipiunt; simul cum cantoribus Euphorionis nata ea est, atque horum frater maior vel patruus fuit *Laevius*, cognatus proximus *Lucretius*.

AD EPICURUM.

SCRIPSIT

I. H. LEOPOLD.



Das Leben und die Lehre Epikurs
übersetzt von A. Kochalsky.
Leipzig. B. G. Teubner.

Us. p. 4. 1. — *τῶν ὁλοσχερωτάτων τύπων εὖ περιειλημμένων καὶ μνημονευομένων· ἐπεὶ καὶ τοῦ τετελεσιουργημένου τοῦτο κυριώτατον τοῦ παντὸς ἀκριβώματος γίνεται, τὸ ταῖς ἐπιβολαῖς ὀξέως δύνασθαι χρῆσθαι.*

Fortius haec distinguenda erant et per Ἐπεὶ nova sententia instituenda, ut clare eluceat in prooemio epistulae tria genera lectorum designari: *οἱ μὴ δυνάμενοι ἕκαστα ἐξακριβοῦν*, deinde *οἱ προβεβηκότες ἱκανῶς*, postremo *οἱ τετελεσιουργημένοι*, quos omnes in fine breviter comprehendit Ep.: *ὅθεν δὴ πᾶσι χρησίμης οὔσης τοῖς ᾠκειωμένοις φυσιολογίᾳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ κ. τ. ἑ.*

Idem autem agit Ep. in fine epistulae p. 31. 32, ubi eadem genera designantur: *ἐὰν μὴ καὶ πρὸς ἅπαντα βαδίσῃ τις τῶν κατὰ μέρος ἀκριβωμάτων*, tum *καὶ τοὺς κατὰ μέρος ἤδη ἐξακριβοῦντας ἱκανῶς ἢ καὶ τελείως*; ultimum autem membrum sic traditur: *ὅσοι δὲ μὴ παντελῶς αὐτῶν τῶν ἀποτελουμένων.* Itaque corrigas *ὅσοι δὲ δὴ κ. τ. ἑ.* ut fiat eadem gradatio, quam in exordio invenimus, et finis epistulae sublimis et quasi ecstaticus exsistat, uti par est in nostro.

p. 5. 2. — *καὶ μὴ ἄκριτα πάντα ἡμῖν ⟨ᾖ⟩ εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύουσιν ἢ κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν. ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον*

ἐννόημα καθ' ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι καὶ μηθὲν ἀποδείξεως προσδεῖσθαι.

Apparet coniungenda esse verba εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύουσιν, itaque potius cum Roepero ⟨ἤ⟩ inserendum esse. Porro pro ἔχωμεν in promptu est corrigere ἠχῶμεν, de quo librariorum errore conferri potest M. Anton. XI. 15. In ultimis vox βλέπεσθαι idem significat quod ἐναργὲς εἶναι, cf. p. 24. 14 et fr. 255.

p. 6. 1. Καὶ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἀεὶ τοιοῦτον ἦν οἷον νῦν ἐστι, καὶ ἀεὶ τοιοῦτον ἔσται. οὐθὲν γάρ ἐστιν εἰς ὃ μεταβαλεῖ. παρὰ γὰρ τὸ πᾶν οὐθέν ἐστιν, ὃ ἂν εἰσελθὸν εἰς αὐτὸ τὴν μεταβολὴν ποιήσαι.

Vitium arguit in extremis vox γάρ, quae totam pessumdat ratiocinationem, quae hoc demum modo rectis talis procedit: universum tale semper fuit, quale nunc est, semperque tale erit; nam praeter universum nihil est, in quod mutetur, neque quod in ipsum irrumpens mutationem efficiat. Itaque ex dittographia vitium ortum esse existimo et locum sic refingendum esse: παρὰ γὰρ τὸ πᾶν οὐθέν ἐστιν εἰς ὃ μεταβαλεῖ οὐδὲ ὃ ἂν εἰσελθὸν εἰς αὐτὸ τὴν μεταβολὴν ποιήσαι.

p. 6. 8 τόπος δὲ εἰ μὴ ἦν, ὃν κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν.

Recipienda erat emendatio Gassendi ὃν ⟨καὶ⟩ κενόν, quam Usener ne memoravit quidem.

p. 7. 1 εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι ἀλλ' ἰσχύοντα ὑπομενεῖν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων πλήρη τὴν φύσιν ὄντα ⟨καὶ⟩ οὐκ ἔχοντα ὅπῃ ἢ ὅπως διαλυθήσεται.

Recte Kochalsky ἰσχύοντά ⟨τινα⟩; ad finem autem loci interpretandum cf. locus gemellus p. 14. 17: αἱ δὲ ἄτομοι οὐδὲν μεταβάλλουσιν, ἐπείδηπερ ἀεί τι ὑπομένει ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ubi malis στερεὸν ⟨ὄν⟩.

p. 7. 18 τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστά, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται καὶ εἰς ἃ διαλύονται.

Nescio an praestet eicere prius καί et scribere ἐξ ὧν αἱ σ.

p. 8. 1. *Κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι τὸν αἰῶνα καὶ αἱ μὲν εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διιστάμεναι, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν κ. τ. ἑ.* Sic verte: Moventurque perpetuo atomi ac in omne aevum et quidem aliae in magnum spatium inter se *discedentes*, aliae vero agitationem reprimunt etc. Cf. Lucr. II 98. Gassendum aliosque male habuit vox *διιστάμεναι*, quam quasi perfectum per distantes interpretantur. Cum autem in sequentibus nullo verbo agatur de pondere atomorum, (nam ne vox quidem *ὑπέρεισις* vs. 7 necesse est de pondere accipiatur cf. p. 7. 14) non est, cur cum Usenero de hiatu cogitemus.

p. 8. 10 *αἰτίων τῶν ἀτόμων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ.*
Emendationem Weilii *ἀιδίων* iamdudum occupaverat Gassendus, qui apte confert Cic. de finn. I. 6. 17: motum atomorum nullo a principio sed ex aeterno tempore intellegi convenire.

p. 9. 1. *Ἡ τοσαύτη δὴ φωνὴ τούτων πάντων μνημονευομένων τὸν ἱκανὸν τύπον ὑποβάλλει κ. τ. ἑ.*
Rectius et modestius haec per futurum efferuntur *ὑποβαλεῖ* et magis ex more nostri, cf. pp. 22, 11; 31, 19; 55, 2.

p. 9. 4 *αἵ τε γὰρ ἄτομοι ἄπειροι οὖσαι, ὡς ἄρτι ἀπεδείχθη, φέρονται καὶ πορρωτάτω. οὐ γὰρ κατανήλωνται αἱ τοιαῦται ἄτομοι κ. τ. ἑ.*
Et propter illud *τε* quod non habet, quo excipiatur, et propter alterum *γάρ*, quod ad proxima referri non potest, verba *καὶ πορρώτατα* turbata nec non plura intercidisse suspicor. Praeterea nescio an totus hic locus de mundis infinitis rectius ante c. 45 ponatur et in fine capitum illorum, quae *περὶ τῶν ἀδήλων* agunt, locum obtineat.

p. 9. 12 *οὔτε γὰρ ἀποστάσεις ἀδυνατοῦσιν ἐν τῷ περιέχοντι γίνεσθαι τοιαῦται οὔτε ἐπιτηδειότητες πρὸς κατεργασίας τῶν κοιλωμάτων καὶ λειοτήτων γίνεσθαι κ. τ. ἑ.*
Emendationem *συστάσεις*, quam proposuit Lachelier, primus protulit Gassendus et egregie defendit. Quam nisi admiseris, non habebit secundum illud membrum *οὔτ' ἐπιτηδειότητες κ. τ. ἑ.*

quo referatur. Nec non illud *ἐπιτηδειότητεσ εἰσ κατεργασίασ*, quod vult Kochalsky, iam in contextu Gassendi conspicitur, ubi recte *ἐσ τὰσ κατεργασίασ*. Denique optime libri *λεπτοτήτων* exhibent, cum agatur de cavitate simulacrorum et tenuitate, cf. vs. 13.

p. 10. 16 *ὅθεν καὶ τάχη ἀνυπέρβλητα ἔχει πάντα πόρον σύμμετρον ἔχοντα πρὸσ τῷ ⟨τῷ⟩ ἀπείρῳ αὐτῶν μηθὲν ἀντικόπτειν ἢ ὀλίγα ἀντικόπτειν.*

In loco desperato hoc tantum moneo verba *πόρον σύμμετρον ἔχοντα* arte coniungenda esse cum praepositione *πρόσ*, quae accusativum casum flagitat *τό*, cf. p. 14. 11 *σύμμετροι πρὸσ τὸ τοῦτο τὸ αἰσθητήριον κινεῖν*, ubi itidem pars codicum vocem *τό* omisit.

p. 12. 9 *γινομένη κατὰ τὸ ἑξῆσ πύκνωμα ἢ ἐγκατάλειμμα τοῦ εἰδώλου.* i. e. orta secundum insequentem condensionem vel residuum simulacri.

p. 12. 10 *τὸ δὲ ψεῦδοσ καὶ τὸ διημαρτημένον ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ ἀεί ἐστιν ⟨ἐπὶ τοῦ προσμένοντοσ⟩ ἐπιμαρτυρηθήσεσθαι κ. τ. ἑ.*

In loco miserrime turbato sufficiat monere notionem *τοῦ προσμένειν* vix apte inseri, quippe quae significet actionem iudicii reservandi et differendi cf. p. 372. 22.

p. 13. 13 *ἅμα τινὰ διασῴζοντασ συμπάθειαν πρὸσ ἀλλήλουσ καὶ ἑνότητα ἰδιότροπον διατείνουσαν πρὸσ τὸ ἀποστεῖλαν καὶ τὴν ἐπαίσθησιν τὴν ἐπ' ἐκείνου ποιοῦντασ, εἰ δὲ μή γε, τὸ ἔξωθεν μόνον ἔνδηλον παρασκευάζοντασ.*

Optime se habet codd. lectio *ποιοῦσαν* et *παρασκευάζουσαν* nec non omnino retinenda erant verba *τὴν ἐπ' ἐκείνου ὡσ τὰ πολλὰ ποιοῦντασ*, quae genuina esse vel proximum sequens *εἰ δὲ μή κ. τ. ἑ.* demonstrat.

p. 14. 17 *αἱ δὲ ἄτομοι οὐδὲν μεταβάλλουσιν, ἐπειδή περ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖσ διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων.*

Ad defendendam hanc optimorum codicum lectionem contra Arndt Emendationes Epicureae p. 13, qui cum dett. *ἀεί τι ὑπομένει* legit, liceat revocare ad p. 15. 10: *ἐπειδή περ ὑπολείπεσθαί γέ τινα ἀναγκαῖον, οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι*, ubi recte iam Cobetus ⟨*καὶ*⟩ *οὐκ*.

p. 15. 2 *καὶ τὴν τοῦ μεταβάλλοντος φύσιν οὐκ ἔχοντα, ὄγκους δὲ καὶ σχηματισμοὺς ἰδίους· τοῦτο γὰρ καὶ ἀναγκαῖον ὑποτιθέναι· καὶ γὰρ ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν μετασχηματιζομένοις κατὰ τὴν περιαίρεσιν τὸ σχῆμα ἐνυπάρχον λαμβάνεται.*

Optime haec distinxit et emendavit Cobetus *σ. ἰδίους. Ταῦτα γάρ κ. τ. ἑ.*; optime etiam Mss. *ἀναγκαῖον ὑπομένειν* exhibent nec non *κατὰ τὴν προαίρεσιν* i. e. ex proposito.

p. 16. 8 *οὔτε γὰρ ὅπως, ἐπειδὰν ἅπαξ τις εἴπῃ ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἔν τινι ὑπάρχουσιν, οἱ ὁπηλίκοι οὖν, ἔστι νοῆσαι· πῶς τ' ἂν ἔτι τοῦτο πεπερασμένον εἴη τὸ μέγεθος;*

Recte in Codd. *ἢ ὁπηλίκοι οὖν*. Quod autem ad totius loci tenorem attinet, optimo iure v. Arnim Epikur's Lehre vom Minimum p. 17 contendit immerito ab Usenero duas argumentationes in his verbis inesse statui. Iam cum manifesto voci *ἅπαξ* respondeat in sequentibus illud *ἔτι* et sententiae structura ob nimiam brevitatem egregie displiceat, reiecto cum cod. F priore *ὅπως*, totum locum hoc fere modo legere malim: *οὔτε γάρ, ἐπειδὰν ἅπαξ τις εἴπῃ ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἔν τινι ὑπάρχουσιν ἢ ὁπηλίκοι οὖν, ἔστι νοῆσαι, ὅπως ἂν ἔτι τοῦτο πεπερασμένον εἴη τὸ μέγεθος.*

p. 16. 13 *ἄκρον τε ἔχοντος τοῦ πεπερασμένου διαληπτόν, εἰ μὴ καὶ καθ' ἑαυτὸ θεωρητόν, οὐκ ἔστι μὴ οὐ καὶ τὸ ἑξῆς τούτου τοιοῦτον νοεῖν καὶ τοῦτο κατὰ τὸ ἑξῆς εἰς τοὔμπροσθεν βαδίζοντι εἰς τὸ ἄπειρον ὑπάρχειν κατὰ* ⟨*τὸ*⟩ *τοιοῦτον ἀφικνεῖσθαι τῇ ἐννοίᾳ.*

Recte lectiones codicum *καὶ οὕτω* et *βαδίζοντα* restituit v. Arnim, cui hoc tamen obloquor verba *εἰς τὸ ἄπειρον* cum *βαδίζοντα* coniungenda non esse, tum enim *εἰς ἄπειρον* dicendum erat, cf. supra vs. 3 et p. 7, 1. Locum inter omnes difficillimum varie explicant v. Arnim et Kochalsky, quorum ille de divisione, hic de

amplificatione in infinitum cogitat, neuter tamen locum ita expedit ut nihil obscuri restet. De amplificatione agi certum esse videtur, cum manifesto ab atomo vel minimo ordiatur auctor testibus verbis *ἄκρον διαληπτόν, εἰ μὴ καὶ θεωρητόν*; reliqua verba autem vide, an hoc modo restituta perspicuum reddant sensum: *οὐκ ἔστι μὴ οὐ καὶ τὸ ἑξῆσ τούτου τοιοῦτον νοεῖν καὶ οὕτω κατὰ τὸ ἑξῆσ εἰσ τοὔμπροσθεν βαδίζοντα εἰσ τὸ ⟨τὸ⟩ ἄπειρον ὑπάρχειν καὶ αὐτὸ τοιοῦτον ἀφικνεῖσθαι τῇ ἐννοίᾳ* h. e. atque ita per consequens ulterius progrediendo ad hanc notionem pervenire infinitum vel ipsum esse tale sc. extremitatem finitam habens.

p. 17. 5 *ἀλλ' ὅταν διὰ τὴν τῆσ κοινότητοσ προσεμφέρειαν οἰηθῶμεν διαλήψεσθαί τι αὐτοῦ, τὸ μὲν ἐπιτάδε, τὸ δὲ ἐπέκεινα, τὸ ἴσον ἡμῖν δεῖ προσπίπτειν.*

Recte cod. F *τι* omittere videtur: *διαλήψεσθαι αὐτοῦ τὸ μὲν ἐπιτάδε, τὸ δὲ ἐπέκεινα.*

p. 17. 11 *ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ νομιστέον καὶ τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ ἐλάχιστον κεχρῆσθαι. μικρότητι γὰρ ἐκεῖνο δῆλον ὡσ διαφέρει τοῦ κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρουμένου, ἀναλογίᾳ δὲ τῇ αὐτῇ κέχρηται.*

Lege *ἐκείνου*; ad verborum collocationem cf. p. 22. 7 *νῦν δ' ἐναργῶσ ἀμφότερα ταῦτα συμβαίνει περὶ τὴν ψυχὴν τὰ συμπτώματα.*

p. 17. 16 *ἔτι τε τὰ ἐλάχιστα καὶ ἀμιγῆ πέρατα δεῖ νομίζειν τῶν μηκῶν κ. τ. ἑ.*

Sic verte: porro minima etiam non mixtos fines esse longitudinum existimandum est; ad vocem *ἀμιγῆ* explicandam cf. p. 16. 13 *ἄκρον διαληπτόν* et p. 17. 9 *οὐδὲ μέρεσι μερῶν ἁπτόμενα.*

p. 17. 20 *ἡ γὰρ κοινότησ ἡ ὑπάρχουσα αὐτοῖσ πρὸσ τὰ ἀμετάβατα κ. τ. ἑ.*

Verum viderat iam v. Arnim *τὰ μεταβατά* scribens.

p. 19. 6 *τῷ ἐφ' ἕνα τόπον φέρεσθαι τὰσ ἐν τοῖσ ἀθροίσμασιν ἀτόμουσ κατὰ τὸν ἐλάχιστον συνεχῆ χρόνον ἢ μὴ ἐφ' ἕνα ⟨καὶ ὅταν συνεχῆ ἔχωσι κίνησιν ἢ μὴ συνεχῆ⟩ κατὰ τοὺσ λόγῳ θεωρη-*

τοὺσ χρόνουσ, ἀλλὰ πυκνὸν ἀντικόπτωσιν, ἕωσ ἂν ὑπὸ τὴν αἴσθησιν τὸ συνεχὲσ τῆσ φορᾶσ γίνηται.

Rectissime quoad sensum haec, ut indicavi, supplevit v. Arnim; tamen verba ultima nec non ea, quae subsequuntur ὥσ ἄρα καὶ οἱ διὰ λόγου θεωρητοὶ χρόνοι τὸ συνεχὲσ τῆσ φορᾶσ ἕξουσιν in causa sunt, cur multo plura intercidisse credam, ea scilicet, quibus amplius demonstratur omnes tardiores motus hinc existere, quod corpora per minima intelligibilia temporis motum suum intermittant, quae tamen intermissio, cum spatio minimo neque sub sensibus cadente fiat, speciem motus continui prae se fert.

p. 19. 18 προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι καὶ πῇ μὲν τούτῳ προσεμφερέσ, πῇ δὲ τούτῳ, ἐπὶ δὲ τοῦ μέρουσ πόλλην παραλλαγὴν εἰληφὸσ τῇ λεπτομερείᾳ καὶ αὐτῶν τούτων, συμπαθὲσ δὲ τούτῳ μᾶλλον καὶ τῷ λοίπῳ ἀθροίσματι.

Emendatio Useneri ἐπὶ δὲ τοῦ μέρουσ alienam hinc locutionem introducit, in reliquis autem v.v. d.d. coniecturis displicet verbum ἔστι in exordio sententiae positum. Ob sensum et totius loci tenorem, qui optime una eademque sententia absolvitur, vellem legere possem ἔτι δὲ τὸ μέροσ i. e. et partim etiam.

p. 20. 4 τοῦτο δὲ πᾶν αἱ δυνάμεισ τῆσ ψυχῆσ διῆγον καὶ τὰ πάθη καὶ αἱ εὐκινησίαι κ. τ. ἑ.

Usener διῆγον correxit pro eo, quod est in codd. δῆλον; Gassendus δηλοῦσιν, Heinze δῆλον ⟨ποιοῦσιν⟩; si imperfecto locus sit (cf. infra vs. 15 et 17), libenter legam ἐδήλουν.

p. 20. 13 οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἕτερον ἅμα συγγέγενημένον αὐτῷ παρεσκεύαζεν.

Omnino codd. lectio ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ retinenda fuit, cf. vs. 10 et vs. 15 διὰ τῆσ συντελεσθείσησ περὶ αὐτὸ δυνάμεωσ.

p. 21. 10 οὐ γὰρ οἷόν τε νοεῖν τὸ αἰσθανόμενον μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι καὶ ταῖσ κινήσεσι ταύταισ χρώμενον, ὅταν τὰ στεγάζοντα καὶ περιέχοντα μὴ τοιαῦτα ᾖ, ἐν οἷσ νῦν οὖσα ἔχει ταύτασ τὰσ κινήσεισ.

Recte monet Kochalsky subitam hanc transitionem a neutro

ad femininum genus tolerari non posse, itaque post *ἔχει* inserit ⟨*ἡ ψυχή*⟩. Malo cum Cobeto legere *αὐτὴν* (codd. *αὐτό*) *αἰσθανομένην .... χρωμένην*, nec non cum Gassendo *συστήματι* [*καὶ*] *ταῖσ κινήσεσι*.

p. 21. 14 *Ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε δεῖ προσκατανοεῖν ὅ τι τὸ ἀσώματον, τοῦ ὀνόματοσ ἐπὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ νοηθέντοσ ἄν.*

Sic Usener, qui verba codd. *λέγει γὰρ κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν* in scholium relegavit. Primo statuendum verba contextus intellegi vix posse, nisi hiatum statuas, quem supplere conatus est Kochalsky scribens *ὅτι τὸ ἀσώματον* ⟨*οὐ δεῖ κατηγορεῖν τῆσ ψυχῆσ*⟩. Deinde patet, quam apte et verba *τοῦ ὀνόματοσ* cum *ὁμιλίαν* nec non *ἐπὶ* c. genitivo casu cum *λέγω* coniungantur. Itaque dubitari non potest, quin verba ab Usener eiecta optimo iure in textum remigrent, pro *λέγει γάρ* autem *λέγεται* scribendum videtur: *ὅτι τὸ ἀσώματον λέγεται κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν ἐπὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ νοηθέντοσ ἄν. καθ' ἑαυτὸ δὲ οὐκ ἔστι νοῆσαι τὸ ἀσώματον πλὴν τοῦ κενοῦ.* In ultimis verbis fortasse praestat scribere *νοῆσαί τι ἀσώματον.*

p. 22. 7 *νῦν δ' ἐναργῶσ ἀμφότερα ταῦτα συμβαίνει περὶ τὴν ψυχὴν τὰ συμπτώματα.*

Συμβαίνει Usener; codd. *διαλαμβάνει*, Cobetus *διαλαμβάνομεν*. Numquid *διαλαμβάνεται*?

p. 22. 15 *ἢ πᾶσιν ἢ τοῖσ ὁρατοῖσ καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν σώματοσ γνωστά.*

Optime codd. *καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν αὐτῶν* (sic P²) *γνωστοῖσ*.

p. 23. 2 *οὐθ' ὡσ ἕτερ' ἄττα προσυπάρχοντα τούτῳ ἀσώματα.*

Verte: neque alia quaedam adventicia huic accessisse incorporea.

p. 23. 10 *συμπαρακολουθοῦντοσ δὲ τοῦ ἀθρόου καὶ οὐθαμῇ ἀποσχιζόμενα, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀθρόαν ἔννοιαν τοῦ σώματοσ κατηγορίαν εἰληφότα.*

Lectio codicum *ἀποσχιζομένου .... εἰληφότοσ* tentanda non erat.

p. 24. 7 *ἀλλ' ὅπερ καὶ φαίνεται, συμπτώματα πάντα σώματοσ νομιστέον.*

Libri Mss. *πάντα τὰ σώματα*, unde corrigo *πάντα ταῦτα σώματοσ.*

p. 24. 15 *ἀλλ' αὐτὸ τὸ ἐνάργημα, καθ' ὃ τὸν πόλυν ἢ ὀλίγον χρόνον ἀναφωνοῦμεν, συγγενικῶσ· τοῦτο ἐπιφέροντεσ, ἀναλογιστέον.*

Distinguenda haec sunt tali modo: *ἀναφωνοῦμεν, συγγενικῶσ τοῦτο ἐπιφέροντεσ, ἀναλογιστέον* et sic vertenda: sed ipsam evidentiam, per quam tempus aut multum aut exiguum vocamus congenito modo hoc praedicantes, reputandum est. Ad vocabulum *συγγενικόσ* cf. p. 63. 1 *ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικόν*, p. 20. 14 et P. Linde de Epicuri vocabulis ab optima Atthide alienis p. 15.

p. 26. 2 *οὐδὲ γὰρ ἂν ἀποδείξειεν οὐδείσ, ὡσ ⟨ἐν⟩ μὲν τῷ τοιούτῳ καὶ οὐκ ἂν ἐμπεριελήφθη τὰ τοιαῦτα σπέρματα, ἐν δὲ τῷ τοιούτῳ οὐκ ἂν ἐδυνήθη* h. e. nemo facile demonstraverit alterius mundi eam esse naturam, ut in eo semina animantium perinde abesse atque adesse potuerint, in alio id fieri omnino non potuisse.

p. 27. 2 *ἐν μὲν τισὶ θᾶττον, ἐν δὲ τισὶ βραδύτερον καὶ ἐν μὲν τισὶ περιόδοισ καὶ χρόνοισ .... ἐν δὲ τισὶ καὶ ἐλάττουσ.*

Hiatum supplere ita conatus est Usener: *⟨μείζουσ λαμβάνειν ἐπιδόσεισ⟩*, cuius opinioni si assentiaris, fortasse praestat scribere *⟨κατὰ μείζουσ ἐπιδόσεισ⟩*, ut in sequentibus lectio codd. *ἐν δὲ τισὶ κατ' ἐλάττουσ* retineri posset. Scrupulum tamen inicit, quod sic bis idem praedicatur et ea, quae iam per *θᾶττον* et *βραδύτερον* significaverat auctor, inepte iterantur. Accedit, quod minime constat verba *ἀπὸ τῶν ἀπὸ τοῦ ἀπείρου* quae in codd. post *χρόνοισ* leguntur revera, ut vult Us., glossema continere; neque apparet, quo iure Us. *ἀπὸ τῶν* in *ἀποτομήν* mutaverit, locus enim, ad quem appellat, ep. II 88 nihil ad rem facit.

p. 27. 12 *τινὰ δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματα εἰσφέροντασ τοὺσ συνειδότασ παρεγγυῆσαι τινὰσ φθόγγουσ ἀναγκασθέντασ ἀναφωνῆσαι, τοὺσ δὲ τῷ λογίσμῳ ἑλομένουσ κατὰ τὴν πλείστην αἰτίαν οὕτωσ ἑρμηνεῦσαι.*

Libri Mss. *φθόγγουσ τοὺσ ἁ.* Qua lectione fretus elegantissime Cobetus locum restituit scribens *τινὰσ φθόγγουσ ⟨ὧν⟩ τοὺσ μὲν ἀναγκασθέντασ ἀναφωνῆσαι, τοὺσ δὲ τ. λ. ἑλομένουσ κ. τ. π. αἰ. ἑρμηνεῦσαι.* In extremis autem vocem *αἰτίαν* corruptam esse consentaneum est. Corrige *κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν*, cf. p. 22. 21: alios vero sonos ratione duce secundum frequentissimum usum eligentes.

p. 28. 1 *μήτε λειτουργοῦντοσ τινὸσ νομίζειν δεῖ γενέσθαι καὶ διατάττοντοσ ἢ διατάξοντοσ.*

Cum Cobeto *γίνεσθαι* corrigendum videtur. Porro quid futurum illud *διατάξοντοσ* sibi velit, haud facile dixeris; contra si cum nonnullis codd. *διατάξαντοσ* legeris, omnia perspicua fient: qui pergit haec ordinare vel semel et in omne tempus haec ordinavit.

p. 28. 8 *ἀλλὰ πᾶν τὸ σέμνωμα τηρεῖν, κατὰ πάντα ὀνόματα φερόμενον ἐπὶ τὰσ τοιαύτασ ἐννοίασ.*

Codd. *φερόμενα*; malim *ἀναφερόμενα.*

p. 28. 15 *καὶ μὴν καὶ τὸ τὴν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων αἰτίαν ἐξακριβῶσαι φυσιολογίασ ἔργον εἶναι δεῖ νομίζειν καὶ τὸ μακάριον ἐνταῦθα πεπτωκέναι.*

Constructio *τὴν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων αἰτίαν* vix sana; collato p. 29. 10 *καὶ τίνεσ αἱ κυριώταται αἰτίαι* nullus dubito reponere *τὴν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων αἰτιῶν*; vox autem, quae excidit, fortasse per *χρείαν* suppleri potest collato loco simillimo p. 29. 17 *οὐ δεῖ νομίζειν τὴν ὑπὲρ τούτων χρείαν ἀκρίβειαν μὴ εἰληφέναι.*

Praeterea verbis *ἐν τῇ περὶ τῶν μετεώρων γνώσει*, quae Us. tanquam glossema eiecit, in textu omnino non possumus carere: *καὶ τὸ μακάριον ἐν τῇ τῶν μετεώρων γνώσει ἐνταῦθα πεπτωκέναι* h. e. et felicitatem in exploratione caelestium consistere in eo, sc. in indagatione causarum primarum et principalium.

p. 29. 6 *τὸ δ' ἐν τῇ ἱστορίᾳ πεπτωκὸσ τῆσ δύσεωσ καὶ ἀνατολῆσ μηθὲν ἔτι πρὸσ τὸ μακάριον τὰσ γνώσεισ συντείνειν, ἀλλ' ὁμοίωσ τοὺσ φόβουσ ἔχειν τοὺσ ταῦτα κατειδότασ, τίνεσ δ' αἱ φύσεισ ἀγνοοῦντασ καὶ τίνεσ αἱ κυριώταται αἰτίαι καὶ εἰ μὴ προσῄδεισαν*

ταῦτα, τάχα δὲ καὶ πλείουσ, ὅταν τὸ θάμβοσ ἐκ τῆσ τούτων προσκατανοήσεωσ μὴ δύνηται τὴν λύσιν λαμβάνειν καὶ τὴν περὶ τῶν κυριωτάτων οἰκονομίαν.

Multo melius et clarius haec in codd. efferuntur, qui τῆσ γνώσεωσ habent; τὸ μακάριον τῆσ γνώσεωσ autem idem est quod supra τὸ μακάριον ἐν τῇ τ. μ. γνώσει. Nec non codicum lectio κατιδόντασ optime se habet. Porro pro ὁμοίωσ nescio an aptius ὁμοίουσ legatur vel ob sequens καὶ πλείουσ. Denique cum Gassendo κατὰ τὴν περὶ τῶν κυριωτάτων οἰκονομίαν corrigendum est.

p. 30. 4 ἂν οὖν οἰώμεθα καὶ ὡδί πωσ ἐνδεχόμενον αὐτὸ γίνεσθαι, ἐφ' οἷοισ ὁμοίωσ ἀταρακτῆσαι, αὐτὸ τὸ ὅτι πλεοναχῶσ γίνεται γνωρίζοντεσ ὥσπερ κἂν ὅτι ὡδί πωσ γίνεται εἰδῶμεν ἀταρακτήσομεν.

Locum difficilem praeeuntibus codd. sic refingo: ἂν οὖν οἰώμεθα καὶ ὡδί πωσ ἐνδεχόμενον αὐτὸ γίνεσθαι καὶ ⟨ἄλλωσ⟩, ἐφ' οἷοισ ὁμοίωσ ἐστὶν ἀταρακτῆσαι κ. τ. ἑ.

p. 31. 8 ὑπέρ τε μετεώρων αἰτιολογοῦντεσ καὶ τῶν λοιπῶν τῶν ἀεὶ παρεμπιπτόντων, ὅσα φοβεῖ τοὺσ λοιποὺσ ἐσχάτωσ.

Cobetus τοὺσ λοιποὺσ ⟨ἀνθρώπουσ⟩ cf. p. 31. 15. Fieri tamen potuit, ut vox λοιπούσ ex antecedentibus huc irreperet et lectionem genuinam πολλούσ vel simile quid extruderet.

p. 36. 14 οὐ γὰρ ἤδη ἀλογίασ καὶ κενῆσ δόξησ ὁ βίοσ ἡμῶν ἔχει χρείαν, ἀλλὰ τοῦ ἀθορύβωσ ἡμᾶσ ζῆν. πάντα μὲν οὖν γίνεται ἀσείστωσ καὶ πάντων κατὰ πλεοναχὸν τρόπον ἐκκαθαιρομένων συμφώνωσ τοῖσ φαινομένοισ.

ἀσείστωσ „vox nonnihil suspecta" Gassendus. Cum ne cetera quidem nimis placeant, scribo τοῦ ἀθορύβωσ καὶ ἀσείστωσ ἡμᾶσ ζῆν. ταῦτα μὲν οὖν γίνεται πάντων κ. τ. ἑ.

p. 36. 22 σημεῖα δ' ἐπὶ τῶν ἐν τοῖσ μετεώροισ συντελουμένων φέρειν τῶν παρ' ἡμῖν τινα φαινομένων.

Optime iam Cobetus φέρει.

p. 37. 3 ταῦτα γὰρ ἐνδέχεται πλεοναχῶσ γενέσθαι.

Immo γίνεσθαι cf. e. g. p. 30. 5.

p. 37. 9. Cur additamentum hic suspicatus sit Us., vix patet; omnia enim optime procedunt hoc modo, quem iam indicavit Cobetus, *καὶ καταλήγουσα ἐν πέρατι ἢ ἀραιῷ ἢ πυκνῷ καὶ [λήγουσα] ἢ ἐν περιαγομένῳ ἢ ἐν στάσιν ἔχοντι καὶ στρογγύλην ἢ τρίγωνον ἢ οἵαν δή ποτε περιγραφήν.* Fortasse in ultimis praestat legere *κατὰ στρογγύλην κ. τ. ἑ.*

p. 37. 14 *καὶ ὅτι [καὶ] ὁ τοιοῦτοσ δύναται κόσμοσ γίνεσθαι καὶ ἐν κόσμῳ καὶ μετακοσμίῳ.*

Optime Gassendus *καὶ ἐν [κόσμῳ καὶ] μετακοσμίῳ.*

p. 38. 3 *προσθέσεισ τε καὶ διαρθρώσεισ καὶ μεταστάσεισ ποιοῦντων ἐπ' ἄλλον τόπον, ἐὰν οὕτω τύχῃ, καὶ ἐπαρδεύσεισ ἐκ τῶν ἐχόντων ἐπιτηδείωσ κ. τ. ἑ.*

Verba *ἐπαρδεύσεισ ποιεῖν* vix, quo hic opus est, sensu passivo accipi possunt. Itaque Gassendus *καὶ ἐπαρδεύσεισ ἔξωθεν ἐχόντων ἐπιτηδείωσ*, Cobetus *καὶ ἐπαρδεύσεισ ἔκ τινων ἐχόντων ἐπιτηδείουσ.*

p. 39. 2 *Τὸ δὲ μέγεθοσ ἡλίου τε ⟨καὶ σελήνησ⟩ καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸσ ἡμᾶσ τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται· ἄλλο γὰρ τούτῳ συμμετρούμενον διάστημα οὐδέν ἐστι· κατὰ δὲ τὸ καθ' αὑτὸ ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ μικρῷ ἔλαττον ἢ τηλικοῦτον τυγχάνει· οὕτω γὰρ κ. τ. ἑ.*

Locum cum Cobeto constitui, cum Lachmanno emendavi, nam sic et prioris partis enuntiati causa redditur ut et alterius, nec non verba *ἄλλο γὰρ κ. τ. ἑ.* ab Us. in marginem reiecta minime scholii faciem prae se ferunt.

In ultimis, nisi sententiam *ἀπὸ κοίνου* construere mavis, cum libro Ms. F lege *ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ ἔλαττον μικρῷ*, ut illud *μικρῷ* ad utrumque comparativum referatur, cf. fragm. 345 *ἢ μικρῷ τινι μείζω ἢ ἐλάττω.* Lucret. V. 595. Cic. Acad. II 26, 82: Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum quam videatur sed non multo; ne maiorem quidem multo putat esse vel tantum esse, quantus videatur.

p. 39. 14 *καὶ κατ' ἐμφάνειάν τε ὑπὲρ γῆσ καὶ πάλιν ἐπιπροσθέτησιν τὸ προειρημένον δύναιτ' ἂν συντελεῖσθαι.*

Cobetus et hic et infra *ἐπιπρόσθησιν* legit, quae legitima huius vocis forma esse videtur.

p. 40. 16 *ἐάν τισ ἀεὶ ἐπὶ τῶν τοιούτων μερῶν ἐχόμενοσ τοῦ δυνατοῦ εἰσ τὸ σύμφωνον τοῖσ φαινομένοισ ἕκαστον τούτων δύνηται ἐπάγειν.*

Cod. B *ἐπάγειν*, reliqui *ἀπάγειν*; numquid *ἀνάγειν* legendum?

p. 43. 6 *Μήκη νυκτῶν καὶ ἡμερῶν παραλλάττοντα καὶ παρὰ τὸ ταχείασ ἡλίου κινήσεισ γίνεσθαι κ. τ. ἑ.*

⟨ἐνδέχεται⟩ καὶ παρὰ Gassendus. In sequentibus valde dubito iure Us. „interpolatam lectionem" eiecisse.

p. 44. 3 *καὶ παρὰ πιλήσεισ ἀέροσ πνευμάτων συνώσεωσ.*

Iam Gassendus *συνώσει* correxerat.

p. 45. 1 *καὶ κατὰ παρατρίψεισ νεφῶν καὶ τάσεισ.*

Plerique codd. *τάξεισ*, unde Gassendus *πατάξεισ.*

p. 48. 3 *καὶ τὸ πνεῦμα τοῦτο ἢ ἔξωθεν ἐμπεριλαμβάνει ⟨ἢ⟩ ἐκ τοῦ πίπτειν εἰσ ἐδάφη εἰσ ἀντροειδεῖσ τόπουσ τῆσ γῆσ ἐκπνευματοῦντα τὸν ἐπειλημμένον ἀέρα.*

Optime Cobetus [*εἰσ*] *ἐδάφη* et *ἐκπνευματοῖ.*

p. 48. 11. *Τὰ δὲ πνεύματα συμβαίνει γίνεσθαι κατὰ χρόνον ἀλλοφυλίασ τινὸσ ἀεὶ καὶ κατὰ μικρὸν παρεισδυομένησ.*

Malim *ἀεὶ* [*καὶ*] *κατὰ μ.*

p. 49. 3. *πρὸσ τὸ κατὰ μέρη συνίστασθαι πηγνύμενα καὶ κατὰ ἀθρότητα.*

Sic libri; at Gassendus iam *ἀθροότητα* correxerat.

p. 49. 14 *καὶ κατὰ πῆξιν δ' ἐν τοῖσ νέφεσιν ὁμαλῆ ἀραιότητα ἔχουσιν τοιαύτη πρόεσισ ἐκ τῶν νεφῶν γίνοιτο ἄν.*

Libri *ἔχουσαν*, quod placet et ob sensum et quia alioquin articulus *τοῖσ* melius absit.

p. 51. 2 *ἢ κατὰ κρᾶσιν ἰδίαν τοῦ τε φωτὸσ καὶ τοῦ ἀέροσ, ἢ*

τὰ τῶν χρωμάτων τούτων ἰδιώματα ποιήσει εἴ τε πάντα εἴ τε μονοειδῶσ· ἀφ' οὗ πάλιν ἀπολάμποντοσ τὰ δμουροῦντα τοῦ ἀέροσ χρῶσιν τοιαύτην λήψεται κ. τ. ἑ.

Gassendus *μονοειδέσ*. Quod sive acceperis sive reieceris, utique post hanc vocem minore interpunctione distinguendum erit, ut omnia, quae sequuntur, ad hoc tantum vocabulum referantur.

p. 52. 4 *ἤτοι πυρὸσ ἐν τόποισ τισὶ διὰ χρόνων τινῶν ἐν τοῖσ μετεώροισ συντεφομένου περιστάσεωσ γινομένησ.*

Malo legere *περιστάσεώσ ⟨τινοσ⟩ γινομένησ.*

p. 52. 14 *ἀλλὰ καὶ τῷ δίνην ἀέροσ ἔγκυκλον αὐτῷ περιεστάναι, ἣ κωλυτικὴ γίνεται τοῦ περιπολεῖν ὡσ καὶ τὰ ἄλλα.*

Omnino cum Gassendo pro *αὐτῷ* legendum *αὐτοῖσ*.

p. 53. 4 *ὥστε τὰ μὲν κατὰ τὴν αὐτὴν δίνην φέρεσθαι ὁμαλῆ οὖσαν, τὰ δὲ κατά τινα δίνησιν ἀνωμαλίαισ χρωμένην.*

Quantivis pretii est lectio codicum *κατὰ τὴν ἅμα τισὶν ἀ. χ.*

p. 54. 17 *οὐδὲ γὰρ εἰσ τὸ τυχὸν ζῷον κἂν ⟨εἰ⟩ μικρὸν χαριέστερον εἴη, τοιαύτη μωρία ἐμπέσοι, μὴ ὅτι εἰσ παντελῆ εὐδαιμονίαν κεκτημένον.*

Multo melius Cobetus *οὐδὲ γὰρ ⟨ἂν⟩ εἰσ τ. τ. ζ. κἂν μικρὸν χαριέστερον ᾖ, ἡ τ. μ.* Porro *ἐμπέσοι* i. e. incidet, quodammodo defendi potest, tamen quanto melius procedit sententia, quam ipse conexus flagitat, si scribitur simplex *πέσοι* i. e. cadet.

p. 55. 4 *καὶ τῶν συγγενῶν τούτοισ θεωρίαν, ἔτι δὲ κριτηρίων καὶ παθῶν κ. τ. ἑ.*

Iam Gassendus *ἔτι τε* correxerat.

p. 59. 3 *οὔτε γὰρ ἄωροσ οὐδείσ ἐστιν οὔτε πάρωροσ πρὸσ τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον.*

Vereor, ut lectio tradita *τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον* revera intellegi possit. Recte Clemens tradidit *ὑγιαίνειν*, cui lectioni palaeographice favit id, quod optimus codex B exhibet, *ὑγιαίνων*.

p. 59. 10 *ἔνθεν αἱ μέγισται βλάβαι τε τοῖσ κακοῖσ ἐκ θεῶν ἐπάγονται καὶ ὠφέλειαι* ⟨*τοῖσ ἀγαθοῖσ*⟩.

Fortasse praestat pro *τοῖσ κακοῖσ* substituere *τοῖσ ἀ̄νοισ* sc. *τοῖσ ἀνθρώποισ*, qua emendatione recepta additamento illo *τοῖσ ἀγαθοῖσ* iam nihil opus est.

p. 61. 15 *ὥσπερ δὲ σιτίον οὐ τὸ πλεῖον πάντωσ ἀλλὰ τὸ ἥδιστον αἱρεῖται, οὕτω καὶ χρόνον οὐ τὸν μήκιστον ἀλλὰ τὸν ἥδιστον καρπίζεται.*

Us. *τὸ ἥδιον*. Praestare videtur corrigere *τὸ πλεῖστον*.

p. 65. 9 *διὰ τὸ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνυπεύθυνον εἶναι, τὴν δὲ τύχην ἄστατον ὁρᾶν, τὸ δὲ παρ' ἡμᾶσ ἀδέσποτον κ. τ. ἑ.*

In fine epistulae miserrime corrupto ne verba quidem citata integra esse videntur, infinitivus enim *ὁρᾶν* totius loci structuram perturbat. Quem utinam prorsus tollere liceret; interim vide an praestet scribere *τὴν δὲ τύχην ἄστατον αἰτίαν* coll. fr. 380 *Ἐπίκουροσ τὴν τύχην λέγει ἄστατον αἰτίαν.*

p. 71. 4 *ὥστε οὔτε ὀργαῖσ οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον.*

Cum ad testimonium Philodemi et Nemesii accedat auctoritas gnomologii Vaticani nuper reperti, dubium esse non potest, quin et hic *ἐν ἀσθενείᾳ* scribendum sit.

p. 73. 10 *Εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονή, καὶ χρόνῳ καὶ περὶ ὅλον τὸ ἄθροισμα ὑπῆρχεν κ. τ. ἑ.*

Verbum *καταπυκνοῦσθαι* absolute accipiendum esse et ipsa sententia monet et exempla quae collegit Linde l. c. p. 30; itaque post *χρόνῳ* hiatus statuendus est, unde integrum verbum excidisse videtur.

p. 73. 16 *οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ τι μεμψαίμεθα* (sic cum Gassendo lego) *αὐτοῖσ, πανταχόθεν ἐκπληρουμένοισ ἡδονῶν κ. τ. ἑ.*

Optime codd. *εἰσπληρουμένοισ*, dummodo et haec vox et sequens *ἔχουσιν* per masculinum genus accipiantur et ad verba praecedentia *περὶ τοὺσ ἀσώτουσ* referantur.

p. 75. 3 Ὁ δίκαιος ἀταρακτότατος, ὁ δ' ἄδικος πλείστης ταραχῆς γέμων.

Suadente praeter Diodorum etiam gnom. Vaticano utique scribendum est Ὁ δίκαιος ⟨βίος⟩. Conferri potest fr. 519 et locus Aristophanis ibi a Clemente laudatus.

p. 76. 5 Τὸ ὑφεστηκὸς δεῖ τέλος ἐπιλογίζεσθαι καὶ πᾶσαν τὴν ἐνάργειαν, ἐφ' ἣν τὰ δοξαζόμενα ἀνάγομεν.

Schneiderus eiecit τέλος et profecto, si unquam, hic glossema deprehendimus. Contra, quos locos affert Us. ad traditam lectionem defendendam, nihil ad rem faciunt.

p. 77. 8 Τῶν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπ' ἀλγοῦν ἐπανάγουσιν ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, οὐκ εἰσὶν ἀναγκαῖαι ἀλλ' εὐδιάχυτον τὴν ὄρεξιν ἔχουσιν, ὅταν δυσπόριστον ἢ ⟨ἢ⟩ βλάβης ἀπεργαστικαὶ δόξωσιν εἶναι.

Ultima ut revera intellegi possint, vehementer vereor; malo cum cod. F, Gassendo, Cobeto legere δυσπόριστοι ἢ βλάβης ἀπεργαστικαὶ κ. τ. ἑ.

p. 79. 4 Οὐκ ἔστι τὸν λάθρᾳ τι κινοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει κ. τ. ἑ.

Librorum lectionem ποιοῦντα praeter gnomologium Vaticanum tuetur etiam fr. 18 εἰ πράξει τινὰ ὁ σοφὸς ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν, εἰδὼς ὅτι λήσει.

p. 79. 15 ἐὰν δὲ νόμον θῆταί τις, μὴ ἀποβαίνῃ δὲ κατὰ τὸ συμφέρον τῆς πρὸς ἀλλήλους κοινωνίας, οὐκέτι τοῦτο τὴν τοῦ δικαίου φύσιν ἔχει.

Recte emendasse Gassendum νομοθετῆταί τι vel sequens illud τοῦτο evincit.

p. 80. 9 ἔνθα δὲ καινῶν γενομένων τῶν πραγμάτων οὐκ ἔτι συνέφερε τὰ αὐτὰ δίκαια κείμενα, ἐνταῦθα δὲ τότε μὲν ἦν δίκαια, ὅτε συνέφερεν.

Lege ἐνταῦθα δή cum cod. F, Gassendo, Cobeto.

p. 81. 3. *Ὅσοι τὴν δύναμιν ἔσχον τοῦ τὸ θαρρεῖν μάλιστα ἐκ τῶν ὁμορούντων παρασκευάσασθαι, οὕτω καὶ ἐβίωσαν μετ' ἀλλήλων ἥδιστον τὸν ⟨βίον⟩* (sic probabiliter Koch) *βεβαιότατον πίστωμα ἔχοντες, καὶ πληρεστάτην οἰκειότητα ἀπολαβόντες οὐκ ὠδύραντο ὡς πρὸς ἔλεον τὴν τοῦ τελευτήσαντος προκαταστροφήν.*

Pro *οὕτω* cum cod. F, Gassendo, Cobeto legendum *οὗτοι*; totius autem loci tenorem paulo fusius exponere haud inutile erit. Ac primo verba *ἐκ τῶν ὁμουρούντων* ab infinitivo *θαρρεῖν* pendere patet collatis p. 72. 15 *Ἕνεκα τοῦ θαρρεῖν ἐξ ἀνθρώπων* et p. 73. 2 *τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀσφάλειαν*; notandum autem est hic addi vocem *μάλιστα*, unde apparet agi non de communi turba hominum sed de perfecto illo sapiente. Tum videndum, quos per illud *οἱ ὁμουροῦντες* designaverit auctor. Priores interpretes, qui et hanc et proxime antecedentem sententiam politici esse argumenti statuerunt, de finitimis et conterminis nationibus cogitaverunt; Kochalsky per cognatos consanguineosque vertit; equidem de iis accipere malim, quos circum se habet sapiens, quibuscum vivit, quos electione diligenter habita in suam familiaritatem admisit, de amicis denique et discipulis simili ingenio praeditis. Atque hinc apparet idem, quod de fine epistulae primae supra disputavimus quodque etiam de fine epistulae tertiae valet, scilicet Epicurum his in communem usum destinatis operibus per laudes et praeconium vitae beatae veri et summi sapientis finem quendam solito excelsiorem et paene ecstaticum imposuisse, apparet, aio, idem hoc etiam valere de ratis sententiis, quas auctor conclusit consuetudine et coetu celebrando sapientis discipulorumque, quorum vitam summis laudibus extollit et quos admonet, ne mortem magistri ipsius (nam hanc per extrema verba tecte innuisse nostrum libentissime crediderim) gravius, quam par est, ferant.

Superest, ut unum alterumque locum breviter attingam, quippe qui de isdem rebus agant atque sententiam ultimam et iis, quae disputavimus, aliquatenus illustrari posse videantur. Etenim si ultimam sententiam et praecipue si vocem *τοὺς ὁμουροῦντας* recte explicavimus, patet in verbis paenultimae sententiae, quae agit e contra de iis, quibuscum sapiens nullam consuetudinem iungere potest neque debet: *ὅσα δὲ μηδὲ τοῦτο δυνατὸς ἦν, ἀνεπίμικτος ἐγένετο καὶ ἐξήρεσατο ὅσα τούτων ἐλυσιτέλει*

(sic cum tribus codd. scribo) *πράττειν*, patet, inquam, in his verbis lectionem *ἐξορίσατο* vel *ἐξωρίσατο* quantivis esse pretii tamquam ex eodem sententiarum ordine profectam et utique contra Usenerum retinendam. Nec non in initio Ὁ *τὸ μὴ θαρροῦν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἄριστα συστησάμενος οὗτος τὰ μὲν δυνατὰ ὁμόφυλα κατεσκευάσατο κ. τ. ἑ.* verba *ἄριστα* et *οὗτος* minime oppositum membrum desiderare videntur, quod intercidisse Us. vult persuadere, sed et superlativus ille optime per illud *μάλιστα* sententiae ultimae illustratur et omnia haec quam aptissime de perfecto illo sapiente, de quo egimus, praedicantur.

Secundus, quem volo, locus legitur p. 74. 11 *Τῆς ἀσφαλείας τῆς ἐξ ἀνθρώπων γινομένης* (sic cum Gass. et Cob.) *μέχρι τινὸς δυνάμει τινὶ ἐξερειστικῇ καὶ εὐπορίᾳ εἰλικρινεστάτη γίνεται ἡ ἐκ τῆς ἡσυχίας καὶ ἐκχωρήσεως τῶν πολλῶν ἀσφάλεια.* Locus est corruptus neque quem facili negotio sanes; notandum tamen est hic vocem illam *δύναμις* sententiae ultimae recurrere nec non elucet lectionem codicis B *ἐξοριστικῇ* omnino in contextum recipiendam esse.

AD THUC. III, 89.

Innumeris locis Cobetus, Badhamus, Herwerdenus alii pueriles annotationes e Thucydidis removerunt textu, sed unam reliquerunt quae nescio an omnibus quotquot sunt deprehensae risui movendo sit aptior. Haec ergo hic indicata monere potest omnes qui legunt scriptores antiquos ut semper huic fraudi mentem habeant intentam. Sic enim hoc caput incipit:

τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι μέχρι μὲν τοῦ ἰσθμοῦ ἦλθον ὡς εἰς τὴν Ἀττικὴν ἐμβαλοῦντες, Ἄγιδος τοῦ Ἀρχιδάμου ἡγουμένου Λακεδαιμονίων βασιλέως, σεισμῶν δὲ γενομένων πολλῶν ἀπετράποντο [*καὶ οὐκ ἐγένετο ἐσβολή*!].

J. J. H.

DE PARISINA QUADAM SENTENTIARUM CATONIANARUM SYLLOGA.

SCRIPSIT

M. BOAS.



1. Anno 1882 Joh. Huemer in Studiis Vindobonensibus (vol. IV. p. 170 sqq.) publici iuris fecit seriem duodenonaginta [1]) versuum hexametrorum, quam in cod. Parisino Lat. 9347, saec. IX [2]), inter Sedulium et Iuvencum fol. 17v et 18r INCIPIVNT VERSI INSINGVLIS | GENERALIS SENTENTIAE inscriptum invenerat. Non fugit virum doctissimum exhiberi hic *Monostichorum Catonianorum* seriem eamque pleniorem quam quae in ullo ex iis libris manuscriptis inveniretur, quos A. Riese (in ed. Anth. Lat. priore a. 1870 n. 716) et Aem. Baehrens (in PLM. III p. 212 et 236) in Monostichis recensendis adhibuissent. Hoc autem Huemeri inventum diu praeteriisse videtur viros doctos cum alios tum eos, qui de Monostichis disputaverunt, Skutschium (Pauly-Wiss. RE. V. 361) et Schanzium (Röm.

1) Apud Huemerum series 90 versus complecti videtur, sed v. d., qui tantum textum versuum 33—88 plene laudavit, versui 33° numerum 35 appinxit; qui numerus est huius versus in serie Monostichorum apud Riesium A. L. 716. Versus autem 15 et 16 Riesianae seriei desunt in Parisino ut in Monostichorum codicibus omnibus praeter cod. Vat. Pal. 239 (cf. infra p. 311 n. 1).

2) „Codex olim Remensis (f. 2b in ora summa: Liber *sci Remigii uolumen* IIII, f. 2a in ora infima *Remigius Constanti*, f. 18 LIB SCI REMIGII) membranaceus formae maximae s. IX scriptus" Huemer in sua ed. Sedulii p. XIIII, cf. praeterea eiusdem ed. Iuvenci p. XXX. Vid. Delisle Inventaire des ms. lat. etc. 1863 sq., (Bibl. Éc. des Ch. V, III p. 306), ubi nostra series inter Sedulium et Iuvencum non commemoratur.

Littg. III² p. 40), neque prius in disquisitionem vocatum est, quam Riese a. 1906 iterum in Anth. Lat. ed. altera Monostichis recensendis operam dedit. Neque vero hic v. d., ut hanc Parisinam seriem ut omnium Monostichorum collectionum plenissimam atque vetustissimam iure recensioni subiecit, ita ab omni parte munere suo recte functus esse videtur. Etenim, quamquam Huemer iam viderat inesse in serie Parisina sententias nonnullas, quae cum *Distichorum* hexametris prorsus vel maximam partem convenirent, et Riese eandem ob causam complures posterioris seriei partis sententias ab editione seclusit, tamen neuter animadvertit uno sub titulo in Parisina serie syllogas sententiarum contineri *duas*; quarum prior, quae pertinet usque ad versum 69 (71 apud Huem.), tantum Monostichis assignanda est, altera autem (70—88) longe aliam prae se fert speciem. Ea, ut infra accuratius sum demonstraturus, particula est libri *Distichorum* ipsorum, atque ad eam traditionem pertinet huius opusculi, quae a Vulgata forma abhorrens etiam alibi nobis servata est. Quod autem uterque v. d. Monosticha per totam seriem se extendere existimavit [1]), in errorem inductus est, quod sententiae ulterioris partis quaedam (81—84) iam in Anth. Lat. ed. priore et apud Baehrensium, licet omnes vel pro parte uncinis inclusae, versabantur inter Monosticha (vs. 52—55) [2]). Quo quomodo referri potuerint, in extrema disputatione mea (p. 311 sq.) apparebit. Nunc horum quattuor versuum in Monostichis Riesianis et Baehrensianis memoria in praesentia neglecta ad duplicem seriei Parisinae originem demonstrandam transeo [3]).

2. Etenim habemus sententiarum syllogas utriusque sylloges (vs. 1—69; 70—88) consimiles, quae in comparationem vocari possint. Cum vero inter varias Monostichorum series in libris

1) Quod etiam nuper accepit E. Stechert, diss. de Catonis dist. Greifswald 1912, quippe qui Riesianam seriem disputationi suae de Monostichis (p. 91) subiecit, vid. infra p. 313.

2) In ed. 2ª Riese uncinos Parisini codicis auctoritate inductus adeo omisit.

3) De Catone post commentationem meam Mnem. 1914 p. 17—46 insertam scripsi: „Een Cato-album uit het jaar 1585" (Het Boek 1914 p. 225—237) cum Addendo ib. 1915 p. 31, „Een weinig bekende Catoberijming uit het jaar 1700 (Tijdschr. v. Ned. Taal- en Lett.k. 1914 p. 81—90), „Bijdrage tot de kennis van den Middelnederlandschen Cato" (ib. p. 249—277).

manuscriptis servatas facile indicari possit, quae series ad Parisinam seriem 1—69 proxime accedat, singularis series, quae eundem in modum cum Parisinis versibus 70—88 componatur, qua re demonstretur hanc posteriorem Parisinae seriei partem prorsus esse segregandam a parte priore, ut ipsa servata non est, ita erui potest ex una ex tot syllogis *Distichorum* vulgaribus, quae aetatem tulerunt, cum qua alia series Distichorum *aliunde* petita conglutinata esse videtur.

De serie 1—69 eiusque consimili primum videamus. Aptissime cum nostra sylloga confertur ea series, quae, ante Parisinam inventam omnium Monostichorum syllogarum maxima, extat in cod. Voravensi 111 saec. XII fol. 51ʳ. Sententiarum numerus 59 est, series 12 sententiis brevior quam Parisina, duabus sententiis in fine adaucta, prorsus eundem versuum ordinem atque Par. servat. Ex versibus enim Riesianis[2] 1—14, 17—71, quibus ordinandis Parisinus ordo prorsus subiectus est, desunt in Vorav. versus Riesiani[2] duodecim hi: 31 (31 B.), 38 (66 B.), 44 (39 B.), 46 (deest ap. B.), 57 (41 B.), 58 (60 B.), 59, 60 (desunt ap. B.), 63 (61 B.), 64 (48 B.), 65 (49 B.), 69 (51 B.), adest vero in fine cum versus Riesianus[1] 73 (73 B.), quem versum mirum in modum Riese[2] omisit — quo versu ipso nobis in disputatione nostra opus erit (infra p. 312) —:

sat dulcis labor est cum fructu ferre laborem,

tum vs. Ries.[2] 81 (74 B.). Notitia huius codicis et versuum ordinis redit ad H. Schenkelii disputationem in Stud. Vind. II. 1880 p. 299.

3. Sed antequam de alterius particulae (vs. 70—88) indole disputo, ipsius huius particulae contextum, ut legitur in cod. Parisino— cuius folia 17ᵛ et 18ʳ phototypice expressa mihi praesto sunt — exhibebo, additis ubique Distichorum Catonianorum, quae in Vulgata traditione leguntur, numeris. Quattuor versus 81—84 a Vulg. absunt; de quorum fontibus ceteris vid. infra p. 290 et 311. Lectiones a Vulg. alienas litteris *currentibus* exprimendas curavi; eas omnes quidem iam depravatas esse in propatulo est; attamen alicuius momenti est versus 85ⁱ lectio, vid. adn. et infra p. 295. Compendia soluta sunt.

70 Vt sapiens uiuas audi quae discere *prodest*	praef. II. v. 8.
71 Ergo ades et *quid* sit *patientia* disce legendo	praef. II. v. 10.
72 Mitte archana *deo* caelumque *re*quirere quid sit	II. 2, 1.
73 Cum sis mortalis quae *sint* mortalia cura	II. 2, 2.
74 Linque metum loeti nam stultum est tempore in omni	II. 3, 1.
75 Dum mortem *timeas* amittere gaudia uitae	II. 3, 2.
76 Si potes ignotis etiam prodesse memento	II. 1, 1.
77 Vtilius regno est meritis adquirere *famam*	II. 1, 2. *fol.* 18 *r. col.* 2
78 Discere ne cessa cura sapientia crescit	IV. 27, 1.
79 Quod nimium est fugito *parve* gaudere memento	II. 6, 1.
80 *Tutamen* puppis modico quae flumine fertur	II. 6, 2.
81 Quod nocet interdum si prodest ferre memento	Mon. 52 R.[1] B. 73 R.[2].
82 Dulcis enim labor est cum fructu ferre laborem	„ 53 „ 74 „
83 Laetandum est uita nullius morte dolendum est	„ 54 „ 75 „
84 Cur etenim doleas a quo dolor ipse recessit	„ 55 „ 76 „
85 Tranquillis rebus *quae sunt* adversa *caveto*	IV. 26, 1.
86 Rursus in aduersis melius sperare memento	IV. 26, 2.
87 Vincere cum possis interdum cede sodali	I. 34, 1.
88 Obsequio quoniam dulces retinentur amici;	I. 34, 2.

70 *prodest*] possis 71 *quid*] quae *patientia*] sapientia legendå 72 archana *deo*] dei *re*quirere] inquirere qid̄ 73 *sint*] sunt 74 linq̄: lå&i 75 *timeas*] metuas 77 *famam*] amicos 79 *parve*] parvo 80 *tutamen* &] tuta mage est modicoq;] a superscr. m. 2 81 dulcis ex duscis corr. m. 2 fruct' v add. et cum ' iunx. m. 2. *Versus* 81—84 *a Distichorum collectione vulgari alienos posuerunt etiam in appendice Distichorum Baehrens app.* 1 (83, 84), *Némethy app.* 1 (83, 84), *app.* 3 (81, 82). 85 *quae sunt* .... *caueto*; memoria ex I. 18. 1] semper .... timeto, nisi quod ex vetustioribus codd. Turic., qui versum quoque post II. 7 habet, hoc loco — neque vero suo loco — cum Par. congruit, et Voss. Lat. 86 hanc lectionem a m. 2 adiectam habet; cf. infra p. 295 quod in quae corr. m. 2. 87 sodali ex sodalis corr. Post lineam vacuam incipit carmen in quattuor Evangelistas, quod Iuvenci praefationem praecedere solet.

Hanc seriem esse farraginem quorundam Distichorum ex fere omnibus libris Distichorum vel ex variis fontibus petitorum primo obtutu dixerit quis; esse revera particulam continuam Distichorum *libri secundi*, qualis in quadam traditione inveniebatur, paucis aliorum librorum versibus intermixtis, apparebit collata libri Catonis traditione, quae praesto est in cod. *Turicensi* C. 78 saec. IX, qui est inter Distichorum codices unus ex vetustissimis. Qui codex fol. 96^r^—103^r^ Vulgatam sane iam continet Distichorum seriem, in libro II^0^ autem hic illic habet insertos versus alienos quodammodo cum versibus, qui in Parisino fragmento a libro II^0^ alieni sunt, congruentes. Fr. Zarncke, qui in libro, qui inscribitur „Der deutsche Cato" 1850 p. 174 sqq. apographon dedit Catonis Turicensis, traditione Distichorum non intellecta ab apographo seclusit ut supervacaneos vel spurios omnes versus in libro II^0^ huius codicis obvios, qui a Vulg. abhorrent, et tantum in paginae calce nunc textum ipsum nunc tantum numerum versuum adnotare satis habuit. Demum Aem. Baehrens illorum versuum lectiones omnes enotavit. Ego post Zarnckium et Baehrensium codicem denuo contuli.

Sunt autem versus libro II^0^ inserti minimeque ad Catonis libri historiam enucleandam spernendi hi [1]):

post II. 2, 1 (mitte archana dei celumque inquirere quid sit): eiusdem versus forma alia:
an di sint cęlūqui (i in ras. pro e) *regant ne quęre doceri.*

post II. 4, 2: IV. 5, 1 et 2;
laetanda etc. / *cur enim doleas etc.* } mon. 54, 55 R.[1] B, 75, 76 R.[2] app. 1 B, Ném.

post II. 7, 1 omisso versu II. 7, 2:
dulcis enim etc. mon. 53 R[1] B., 74 R[2]; app. 3 vs. 2 Ném.
omisso scil. priore huius dist. versu:
quod nocet etc. mon. 52 R[1] B., app. 3 N.

---

1) Primus haec disticha quae putabat deberi fraudi librariorum commemoravit Arntzenius in 2^a^ ed. Catonis 1754 ad dist. II. 2, 4, 7 et IV. 49 accepta collatione accuratissima (vid. praef. p. x, cf. autem Zarncke p. 172) codicis a v. cl. Hagenbuchio professore Turicensi.

IV. 26, 1 et 2;
I. 33, 1 et 2;
quod scieris etc.
oblatum auxilium etc. } app. 2 B., 2 Ném.
I. 1, 1 et 2;
I. 4, 1 et 2;
post II. 31. 2 (i. e. in fine libri II):
IV, 49, 2 (i. e ultimum ultimi libri dist.).

Scribam codicis Turicensis (T) iam insertos libro II invenisse in exemplari (T^1) quod describeret hos versus apparet ex versu II. 7, 2 et priore hexametri distichi *quod nocet etc.* post II. 7, 1 omissis propter subsequentium Distichorum exordiorum similitudinem:

II. 6, 1: *Quod* nimium etc.
2: Tuta mage etc.
II. 7, 1: *Quod* pudeat etc.
2: ⟨Ne plures etc.
app. 3, 1: *Quod* nocet etc.⟩
2: Dulcis enim etc.

Cum versus libro II° inserti, qui a libro II alieni sunt neque tamen a Vulgata traditione absunt (IV. 5; IV. 26; I. 33; I. 1; I. 4; IV. 49, 2), cuncti suis quoque locis in T occurrant, et horum versuum bis in T obviorum textus nonnumquam inter se ostendant varietates graves, statuamus necesse est Distichorum traditionem codicis T^1 (et T) esse derivatam ex duobus fontibus, quorum alter exhiberet Distichorum formam Vulgatam (T^1v), alter tantum librum II^{um} vel libri II^i partem [1]) cum suis aliorum librorum versibus intercalatis (S), porro librarium in libri T^1 contextu concinnando eos versus libri II^i qui cum in T^1v tum in S invenirentur, semel tantum descripsisse, nisi quod versus II. 2, 1 lectiones T^1v et S tanta discrepantia esse iudicaret, ut utramque versus formam exhibere necesse duceret.

In ceteris autem versibus bis in T obviis textus variat his locis:

---

1) Quod qua de causa moneam, vid. infra p. 306 sq.

	Dist. libro II inserta (S)	*Dist. suo loco obvia* (T¹ v)
IV. 5, 1	locuples	locuplex
2	eger diues nūmos hab&	aeger diues hab& nūmos
IV. 26, 1	quae sunt .... caueto *De hac lectione cf. supra p.* 295.	semper .... timeto
2	rurrsus	rursus (ut ceteris locis IV. 7, 25, 26, 45)
I. 33, 1	incertis	incertis (u in i corr.)
2	sequatur *delevit m.* 2 *et reposuit in margine*: laboras. *De lectione genuina* sequetur, *cf. Rh. Mus.* 1912 p. 88.	laboras
I. 1. 1	si d(eu)s om(ni)p(oten)s nobis est	si deus est animus nobis
2	p̄cipue	precipuę
I. 4, 1	noli repugnando	spernere pugnando (*ortum ut saepius in Cat. codd. ex Vulg.* sperne repugnando)
IV. 49, 2	sensū coniungere binos *Dc hac lectione vid. infra p.* 307.	sensus coniungere bonos (*ut in Vat. Reg.* 2078 binos *ex* bonos *corr.*)

Quamquam nonnullae harum lectionum discrepantiae scribae arbitrio deberi censendae sunt, tamen discrimen praecipuum ex lectionum diversitate librorum S et T¹ v explicandum esse manifestum est. Imprimis videmus librum S praebuisse nonnullorum versuum formam paganam (I. 1, 1 et supra II. 2, 1), cum Vulg. eosdem versus forma christiana vel minus pagana exhiberet. Deinde non deerant in S glossemata, ut I. 4 in prohibitivo *noli* repugnando tibi tu contrarius *esse*, pro: *sperne* .... esse; tum aliorum versuum, ut saepe fit in Catonianis libris mss., memoriae alio invectae, ut IV. 26, 1 *quae sunt* adversa *caueto* = I. 18, 1 pro: *semper* adv. *timeto*, fortasse ut metro subveniretur [1]), *quae*

1) Hinc quoque oritur lectio quae est in cod Trev. 1093 saec. X (cf. Mnem. 1914 p. 25), quem ipse contuli: semper*que* adversa *caveto*. Baehrens temere in textum coniecturam suam recepit: semper *diversa* timeto.

lectio prorsus cum Parisini fragmenti vs. 85 *convenit,* cf. supra p. 288 in adn. ad vs. 85.

Difficile dictu est, utrum scriba codicis T^1 in eis versibus libri III^1, quos in utroque fonte T^1 v et S offendit, semper eiusdem libri lectiones receperit (excepto II. 2, 1), an nunc hunc nunc illum librum praetulerit. Attamen cum lectiones versuum libri II fere semper cum Vulgatis congruant, eum T^1 v secutum esse dixerim, nisi quod fortasse ex S recepisse censendus est II, 6, 2: *Tuta mage est puppis modicoque* (m. 2 mutavit e in ę) [1]) *flumine fertur.* Itidem Parisinus quoque vs. 80 habet *modicoque* (m. 2 modico quae) vid. supra p. 288.

Nunc videndum est, quatenus series S, quam ex T eruimus, consimilis censenda sit posteriori parti (70—88) collectionis P. Qua de causa sub uno conspectu componam ordinem versuum libri II in T^1 — litteris *currentibus* notata sunt exordia versuum a libro II alienorum, qui ex S desumpti sunt —, atque ordinem versuum Parisinorum 70—88; hic litteris *currentibus* utor ad eos versus a libro II alienos enotandos, qui in T^1 redeunt, litteris distractis ad eos versus indicandos, qui in P sola a libro II abhorrent.

T^1: liber II.		P: vs. 70—88.	
praef. II vs. 1—6.			
7	nasonem		
8	ut sapiens	8 = 70	ut sapiens
9	per quae		
10	ergo ades	10 = 71	ergo ades
dist. II. 1, 1	si potes	II. 1, 1 = 76	si potes
2	utilius	2 = 77	utilius
II. 2, 1	mitte arcana	II. 2, 1 = 72	mitte arcana
1	*an di sint*		
2	cum sis	2 = 73	cum sis
II. 3, 1	linque	II. 3, 1 = 74	linque
2	dum mortem	2 = 75	dum mortem
		IV. 27, 1 = 78	discere
II. 4, 1	iratus		

1) Neque Zarncke neque Baehrens hanc scripturam adnotaverunt.

II. 4, 2	impedit		
IV. 5, 1	*cum fueris*		
	eger diues		
app. 1, 1	*laetanda*	app. 1, 1 = 83	*laetandum*
2	*cur enim*	2 = 84	*cur eteuim*
II. 5, 1	fac sumptum		
2	dandum		
II. 6, 1	quod nimium	II. 6, 1 = 79	quod nimium
2	tuta mage	2 = 80	tutamen
II. 7, 1	quod pudeat		
⟨ 2	ne plures⟩		
⟨app. 3 N., 1	*quod nocet*⟩	app. 3 N., 1 = 81	*quod nocet*
2	*dulcis enim*	2 = 82	*dulcis enim*
IV. 26, 1	*tranquillis*	IV. 26, 1 = 85	*tranquillis*
2	*rurrsus*	2 = 86	*rursus*
I. 33, 1	*cum dubia*		
2	*pro lucro*		
		I. 34, 1 = 87	vincere velle
		2 = 88	obsequio
app. 2, 1	*quod scieris*		
2	*oblatum*		
I. 1, 1	*si deus*		
2	*hic tibi*		
I. 4, 1	*noli repugnando*		
2	*conveniet*		
II. 8, 1	nolo putes		
etc.	. . . .		
	. . . .		
II. 31, 2	dum uigilat		
IV. 49, 2	*hoc brevitas*		

Series S et P inter se cognatas esse cum aliis indiciis apparet tum collatis ordinibus sententiarum quae in utraque serie leguntur inde a II. 6:

T^1 : II. 6; II. 7; app. 3 N.; ; IV. 26; I. 33.

P : II. 6; — ; app. 3 N.; app. 1 ; IV. 26; — ; I. 34.

Facile apparet communem fontem (Σ) habuisse:

Σ : II. 6; II. 7; app. 3 N.; [app. 1]; IV. 26; I. 33; I. 34.

Dist. app. 1 non deest in T^1 sed alio loco positum legitur, post II. 4, IV. 5 et ante II. 5.

Ut in T^1 (S) I. 33 et in P sequens distichon I. 34, utrumque a libro II^0 alienum, invenitur, sic T^1 et P IV. 26, P sola subsequens dist. IV. 27, 1 (vs. 78) habet.

Itaque hoc statuendum est syllogas S et P originem ducere ex communi fonte Σ, ex quo altera altera via derivata sit; ordinem quoque pristinum in alterutra immutatum esse. Verisimile est S integriorem ordinem seriei Σ servare, propterea quod disticha traditionis Vulg. II. 1, 2, 3 P inverso ordine II. 2, 3, 1 exhibet.

Continuit igitur Σ praeter totum librum II vel partem eius — ignoramus enim num maiorem minoremve distichorum vel hexametrorum numerum omiserit quisquis hanc seriem concinnavit — dist. aliena haec: IV. 5, app. 1, app. 3 N., IV. 26, 27, I. 33, I. 34, app. 2, I. 1, I. 4, IV. 49, 2, fortasse hoc modo inserta: II. 1—4, IV. 5, app. 1, II. 5—7, app. 3 N., IV. 26, IV. 27, I. 33, I. 34, app. 2, I. 1, I. 4, II. 8 et in fine seriei IV. 49, 2.

Etiam lectiones quaedam cognationem, quae sit inter S et P, testificari videntur:

1) Communem habent S et P in dist. IV. 26 lectionem *quae sunt . . . . . caueto*, ex memoria dist. I. 18, 1 ortam, cf. supra p. 292. Haec lectio in antiquioribus mss. a prima manu non invenitur.

2) P quoque, ut S in I. 4, glossema quoddam exhibet sc. in vs. 75 = dist. II. 3, 2: *dum mortem timeas*, ubi reliqua traditio praebet *dum mortem metuas*.

Una autem extat discrepantia eaque gravissima inter P et S. Formam distichi II. 2, 1 paganam in T^1 obviam

an di sint caelumque [1]) regant ne quaere doceri

quam S adsignavimus, praeter expectationem non invenimus in P sed formam christianam, quam T^1 ex T^1v accepit:

mitte arcana dei caelumque [2]) inquirere quid sit.

Cum autem dubitari nequeat, quin Σ continuerit et huius dist.

---

1) Sic Arntzenius ad loc. et Baehrens recte iam emendaverunt traditum: cęlumqui (de ras. vid. supra p. 290). In hoc igitur verbo utraque traditio consentit.

2) Hic habet cod.: dī celūque.

formam paganam et distichi I. 1 formam antiquiorem, necesse est statuamus vel ante seriem P ex Σ excerptam in exemplari quodam seriei Σ paganam recensionem cessisse christianae, vel concinnatorem ipsum mutavisse forma pristina recentiorem, vel post seriem P confectam librarium quendam reposuisse pro forma distichi antiquiore eam, quae cum in omnibus Catonis libris versabatur tum quoque extra Catonem in libris mss. nonnumquam a Catone separata inveniebatur. Huius rei iam antea (Rh. Mus. 1912 p. 74) laudavi exemplum ex cod. recentiore (saec. XIII) Med. pl. 90 sup. 25, nunc addere possum cod. Monacensem 19413 (saec. XI), olim Tegernseeensi, qui fol. 116r habet [1]) unicum distichon Catonianum hoc in eadem forma denuo recentiore atque Mediceus:

Noli archana dei caelum*ue ex*quirere quid sit;
Cum sis mortalis, quae sunt mortalia cura.

Huius versus textum cod. Parisinus ipse iam denuo depravatum (de*o* — *re*quirere) [2]) exhibet, ut pleraeque lectiones in P obviae a Vulg. lect. abhorrentes (cf. supra p. 288) nonnisi depravatione ortae existimandae sint neque seriei Σ lectiones genuinas repraesentare. Ab his lectionibus seiungendae sunt eae, quae in Par. ex Σ derivatae sunt (vs. 75 timeas, vid. supr. p. 275, 80 modicoque m. 1, vid. supra p. 280; 85 quae sunt ..... caueto, v. supra p. 295).

Eos autem versus, qui a Vulg. alieni in P leguntur (vs. 81—84) prorsus integri in Par. servati sunt, cum T eos (vs. 83, 84 = app. 1) vitiatos exhibeat nimirum, quia huius codicis correctori [3]) alterum exemplar deesset, ex quo in textu manus prioris emendando vitia horum versuum iam a m. 1 recepta corrigeret:

Laetand*a* ē uita. nullius morte dolendum [est *om.*]
Cur *enim* doleas *eū.* a quo dolor ipse *s*ecessit

---

1) Vid. Halm, Catal. Cod. Monac. sub num.; Dümmler, Neues Archiv. IV. 1878 p. 554. [Plagulas corrigenti adnotandum mihi videtur ex hoc cod. Mon. ipso nuper novum Catonianum fragmentum mihi innotuisse vetustum, de quo alibi disputaturus nunc quae supra dixi non muto.]

2) Has adeo lectiones servavit Riese² cum versum reciperet in Monostichorum seriem (vs. 72). Cf. infra p. 313.

3) Corrector quae emendanda videbantur leviter indicata scribae codicis rescribenda reliquit. Cf. etiam Zarncke passim in adn. ad apographon.

Vs. 82 (app. 3 N. v. 2) sine vitio T exhibet ut P, vs. 81 (app. 3 N. v. 1), ut supra dixi p. 291, in T excidit [1]).

4. Quod supra p. 290 quaerendum esse dixi, num series P v. 70—88 esset nullo ordine atque nulla ratione composita, id quidem nunc denuo de sylloga Σ, ad quem communem fontem cum S tum P recurrere vidimus, quaerendum esse videtur. Etenim, ecquam seriem singularem exstitisse probabile est libri secundi solius versibus primi et quarti quibusdamque a Vulg. alienis variati et lectionibus instructi eiusmodi, quae partim Vulgata traditione sunt antiquiores (sc. lectiones non christianae) partim textus iam depravati sunt indicia (sc. glossemata et memoriae)? An potius Σ series habenda est pro fragmento recensionis universae totius libri Catonis, quae cum Distichorum ordine tum lectionum generibus talibus, qualia dixi, a Vulgata recensione abhorrebat?

Nunc nobis in comparationem disquisitionemque vocandum est fragmentum satis amplum libri Catonis, quod cod. Veronensis 163 saec. IX, quo nullum vetustiorem librum habemus, continet fol. 30ᵛ sqq. Quem librum sane eo ipso loco, sc. in libri secundi parte priore, qua nobis opus est, magnam lacunam ostendere mihi persuasum est, atque eam tanti ambitus, ut olim

---

1) Denique moneo in Turicensi praecedere librum Catonis fol. 95ᵛ duo epitaphia sine titulo: *Quid tibi mors faciam* (Riese 487ᵃ) et f. 96ʳ *Luciola effigies* (Riese 684), tantum post ultimum versum prioris carminis in eadem linea legitur EPITAFIUM. Prius carmen, Epitaphium Vitalis mimi, postea Catoni postpositum e. g. in Reg. 1414, tum Par. 8319 (interposito libro „quinto" Eugeniano, v. Rh. Mus. 1912, 90), facile Catonianum titulum asciscere potuit (filii Catonis), qua de causa apud Baehrensium post Catonem editum est (p. 245), ut in Par. 2772, tum in Reg. 1578, interpositis versibus de phylomela (Riese 658) — qui etiam post Catonem leguntur in *cod. Turicensi* et Voss. Lat. Q. 33 — et libro quinto Eugeniano. In cod. Reg. 2078 post Catonem sequuntur carmina Hibernici (Dümmler P. aev. car. I. 395 sqq.), tum post carmen X et ante *epitaphiorum* seriem „*Epitafium filii Cathonis*". Traube (O Roma nobilis p. 38 = Abh. Bayr. Ak. XIX, 334) putat subscriptionem erasam (cf. Rh. Mus. 1912, 91) Catonianam, ad hoc epitaphium pertinere. — Praeterquam in his codd. et in aliis cod. quos laudat Riese hoc carmen inveni in cod. Reg. 479 p. 53ᵛ membr. s. X sequente ut in Turic. altero epitaphio *Luciola* etc. (684 R.). In hoc codice quoque novam seriem Monostichorum Catonianorum inveni (vid. infra p. 316 n. 2 et 317 n. 2), quam sequitur carmen Alcuini „Conflictus veris et hiemis" (Dümmler p. 270), quod excipit „Epitafium *fili catonis*".

eam explevisse seriem distichorum talem, qualem Σ continuisse apparuit, credibile sit.


Sed antequam de Σ et A (= Veron.) cognatione disputem — de syllogarum T (sc. eius partis huius libri, quam S nominavi) et A (= Veron.) cognatione iam verbo monui Rh. Mus. 1912 p. 88 (n. 2) —, de codicis Veronensis indole atque ratione ea praemittenda sunt, quae ad cognationem syllogarum Σ et A demonstrandam necessaria esse videntur, praesertim cum ab iis qui apographon Veronensis codicis publici iuris fecerunt (K. Schenkl, Zeitschr. f. d. öst. Gymn.w., 1873 p. 485 sqq., C. Cipolla Riv. di filol. 1880 p. 517 sqq.) et ab iis qui huius codicis ope Catonem ediderunt (Aem. Baehrens, G. Némethy) [1]), complures res, quae huius codicis sunt propriae, aut non animadversae aut minus recte aestimatae videri possint. Ipse codicem contuli.

Codex Veronensis saec. IX init. utrimque mutilus, inde a fol. 30ᵛ med. continet Catonem, praecedentibus carminibus iis Claudianeis [2]), de quibus disserit Th. Birt in ed. Claudiani p. XCII. Disticha ipsa incipiunt in summa pag. 32ʳ, ultimo quaternionis quartae — olim codicis integri decimae — folio et praeterea explent fol. 33, 34, 35, quae sola subsequentis quaternionis servata sunt, in quibus codex desinit. Quod autem distichorum ordo nonnihil discrepat ab ordine Vulgatae traditionis, id viros doctos impedivit, quominus agnoscerent ordinem Veronensem, in quo I. 32, praef. II vs. 1—6 (fol. 33ᵛ), IV. 11, II. 17, 18 etc. (fol. 34ʳ) sese excipiunt, nequaquam ita a librario inventum esse in exemplari ex quo Catonem descripsit, ut nunc codex Ver. exhibet. Intercedit autem inter praef. II v. 6 et IV. 11, II. 17, 18 etc. i. e. inter fol. 33 et fol. 34 *lacuna duorum foliorum*, quam nemo eorum qui de Veronensi disputaverunt animadvertisse videntur, nisi quod Cipolla in calce apographi folii 33ᵛ adnotavit: „manca una carta?", neque a Némethyo

1) Neglegi potest editio quam curavit Michael *Autore*, Neapoli ex officina Veraldi, MDCCC*L*XCVII (!), sic speciose inscripta: „Dicta Catonis vulgo Dionysii Catonis Philosophi Disticha de Moribus ad filium *ad optimorum codd. atque in primis Veronensis fidem* recognovit, prolegomena scripsit, adnotationibus criticis auxit M. A. Auctor editionis minimi, ne dicam nullius pretii imitatur Némethyanam.

2) In quibus mediis legitur Lactantii carmen de ave phoenice (Riese² 485ᵃ). Cf. Riese 494ᵃ et 494ᵇ).

neque a Skutschio respectus (PW.—RE. V. 362, vid. infra p. 301). Folium enim 33, quo quinta ultimaque quaternio orditur, *altera parte abscissa* agglutinatum est ad fol. 34. Quod folium cohaeret [1]) cum fol. 35; textus quoque qui legitur in fol. 34^{v} continuatur fol. 35^{r}. Itaque condicio huius quaternionis integra haec erat:



Desunt igitur inter praef. II vs. 6 et II. 17, 18 (quos versus in ipsa summa pag. 34^{r} casu distichon *quarti* libri 11 praecedit) quattuor series versuum duodevicenum = 72, nam singulae paginae codicis versus duodevicenos continent, quae res infra accuratius exposita est. Deesse duo folia non unum disputatio nostra ipsa ostendet (cf. infra p. 310).

Quo melius condicione atque dispositione seriei Veronensis Catonianae (A) ad cognationem syllogarum Σ et A demonstrandam utar, proponam lectoribus, quid singulae paginae 32^{r}—35^{v} contineant lineis suis duodevicenis. Disticha in Vulg. non obvia exordio laudato attuli adiecto Baehrensianae, aut, ubi apud Baehrensium non extat, Némethyanae distichorum appendicis numero. *Videas tabulas quaeso infra pag.* 300—303.

Quae quattuor res in hac disputatione animadvertendae sunt:

a) litterarum maiuscularum et minuscularum ratio;

b) codicem esse descriptum ex exemplari duabus columnis exarato;

c) singulorum librorum inscriptionum et subscriptionum locus;

d) versus quarti libri partis posterioris per totam seriem ordine esse dispersos,

eas ita tractabo, ut simul arguam, qui ex his proprietatibus quattuor seriem Veronensem et syllogen Σ cognatas esse appareat.

---

1) Birt in Claud. ed. p. XCII n. 1: „accedunt in fine folia tria, eorum primum a sequentibus separatum glutino fixum est, alterum et tertium cohaerentia inter se assuta sunt."

Fol. 32^{r}

I. 2, 1
2
I. 8, 1
2
I. 9, 1
2
IV. 23, 1
2
I. 10, 1
2
I. 13, 1
2
I. 14, 1
2
Perde (app. 3, 1)
sepe (app. 3, 2)
Dissimula (app. 4, 1)
qui caelare (app. 4, 2)

Fol. 32^{v}

I. 12, 1
2
Qui prode esse (app. 5, 1)
si laesit (app. 5, 2)
IV. 24, 1
2
IV. 25, 1
2
sub tortorem (deest ap. B, app. 7, 2 N)
II. 8, 1
2
I. 28, 1
2
I. 15, 1
2
I. 16, 1
2
I. 17, 1

Finis quaternionis quartae.

a. Alternis vicibus versus a littera maiuscula et minuscula incipiunt; singuli versus, ut ita dicam, minores, etiam paululum ab initio versuum maiorum dextrorsum remoti exarati sunt. Haec *εἰσθέσεως* ratio iis quoque locis observatur, ubi duo versus non ad idem distichon pertinentes illum in modum in unum quasi coniunguntur, sc. fol. 33^{v} app. 7 + I. 32, 2; fol. 34^{r} II. 19, 1 + IV. 30, 1; app. 8 + II. 22, 1, cum II. 22, 2 coniungatur cum IV. 49, 2; fol. 34 II^{v} 26, 1 + II. 27, 1; fol. 35^{r} praef. II vs. 3 + vs. 1; vs. 4 + vs. 2; praeterea versus inverso ordine scripti fol. 33^{r} I. 23, 2 + I. 23, 1. Tribus locis hoc modo *tres* versus compositi sunt: fol. 32^{v} IV. 25, 1 + IV. 25, 2 + versus a Baehrensio omissus app. 7, 2 N., qua de re alibi disputaturus sum, fol. 34^{v} IV. 30, 2 + II. 23, 1 + II. 23, 2, de quibus vide infra p. 302 sq.; fol. 33^{v} praef. II vs. 1 + 2 + 3, cum littera maiuscula, qua versus primus praefationis libri II^{i}

Fol. 33^r	Fol. 33^v
I. 17, 2	I. 26, 2
I. 18, 1	I. 27, 1
2	2
I. 19, 1	*Contra* (app. 6, 1)
2	*non captari* (app. 6, 2)
I. 20, 1	I. 30, 1
2	2
I. 21, 1	I. 31, 1
2	2
I. 22, 1	{ *Dat legem* (app. 7)
2	{ I, 32, 2
{ I. 23, 2	EXP . LIB . PRI . INCP . LIB . SEC
{ 1	{ praef. II. vs. 1
I. 24, 1	{ 2
2	{ 3
I. 25, 1	4
2	5
I. 26, 1	6

Incipit lacuna duorum foliorum.

incipit, tanta sit, ut novae maiusculae demum locus sit in versus *quarti* initio. Quo facto denuo versus sextus, ultimus paginae huius, maiusculam habet. Proximus autem in codice versus, in summa pagina 34^r denuo a maiuscula incipit, quod novum idque certissimum indicium est post fol. 33^v folium, in quo summo versus praef. 7us littera minuscula incipiens legeretur, periisse. Prorsus igitur condicionis codicis rationem non habuit Skutsch, qui PW.—RE. V. 362 contendit ideo deesse versus 7—10 praefationis libri II[1], quod oculus librarii a fine vs. praef. II. 6: *Si quid amare uelis uel discere amare* [l e g e n d o ad finem versus ultimi 10: *ergo ades et quae sit sapientia disce*] l e g e n d o aberravisset.

b. Codex sine dubio descriptus est vel originem ducit ex exemplari, in quo disticha per duas columnas exarata erant ita, ut versus priores in columna priore, in posteriore posteriores legerentur. Quae ratio — quae quoque in Catonis codice Voss.

Fol. 34r	Fol. 34v
IV. 11, 1	IV. 30, 2
2	II. 23, 1
II. 17, 1	2
2	II. 24, 1
II. 18, 1	2
2	II. 25, 1
II. 19, 1	2
IV. 30, 1	II. 26, 1
II. 20, 1	II. 27, 1
2	II. 10, 1
II. 21, 1	2
2	IV. 31, 1
Quod tacitum (app. 8)	2
II. 22, 1	IV. 32, 1
2	2
IV. 49, 2	IV. 33, 1
EXP. LIB. SEC. INC	„ „ „
LIB. TERTI.	IV. 33, 2
margo inf.	„ „ „

Versibus 16, 17, 18 est lacuna in membrana, quapropter per duas lineas divisa sunt, quibus alioquin una sufficeret.

Lat. Q. 33 saec. X observatur — multos errores parere solet. Sic enim explicatur, quod fol. 34v in unum coniuncti sunt II. 26, 1 + II. 27, 1, cum librarius post II. 26, 1 non exaraverit versum II. 26, 2 in posteriore columna obvium, sed versum sequentis lineae II. 27, 1 denuo neglecto versu iuxta posito II. 27, 2. Eundem in modum explicationem habet fol. 33v versus app. 7, qui posterior distichi versus esse videtur, „*dat legem natura tibi non accipit ipsa*", coniunctus cum versu I. 32, 2. Hic post I. 31, 2 librarius duos deinceps versus *posterioris* columnae descripsit. Quo factum, ut prior versus distichi a Vulg. alieni perierit et solus alter versus (app. 7) servatus sit. Denique huc pertinet fol. 34r II. 19, 1 + IV. 30, 1, librarius nunc autem errorem suum animadvertisse videtur, nam in summa pagina 34v alterum versum distichi IV. 30 reposuit atque quidem ita, ut litteram

Fol. 35r	Fol. 35v
II. 28, 1	EXP. LIB. III. INC. LIB. IIII
2	praef. III, 1
IV. 36, 1	2
2 (sc. versus genuinus, non Vulg.)	3
IV. 35, 1	4
2	III. 2, 1
II. 29, 1	2
2	III. 3, 1
II. 31, 1	2
2	III. 4, 1
III. 1, 1 (Instrue)	2
2 (nam sine)	III. 5, 1
{ praef. IV, 3	2
{ 1	IV. 37, 1
{ 4	2
{ 2	III. 6, 1
Fortunae (app. 9, 1) = III. 1bis, 1 [1]	2
non opibus (app. 9, 2) = III. 1bis, 2	III. 7, 1

Desinit codex.

maiusculam, a qua hic versus incipiebat (*Q*uod), paulo maiorem solito exararet, ne maiuscularum ratio turbaretur neve versus II. 23, 2, sed II. 24, 1 a nova maiuscula inciperet (cf. supra p. 300). Itaque in exemplari, ex quo cod. Veron. ducit originem, inter totum distichon II. 19 et totum dist. II. 20 dist. IV. 30 et ipsum integrum legebatur. Quae res qua de causa observanda sit, ex tertia huius codicis, quam nunc tractabo, proprietate apparebit.

c. Ordinem versuum perlustrantes nos praeterire non potest seriem distichorum partis libri quarti posterioris suo fere ordine

1) Dist. III. 1bis illud est dist., quod Pithoeus primus ex codice nunc deperdito edidit, deinde ex eius editione ante Ver. inventum in complures editiones transiit, de quo dist. dixi Tijdschr. Ned. T. L. 1910, 186 sqq., Tijdschr. v. Boek- en Bibl.w. 1911 p. 29, Rh. Mus. 1912, p. 74 et 77.

per totam ceterorum distichorum seriem esse dispersam [1]). Leguntur enim:

fol. 32^r l. 7 sq.		dist. IV. 23
fol. 32^v l. 5 sqq.		IV. 24
		IV. 25
	intercedit lacuna	
fol. 34^r l. 8	versus olim post II. 19 coniuncti, cf. supra p. 303	IV. 30, 1
fol. 34^v l. 1		IV. 30, 2
fol. 34^v l. 12 sqq.		IV. 31
		IV. 32
		IV. 33
fol. 35^r l. 3 sq.		IV. 36
		IV. 35 [2])
fol. 35^v l. 14 sq.		IV. 37
	desinit codex.	

Itaque verisimile est in lacunae serie, quam versum praefationis libri II^i 7um aperuisse supra p. 301 vidimus, lecta esse disticha libri IV^i: 26, 27, 28, 29 vel omnia vel nonnulla. Quod qua de causa statuam, in propatulo est: habebat enim etiam fragmentum Σ in medio libro II^0 — inter II. 7 et II. 8 ut videbatur supra p. 295 — disticha libri IV^i et ea 26 et 27.

Pauca quoque alia prioris partis libri IV^i disticha Veronensis, quamquam iam in III. 7, 1 desinit, ceteris libris intermixta habet, sc. IV. 11 et IV. 49, 2, alterum primum dist. folii 34^r, alterum ultimum.

De IV. 11 non est nunc quod miremur; nonne etiam Σ quarti libri prioris partis distichon in II^i libri priore parte insertum habuisse vidimus, sc. IV. 5, ut videbatur inter II. 4 et 5? Itaque IV. 11, quo ipso disticho post lacunam intermissam ordo versuum excipitur, seriem secundi libri, quae post IV. 11 continuatur II. 17, 18, 19, ⟨IV. 30⟩, 20, 21, perrupisse censendum est.

Hac re igitur, quae suspicio iam supra de syllogarum Σ et A cognatione orta est, confirmatur. Itaque iam hoc affirmare

1) Monui de hac re iam Tijdschr. Ned. T. L. 1910 p. 205.

2) Hic deest IV. 34; in pleniore vero exemplari ex quo Ver. originem ducere videtur (Φ, vid. infra p. 309 n. 4), adfuisse credibile est

possumus lacunam complexam esse praef. II v. 7—10, dist. II. 1—16 (si nullum omissum fuisse videtur [1]) praeter II. 8 et II. 10, quae leguntur fol. 32ᵛ l. 10 sq. et fol. 34ᵛ l. 10 sq.), et aliquot disticha aliena, inter quae fuisse iam vidimus IV. 26—29 omnia vel nonnulla.

At manifestius cognatas esse Σ et A arguit alter versus libri IVⁱ in libro II positus: sc. versus singularis et totius libri Catonis finalis IV. 49, 2. Quem versum solum A habet cum Σ communem. At enim in Σ — vel potius in cod. T — legitur post ultimum libri II dist. II. 31, 2, in A iam post II. 22, 2, cum fol. 34ᵛ — interposito IV. 30, 2 de quo supra p. 302 sq. vidimus — continuentur libri II disticha 23, 24, 25, 26, 27. Sed nonne mirum est in A post IV. 49, 2 ipsum sequi in ima pag. 34ʳ ipsius libri II subscriptionem „explicit liber secundus incipit liber tertius", ut si non re at specie in A quoque hoc dist. in fine libri II legi putandum sit? Utrum autem locus, quem versus occupat, in A pro genuino sit habendus an in T (Σ), id demum diiudicari poterit, cum de quarta re in cod. A memorabili disputaverimus: de subscriptionum inscriptionumque loco.

d. Singulorum librorum subscriptiones et inscriptiones collocatae sunt loco prorsus a Vulgata traditione alieno:

1) Subscriptio libri Iⁱ non legitur post ultimum huius libri distichon sed fol. 33ᵛ post I. 32, 2: „explicit liber primus incipit liber secundus".

2) Itidem subscriptio libri IIⁱ iam legitur fol. 34ʳ post II. 22, 1 atque 2 et IV. 49. 2: „explicit liber secundus incipit liber tertius".

3) Subscriptio libri IIIⁱ post III. 1bis in summo fol. 35ᵛ: „explicit liber III incipit liber IIII".

De libri IVⁱ subscriptione atque eius loco propter codicis laceram condicionem nihil constat.

Apparet recensionis A concinnatorem hoc spectasse, ut librorum dispositionem aliter institueret quam in Vulg. recensione fieri solebat; altera parte libri IV suo ordine per ceteros libros dispersa singulos libros breviores reddere voluisse videtur. Finem

1) Cf. infra p. 310.

suo libro I iam ad I. 32, 2, *suo* libro II ad II. 22, 2, ***suo*** libro III ad III. 1bis, 2 imposuit. Librorum praefationes II, III, IV alibi aliter tractavit. Cum subscriptioni sui libri I praefationem libri II adiungeret, librorum III et IV praefationes a librorum suorum exordio revellit et eis ad suum arbitrium locum assignavit: praef. IV post III. 1; praef. III ante III. 2. His praefationibus duabus neglectis apparet genuinum distichorum ordinem post subscriptionem libri III interpositam continuari (III. 1 — III. 1bis — III. 2) ita, ut etiam ordinem secundi libri post inserta IV. 49, 2 et subscriptionem libri II et IV. 30, 2 (quod a librario omissum in summa pag. 34^{v} positum erat, cf. supra p. 302 sq.) excipi videmus: II. 22—II. 23, 24 etc. Quid, quod disticha libri I, quae post I. 32 sequebantur, ubi nunc libro I finis impositus est, statim vel aliquot distichis libri II interiectis post subscriptionem libri I et praefationem libri II in lacuna codicis legebantur?

In hac codicis condicione nonne peropportune accidit, quod in Σ, in quo fragmento iam continuari (p. 304) vidimus seriem distichorum libri quarti IV. 26, 27 lacuna interruptam, quoque lecta esse constituimus disticha, quae seriem libri I subscriptione interceptam continuant: I. 33, I. 34? Nonne hoc novum indicium est seriem Σ fragmentum esse eiusdem traditionis, quam in A habemus et forte fortuna eam libri Catonis partem repraesentare, quam foliorum duorum iactura in A periisse dolemus?

Nunc ad versum totius Catonis finalem IV. 49, 2 ante subscriptionem libri II positum cum in A tum in T, sed hic post genuinum exitum libri II (II. 31), illic post exitum mutatum (II. 22) revertamur (vid. p. 305). Quoniam in Σ liber I iam desiisse vidimus, ut in A, post I. 32, necesse est in eodem fragmento librum II usque ad eundem atque in A versum pertinuisse i. e. usque ad II. 23; versus igitur IV. 49, 2, quem traditionis A concinnatorem, cum posteriorem partem libri IV per omnes libros disponeret, itidem in fine libri alicuius posuisse credibile est, quemque et in A et in T ante subscriptionem legi videmus, in Σ collocatus erat post II. 22, 2, qui ultimus libri II in hoc fragmento versus erat. Is locus igitur, quem nunc versus IV. 49, 2 occupat post II. 31 ante subscriptionem genuinam in cod. Turicensi, ab eo qui ex $T^{1}v$ et S concinnavit

seriem libri II huic versui assignatus est, cum in S invenisset post II. 22 ante subscriptionem traiectam. Itaque series Σ non totum librum II complexa est usque ad II. 31, sed aut prorsus convenit cum *secundo libro eius recensionis*, in qua librorum ratio immutata erat versuumque ordo, aut eiusmodi libri secundi satis amplum erat excerptum.

5. Ut lectionum generis similitudine syllogarum P et S cognationem, iam versuum ordine constitutam, confirmavimus (p. 295), ita syllogen Σ, quam ex P et S restituimus, et seriem A (Ver.) cognatas esse non solum ex versuum dispositione sed etiam *ex lectionum ratione* apparet. Omnem autem lectionum codicis Veronensis farraginem, quam afferre possum, non afferam, ne nunc disputationem propositam de genere atque ratione Veronensium lectionum, quas Baehrens et Némethy in edd. suis saepissime pluris quam debuerunt aestimatas male adhibuerunt, absolvere videar; tantum lectiones laudabo selectas, quibus similitudinem textus in Σ et A exhibiti me demonstrare posse confido [1]).

In versu finali IV. 49, 2 quod ex Σ in S servatum neque a Ver. abest, hic codex habet *sensu* (-s add. m. 2) *coniungere binos*, S *sensū coniungere binos*; T¹v cum Vulg. *sensus*, praeter totam fere Vulg. *coniungere bonos* (cf. p. 292). Itaque res sic sese habere videtur traditionem, ex qua ortae sunt cum series Σ tum A, quam indicabo littera Φ, praebuisse *sensu*, quod in S abiit in *sensū*, in A demum a m. 2 cum Vulg. conspirare iussum est.

Etiam in A habemus lectionem *paganam*: I. 23, 2: incusare *deos* noli, Vulg.: *deum* [2]). Alias quoque lectiones antiquiores servat A (*ut* S I. 33, 2: sequatur) e. g. versum genuinum IV. 36, 2, dist. III. 1 nondum in media praefatione libri III positum, I. 15, 1 at quaecumque [3]) (Vulg. atque cum), I. 16, 2 rep̄hindas

1) A lectionibus distinguendae sunt eae varietates, quae ad orthographiam pertinent totius codicis, de qua re cf. Birt, in ed. Claudiani p. CCV.

2) Eadem varietas eademque causa est in carmine Martialis I. 12, 12 in cod. Thuaneo, cf. Friedländer in ed. vol. I praef. p 73.

3) Sic habet codex ipse secundum Cipollae et meum ipsius apographon, Schenkl legit: *et* quaecunque, quod Baehrens non ex codice ipso, quo ipse usus est, sed ex sua coniectura emendavit: „*at* quaecunque *scripsi*, et quaecunque A atque cum *ceteri*", unde vide quid Némethy (cuius in usum R. Vári codicem contulit) effecerit: „ac A in textu autem ipso praebet N.: at), et *ceteri*"!

(pro reprendis, ut cod. B), Vulg. reliqua: recenses, III. 1[bis] parisse (i. e. par esse, cf. Tijdschr. v. Ned. T. en Lettk. 1910 p. 186, Rh. Mus. 1912, 77), etc.

Multa autem vitia praebet A, e. g.:

1) Prohibitivum — etiam contra metrum — mutatum (*ut* in S *noli* ... esse pro *sperne* ... esse I. 4): I. 25, 1 promittere noli, Vulg. ne ... promiseris; II. 8, 1 noli putare, Vulg. nolo putes; I. 22, 1 noli timere, Vulg. ne timeas, III. 1, ne cessa, Vulg. ne cesses. Etc.

2) Glossemata complura (*ut* in P *timeas* pro *metuas* II. 3, 2): I. 22 timet, Vulg. metuit, I. 13 polliciti, Vulg. promissi; I. 12 cave, Vulg. fuge; ib. ne studeas, Vulg. ne incipias, quod corruptum esse videtur ex neu cupias [1]), rect*u*ri (m. 2 *o*), Vulg. doctori, II. 23, 2 vincere, Vulg. laedere; I. 20, 1 accipito *laetus*, plene et laudare memento, pessumdata in lectione genuina Vulg. accipito *placide*, *pl*ene etc. allitteratione, II. 26, 1 scieris, Vulg. noscis (noris coni. Baehrens); IV. 37 quocumque incedis, Vulg. quocumque ingrederis, qui locus est, ut saepius in Distichis usu venit, memoria Ovidiana, cf. eadem versus sede Metam. IV. 28: quacumque ingrederis, II. 791: quacumque ingreditur; III. 4 vitare, Vulg. cavere. Etc.

3) Traiectiones verborum, quibus metrum pessumdatur (*ut* in S IV. 5, 2 eger dives nummos habet), e. g. IV. 24 morbi causa mali *est nimia* quaecumque voluptas, Vulg. nimia est, III. 4 sermones blandos et *h*lesos vitare memento, Vulg. sermones blandos blesosque cavere (vid. supra) mem. , II. 25, 2 spes una retinet hominem nec in morte relinquit, Vulg. spem retine, spes una hominem nec morte relinquit, I. 9 si tibi carus est, m. 3 corr. si tibi sit carus, cum Vulg.

4. Pronominum insertiones ad sententiam enucleandam (*ut* in S in app. 1, 2 cur enim doleas *eum*, a quo etc., cet.: cur etenim doleas, a quo etc.): II. 10 cui *te* scieris non esse parem, app. 2, 2 sepe dato bonis, scieris bene ponere *te* quod des.

Haec hactenus. Nam mihi videor satis demonstravisse et versuum genere et lectionum indole syllogen Σ et librum Catonis in A servatum ad eandem Distichorum recensionem per-

1) Cf. Tijdschr. Ned. T. en L. 1913 p. 117 n. 1.

tinere. Quod in Σ huius traditionis fragmentum idem servatum est, quod foliorum iactura periit in cod. Veronensi, id nimirum casui felici tribuendum est [1]).

Novas, quae nunc oriuntur, quaestiones indicabo neque vero nunc diiudicabo. Quaeritur enim, num recensio Φ ex maiore eiusmodi sylloga excerpta sit; num vitia textus, quae recensioni Φ inhaerent, iam maiori illi syllogae inhaeserint. Tantum hoc dico — ut lectores videant, quo spectet disputatio mea — ad has quaestiones solvendas mihi in disquisitionem vocatum esse Alcuini carmen, quod inscribitur Praecepta vivendi per singulos versus quae Monastica dicuntur [2]) (ed. Dümmler in Poet. Aev. Car. I. 275 sqq.), et ex versibus Catonianis ab eo vel integris receptis vel plus minusve immutatis apparere eum adhibuisse librum Catonis non, ut vulgo putatur et ego quoque antea putabam [3]), in ea forma, quae traditione *Vulgata* esset plenior, sed in ea forma, quae traditionem Φ eamque maiorem praeberet; in qua cum alii versus in Φ nondum indicati legerentur tum ex quarti libri parte priore, ut in Σ IV. 5 et A IV. 11, ita IV. 6 et 16; porro, ut ex serie posterioris partis libri IV per ceteros libros dispersi ultimum dist. IV. 37 post III. 5 in cod. A mutilo inveniretur, ita in libro integro adeo IV. 40 post III. 19; hanc syllogen denique praestitisse lectionum magis genuinam condicionem quam Σ et A. Quatenus disquisitio nostra textui recensendo inservire possit, in promptu est [4]).

1) Dixerit quis nunc explicationem habere, cur Ver. (fol. 34v) cum Turic. congruat in dist. II. 8, 2 lectione: et tempor*a* parent; hic enim videri possit scriba descripsisse non textum ex T¹v sed ex S; at et errore proclivi factum esse probabile est, ut illam daret lectionem pro genuina: et tempor*e* parent, et in aliis quoque codicibus eundem deprehendimus errorem ut in Par. 8320 (e superscr. m. 2), Reg. 1560 (a eras. e superscr. m. 2).

2) De Alcuini, cui attribuit carmen Dümmler, auctoritate non dubito, quamquam Manitius Gesch. des Lat. Lit. des Mitt. 1911 p. 185, Stechert diss. 1912 p. 84 sq. Columbani nomen carmini in codd. iure inscriptum esse putant. Nec vero hic est locus, ut de hac re disseram, de qua propediem alibi disputaturus sum. [Postquam haec scripsi, prodiit commentatio quam inseruit A. Streib in Münchener Museum f. Phil. des MA. II, 1914 p. 343—364: „Wer ist der Verfasser der Praecepta vivendi?" inscriptam. Iure sunt vindicata Alcuino; quae vero condicio inter eum et Catonem extet, non recte constitutum est.]

3) Cf. Tijdschr. N. T. L. 1910 p. 183.

4) Dist. IV. 34 igitur, quod in Ver. non adest, in pleniore traditione Φ defuisse non necesse est (cf. supra p. 304 n. 2).

6. Liber *secundus*, qualis in traditione Φ, quam Σ et A repraesentant, legebatur, ex his igitur versibus compositus erat:

1) praef. II (versus decem)
2) dist. II. 1—22 omissis II. 8 et II. 10 (vid. infra)
3) dist. I. 33—40
4) dist. IV. 26—29
5) dist. IV. 5 et 11
6) dist. I. 1 et 4 (vid. infra)
7) dist. in Vulg. non obvia app. 1, 2, 3 N.
8) dist. IV. 49 vs. 2.

Disticha II. 8 et II. 10 in A non in huius recensionis libro II legebantur, sed illud fol. 32^v in libro I, hoc fol. 34^v post II. 27. Quod duo disticha libri I, inter quae dist. totius libri Catonis primum, quae ex S syllogae Σ adiudicavimus, primo omissa suo loco in libro II posita erant, eo confirmatur, quod in A haec disticha suo loco desunt. Praeterea credibile est unum alterumve dist. ex iis, quae enumeravimus, non receptum fuisse in librum II^{um}, contra in eo lecta esse disticha a Vulg. aliena alia, quae nunc perierunt.

Ambitum autem libri secundi traditionis Φ fere convenisse cum iis distichis quae indicavi apparet ex versuum numero, qui in lacuna libri Veronensis post fol. 33^v obvia olim lecti esse videntur, sc.:

1) praef. II vs. 7—10
2) dist. II. 1—16 (omissis II. 8 et II. 10)
3) dist. I. 33—40
4) dist. IV. 26—29
5) dist. IV. 5
6) dist. I. 1 et 4
7) dist. app, 1, 2, 3 N. in Vulg. non obvia.

Versus 68.

Confirmatur igitur, quod iam antea statuimus iacturam fuisse foliorum *duorum*, versus 72 continentium. Praeter versus enumeratos legebantur in his paginis et ideo quoque in Σ minimum disticha duo alia nunc ignota et fortasse plura, si unum alterumve distichon ex enumeratis afuisse videtur.

Series Σ sive congruebat cum libro II *traditionis* Φ sive ex

eo excerpta erat, duabus viis excerpta et servata est: *alterum* excerptum est libri P fragmentum 19 versus complectens, incipiens a praef. II vs. 8 usque ad dist. I. 34, quod fragmentum postea seriei Monostichorum adiectum est, *alterum* excerptum S, quod, ut ex II. 1 et IV. 49, 2 apparet, fere totum librum II trad. Φ repraesentabat, cum libro Catonis trad. Vulg. (T[1] v) in unum coaluit et in codice Turicensi aetatem tulit. Cum in P tum in S iam omissa fuisse disticha, quae in Σ (vel in libro II trad. Φ) legerentur, docet dist. IV. 11 tantum in Veronensi obvium.

Postquam Monostichorum series cum fragmento Distichorum, quale in Parisino servatum est, in unam syllogen coniuncta est, etiam ex eiusmodi serie syllogae breviores factae sunt. Tale excerptum servat cod. Parisinus 8069 saec. XI, qui tribus locis inserta habet Monosticha. Hunc codicem, de quo primus rettulit J. Quicherat, Bibl. de l'École des Chartes vol. II, 1840—41, p. 121 sqq., post Baehrensium et Riesium ego contuli. Adnotabo versuum ordinem, cum Quicherat particulam tantum eorum commemoraverit, Baehrens in ordine enotando commiserit errores complures, Riese tantum lectiones varias ordine non laudato attulerit. Leguntur: fol. 3^{v} col. 1, lin. 8 versus Riesiani[2]: 35, 69, 73, 74, 75, 76, 31, 26, 30; fol. 3^{v} col. 2 l. 4 a marg. inf. 14[1]), 17, 18, 19, 25, 48, 51, 53, 54, 55, 56, 58, 63, 66, 68; fol. 127^{r} col. 2 l. 7 a m. inf.: 4, 5, 7, 10, 11, 13, 21, [f. 127^{v}] 23, 27, 28, 34, 36, 37, 39, 49. Quoniam Monostichorum Riesianorum[2] ordini subiectus est ordo codicis Parisini 9347 (cuius cod. vs. 1—69 = apud R. 1—14, 17—71), in propatulo est excerptorem in secunda et in tertia serie accurate excerpsisse seriem Monostichorum, qualem Parisinus 9347 exhibet vel seriem paulo magis coartatam, in prima serie excerpenda non solum Monosticha (35, 69—31, 26, 30 in extremis versibus ordine paulum inverso), sed etiam fragmentum, quale est P in Parisino 9347: versus enim 73, 74, 75, 76 sunt disticha in Vulg. trad. non obvia app. 1, 3 N. duo, quae ex Φ in Σ, deinde in P atque S transierunt.

1) Non adest igitur vs. 16, quem cum Baehrens tum Riese adesse contendit. Versus una cum praecedenti 15 tantum traditur in cod. Vat. Pal. 239 inter vs. 14 et 19 (non 18, ut ap. B).

Ex codice autem Parisino hoc 8069 quoniam primum hi quattuor versus viris doctis innotuerunt, facile fieri potuit, ut in *Mono*stichorum seriem referrentur a Riesio[1] et Baehrensio, itaque factum est ut Huemer quoque Monosticha a se in Par. 9347 inventa per totam syllogen se extendere putaret (v. supra p. 207), impedireturque quominus seriem Parisinam ex duabus hexametrorum syllogis diversis esse compositam agnosceret.

Riese praeterea, cum distichon:

Quod nocet interdum, si prodest ferre memento:
Dulcis enim labor est cum fructu ferre laborem,

in Monostichorum serie tradi putaret, alium versum vere monostichon, quod et ipsum in Monostichis traditur, praeeunte Baehrensio, qui versum iam uncinis incluserat (vs. 73 R.[1] et B.), pro subditicio habitum ab editione altera seclusit, nulla, ut supra iam dixi (p. 288), mentione eius in textu vel in apparatu critico facta. Casu enim accidit, quod et in Voravensi 111 supra laudato et in cod. Vindobonensi 2521 saec. XII (cf. Tab. cod. Ms. Vind. II p. 90, Endlicher CCLXXXI) fol. 141 post Monostichorum seriem Parisina breviorem, duo versus sequuntur, quorum alter est vs. Riesianus[2] 81 (74 B.):

Magni magna parant, modici breviora laborant,

prior:

Sat dulcis labor est cum fructu ferre laborem.

Versus, quem quominus in Monostichis habeamus distichis Parisinis ex Monostichis eliminatis nihil iam obstat, manum quoque Monostichorum concinnatoris prodit. Eundem in modum legitur vs. 63:

Vincere velle tuos *satis est* victoria turpis,

qui contractus est ex dist. I. 34:

Vincere cum possis interdum cede sodali;
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

Ex Parisino nostro (9347) quidem Riese[2] recepit iniuria lectionem

perquam victoria turpis,

qua ex re apparet minime lectiones insigniores Parisini 9347 omnes esse accipiendas.

Series cod. Vindob. 2521, fol. 141, quae, ut Vorav., ex sylloga duobus versibus quam Parisina maiore excerpta est, continet 17 monosticha tantum ex prima et ultima parte huius

seriei excerpta: 1—4, 53—56, 61, 62, 66—68, 70, 71 (Ries.: 1—4, 51 .... 69 Par., post quem versum fragm. *Di*stichorum P in Par. incipit), mon. *sat dulcis* etc., 81 R. Cf. K. Schenkl, Zschr. f. d. öst. Gymn. 15. 1864, p. 576. Riese in Monostichis iterum recensendis hunc codicem, quem in aliis compluribus carminibus adhibuit (cf. II p. 399 in indice codicum), postquam Baehrens (PLM. III. 213) leviter dixit huius codicis Monostichorum seriem esse gemellam Voravensis, iniuria abiecit.

Tum ex *Di*stichorum sylloga P, quae *Mono*sticha in Parisino sequebatur, Riese in Monostichis ed. 2[ae] posuit versum (72):

Mitte arcana de*o* caelumque *re*quirere quid sit,

quem ex Monostichis in Disticha (II. 2, 1) irrepsisse putabat. Quantopere haec opinio a vero abesset, supra apparuit. Versus enim repraesentat formam christianam prioris hexametri *distichi*, cuius forma pagana tantum ex Σ in S servata est et sine dubio olim in ea serie, ex qua P originem ducit, legebatur, postea vero formae vulgari cessit (v. supra p. 295 sq.).

Riesianam Monostichorum syllogen (AL.[2] 716) — quinque versibus (72—76) iusto maiorem, uno (73 B.) iniuria minorem — subiecit disputationi suae de Monostichis E. Stechert, diss. 1912 p. 91 et ibid. n. 2, cf etiam Skutsch ap. Teuffel. G. d. R. L. 1913, III[6] p. 206 l. 4. Quod praeter illos quinque versus aliud exemplum monostichi cum distichis coniuncti laudavit Stechert, ne id quidem iure laudari potest: extare in cod. Monac. saec. XI (cf. iam supra p. 296) f. 124[r] inter media disticha unum versum monostichon 8 R.:

Proximus esto bonis, si non potes optimus esse,

cuius versus in illa serie obvii primus mentionem fecit Riese Rh. Mus. 65. 1910 p. 485. Sed rationes meas proponam alio loco.

Attamen unum distichon epitomator etiam integrum in monostichis servavit — nunc non dico de eis monostichis quae in disticha se coniungere posse sunt qui asseverent — sc.: versus 64, 65 R.[2] (48, 49 R.[1], B.):

Cum vitia alterius satis acri lumine cernas
Nec tua prospicias, fis vero (-us *Buecheler*) crimine caecus,

sine dubio quia non videbat quomodo distichon, quod non, ut fere

semper usu venit [1]), ex duobus hexametris constabat sententia per se absolutis, in unum versum coartaret. Originem Catonianam color quoque Horatianus arguit, ob oculos enim poeta habuit Hor. Sat. I. 3, 26 sq.:

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi [2]).

Quod moneo quia ii qui de Horatio atque Catone disseruerunt [3]) — nuperrime A. Barriera, Rivista d'Italia 1910, XIII, I p. 839 sqq. — Monosticha respexisse non videntur.

De artiore quod extat inter Disticha et Monosticha vinculo nunc non disputabo. Cum enim prima hac in re quaestio solvi debeat, — in quam v. d. huc usque diligenter non investigaverunt —, ex quanam Distichorum traditione excerpta vel contracta videantur Monosticha, malo de ea disserere, postquam quod in scriniis habeo exemplum distichi versus alterutrius *nullam mutationem passi* inter Monosticha servati, publici iuris feci et exposui in qua Distichorum traditione illud distichon inveniatur [4]).

7. Is, qui syllogae Parisinae Catonianorum Monostichorum (vs. 1—69) seriem et Distichorum fragmentum (vs. 70—88) uno tenore complectenti inscripsit titulum communem *„versi insingulis generalis sententiae"*, nimirum non modo non Catonianam utriusque seriei originem spectavit sed ne duas quidem se tractare series suspicatus esse videtur. Quod non dicendum est de eo, qui maiori Monostichorum subiunxit Distichorum minorem syllogen. Haud scio an duas syllogas in unum coniunctas or-

---

1) Perpauca extant disticha, in quibus post versum priorem non gravius vel levius interpungatur: I. 28, I. 40, II, 19, IV. 44 et quae dist. idem exordium habent (*quod potes id tempta*), III. 14 et IV. 33. De dist. II. 3 interpunctione vid. P. von Winterfeld in Philol. 58, 1899 p. 302.

2) Non opus est recurrere ad exemplum Graecum, quo monostichorum auctor esset usus, ut Stechert fecit p. 98, qui ex Kockii fr. com. versuum par cognatae sententiae eruit.

3) De hac re iam disputavit J. H. Withof in diss. I de vero distichorum Dionysii Catonis auctore (apud Arntzenium in ed.[2] 1754 p. 531 sqq.), cum demonstrare studeret Distichorum auctorem esse Serenum Sammonicum et ipsum Horatii imitatorem. Miror Skutschium PW.—RE. V. 166 dixisse neminem de hac re instituisse quaestionem.

4) Cf. iam Tijdschr. 1910 p. 214.

naverit titulo uno Catoniano; quo amisso ea condicio orta est, quam invenit is, qui titulum novum addidit quem nunc in Parisino habemus.

Utut res se habet, Parisina series docet in hac vetustissima Monostichorum sylloga Catonianae originis memoriam nondum prorsus interiisse. Nam neque Monostichorum collectiones eae, quas Baehrens et Riese adhibuerunt, neque eae quattuor, quas praeter illas ego novi [1]) ex libris manuscriptis, amplius prae se ferunt Catonianum nomen nisi codex Turonensis olim 164, nunc 890 saec. XII, fol. 26ᵛ (cf. Catal. des départ. 1900 vol. 37 p. 641) [2]), unde descripta series transiit in Hildeberti et Marbodi ed. Bened. 1708 p. 1634, inde denuo in Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. vol. V p. 50 ed. 1736 et Mignii Patr. Lat. vol. 171 col. 1735 [3]). Titulus est ibi „*prouerbia Catonis phylosophi*"; ultimum vocabulum omisit Baehrens p. 213, qui hanc seriem littera F notatam admodum neglegenter ex ed. Hildeberti suum in usum adhibuit, redit inde error apud Skutschium PW.—RE. V. 361 et Teuffel. Gesch. Röm. L. III⁶. 1913 p. 205, Stechertium p. 92, res recte se habet in utraque Anth. Lat. editione Riesii. Est quod haec res notetur. Etenim „*Cato philosophus*" Distichorum auctor vocatur in codicibus nec vetustissimis nec recentioribus neque ita multis (e. g. Montep. 306 s. IX [4]), Voss. Lat. 33, s. X, Reg. 1560, s. X, Par. 2659 s. X, notandum praeterea nomen Catonis *viri sapientis* in Reg. 1578 s. X). Fieri igitur potest, ut Turonensis codicis titulus non genuinum Monostichorum collectionis titulum reddat, sed postea a viro recte de origine collectionis iudicanti sit conceptus.

Monostichorum Catonianae originis memoriam quoque servavit Alcuinus, quippe qui in carmine Monosticho non solum Distichorum flosculos vel sententias integras servavit complures sed etiam quattuor vel quinque *deinceps* versus monostichos (1, 8, 20, 57,

---

1) Cf. supra p. 307 n. 1 et infra p. 316 n. 2, 317 n. 2.

2) Codicem ipsum nondum vidi.

3) Fugit Schanzium L. III². p. 39 et Stechertium p. 91 n. 1 seriem Mignianam ex eodem codice derivatam esse, ex quo Benedictini hauserunt.

4) Cf. Baehrens p. 209 et L. Fontaine, Revue de Philol. vol. IV (1880) p. 178. Codicem ipsum nondum vidi, vidi cod. Voss. Lat. Q. 33, quem Baehrens ex illo descriptum esse dicit.

[62] R.[2] = vs. 101—104 [104a]) [1]). Quod, opinor, non fecisset, nisi iam seriem Monostichorum tractavisset eamque cum Distichorum collectione esse cognatam sibi persuasum habuisset.

Quem praeterea titulum in codice Vindob. 2521 (cf. supra p. 312) — in quo ut in Turonensi una cum Hildeberti et Marbodi carminibus leguntur — et in cod. Vorav. 111 (supra p. 282, 312) gerunt Monosticha sc. „uersus *Pl*atonis translati de Greco", eum perperam corrigere voluisse „uersus *C*atonis" et antea Wattenbachium (Neues Archiv II. 1877 p. 403) et nuper Stechertium p. 92 docuerunt iam antea K. Schenkl Z. öst. Gymnw. 1864 p. 716 et Riese in adn. ad Monostichorum titulum in utraque A. L. ed.: titulum illum enim esse proprie carminis A. L. 490. Novum argumentum addit nostra de Syllogarum Monostichorum titulo Catoniano disputatio.

8. Denique dicendum est de memoria, quae extat sylloges totius Parisinae seriei fere consimilis. Petrus Burmannus Sec., cum in Anth. Poet. Vet. Lat. vol. I p. 571 lib. III ep. CX Monosticha Catoniana ederet, tradidit se invenisse in schedis Heinsianis a patruo acceptis collationem ad P. Pithoei Ep. et Poem. Vet., qui primus Mon. vs. 1—14, 17—35 edidit [2]), factam horum versuum 33, quam petivisset ille ex codice quodam Petavii Senatoris [3]) (cf. praef. p. LIII, vid. infra). Quam collationem ex Heinsianis schedis rettulit addita littera P = v(etus) c(odex) [Petavii] cum in marginem Pithoeanorum Epigr. exemplaris editionis Chouettianae a. 1619, quod nunc possidet Bibl. Lugduno-Batava [4]), tum in calcem editionis suae. Addit Heinsium adnotasse [5]) inveniri in Petaviano codice illo praeter versus illos 33 alios versus 52, quorum, cum varias lectiones nimirum Pithoeano

1) In uno cod. post v. 104 = mon. 57 R. sequitur mon. 62, vid app. cr. apud Dümmlerum.

2) Non 1—35, ut est ap. Baehrensium p. 213. Riese[2] Pithoei codicis memoriam prorsus abiecit. Seriem eiusdem ambitus atque Pithoeana habet, continet cod. Reg. 479 quem inveni, cf. supra p. 307 n. 1.

3) Paulus Petavius n. 1568—o. 1614.

4) Numerus huius libri est 754 B. 17, 18; de quo cf. L. Alzinger, Blätter f. bayr. Gymnw. 35, 1899 p. 270 sq., Vollmer in praef. ad App. Verg. 1910 p. 22.

5) Burmannus Sec. in ed. Chouet. p. 20: ‚Sequebantur in P v. 52. Puto haec omnia a Goldastio edita. H(*eins*.)..'

textui addere non posset, textum describere supersedisset, eos iam a Goldastio in Paraeneticis [1]) exhibitos esse ratus.

Cum ante Parisinum nostrum ab Huemero inventum nulla Monostichorum series Voravensi versuum 59 longior esset nota, operae pretium fuerat quaerere, qui tanto maioris ambitus sylloge, quanto Petaviana esse perhiberetur, exstare posset. Aem. Baehrens, qui unus post Riesianam (in ed. pr.) huius codicis mentionem iudicium de eo tulit, et breviter et leviter eum proprio pretio destitutum cognatum esse dixit (PLM. III. p. 212) cum Parisino 8069. Qui codex neque numerum versuum continet Petaviani — habet enim ut supra p. 311 commemoravimus tantum versus 39 eosque tripartito — neque versus 33 priores omnes exhibet neque in eis versibus, quos ex illis 33 servavit, lectiones Heinsianas ostendit sed Pithoeanas. Quo iudicio inductus Riese in ed. posteriore Petavianum abiecit.

Meo iudicio fieri non potest quin Petavianus eandem speciem praebuerit quam Parisinus noster 9347, sed utrum artior condicio inter hos codices exstiterit necne ex septem [2]) tantum lectionibus a Pithoeanis abhorrentibus versuum 33 priorum, quas Heinsius attulit, effici nequit. Sunt inter illas lectiones, quae cum Parisinis conveniunt, sunt quae differunt quidem, in aliis vero Monostichorum codicibus redeunt. Sed de Petavianae seriei indole fortasse ex codice ipso aliquando licebit iudicium ferre, cum facultatem dari puto codicis ipsius recuperandi.

Etenim notum est ex epistulis Nic. Heinsii ad Isaacum Vossium Parisios datis a. 1650 (Burm. Syll. III p. 590 et 591) Petavii codices a Vossio emptos esse, quos constat a Regina Christina Sedi Apostolicae esse donatos; unde expectatio est nostrum „codicem veterem Petavii" hodie quoque inveniri inter codices Vaticanos qui „Reginae" vel „Reginenses" vocantur. De codicis ipsius genere praeterea certiores fimus ex epistula iam

1) Goldast tantum in ed. Paraen. Vet. 1604 in Notis ad Columbanum (Alcuinum) p. 103 sq. locos parallelos Catonianos cum ex Dist. tum ex Mon. petitos laudaverat.

2) Sc. v. 4 Petav.: corde (Par. corda, recte alii codd. cordi; v. 12 differ (Par. deffer; recte alii defer); v. 21 Quaelibet, *sic quoque Par.* (recte al. Quemlibet); v. 24 Fac *quod te* par sit, *ut Par.*, ubi post par erasa est littera s (al. quae); v. 25 uterque cod. vox, in Pith. ed. erat *est*, sine dubio coniectura ipsius Pithoei voculam, *ut in meo Regin.*, omissam explentis; v. 26 te vindicat] uterque codex, nimirum quia Pith. ingenio indulserat coniiciens *desaevitque*; v. 29 est om. Pet, quod facile perire potuit.

quinque annis ante a Vossio ad Heinsium Parisios data (Burm. Syll. III p. 563, cf. etiam Burm. Sec., Anth. praef. p. LIII): ibi sermo est „de codice Epigrammatum (sc. Martialis) *satis vetusto,* in quo ..... eius autoris aliquot Epigrammata habebantur." Nec tamen constat, num, quas notitias Burmannus in app. crit. aliorum carminum [1]) Anthologiae ad codicem Petavianum refert, eae omnes ex hoc codice desumptae esse videantur; nam in illa epistula etiam alter Petavii codex commemoratur „ille quidem chartaceus", quem ipsum quoque Heinsius Vossii hortatu inspexisse verisimile est.

Haec habebam, quae in praesentia de codice Petaviano proferrem. Nam quominus investigemus, num hic codex adhuc extet inter codices Reginenses Bibliothecae Vaticanae hisce, quibus vivimus, belli temporibus impedimur.

AD CORINNAM.

Corinnae carmen nuper recuperatum [2]) est de certamine musico Heliconis et Cithaeronis. Huic, utpote patrio suo monti, poetria Tanagraea palmam dedit:

τάχα δ' Ἑρμᾶς ἀνέφα μα-
κρὸν ἀΰσας ἐρατὰν ὢσ
ἕλε νίκαν, στεφάνοισιν
[δ' ἐ] κατ' ωϊαν ἐκόσμιον
[μάκα]ρες· τῶ δὲ νόος γεγάθει.

Magna hic difficultas inest in voce quae est *ωϊαν*, si eam *vellus ovinum* significare sumimus. Cithaeroni enim apud Corinnam habitum pastoralem fuisse et coronis non caput, sed ... amiculum eius ornatum esse quis credat? Erat vero etiam alia vox (ϝ)*ωια*, quam *cacumen* significare nos docent duo tituli Cretenses: S.G.D.I. 5075, Deiters, De Cret. tit. publ. p. 35, vs. 59: ... *καὶ ἐς τὰν ἄνω ᾦαν τᾶς πέτρας* ..., S.G.D.I. 5024, A, vs. 24: ... [*ἐς*] *τὰν βῴαν Ὀρυκόππαν* ... *Vertici* ergo Cithaeronis coronas impositas esse dicit Corinna. Metri causa non: *δ' ἐ κατ' ᾦαν ἐκόσμιον*, sed: *δ' ἐ κατ' ὠίαν ἐκόσμιον* legendum esse censeo.

Gui. V.

---

1) Velut ad n. XLII (Riese 627, cf. adn. cr. ad 495; ad n. LXXIII (Riese 88).

2) Wilamowitz, Berl. Klass. Texte, V, 2, p. 26 sqq. Crönert, Rhein. Mus. 1908, p. 167 sqq.

VARIA.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.



Sext. Empir. adv. math. IX, 209, p. 434, 11 sq.: *ἀλλὰ μὴν οὐκ ἔχει τὸ αἴτιον οὗ ἐστιν αἴτιον διὰ τὸ μήτε γένεσιν μήτε φθορὰν μήτε πεῖσιν μήτε κοινῶς κίνησιν ὑπάρχειν.* Pro *πεῖσιν* conicio legendum esse *πίεσιν* [1]). Cf. Arist. Rhet. I, 5, 9, p. 1361, b, 16 sq.: *ἀνάγκη δὲ κινεῖν ἕτερον ἢ ἕλκοντα, ἢ ὠθοῦντα, ἢ αἴροντα, ἢ πιέζοντα ἢ συνθλίβοντα,* quem locum Sextum novisse apparet adv. math. X, 83, p. 492, 28 sq. Πυρρ. ὑποτ. III, 68.

In fine tituli sepulcralis Thessalonicensis a. 256/7 p. C. n. [2]), quem post multos alios supra p. 232 huius voluminis tetigit Charitonides, me iudice nihil mutandum, sed procul dubio cum Adolpho Wilhelm [3]) legendum est:

τί στήκις, ἄνθρωπε, ταῦτα βλέπων; ὗπα, λούσου.

Primo obtutu forsitan dubitaveris, utrum ultima verba cum Wilhelmo collato IG, XIV, 2002:

ὡς οὖν καιρὸν ἔχεις, λοῦσαι, μυρίσαι, σπατάλησον
καὶ χάρισαι, δαπάνησον ἅπερ δύνασαι· τίνι τηρεῖς;

vertenda sint: *i lavatum* (in balneo) an *i, abluere* i. e. *baptizare.* Verbum enim, quod est *λούειν*, apud scriptores christianos frequenter hoc sensu invenitur. Cf. e. g. Iust. Mart. Apol. I, 61: *ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος . . . ὁ φωτιζόμενος*

1) *πίεσις* sive *θλίψις*, Belgice *druk*. Cf. Arist. Προβλ. XV, 1, p. 937, b, 32: *τὴν πίεσιν τοῦ ἀέρος*, *de luchtdruk*; ibid. b, 35: *θλίβει ὁ ἀήρ*.

2) Ed. Mordtmann, Athen. Mitth. 1896, p. 98 sq.

3) Wilhelm, Beitr. zur griech. Inschriftenkunde, p. 201 sq.

(i. e. baptizandus) λούεται. Sed inscriptionem non esse christianam ostendit versus paulo supra collocatus:

εὐθυμεῖν μελετᾶν, ἐρχομένου θανάτοιο (sic),

i. e. moriendum cum tibi sit, fac semper laeto animo sis [1]). Quapropter ego adversus omnes qui verba ΥΠΑΛΟΥΣΟΥ coniecturis lacessiverunt, solum Wilhelmum ea recte interpretatum esse contendo.

Herod. V, 28: οὗτος μὲν νυν τοιαῦτα ἐξεργάσατο στρατηγήσας, μετὰ δὲ οὐ πολλὸν χρόνον ἄνεως κακῶν ἦν καὶ ἤρχετο τὸ δεύτερον ἐκ Νάξου τε καὶ Μιλήτου Ἴωσι γίνεσθαι κακά. Pro ἄνεως, quod consensu omnium corruptum esse existimatur, legendum esse mihi videtur ἀνανέωσις. Quae coniectura si vera est, cum quadam probabilitate sequitur ut omnes codices nostri ex uno archetypo pendeant, in quo per haplographiam et fortasse iam per abbreviationem terminationis ις ANANЄΩCIC in ANЄΩC depravatum sit.

In inscriptione Cretensi apud Dittenbergerum Syll. inscr. Graec.[2] 427 Prasii praecipiunt Setaitis et Stalitis, ut Delphos, Olympiam, alio navigent, quandocumque senatus Prasiorum iubebit: σωθέντων δὲ ὁ κόσμος ὁ Πρασίων πράξαντες τοὺς μισθοὺς παρὰ τῶν μὴ πλευσάντων ἀποδόντω τοῖς πλεύσασι δραχμὰν ἑκάστῳ τὰν ἀμέραν (vs. 44 sqq.). Adnotat Dittenbergerus: „σωθέντων integram vocem esse sumpsit Wilamowitzius. At tres litteras initio intercidisse ex imagine photographica apparet, neque verbum aptum est.” Ipse supplet [λισ]σωθέντων, quod interpretatur: *si solvendo non sunt*. Hoc verbum utpote novum atque inauditum et minime sententiae aptum iure reiecit Blassius, qui titulum repetivit SGDI, 5120. Ipse vero non multo felicius scripsit [ἐλασ]σωθέντων. Ego non dubito quin legendum sit: [ἀπο]σωθέντων, *cum salvi domum redierint*.

---

1) Mordtmannus distinxit: εὐθυμεῖν, μελετᾶν. Versum igitur non recte intellexit.

DE ROMANORUM ET GRAECORUM FOCO.

SCRIPSIT

F. MULLER I. F.



Nos nostraque omnia vitae brevitatem arguimus atque sentimus. Nihil non mutatur; rerum aut vocabulorum scrutantes historiam hoc tantum inquiramus, quare mutatio illa tam arto interdum termino circumscripta sit, ut nostri aevi homines fugere ea quidem debeat.

Nomina propria ut hodie, ita temporibus remotis in angustiores fines retrahuntur (Kurznamen, Kosenamen), saepe et augentur suffixis additis, quam rem praeclare invenias demonstratam exemplisque illuminatam in Useneri libro, cui titulus *Griechische Götternamen.* 6 sqq.

Tum demum vocabulum aliquod prorsus suo statu manere potest, cum neque res ipsa mutatur, neque aliunde ingruunt, quae simili usui serviant, neque nomen pro linguae illius natura atque usu sonum vel ambitum iusto conservat minorem.

Ubicumque eae condiciones haud cunctae simul rebus accommodantur, hoc fieri solet: ut in hominum vita, ita in vocabulis maxime quaeque obsoleta et abstrusa natu quoque maxima esse apparet atque ab origine longissime remota. Accedat ut nomen illud inveteratum in re sacra tantum vitam ducat, alterum nomen vigeat atque celebretur usu cotidiano; multa enimvero ibi hortantur, ut illic vetustam rei appellationem rimemur.

Porro si nomen illud obsoletum in parte ipsa antiquissima domus Romanae deprehenderimus, si nomen aemulum nulli stato loco respondebit, magis iam adducemur, ut illic „veriloquium" rei ipsius absconditum esse credamus.

Domus Romanae historia quam viam nobis monstrat? Hanc, si ducibus praesertim utimur H. Nissen *Pompeianische Studien* p. 633 et A. Mau, *Pompei* (ed. alt.) 1908, p. 250. Videmus, ut aedes illae antiquitus uno tantum atrio contentae aevo sequenti veram familiae sedem longius semper, quasi timidae necnon publici strepitus fugientes, introrsus removerint. Sic factum est ut venerandum illud atrium postmodo „vestibuli" ut hodie loquimur vice fungeretur, alae pristino munere magna ex parte privarentur, tabulinum solum, quod ad peristylium spectaret, novum in usum surgeret; vitae autem ipsius munia circum peristylium temporibus Hellenisticis ortum se omnia collocaverunt.

Quaeramus igitur in atrio: ita nobis forsitan contentio duorum nominum luculentius obversetur, nominum dico *foci* et *cartibuli* [1]).

Focus. De foci vocabulo quae constant, admodum pauca sunt. In inscriptionibus priscae latinitatis non invenitur. Apud Plautum legimus ter [2]) (*Amph.* 226 aras fŏcos, *Aulul.* 386, 439), Terentium semel (*Eun.* 815: domi focique fac ut memineris), Titinium et Afranium semel. Cato dicit *de Agr.* 143, 2: „focum purum circumversum cotidie, priusquam cubitum eat, habeat"; ne tamen Catonem ipsum haec scripsisse pro certo habeamus multa nos dehortantur, quae in Catonis de Agricultura libello redolent posterius saeculum; de hac re nuperrime F. Leo egit in libro *Röm. Literaturgesch.* I, p. 273. Alibi nusquam in latinitate prisca *focus* legitur. Hos locos tam paucos relegentibus scrupulus inicitur, quod verbum illud sensu fere metaphorico illo adhibetur, quo nostrates loquuntur de suo: „Eigen Haard". Sequitur ut vocem nostram aut perantiquam atque tritam fuisse putemus ita ut Plauti temporibus sensu tantum fuerit evanido atque obscuriore, aut aliunde sumptam nondum aequo iure cum nomine latino habitam esse.

---

1) Postquam haec scripsi, locus mihi succurrit, ubi Mau sic loquitur (in Pauli et Wissowae thesauro VIII 615, 60 cf. III, 1895: „mit der Erweiterung des Hauses fand eine Trennung statt zwischem dem Küchenherd und dem Opferherd — bei den Römern im Atrium, Vestibulum".

2) Locum praetermisi Aulularia Prologi vs. 7; Plauti fuisse contendit Leo *Pl. Frsch.*[1] p. 199 v. etiam *Röm. Literaturgesch.* I p. 212.

Mirum in modum Plautus duobus locis locutus est. *Capt.* 847: „epulas foveri fōculis ferventibus", *Pers.* 104: „iam intus ventris fumant fōcula"; haec verba *o* habent longam itaque procul dubio cum vocibus *fōmitis* et *fōmenti* coniungenda sunt et revocanda ad stirpem probe notam verborum *favendi, favillae* (cf. Sen. *Ep.* 18, 15), *fovendi* (cf. pōtus: pōculum = fōtus: fōculum). Quod grammatici latini fŏcum quoque a fovendo derivarunt (e. g. Paul. p. 85 M. 75 L.), nihil ad nos; neque magis Ovidius persuadet loco notissimo (*Fast.* 6, 301): „at focus a flammis et quod fovet omnia dictus, qui tamen in primis aedibus ante fuit"; formatione enim analogica quae dicitur aliud nihil gigni potuit quam **fōcus*; *o* brevis nulla ratione explicatur; etiam si brevitatem eam *lŏci* vocabulo tribueris, causam numquam obtinebis.

Quid, si dicis eandem sensus mutationem (focus > fr. feu [1]) nos etiam alibi habere (e. g. gr. ἑστία > gr. hod. στχά in dialectis, cf. Solmsen *Unters. gr. L. u. V.* 218, Hatzidakis *Einleit. gr. Spr.* p. 155 A)? An inde efficitur ipsum foci nomen antiquitus ἐσχάρας notionem propriam induisse? Minime sane: mutatio ea rei est propria, haud nominis.

Romani ubi rem eam ipsam, quae oculis obversatur, designare volunt, ad vocabula confugiunt aut aliena aut derivata, quae invenias apud Rich s. v., Dar. et Sagl. I 929, II 1194, Mau *Pompei*² p. 398, Blümner *Privatalt.* 105. Itaque censeo rem foci nomine perantiquam scilicet fuisse, nomen illud ipsum aliunde in linguam latinam irrepsisse. Neque enim auxilio linguae latinae, neque ceterarum linguarum indo-germanicarum explanari potest.

De foci veriloquio igitur pauca addenda sunt. Omittamus omnia, quae nimis sint incerta. Una restat enodatio, quae focum cum arm. *boç* „flamma" coniungit (v. *Indog. Frsch.* 13, 163). Cuius forma primigenia fuerit *bhok-sk̂ho-* secundum huius etymologiae auctorem. Credat ipse! Equidem nusquam eiusmodi suffixum vidi. Forsitan haud omnino ea originatio reicienda videatur, si ponamus: **bhok-sko-* [2]) cf. arm. *haç* „panis, cibus"

---

1) Eadem et latius serpit mutatio sensus, cf. *Arch. slav. Phil.* 34, 7.

2) Suffixum *-sco/ā*, quo nomina deriventur in lingua quidem latina, exemplis haud satis firmatum est: *ēsca*, quod adhibueris, solvendum est **ēd(e)s+ca*, i. e. eadem vox antiqua **ēdes-* ibi latet, quam in linguae lituanicae voce *ė́desis* „esca". Hinc demum natum est vocabulum: *pō-sca*, quod nexu semantico artissimo cum eo copulatur.

(<*pā-sko-: *pā-scor*, *Z. vergl. Spr.* = *KZ.* 37, 428), et *hnoç* „ignis" (ex **hunoç*, <**puno-sko-*, *Ind. Frsch.* 33, 309); melius haud scio an fuisse putemus primitus **bhok-i̯o-* tamquam deminutivum, v. Hesychium i. v. *ἰσχάριον* et supra Plautinum fōculum (?) ex opinione populari. Hoc ne maiore fiducia ponamus, obstat litterae armeniacae *ç* historia nondum satis explicata.

Alia omnia nihil valent, imprimis comparatio et sono et sensu claudicans, quae *facis* nomen auxilio vocat.

Antehac ipse aliam ingressus sum rationem; nolo esse longus: ut *stāre*, *στελλειν*, *stellen* cum (*st*)*loco* manifesto coniungenda sunt, sic *focus* <**dhŏ·ko-* rettuleram ad *faciendi* verbum: cuius *-k-* amplificationem habes etiam in *fēci* = *ἔ-θηκ-α*, *θήκ-η*, *θῶκ-ος* (? cf. *θᾶκος*). Vetustissima significatio fuerit: ligna super foco bene atque apte, via ac ratione [1]) *reposta*, ut Horati verbis utar (*ponere* idem valet atque gr. *τιθέναι*!) De amplificatione per *-k-* litteram etiam Bechtel egit *Lexilog.* 4.

Qualiacunque haec sunt, certi interim nihil inde prodit: „*focus*" nomen latinum necnon indogermanicum fuisse non constat. Quod in designatione rei adeo usitatae admirationem certe movere, ne dicam suspicionem, consentaneum esse videtur.

De re ipsa (v. supra Ov. *Fast.* 6, 301: „in primis aedibus") testem habemus Varronem ap. Non. 83: „ad focum hieme ac frigoribus cenitabant; aestivo tempore in loco propatulo; rure in chorte; in urbe in tabulino quod maenianum possumus intellegere tabulis fabricatum"; eund. ib. 55: „in postica parte erat culina, dicta ab eo quod ibi colebant ignem"; postremo ap. Serv. Dan. *Aen.* 3, 134: „sane Varro rerum divinarum (III?) refert inter sacratas aras focum [cf. loci Plautini supra laudati] quoque sacrari solere, ut in Capitolio Iovi Iunoni Minervae". Efficitur ex his testimoniis ignem apud veteres Latii incolas locum habuisse in parte „atrii" posteriore ianuae oppositum ignemque ibi cultum esse tamquam rem sacratam.

Quam omnia unice quadrant in c a r t i b u l i vocabulum. Itaque de hoc nomine tam veteres quam hodiernas liceat antestari viros doctos.

---

1) De hac cognatione semantica cf. Reichelt *KZ.* 46, 330; v. etiam lat. *strues*, *struix*. Plane cognata fuerint Hes. *θητόν· βωμόν*, quam iuxta habes *ἀκμό-θετον*, de quo egit Bechtel *Lexilog.* 27.

Cartibulum. Iterum audiamus Varronem *LL.* 5, 125, qui postquam monuit in re sacra permulta vocabula obsoleta vitam trahere, sic pergit (editionem sequor Goetzi et Schoelli): „altera vasaria mensa erat lapidea quadrata oblonga, una columella; vocabatur cartibulum. haec in aedibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur et in ea et circum eam aenea vasa [1]): a gerendo cartibulum potest dictum." In Spengeli ed. altera fuerat *gartibulum*; *c-* praeferendum esse videtur ut lectio difficilior, quae codd. quoque auctoritate defendatur. Glossae pauxillum addunt, ubi habes: „cartibulum mensa quadrata, quae in atriis ponitur" (bis); Löwe in *Prodromo Glossar.* p. 46: „cartipulum mensa quaedrata", quibus adiungo glossam alteram „carticula δεῖπνον" (bis), nisi forte haec vox contaminata est: *caro* × *particula.*

Hoc de nomine silentium altissimum. In Waldi lexico frustra quaeres, apud Paulium et Wissowam s. v. cartibulum ad *gartibulum* reicimur, ubi prorsus nihil invenimus; ibidem in volumine octavo s. v. Herd verbum nostrum praeteritur. Thurneysen in Thesauro l.l. vocem dicit incertae originis.

Iam vero, simul ac res ipsas percontamur in atrio positas, ubi instrumentum illud *cartibuli* nomine designatum Varrone auctore antiquitus fuerit, multum inde lucramur. Audiamus Nissen *Pompeian. Studien* p. 416, 420, 641 (quem sequuntur nulla re addita Mau *Pompei*² p. 260 (cum imagine), cf. 390, Noack *Baukunst d. Altert.* 89, Blümner *Röm. Privataltertümer* 34, 37 (cum imaginibus), Daremb. et Sagl. II, 1194): „Zweitens hat er (sc. focus) sich an dieser Stätte in jenen Tischen fortgepflanzt, welche in Pompeji so häufig vorkommen. Es mag wol Pietät und religiöse Scheu gewesen sein, was einzelne Pompeianer daran hinderte den alten Herd abzubrechen nachdem sie sich eine eigene Küche eingerichtet hatten", et supra p. 240 „also wir sehen eine grosse Tischplatte, 1.52 × 0.94 M., 0.085 dick, 0.90 über dem Boden. Die Platte wird getragen durch einen gemauerten Klotz mit einer durchgehenden Oeffnung, die aussen 0.55 hoch, 0.25 breit nach dem Impluvium abschrägend

1) Sic hodie quoque nostrates nonnumquam mulctram aut vas quoddam, in quo lac coagulatur („karn"), in aedes admiserunt suas; addunt pocula ex stanno fabricata, cochlearia, immo ipsam qua olim ducebant stamina rotam quoties offendi utcumque ornantem domus nostrae exedram!

sich verengt. Die Oeffnung wird einst zum Kochen gedient haben", denique: „man klebte vier Greifenfüsze unter die Tischplatte an und richtete in der Feuernische den erwähnten Springbrunnen (v. imaginem apud Blümenerum l.l.) ein".

Ita hercle optime res et nomen congruere mihi quidem videntur. Nam quae res a viris doctis archaeologiae peritis agnoscitur instrumentum in antiquissima domus parte quo frigus pellerent quove cibos coquerent instructum, eadem nomen sibi vindicat illud, quod secundum linguae leges id ipsum significare debeat, c a r t i b u l u m, *calefaciendi instrumentum*.

Quod ut demonstrem pauca sufficient. Carti*bulum* morphologiae respectu nomen partis aedium proximae vesti*buli* in mentem vocat; eandem terminationem habes in lati*bulo*, pati*bulo* (plura apud Stolz *Hist. Gramm.* 567). Quae omnia mihi videntur auxilio suffixi *-bulo-* (antiquius *-dhlo-*) derivata esse a nominibus in *-to-* exeuntibus, quae in grammatica latina celebrantur nomine participii perfecti passivi [1]).

Ab radice illa **ker-* „calefacere" eadem ratione exspectes **kr̥-tó-*,> lat. *corto-, inde [2]) **cortibulum*; hic haeremus, nam formae in *-tó-* desinentes eum statum vocalis litterae postulant, quo *a* aut *e* aut *o* prorsus evanescat („Schwundstufe"). Quam vocalis condicionem hoc loco habemus, litterae vim tantum imminutam ostendit („Reductionstufe" [R], id quod Hirt *a e o*, Meillet aliique Francogalli ° designant, Brugmann noto signo *r̥r*, *l̥l*, certe ante vocales). Lectorem reicio ad disputationes de hac re novissimas Meillet *Introduct*[2] p. 73, *Etudes etym. et voc. v.-slave* 165, Brugmann *Kurze Vergl. Gr.* 122, 141, Hirt

---

1) Hoc credere ne graveris, plura affero. In *la+t-eo* (cf. gr. φίλος φιλέω proprie „amicus esse"; sic *lateo* „absconditus esse"): gr. λή-θη (<**lā-dhā*, proprie „verborgenmakerij"): λᾰ(ν)θ-άνω basin quae dicitur agnoscimus i. g. **lā-*, cuius „reductio" i. g. *lə-* in linguis graeca et latina formam *lă-* induit. Sic *pateo*: *patulus* basin *pūx-* arguit, item *vestibulum* a *ves-tó- derivatum radicem **ves-* „habitare" aperit. Exemplum dilucidum est Bas. **nei-* „splendere", unde **nĭ-tó-*, ex quo *nĭtēre*, cf. *rĕ-nī-dēre* (*d* ex i. g. *dh*) < *-nei-*: copiose de his verbis Osthoff *Indog. Frsch.* 5, 299, ubi plura. In *patendi* verbo -t- iam antiqua fuit comparato verbo graeco πετάννῡμι.

2) Similis naturae sunt: φί-λο-ς (*-lo-* Participium): trans. φιλέω; κεν-: κέν-τωρ, κέν-τρον, *κεν-το-, trans. κεντέω, cf. ἐγ-κον-έω „cōnāri", (κεστός < κεντ-το- „punctis variatus" posterior est formatio); πυρακτέω ι 387 πατ-έομαι: *πᾰ-το- cf. lat. *pā-scor*. De rad. *κεν- Wood *Class. Phil.* 5, 303. Principio haec atque talia verba fuerunt intransitiva; eodem modo arguit Bechtel *Lexilog.* 29, 34.

Ablaut § 39, Fortunatov *KZ.* 36, 32 sqq., Brugmann-Thumb *Griech. Gramm.* p. 106 sqq. Exempla laudo tantummodo tria: *maneo*: *μένω*, *patior*: *πένθος*, *πάθος* (Basis *peth-*; R. *pₑth-* > lat. *pat-*, gr. *παθ-*; cum *-n-* infixo gr. *πενθ-*, V° [i. e. status primarius cum mutatione qualitativa] *πέπονθα*), *pa*[illegible] *πετάννῡμι*, in *πίτνημι*, vide supra p. 326 ann.

Quomodo illum statum imminutum defendam? Haud scio an verbum etiam vetustius **careo* (< **kₑr-eo*, cf. *maneo*: rad. *men-*) *a* illam pro *o* imposuerit; melius fortasse verbum *calendi*[1]) sensu cognato[2]) eius anomaliae patrocinium suscipiet. *Carbo*[3]) utique eiusdem radicis propago item habet *a*.

Inde cartibulum adiungitur familiae longe lateque per linguas indogermanicas propagatae. Sunt quae dico vocabula haece:

avest. *garəmō-skarana-*, ein bei der Feuerung gebrauchtes Gerät (Bartholomae; garᵊma- = *θερμός*, *formus*; s- protheticum), *skairya-* Kohlenmeiler (v. insuper Osthoff *Arch. f. Rel. Wiss.* 8, 62 A), gr. *ἐσχάρα* et *χάρμη* (v. infra)[4]) vet. germ. **χérþo-* < i. g. **kér-to-*, neerl. *haard*, germ. *Herd*, lett. *zeri* Glutsteine, *ka'rsūnis* „febris fervida" (v. Trautmann *Germ. Lautges.* 30; cf. *febris*: *ferveo*, quod ad sensum), russ. *čéren* Salzpfanne, polon. *trzon* Herd (Berneker *Et. Wtb.* 146), forma amplificata lit. *krósnis* Ofen (v. *Indog. Frsch.* 33, 201).

Basin igitur habemus **ker-* aut **kher-*, sensu calefaciendi. Nam lit. *skiliù* „ignem accendo" huc non pertinet: id enim aut

1) Ne *cartibulum* ex **kalto-dhlo-* ratione ea, cui nomen „dissimilatio", ortum putemus, impedit quod ea res plerumque aut suffixa iam mutabilia invadit (*singularis*: *pluralis*) aut temporibus demum posterioris latinitatis se ostendit (ital. *pelegrino* < lat. *peregrinus*). V. etiam Brüch *KZ.* 46, 359. Accedit, quod verbum *calendi* notissimum magisque fecundum quam **ker-* semper isti mutationi obstitisset.

2) De hac explicationis ratione multa apud Güntert *Ueber Reimwortbildungen im Arischen und Altgriech.* (1914) 3 sqq.

3) Nihil agit de hac voce disputans nuperrime Reichelt *KZ.* 46, 328.

4) In linguis celticis nondum quicquam inveni; nomen enim proprium *Cartismandua* (cf. D'Arbois de Jubainville *Noms gaulois chez César* p. 128) ab omni parte incertum (dicit l. l.: *Cartismandua* est „la fille de celui, qui veille sur un objet appelé *cartis*" (apud Tac. *Ann.* XII 36, 40, al.). Nescio an hinc enodatio vocis illius obscurae vet. gall. *karnitu* proficiscatur (vulgo explicata tamquam „sub lapidibus tumulatus est", cf. Dottin *Manuel Antiq. celt.* 77; an idem valet, quod „crematus est"?) De *a* vocali in linguis celticis ex i. g. *r̥* aut *ər* orta cf. Pedersen, *Kelt. Gramm.* I, 44.

cum lat. *calendi* verbo aut cum radice (*s*)*kel-* „findere" (primitus dictum de silice) cognatum est, unde etiam lat. *culter* originem traxit. Skutschi enim opinio (in *Bezzenbergeri annal.* 22, 126), qui id nomen ex: **ker-tro* ortum putat (: *caro, κείρω* cf. *κατέκειραν* de carne dictum Od. ψ 356), pro certo demonstrari nequit.

Id quod nunc *focum* vocamus, aevo remotiore nihil aliud fuit nisi fovea, in qua incendebant ignem alebantque. Ita comparatum fuit apud Slavones auctore v. d. Osten Sacken, qui (*Indog. Frsch.* 22, 318) agens de voce russ. *čéren* ab ipsa foveae significatione proficiscitur, et addit: „diese primitivste Art des Herdes, Backofens war zugleich auch der primitivste Art der Feuer, glühende Kohlen enthaltenden Gefäsze".

Quam expositionem legens, quis non ultro defertur ad focum Graecorum, vocem dico *ἐσχάρας*?

'Εσχάρα. Hac quoque re haud minus inter se conveniunt opiniones Graecorum atque Graeculorum et res ab archaeologiae studiosis in lucem protractae. Has igitur prius laudamus duce Furtwänglero, qui (*Arch. Rel. Wiss.* 8, 192) rem quandam enarrat rotundam fumarii vice fungentem, quae flammas scilicet sursum traheret neque diffundi pateretur, in qua depictus Charon: „auf dem oberen ... Mündungsrande befinden sich vier nagelkopfartige runde an der Spitze mit braunroter Farbe bedeckte Tonerhöhungen, die so gestellt sind, dass sie durch Linien verbunden nicht ein Quadrat sondern ein Rechteck (von 8½ zu 10½ cM.) bilden. Die Höhe des Gerätes bstragt 0,125 M., der obere Durchmesser 0.147, der untere 0.16" et infra „das Gerät sieht aus wie die Mündung eines Brunnens oder einer Zisterne" et „dann ist aber der richtige Name unseres Gerätes kein anderer als eschara". Quod confirmatur in Roscheri lexico (I, 2501) et Pauli-Wissowae thesauro I, 1665 („Feuerloch"), VI, 615 [1]).

Antiquorum testimonia quae congessi, praecipua sunt haece: Schol. in Eurip. *Phoen.* 274: *βωμοὶ ἐσχάραι· τὰ κοιλώματα τῶν βωμῶν· ἐσχάρα δὲ ὁ λάκκος, ἐν ᾧ ἱερὰ ἔκαιον*, et infra *ἐσχάρα μὲν κυρίως ὁ ἐπὶ τῆς γῆς βόθρος, ἔνθα ἐναγίζουσι τοῖς κάτω ἐρ-*

1) De vetustissimis focis atque clibanis agit generatim Meringer *Indog. Forsch.* 16, 137; 21, 287. 291; *Wörter und Sachen* 3, 143.

χομένοις; Hes. s. v. *ἐσχάρα· βωμός ἰσόπεδος — ἡ ἱστία. σιδηρᾶ Φακαραια*[1]). *τὸ πῦρ καὶ ὁ τόπος αὐτοῦ*; alibi *ἐσχάραι πυρὸς· ἐπὶ ἐδάφους ἀνθρακίαι*; et *ἐσχάριον· κοῖλον θυμιατήριον*; et *ἔσχαρος· ἰχθῦς* (cf. nostrates „panvisch"); postremo *ἐσχαρίτης· ἄρτος ἔγκρυπτος*. Ex Etymologico Magno quaedam affero (384. 10 sqq.): *καὶ τὸ καυθὲν ἕλκος*, deinde *τὴν μὴ ἔχουσαν ὕψος, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἱδρυμένην ἢ κοίλην* necnon aliunde sumptum *παρὰ τὸ καὶ τοὺς ἰατροὺς τὰ ἐν τῷ σώματι κοῖλα ἕλκη ἐσχάρας καλεῖν* (cf. neerl. haard eener ziekte[2]). Cf. Cato *de Agric.* 143, 2: „coronam *in focum in*dat".

Haec significatio mihi quidem ab omni parte et longe antiquissima et rebus esse stabilita videtur, magis etiam corroboratur, si nobiscum haec reputamus: vetustissima tam domus quam *ἐσχάρα* profecto nihil nisi fovea fuit, domus quidem vimine tecta, ut nuper Meringer demonstravit et alibi (*Wien. Sitz. Ber.* 144, 110 sqq.) et fusius in annalibus quibus nomen *Indog. Frsch.* 16, p. 118, 114, 172; nuper de hac domus forma antiqua *Arch. slav. Phil.* 35, 373.

Istud autem *ἐσχάρας* vocabulum explicatione adhuc caret. Cum got.[3]) *azgo* „cinis" eam coniungere neque per formam neque per sensum licet. Solmsen *Unters. gr. L. und V.* 218, quem sequitur Jacobsohn *Philol.* 67, 340 A affert vet. slavon. *(j)iskra* „scintilla"[4]), id quod iam sensu minime commendatur; at argutiarum nondum satis est: hoc ut sibi facere liceat, radicem construere cogitur **i̯es-*, quae alibi nusquam appareat; denique tam in parte radicali quam in suffixo linguas inter graecam et slavonicam ad mutationem eam, quam vocant „Ablaut,' confugiat necesse est.

Equidem mihi persuasi linguam slavonicam eam vocem mu-

---

1) Ecquid habet commune cum *foci* nomine??

2) Antiquis igitur temporibus ita comparatum fuit, ut *ἐσχάρα* designaret focum in terram defossam aut in terra stantem, *βωμός* vero, qui per gradus surgeret; *βωμός* enim a radice **g̑ᵘem-* „ire" originem ducit (*βαίνω* < **βαμ-jω*, cf. neerl. *komen*, got. *qiman*) teste Homero (Θ 441: *ἅρματα δ' ἂμ' βωμοῖσι τίθει* η 100) et Herodoto II 125: *ἀναβαθμῶν τρόπον, τὰς μετεξέτεροι κρόσσας, οἱ δὲ βωμίδας ὀνομάζουσι.* Postea diverso etiam habebantur sensu, Soph. *Ant.* 1016.

3) Recte nuper de hoc vocabulo Reichelt *KZ.* 46, 316 (: lat. *āreo, assus*).

4) Nihil agit Iljinskij *Arch. slav. Phil.* 34, 6 slav. (*j*)*iskra* cum got. *azgo* „cinis" coniungens".

tuatam esse a graeca: *i-* sic explico, tamquam ex nomine sensu praedito cognato *ἰστία, ἑστία* irrepserit; id enim, quantum hodie scimus, et *i-* et *e-* litteram initialem habuisse non modo ex Hesychi loco supra commemorato apparet, verum etiam ex disputatione Hatzidaki *Einleitung gr. Spr.* p. 156 A. Facillime igitur aggregatur sescentis vocabulis, quae lingua vetus-slavonica in primis ex graeca in alveum suum traduxit: de qua re v. Vasmer *Gr.-slav. Studien* II, Meillet *Études* p. 187 et in scholis anni 1909.

Quae cum ita sint, gr. *ἐσχάρα* nondum explicata est. Quamvis Solmsen (*Unters. gr. L. u. V.* 218) vehementer repugnaverit, nuper formis ex dialectis graecis protractis aliisque testimoniis (in quibus haud levis momenti est Hesychi lemma *γιστία*, (*γ* = *ϝ*), constat *ἑστίας* formam primigeniam fuisse *ϝε/ιστια*; v. Sommer *Gr. Lautstud.* 94 sq., Jacobsohn *Phil.* 67, 340.

De radice *ves-* „habitare". Hisce ita comparatis tria aut summum quattuor sunt vocabula, quae huc faciunt; sunt ea *Vesta, vestibulum ἑστία, ἐσχάρα* [1]).

Vesta. De Vestae nomine dubito. Ab antiquis et ab huius aevi viris doctis semper profertur opinio, quae Vestam et Graecorum *ἑστίαν* unam eandemque esse perhibeat. Supra monuimus formam quidem huic coniecturae non obstare.

Multa vero insunt in Vestae cultu inque virginum Vestalium habitu, quae Vestam idem significasse arguunt atque sponsam, uxorem in domum mariti perductam; quod ad Vestalium virginum habitum attinet, legas velim luculentam disputationem Dragendorfi in Museo Rhenano (*RM.*) 51, 286, ad quam lectorem relego. Huc spectat, nisi omnia me fallunt, etiam nomen *amatae*, quo pontifex maximus usus Virgines Vestales „capere" solitus est (v. *Gell.* I, 12, 14).

Nuperrime autem Fehrle, Osthoffi copiis atque adminiculis fretus (*KZ.* 45, 83), quod Romani uxorem domum duxerunt, Graeci *γυναῖκα ἄγεσθαι* se dicunt in suam rem convertit necnon perhibuit Vestae nomen a radice **vedh-* „ducere" derivatum esse, collatis skr. *vadhū-* „sponsa", lit. *vedù* „duco", *vėdỹs* „procus"; fuisse igitur putat participium perfecti passivi, quod feminam domum ductam indicaret. Quod mihi haud magis

---

1) Hinc etiam *vestigii* nomen originem duxit; de hac re alias.

quam Wissowae (*Relig. der Römer*² p. 157) [1]) probavit, quoniam Vesta in re sacra alias partes egit. At soni difficultates hercle multae atque graviores se ostendunt, quas Osthoff l.l. nullo modo solvere valuit. Hanc ob causam si non certam, at probabilem certe opinionem in medium proferemus, dum Vestam cum radice *ves- „habitare" [2]) coniungimus, quae propagines egit has: skr. *vásati* „habitat, vivit" arm. *goy* „est", got. *wisan* „versari", quam etymologiam Usener quoque (*Gr. Götternamen* p. 32) defendit. Quod ad formam attinet, Vesta [3]) fuit ipse habitandi genius, dea quae prima homines docuit certo loco suo vitam degere, quae prima ideo mores instituit cultiores, inauguravit atque initiavit medium illum ac sacrum locum, quem olim ut hodie mater tenuit familias, signum familiae. Forma satis perspicua: **ves-ta*, quam conferas cum Morta apud Liv. Andr., fr. tr. 12 Bähr., Moneta, Iuventa, Senecta (?an senecta sc. aetas? ita arguit Usener l.l. p. 374), repulsa, caus(s)a, alia, de quibus egit Stolz *Hist. Gramm.* p. 532.

Vestibulum. Olim vestibulum idem (etiam Verg. *Aen.* 6, 575?) fuerit quod postea fuit atrium, quam rem Nissen (*Pompeian. Stud.* p. 633) demonstravit. Hic quoque latinum vocabulum peregrino ex pristina dignitate expulsum: nam atrium etruscum est nomen (v. infra).

V. igitur sensum habuit eum quem nos exprimimus voce „*woonkamer, huiskamer*". Ut *vestibulum* fuit habitandi locus, sic *cartibulum* calendi, latibulum latendi locus vel instrumentum. Enodationes aliae, quae tam antiquae quam novae sunt innumerae, pleraeque scatent difficultatibus, quas singulas evolvere longum habui [4]).

---

1) cf. etiam Güntert *Reimwortbild.* 220 A.

2) Ovidius (*Metam.* 6, 267) dicit: „Vesta eadem quae terra". Nihil hinc efficias; noli ex hoc loco apud Romanos quoque cultum illum Terrae Matris (cf. A. Dieterichi liber *Mutter Erde*) odorari. Vestae templum rotundum, cur? quia terra rotundam habet formam. Totam rem habes, qualem sibi informaverunt Romani illi aetiologi.

3) Foci ignem non in Italia solum rem fuisse sacratam docet lingua lituanica, qua lit. *ugnìs szventà* „ignis sacer" magno floruit honore (cf. Usener *Gr. Götternamen* 111).

4) Veriloquium novissimum (*vestibulum*: *verrere*, „Platz wo man fegt" Jacobsohn Χάριτες Leo p. 432 A) sane quam longe a re et a vero remotum! De vocabuli significatione errant nuper in Pauly-Wissowae tom. I A 1, 983.

Rectissime Ovidius dixit bona fortuna usus (*Fast.* 6, 303): „hinc (sc. a foco) quoque vestibulum dici reor: inde precando

praefamur Vestam, quae loca prima tenet".

'Ε σ τ ί α. Idem valet atque Vesta et focus. Forma vetustissima fuit: **ves-to-*, unde femininum factum est addito suffixo perantiquo gr. -ια (i. g. <-*iə*, skr. -ī, cf. ἡδύς, ἡδέϝ-ια, nuperrime H. Lommel *Indogerm. Femininbildung* p. 36 sqq. [1]). Notissimum documentum est πότνια θηρῶν et δέσποινα; skr. *pátnī* "uxor", lat. *potis*, lit *pàts* „maritus", *patì* „uxor". Significationis naturam illustrant verbum ἑστιᾶν = εὐωχεῖν et latinum vocabulum convivium, conviva, quo de audiamus Ciceronem *Cato* 45: „bene — maiores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniuntionem haberet, convivium nominaverunt".

F o c u s enim quo cibi coquebantur tamquam penetrale aedium fuit: cui quae praesidebat, in privatis domibus erat mater familias, in civitate autem ipsa dea nexus familiaris, V e s t a.

'Ε σ χ ά ρ α [2]). Redeamus ad rem, quam nunc demum absolvere poterimus. 'Εσχάρα vetus compositio fuit: ϝεσ-χαρα i. g. **ves-kh$_e$r-ā*, i. e. „domūs calefactio" ut ita dicam. Quod lingua latina derivatione effecit (rad. **k(h)er-*: *cartibulum*), id graeca lingua pro natura sua bene nota assecuta est altera via compostionis; sic Romanus a *domo dominus* informavit, Graeci ab eadem radice **dem-* vocabulum genuerunt **dem-s-pot-* „domūs (Gen.) potens", δεσπότης.

Ne dicas formam illam **ves-*[*s-*](Genet?) + *kh$_e$rā* iusto longiorem esse sensumque unius *χαρᾱ abunde futurum fuisse dilucidum, impedit ipsum nomen compositum [3]) δεσπότης supra allatum.

1) Ita haud scio an explicandum sit lat. *tertius* (< **tri-to-*, v. gr. τρίτος, unde **tr̥-to-*; inde masc. **ter-to-s*, femin. *ter-t-ia*; postremum masc. etiam *tertius*). Eadem ratione *levis*, *brevis* formae fem. generis sunt. Alteram viam monstrant skr. *tr̥tīya-* cett.

2) Parvi momenti sunt, quae affert Ehrlich (*KZ.* 41, 293), ut ἑστίας et ἐσχάρας nomina separet; cui hoc tantum imputandum est, quod arte Vestam et 'Εστίαν inter se coniungit validisque documentis suam perfert sententiam.

3) Paulisper de altera cogitavi solutione, in ἐσ- veterem praepositionem ἐξ aut εἰς (< ἐνς) inesse suspicatus, quae praepositio declararet foveam *in* terram defossam (εἰς) aut ignis quasi ostium (ἐξ; cf. Furtwängleri descriptio supra memorata et gr. ἐξ-έδρα). Quod

Haec omnia confirmentur, si vocis simplicis *χαρᾱ adhuc vestigium extare videatur. Iam vero legitur in inscriptionibus insulae Rhodi quater decies (IG. XII, 1, 791—804) θυσία προσχαραῖος: hoc utrum fuerit ἡ πρὸς (= ἐπὶ) τῇ *χαρᾳ θυσία an ἡ πρὸ [1]) τῆς ἐσχάρας θυσία mihi non liquet neque vocabulis, quale est att. Φροῦδος „op weg" per hypostasin ex πρὸ ὁδοῦ natum, diiudicari potest (alia apud Brugmann-Thumb *Gr. Gr.* p. 120). Propterea rem integram relinquere satius duco.

Ultimum [2]) restat χάρμης nomen. Iam Graeci cum χαίρειν verbo id coniungere sustinuerunt. At χάρμα, non χάρμη inde originem ducit. Porro quis non gravatur, ubi propagines aliae eiusdem stirpis i. g. χάρις, χαρίζομαι animo occurrunt? Quid si χάρμης quoque nominis significatio prima fuit „incendium, aestus", „oorlogsbrand". Ultro se offerunt ῥήματα illa Homerica ἐν δαΐ λυγρῇ (: δαίω) et μάχης καυστείρης Δ 342. Ultimum restat Hesychianum χαρὰ· ὀργή (perperam de hac voce *Arch. slav. Phil.* 35, 371).

---

ad formam, *ἐνσχαρα > ἐσχάρα nullum inicit scrupulum; altera ex parte conferre iuvat gr. ἔσχατος: ἐξ ex ἐχσ-κατος natum (v. Wackernagel *KZ.* 33, 40 sqq. post Joh. Schmidt), quocum coniungo hom. ἔγκατα: ἐν (v. Wackernagel *KZ.* 33, 40) et lat. *colo*: *Esquiliae* (cf. *inquilinus*). Formam praepositionis etiam ante consonantes positae ἐξ vindicavit Nachmansson (*Eranos* 13, 93) dialectis plurimis (Cypr. et Peloponnesi), J. Baunack *Phil.* 73, 197 glossis nonnullis (e. g. ἰσφωρες) Hesychianis. Noli cogitare de radice incerta **ves-* „vesci", de qua v. *KZ.* 27, 215; 32, 320.

Obiter quaero, num melius ἐσχατος: ἐχς, εξ ex ἐχσ-ατος deducatur? (cf. *vespa* < **vepsa*, lit. *vepsù* „crabro"). Comparativus fuerit *ἐσχ-ερος, conservatus in hom. Σχερίη Od. ζ 8 cf. η 79 lege: εἶπεν δ' Ἐσχερίῃ (de eiusmodi divisione vitiosa cf. Hom. ἄκνηστις *Glotta* 2, 1; Bechtel *Lexilog.* 27) quae insula tamquam mortuorum insula „extra et ultra" vivorum regiones sita optime opponitur Ὑπερείῃ (ib. vs 4) quod nomen designat id quod nostrates dicunt „bovenwereld"). De Phaeacibus (: φαῖος „luridus, ravus") cum morte atque mortuis coniungendis relegas Finsler *Homer*[1] p. 202. Num huc pertinet etiam Homeri illud ἐπι-σχερώ Ψ 125?

1) Crasis litterarum ο + ε > ο adhuc tantum in Messenia, Creta, Locride, inque insulis invenitur, cf. Thumb *Hdb. gr. Dialecte* 101, 126, 196, 349 et id ea quidem condicione, ut sequantur litterae liquidae ν aut ρ.

2) An etiam χαροπός „oculis micantibus"? At vide ne hic praestet comparatio vetus, quae adiungit lit. *žerė́ti* „splendere, videre" (ad sensum cf. λευκός: λεύσσω et v. Ginneken *Leuv. Bdr.* 1912, 130) per i. g. *ĝh-* (gutturalem palatalem) incipiens. Nuperrime ita etiam Ehrlich *Berl. phil. Woch.* 1913, 1200, qui tamen ad basin quandam confugit **ĝhu̯er-*, ut lit. *žiurù* „video", lett. *fvēras azis* „micantes oculi" adiungat. Quod necesse est minime, si quidem *-u̯-* consonantibus postposita iam temporibus remotissimis nonnumquam evanescit (v. Solmsen *Unters. gr. L. u. V.* 197 sqq., 211).

Radix igitur, de qua agitur utrumfuit **ker-* „calefacere" an **kher-*? Ut **kher-* ponas, una graeca lingua postulat, reliquae permittunt; namque phonetica ne latina quidem respuit. Qua de re pauca addam.

Longa fuit controversia, utrum lingua indogermanica habuisset consonantes tenues aspiratas necne; altera fuit, quomodo mutarentur quidve ex iis fieret in linguis Italiae. In dies plures nunc quaestionem priorem ita dirimere volunt, ut *kh*, *ph*, *th* in lingua indo-germanica extitisse contendant (nuper Petersson *Arch. slav. Phil.* 35, 357 sqq.).

Alteram Uhlenbeck (*Indog. Frsch.* 13, 213) contra usitatam atque vulgarem opinionem (*kh* et *gh* cett. > ital. prim. χ cett. cf. Sommer *Handb.*^{1} p. 189) [1]) ita solvit, ut indog. *kh-* in linguis italicis evasisse *k-* (*c-*) argueret. Quod mihi utrimque unice videtur recte se habere.

Namque aspiratio, quam *h* signo notamus, semper et ubique eo tendit, ut tam per se quam cum aliis coniuncta laryngis vibrationem quam possit minimam patiatur. Ita factum est (ut per varias linguas nonnihil obiter tangam), quod sequitur:

a. in latinitate vetustissima litteram *f*, quam Graeci ignorabant, notaverunt *FH* = *vh* (in noto illo: *vhevhaked*, ± 600 a. C.);

b. in linguae graeca dialectis FH designat „tonloses ϝ"; haec atque talia demonstravit copiosissime Sommer *Gr. Lautstud.* p. 96, Thumb *Hdb. gr. Dial.* 225, 300; porro indog. *th* et *dh* > gr. [2]) *θ* (= *th*).

c. Germani hodierni ubi optime loquuntur (Bühnen-aussprache), dicunt K^h*ind* [3]) K^h*alb*; quod et animadvertas in provincia nostra

---

1) In editione altera nuperrime edita quod Sommer p. 173 (cf. *Krit. Erläuter.* 64 sq.) eandem minore iam fiducia solvit (eius verba sunt: „strittig ist die Behandlung der Tenues aspiratae"), gaudeo eo magis, quo ipso Sommerio auctore diversa opinio magis magisque his annis decem invaluit.

2) In efficitur ut in pronuntiatione linguae graecae litteras, explosivae quae dicuntur, tenui tantum vi fuisse dictas putemus. Optime hercle hoc quadrat in Meilleti opinionem; is enim (v. *Aperçu de l'hist. l. grècque* 332 sqq.) alia via ac ratione ad eandem devenit nuperrime sententiam. Eodem spectant verba peregrina in lingua latina: *gummi* < *κόμμι*, *Burrus* < Πύρρος alia.

3) Idem invenias in vocabulis latinis, qualia sunt: anchora (: ἄγκυρα), sepulchrum al. Quint. 1, 5, 20 indicat, quam levia ibi agantur discrimina, cum dicit: „parcissime ea (sc. h littera) veteres usi . . ., diu deinde servatum, ne consonantibus aspirarent . . .; erupit brevi tempore nimius usus . . .". De voce *triumphi* *KZ.* 33, 386.

Groningana, ubi frequenter pro t, t^h, $t^þ$, t^s in cuiusvis vocabuli parte audias. Utrobique mediae quae vocantur consonantes huius mutationis sunt immunes [1]).

d. in lingua germ. prim. („germ. Lautverschiebung") indogerm. *k* et *kh*, *t* et *th* sim. eodem modo habitae sunt, *g* et *gh* evaserunt germ. *k* et *g*, cett. eodem modo.

Duo inde consequuntur:

Aspiratio per se affinis est litteris consonantibus, quae dicuntur tenues, abhorret a consonantibus mediis. Frequenter invenitur in illis atque ex iis nascitur, raro in his; idcirco illas vulgo haud multum mutare valet, has permultum (nisi vero quodammodo per se stat aut magis adiungitur vocali sequenti, ut in sonis germanicis *gh* cett.); eandem ob causam illic saepe non sentitur auribus neque scriptura notatur, hic ubi offendas eam notatur semper.

Ibi demum, ubi universam ob causam aspiratio per se augetur viribus crescitque eundo, totam omnium consonantium condicionem evertit ut puta in linguis germanicis antiquis.

Ad eandem conclusionem magna ex parte devenit etiam Prokosch (*Am. Journ. of Phil.* 33, 1912, 195—202 de linguis indogermanicis, *Indog. Frsch.* 38, 379. 388 de linguis germanicis). Quae fieri possunt, tria sunt, nisi omnia me fallunt:

a. aspiratio eadem manet, ut in lingua sanscritica; habes *th*, *dh* sim.;

b. aspiratio vires adeo imminuit, ut ex *th* *t*, ex *dh* *d* evadat. Testes sunt linguae celticae, balticae, slavonicae;

c. aspiratio aut nascitur aut corroboratur, ita ut consonantium explosivarum condicionem, ante stabilem, labefactet atque inde oriantur litterae spirantes, ut in linguis avestica, germanicis (*t* et *th* > *þ*, *dh* > *đ*), necnon in lingua graeca posteriore;

d. (vide b): aspiratio imminuitur: in medio vocabulo magis quam in initio; prius videlicet ibi evanescit, ubi debilis magis fuit

1) Nota est lex illa phonetica linguae graecae, qua ex *-κσν-* *-χν-* oriuntur (e. g. λύχνος: praenest. *Losna*, vet. boruss. *lauxnos* „sidera"). Via ibi fuit inversa *t* + *s* > *t* + *þ* > *t* + *h*. Hoc loco memorandae sunt formae dialecti graecae cuiusdam ἐπεμφσαν et φεφυλαχσο (cf. *Class. Phil.* 4, 79). Quod in vocabulis graecis κ + θ (ἐφυλάχθην) mutantur in χθ eodem nos ducit, scilicet ut aspirationem ibi consonantibus tenuibus innatam paene neque per se adeo validam fuisse credamus.

magisque affinis, hoc est in consonantibus tenuibus (*th* > *t*); *dh* aut numquam aut posterius > *d* sed alia ratione mutatur. Ut breviter dicam, coniunctio litterarum *d* et *h* per se soni naturae repugnat; certamen inde gignitur, quo aut una aut altera perit aut ambae mutantur [1]). Hunc statum habemus in lingua latina.

Itaque ponenda est radix **kher-* aut radices duae affines secundum dialectas indogermanicas divisae, **ker-* et **kher-*. Saepius tale aliquid usu venit neque mirationem movet, ubi retinemus quae supra dicta sunt (v. etiam Persson *Beitr.* 249, 808). Exemplum habes: rad. **skel-* findere, iuxta (*Arch. slav. Phil.* 35, 375) **skhel-* in vocibus *σχαλίς* „furcula" et *μα-σχάλη* (*Arch. slav. Phil.* 29, 36) „ala".

Quae hucusque lucrati sumus, brevi complectamur:

I. Romani focum suum antiquo nomine designarunt *cartibuli.*

II. Graeci rei eidem vocabulum indiderunt *ἐσχάρας.*

III. Huius vocis prior pars reperitur in lat. *Vesta, vestibulo,* gr. *ἑστίᾳ.*

IV. Litterae indogermanicae tenues aspiratae in lingua latina eandem viam secuti quam tenues ipsae, *th* > *t* sim.

Hoc ultimum disquirendum nobis est. Ut antiqua conclavis designatio *vestibuli* cessit novae *atrii,* quae vox ex lingua etrusca irrepsit (cf. Pernice in Gercki et Nordeni Eisagogico, ed. prim. II, 25; Pauly-Wissowa VI, 744), ita *cartibulum* novo vocabulo oppressum est *foci.* Unde gentium hoc nomen?

Vereor ne ex lingua etrusca illud quoque ortum sit. Forma eius, quae consonantes solas tenues continet, cum natura linguae etruscae optime congruit. Rerum historia non obloquitur: quot enim quantaque vocabula hodie Etrusca esse videntur aut testimoniis allatis sunt re vera? Laudo permulta illa nomina propria latina (v. W. Schulze, *Zur Gesch. latein Ei-*

1) Conferantur: *veho* (< ĝh), *indo* (< dh), *fui* (< bh), *nubes* (< bh).

gennamen), *persona* (Skutsch *ALL.* 15, 145; cf. alii *Glotta* 2, 165 et 270), *histrio* (Liv. 7, 2), fortasse *elementum* (cf. H. Diels *Elementum* p. 83 sq.), ipsum *Romae* nomen (Schulze l.l. 579)[1]. Nuperrime Rosenberg (*Glotta* 6, 13 A) argumentis evicit validissimis *Tulliani* carcerem nomen induisse etruscum (cf. etr. *tular* „sepulcri monumentum") quam coniectura palmaria copulavit cum gr. δούλῳ [2]) primitus „domus", >„familia", inde „famulus". In ipsa domo habes *atrium Tuscanicum* (v. Mau *Pompei*² p. 255), cui templum etruscum adiungo, cuius imago invenitur in Springeri-Michaelis *Handbuch d. Kunstgesch.* I (ed. nona) p. 415. De moribus Tuscis Plautus *Cist.* 560: „ex Tusco modo". Forsitan et *foci* nomen fuerit etruscum. Plura affirmare hodie non ausim; rem si non integram at incertam in medio relinquo.

Omnia utique in tali re antiquitatem redolent atque negare non possumus in re sacra [3]) posthac nimirum plurima inventum iri, quae maiorem Etruscorum vim atque auctoritatem in linguae latinae quoque vestigiis digito monstrent. Varronem tunc referent, qui (*LL.* VII, 35): (subulo), inquit, „dictus quod ita dicunt tibicines Tusci: quocirca radices eius in Etruria, non Latio quaerundae", quibus adiungamus Varronis sententiam (apud Lyd. de magistr. II, 13, p. 69, 18 W.): *ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων, ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθειςῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαιων ἀπετελέσθη φωνή.* Quod si scopum praeterit, at tamen ipsos Romanos Etruscis plurimum imputasse luculenter demonstrat.

---

1) Sall. *Catil* 51, 38 narrat Etruscos „insignia magistratuum" Romae intulisse; nuperrime de hac re v. etiam A. Rosenberg *Der Staat der alten Italiker* p. 87.

2) Hoc nomen δοῦλος in Asia natum putat; equidem credo fuisse vocabulum phrygium, id est indogermanicum. Fuit enim radicis **dāᵘu-* „cingere" (vel **dou-*) participium in *-lo-* cadens, cuius habemus alteram formam (cum suffixo *-no-*) in neerl. *tuin*, germ. *Zaun*, proprie „maceria": *δου-λό-, germ. **tū-nó-* ex i. g. *dūnó-*. Cf. ἰαύω < *ἰ-αύ-ω (Aor. ἄϝ-ε-σα): αὐ-λή. Quod ad sensum, v. Ζεὺς ἑρκεῖος. Bechtel *Lexilog.* 18 coniungit ἄϝεσα cum radice nostra **ves-* „versari, dormire". Nescio an fuerit verbum ex **au* et **ves-* contaminatum.

3) Etiam rotundum Vestae templum satis superque eius arguit antiquitatem (cf. Ovidius *Fast.* 6, 26: „paries lento vimine textus erat". W. Altmann, *die italischen Rundbauten* p. 51, Pernice in libro cui nomen *Einleitung eqs. Gercke-Norden*² II 24 sq., Wissowa *Relig.*² 159).

ANNOTATIONES VERGILIANAE.

SCRIPSIT

M. R. J. BRINKGREVE.



In hisce de Aeneide lucubrationibus praeponendis a Iahni editione, apud Weidmannos 1912 emissa, quam in nostrorum quoque gymnasiorum usum receptum iri credo, proficiscar, quod quare faciam sponte apparebet. De Peerlkampio autem in iis sileri non mirabitur quicumque quantopere tota ratio mea a Peerlkampiana discrepet observaverit. Ceterum ut annotationes meas sparsas neque certo quodam vinculo connexas aequi bonique consulat, lectorem benevolum etiam atque etiam rogo.

Ad vss. 1—7 a Iahno adnotatum est: *Das* fatum (s. Liv. I 1, 4) *hat den Aeneas zum Gründer eines Reiches in Italien berufen, die ihm feindlich gesinnte Juno aber hält ihn lange fern und verschlägt ihn in andere Länder, aus denen ihn die Macht der Götter, welche für die Erfüllung des Fatums sorgen, bald weiter treibt.* Haec explicatio lectorem incautum in errorem inducit. Vergilius enim non deos fatum curantes fingit neque Aenean vi vel potestate deorum ex terris longinquis propulsum esse nobis narrat. De hac re prius pauca. Loci qui huc pertinent, sunt quod videam II 780 sqq., III 94 sqq., 154 sqq., 381 sqq., IV 223 sqq., 345 sq., 560 sq.

His locis partim de oraculis sermo fit, partim de deo Mercurio qui Aeneae sese offert (IV 223 sqq., et 560 sqq.); nusquam vero deus aliquis Aenean propellit. Immo oracula Aeneae roganti data sunt, neque invitus oboedit; deus Mercurius autem Aenean iam conscium fatorum admonet, et gravibus quidem verbis Iovis

ipsius iussu eum adhortatur sed neque Iuppiter neque Mercurius vi potestateve utitur ut Aenean amoveant, quippe qui ipse per maiorem errorum partem vehementissime Italiam petere cupiat, et, cum regnorum promissorum oblitus esse videatur, semel admonitus statim quidquid eum retinet abrumpat. De loco IV 345 sq. suo tempore disseram, nunc tantum explicabo cur id discrimen maximi sit momenti. Nam hinc Aeneae partes a Vergilio aliter depictae sunt atque commentator Tentonicus vult illinc ratio quae deis cum fato intercedit aliter se habet atque commentator Teutonicus putat. Nam Aeneas, licet non sponte agat, licet non sui ipsius causa vel ob commoda propria agat, idque semper sciat, attamen haud invitus obsequitur. Semper in mente habet se fatis vocatum esse, sibi a fatis munus iniunctum esse, quod munus neque leve neque iucundum sit; at deis nulla vi, nulla potestate opus est; semel oblitum monere satis est, quod Aeneas revera pius erat, vir scilicet qui se suaque omnia proicere paratus esset ut id perficeret, quod sibi faciendum esse cognoverat.

Iam de fato Vergiliano. Non commentationis brevi parte sed toto libro opus est ut penitus proponatur locisque Vergilianis ex quibus ea res perspicitur, allatis et accurate interpretatis probetur quid fati vocabulo Vergilius voluerit. Postea fortasse otium mihi continget in quo eam quaestionem fuse tractem, nunc brevissime quid sentiam dicere conabar. Ordo ut ita dicam generalis omnium rerum certus est. Hominum res gestae non forte accidunt neque sine ulla certa ratione aliae alias sequuntur, sed ad certum finem, vel potius ad certos fines spectant. Ad quos fines ut aliquo tempore rerum series deducatur necesse est. Sic et imperiorum, populorum, immo hominum singulorum res et vitae quadamtenus inde ab initio omnium rerum in aeternitatem constant, earumque imago velut lineis, circuitum tantum designantibus descripta est. Huius ordinis generalis, huiusque necessitatis interpres, et solus omnium deorum hominumque huius rei peritus est Iuppiter. Ceteri dei quid agant hic non refert; hoc solum animadvertendum est cum eis tum fortunae licere modum rerum evolvendarum immutare. Ergo rem fatalem accidere nemo prohibere potest; quo modo accidat partim Fortuna nutu suo statuit,

partim dei decernunt. Quid Livius sentiat videlicet hic non attinet, quippe qui homo ne communi quidem ingenii acumine praeditus esset nedum tam sublimem cogitationem comprehenderet. Haec res mihi vulgo commentatores imprimis Germanicos adhuc fugisse videtur loco quodam obiter simili, quem parallelum vocant, vel exempli nomine honorant allato nihil adhuc explicatum esse, nisi eodem tempore et quod discrimen loco explicando cum loco allato intersit et quae similitudo addatur. Locos principales de fato enumero: I 18, 32, 39, 205, 258; II 13, 34, 194; III 7, 17, 395, 700; IV 110, 225, 340, 440, 519, 614, 651, 696; V 656, 703, 707, 784; VI 67, 72, 147, 466, 683, 713, 869; VII 79, 120, 123, 224, 314; VIII 12, 133, 334, 398, 477, 575; IX 94, 135, 137, 643; X 35, 67, 109, 113, 501; XI 112, 287, 701; XII 111, 149, 676, 726, 795, 819.

ad 1. *Von Waffentaten sing ich (jetzt) von dem Helden u.s.w. Man denke daran, wie Vergil vorher dergleichen abegelehnt hat: B.* 6. 3 c u m c a n e r e m r e g e s e t p r o e l i a ... *bez. verschoben hat: G. III* 46 m o x t a m e n a r d e n t i s a c c i n g a r d i c e r e p u g n a s.

Mirum in modum a sententia Vergilii haec explicatio abhorrere videtur. In carminibus lyricis qualia sunt Bucolica necnon in Georgicon libris qui nempe ob animi certe condicionem ex qua prodierunt lyrica carmina vocari possint, carmina enim quemadmodum poeta ipse rem quandam aspexerit enuntiantia, et qui libri argumento domestico sunt, poetam nonnulla de se ipsum, licet non ad argumentum proprie dictum pertineant cum lectore communicare non dedecet. In carmine vero epico, quod res gestas heroum continet poeta vates tantum, non homo urbanus, vel familiaris prodit et cum Musa colloqui non cum lectoribus sermocinari eum oportet. Quae disceptatio de veri simili adhuc egit et de iis quae expectanda sunt; nunc autem verba poetae inspiciamus. Ubi ego nihil invenire possum quod '*jetzt*' illud commentatoris vindicaret; porro a r m a cum v i r u m q u e coniungendum est, neque carmen epiçum bella narrans designat oppositum carmini alterius generis, sed nulla oppositio est, per coördinationem vero pro subordinatione designat v i r u m i l l u m e t r e s b e l l o g e s t a s e i u s. Cur a r m a praemittitur? Quia

principalis Aeneidis pars ipsa illa bellorum narratio est, quae gerenda erant ut Romana gens oriretur. Non satis moneri potest libros I—VI Aeneidis introductioni esse posterioribus libris, et omnem vim carminis in his libris positam esse. Vergilius denique vates Romanae gentis conditae fieri non potest ut carmen suum iuxta alia carmina epica posuerit sic ut commentator Teutonicus vult. Non unum carmen e multis Aeneis fuit cuiquam Romano, nedum Vergilio, sicut non unum e multis est lectori hodierno non ignaro, sed fuit ut est carmen per se positum cum quo nihil aliud comparari potest. Apud nullum, quantum quidem scio populum in nulla gente umquam compositum est carmen quod ita ut Aeneis Vergilii pietatem amoremque patriae omnium civium tam suae aetatis quam posterorum, necnon notionem historicam animorum fiduciaeque quorum civis Romanus sibi conscius erat comprehendit, optimum quidque quod populares sentiebant sentiuntque exposuit. Itaque non quod ad genus attinet Aeneis definiri potest sed quod ad argumentum modo proprium.

ad 1. primus. Duae explicationes altera in commentario altera in Appendice proferuntur. Haec est '*in grauer Vorzeit*' illa breviter compressa: *Antenor wird beseite geschoben.*

At hercule de Antenore ne cogitavisse quidem Vergilium credendum est. Monitum iam est monendumque videtur argumentum Aeneidis aliud quid, prorsusque aliud spirare quam vulgares narrationes mythologicas aetiologicas. Quid igitur sibi vult *primus* si non ad ceteros Troianos etiam ad Italiam vectos spectat? Illud fere quod altera explicatio exhibet. Sed virum philologum indiligenter interpretari aequum non est et stricta notione primus non idem esse potest quod antiquissimis temporibus. Si quis primus est alii post eum idem fecerunt. Quid? Videamus. Nemo post Aeneam 'fato profugus' in Latium venit; ad adventum Aeneae ergo primus nullo modo spectare potest qua cogitatione omnes nugae de Antenore mihi amotae videntur. Immo vero postea dicitur genus unde Latinum e. q. s. Hinc explicatio petenda. Aeneas non prius quam alii venit sed venit primus i. e. auctor generis, ita venit ut ab eo magnus ab integro saeculorum ordo nasceretur, ordo seriesque rerum nempe quibus volventibus Roma futurum esset ut conderetur et in unum imperium totus orbis terrarum redigeretur.

ad 4 vi superum *θεῶν ἰότητι Hom.* ρ 119.

Periculosum atque adeo, si nihil amplius additur, vitiosum est locutionem Homericam adferre ad locutionem Vergilianam illustrandam. Nam locutiones, versus, narrationes comparationes quaeque alia a poeta ex alterius poetae opere et ex carminibus aliis desumi possunt ex Homerico fonte hausta revera Vergilio instrumento non exemplo fuerunt. Locutio igitur Homerica laudata ab intellegenda notione Vergiliana, quippe quae magis recondita maiorisque complexus vulgo sit sevocat, ut hoc loco. Nam si vi superum eodem modo vertumus quo *ἰότητι θεῶν*, locus pessumdatur; in carminibus Homericis variae proferuntur sententiae de potentia divina, ut in carminibus quae multa per saecula creverunt. At ubi *ἰότητι θεῶν* aliquid factum esse fingitur res ita se haberi putantur ut quidquid dei volunt facile efficiant, ut ergo omnipotentes sint. At 'vi superum' Aeneas errare cogitur cum dea quaedam, fato ineluctabili quae libens obsequi non potest, omnibus suis viribus, quae nempe humanis multo maiores, quippe divinae i. e. superum sunt, nitatur ne in agrum fato designatum veniat.

ad 4. Memor *nachtragend; vgl. Aesch. Ag.* 161 *μνάμων μῆνις.* De loco Aeschyleo laudato vide supra. At graviter reprehendenda est vertendi ratio cuius haec annotatio perspicuum exemplum praebet. Cum semper periculosum sit vertentes unicuique vocabulo suam versionem attribuere multoque praestat imaginem ipsam vel cogitationem comprehendere easque lingua patria eloqui paene pro certo habemus nos peccaturos si ex linguis classicis in linguas hodiernas pravum istum in modum vertimus et sine ullo dubio peccamus eam viam sequentes ubicumque oratio figurata verti debet. Nam et semper contrarium est ipsi sermonis indoli quippe qui non res iam antea certas definitasque suo vocabulo denotet sed totam notionem principio indefinitiorem ipsa elocutione dirimat discernat definiat, quam diremptionem discrimen definitionem alius sermo alio modo efficit, et quam maxime erramus si auctor tropis usus est qui in poetarum scriptorumque optimorum dicendi stilo ei ipsi rei serviunt ut plures res rationesque adhuc animo suggerantur quam quae expressis verbis nominantur. Orationis figuratae igitur partes principales totae vertantur oportent, neque singulis

vocabulis pro significatione res singulis vocabulis linguae hodiernae indicatas attribuere licet. Ut hoc loco memorem Iunonis ob iram vult ob iram cuius Iuno haud quaquam oblita erat; sed memor porpriam vim non mutavit; quod attinet ad significationem cum *Iunone* iungendum est, quod ad formam cum *ira* unde fit ut tota illa locutio quasi in unam notionem concrescat.

ad 6. Desidero annotationem quae deos explicet, eoque magis quod haud scio an explanatio mea paucis probetur; attamen proferam. Romani urbem capientes deos in ea urbe cultos elicere eosque Romam ducere consueverant; hac re urbs Roma quadamtenus vires virtutesque et iura omnium urbium in se contrahebat ut numen et religio in immensum crescerent. Vergilius autem gentem Romanam principibus populis antiquis mixtis orientem fingens non solum homines ex terris peregrinis advenisse dicit sed etiam deos. Nam de penatibus ipsis cogitandum non est; non adducar ut *deos* nulla re addita pro penatibus dictum esse credam.

ad 8—11. *Die Verfolgung eines Mannes von so ausgezeichneter Pflichttreue (schon bei Xenoph. Cyn.* 1, 15. *gerühmt) konnte nur die Folge einer unbewuszten Opposition gegen den Willen der Gottheit* (quo numine laeso) *oder einer persönlichen Verstimmung derselben* (quidve dolens) *sein. Die erste war durch das Fatum dem Aeneas auferlegt* (22) *die zweite durch das Verhalten und Schicksal seines Stammesgenossen herbeigeführt worden* (23—8).

Locus Xenophonteus huc non pertinet. Utrum etiam alii Aeneam pium vocaverint necne nihil poetae refert. Porro causae a commentatore expositae et ipsae non sane consentaneae sunt sed hoc nihil ad nos, verum cum verbis Vergilii non congruunt. Vergilius dicit fieri posse ut deus hominem vexet aut quod homo in deum peccaverit aut quod sive ex rebus ab homine factis sive ex rebus ab eo praetermissis, licet nulla religio ad alterum vel alterum hominem teneret, deus dolorem ceperit. At peccare in deum aliud quid est, aliud autem nescium voluntati divinae se opponere. Immo illud ipsum nescium se opponere, si de illa re sermo fieret comprehendi debebat formula quidve dolens. Alii Troes in Iunonem peccaverunt, Aeneas culpa liber est. Neque Aeneas ipse dolorem Iunonis movet. Iis quae sequuntur

inspectis patet non cum Aenea ipso Iunoni inimicitiam invidiamve esse; Iuno est numen aeternum cui cum gente, cum populo amicitia vel inimicitia esse potest, quae Carthagini favet, quae Troas odit; Aeneas ex illa gente oritur quae Iunonis in invidia est et quae Carthagini exitio futura est. Itaque si ex mente poetae interrogationi illi tantaene animis caelestibus irae respondemus dicere nos oportet: Re vera tantae sunt irae deorum. Si animi deorum moventur graves calamitates homines obruunt, sed non unus alterve homo unquam iram dei movere potest. Irae sicut favores deorum gentes urbes populos amplectuntur et singuli homines ira vel favore fruuntur non sua ipsorum gratia sed utilitates capiunt ex meritis et vitia plectuntur tam maiorum quam posterorum suorum.

Dei Vergiliani non iudices factorum humanorum sunt ne rectores quidem rerum mortalium vocari possunt sed vires potestatesque ut ita dicam historicae. Romani secundum notissimam opinionem suum cuique homini genium attribuebant, qui genius imago mythologica erat vitae ipsius vel virium vitalium eius hominis, earum scilicet virium quae eum viventem servarent, quae igitur omnibus calamitatibus homini imminentibus resisterent easque quam maxime arcere conarentur. Id autem quod genius homini erat, dei apud Vergilium urbi populisque sunt. Qua re autem contendere nolo imaginibus mythologicis Vergilium numquam aliter usum esse; quin potius et de Venere et de Mercurio ut de Cupidine taceam longe aliae res narrandae sunt. At ubi de deis, caelestibus e. a. generaliter sermo fit, ibi eas notiones quas supra exposui poetae in mente versatas esse credo. De loco nostro autem nonnulla etiam addenda sunt. Nam verba quo numine laeso et quidve dolens non felicissime explicata sunt. Quo numine laeso tribus modis explanatur: 1° *die Folge einer unbewussten Opposition gegen den Willen der Gottheit;* 2° *Wunsch* [*den*] *Iuno vereitelt sah* (quod = cuius rei numen); 3° (in Appendice) *Wodurch wurde die Gottheit verletzt?* ubi recte additur: *Wie kann man einen Wunsch laedere.* Hanc interpretationem proximam a vero esse facile quivis latinae linguae peritus videt, at etiam haec minus definita minusque concinna est quam ut eam probare possimus. Supra vidimus quid dei apud Vergilium sint; quid Iuno ipsa

sit, valde perspicuum; paene isdem verbis Carthaginis divina custos audit. Hanc rem si retinemus non magni laboris est suam vim utriusque locutionis intelligere. Nefas enim est numen laedere; numen vero laeditur si debitus honos deae deove non redditur; numen ergo tantummodo laesum vocari potest si aut cultus dei intermissus est vel alio modo religio violata est aut eis rebus quas exsequi divini iuris est quis restitit. Iunonis quidem erat Carthagini favere, neque vero Carthaginem in aeternum servare. Aeneas igitur fato vocatus ut urbem Carthagini exitialem conderet nequaquam Iunonis numen laedit; religionum neglectarum ne vestigium quidem occurrit. Inde sequitur ut interrogationi quo numine laeso quidve dolens respondendum sit nullo numine laeso at hisce de causis dolens. Quam rem Vergilius expressit cum pergit tantaene animis caelestibus irae. Si verba *persönliche Verstimmung* latine vertere debeo statim reddo animus irritatus neque nego aliter id verti posse, sed non video quomodo ex verbis quidve dolens quidquam eius generis elici possit. Non contumelia accepta dolemus sed malo quodam affecti vel calamitate; nostro loco Iuno imprimis ideo dolet quod eas res quas ardentissime cupit perficere ei non licet. Fatis victa iram suam in instrumenta fatorum vertit, iniqua et nimis saeva fortasse hodiernis lectoribus qui nullo modo vel saltem nonnisi aegre intelligere possunt deos humani animi perturbationibus commoveri; at nihil minus rectum, minus honestum, minus pulchrum est cuiquam qui populi interituri cupidinem salutis suae recuperandae Iunonis iratae imagine expressam non solum scit sed etiam sentit. Animadvertendum est Carthaginienses imperium Romanum paene vicisse èt acerbissime pugnavisse. Si animo praesto erunt clades Trebiensis Trasumenna Cannensis e. a. non facile iram Iunonem quisquam nimis asperum iudicabit.

Iam mihi multos audire videor monentes ne nimio plus e Vergilio meo elicere coner neve altas cogitationes extraham ex imaginibus quas ille vel ex Ennio vel ex Homero vel ex alio quodam poeta frigidius quidem desumpsit sicut nos docent narrationes mythologicae de iudicio Paridis e. g. statim in sequentes.

Iis respondere volo me nullo modo praeterire Vergilium

nequaquam ita cogitavisse ut ego explicavi; at contra mihi persuasum esse animi motus Vergilianos in linguam logicam aliter reddi non posse. Instrumenta enuntiationis undique collegit sicut fere ii faciunt qui multa enuntiare coguntur et quos magni impetus instinguunt. At si poetam Vergilium recte intellegere volumus non unde hauserit quaerere debemus sed quo hausta converterit quid dixerit versibus narrationibus vocabulis imaginibus mutuatis. Et fabulae istae mythologicae haudquaquam ratiocinationem meam infringunt refutantve. Id quod modo iam dixi totam gentem totumque populum ira Iunonis ictum esse his fabulis poetice exprimitur. Praeterea totum bellum Troianum in mentem revocatur duas praecipue ob causas. Indicandum est et originem imperii Romani multo vetustiorem esse urbe Roma et poetarum graecorum lectores monendi sunt ut animadvertant litteris latinis graecas litteras propagari. Nam etsi carmen epicum ut supra monuimus privata enuntiata non tolerat, haec confessio de summa re litterarum latinarum summum opus non dedecet. Deinde fortasse etiam ea de causa allatae sunt fabulae ut bene sentiatur quanto discrimine narrationes illae priscae et Aeneidis argumentum distent. Sed iam pergamus.

ad 12—22. *Der Hasz der Iuno gegen Rom ist wohl ein Motiv aus Ennius.* Annotatio prorsus supervacanea. Re perdita rem quae praesto est explicare est oleum perdere.

ad 12. *Vergil nennt Karthago eine* urbs antiqua *mit Rücksicht auf das später entstandene Rom.* Vis propria adiectivi antiquus commentatorem fugit; quippe quod designet res quae quondam et plerumque diu ante nos fuerunt deinde autem exoleverunt. Urbs antiqua fuit vult: antiquissimis temporibus urbs fuit.

ad 16. *Ein anderer Lieblingssitz* e. q. s. Haec verba quoniam prorsus abs re sunt omitti possent nisi manifestum exemplum praeberent consuetudinis multorum interpretum ut de argumento poetae vel de re quadam forte ab eo tracta disserant carminis ipsius obliti.

ad 17 *gentibus, Dat des Zieles st. eines abhängigen Gen. Vgl.* Neptuno II 201, lacrimis III 305, XI 542 exsilio. Meo iudicio commentatoris non solum est discrepantias quae poetae

dicendi genus a soluta oratione distinguunt observare sed etiam idque praecipue lectori explicare quam ob rem illae discrepantiae occurrant. Sed praeterea discrimen ipsum non acute mihi animadversum videtur. Nam dativum finalem hoc loco occurrere praefracte nego. De locis laudatis suo tempore me acturum esse spero; nunc satis sit dicere eos huc non pertinere. Egregie autem commentator erravit qui regnum continuo cum gentibus iungendum esse arbitratus est, cum gentibus ad esse potius quam ad regnum sed si diligenter loqui volumus ad totam sententiam non ad unum vocabulum pertinet. Dativus ut semper fere casus est rei vel personae ad quam actio, condicio, iudicium e. a. pertinent. Hoc regnum gentibus esse — gentes hoc regnum habere — gentes hanc urbem regnantem habere — gentes sub hac urbe regnari. Poeta fingit Iunonem consciam quondam unam urbem designatum iri quae omnibus gentibus imperet, gentibus igitur urbe capitali opus esse. Iis gentibus caput dare vult et Carthaginem quidem. Sic paene eiusdem momenti sunt regnum et gentes quae ipsa ratio est subiecti et definitionis dativo casu expressae.

ad 18. tenditque fovetque, *darauf zielt und brennt*: si haec versio addita esset ut designaretur quo modo quis reddere non debeat recte res se haberet. Verbo tendit Vergilius indicat Iunonem omnibus viribus niti, verbo fovet autem consilium quod tantopere perficere cupit gratissimum ei esse; verte : *reeds toen spande de godin zich in om haar lievelingsgedachte te verwezenlijken, dat deze stad de hoofdstad voor de menschheid zou zijn: schon damals bemühte sich die Göttin, ihren Lieblingswunsch zu verwirklichen dass einst diese Stadt der Menschheit die Hauptstadt sei.*

ad 18. tum *leitet aus dem geschichtlichen Vorbericht leise zur epischen Handlung hinüber*. Quaenam pars nomine isto miro 'geschichtlichen Vorbericht' designetur mihi non liquet. Prologus enim Vergilianus quod video tripertitus est, cuius prima parte vss. 1—7 poeta Aeneae personam lectoribus proponit Iunoni invisum, Romanae gentis auctorem; altera pars vss. 8—10 invocatio Musae ex more epicorum poetarum, qua poeta irae Iunonis causam quaerit. Totius enim actionis quae Aeneide narratur causa et vis ut ita dicam movens ira ea est. Nulla virtus

cognosci potest nisi res existat tempusve detur ea virtute indigens, nisi ut etiam planius dicam res adversae obsistant quibus victis vera virtus eniteat. Obstaculum autem quo superato Aeneae virtutes merito aestimari possunt, ira Iunonis est et praemium virtutis — nam verum praemium virtutis semper id est quod virtute consequimur — finis igitur virtute Aeneae petitus Romana gens condenda est. Unde tertia prologi parte Vergilius nobis explicat quo modo ira Iunonis hinc cum persona Aeneae coniuncta sit (causae mythologicae) hinc cum origine Romanae gentis (causae allegoricae, quae et historicae dici possunt). Sola igitur pars quae historica vocari potest, neque id optimo iure ea est qua in media vocabulum tum legitur. Neque denique quaquam ratione tum animum lectoris ex altera parte ad alteram partem deflectit sed vim suam inde desumit quod cuivis Romano qui Aeneidem legere poterat cognitis verbis regnum gentibus esse animo iam tempora Punicorum bellorum subierant cum de regno gentium inter Carthaginem et Romam tam acerbe dimicatum esset. Eos poeta quippe vates res humanas divino instinctu explicans monet iam tum i. e. eo tempore quo animum revocaverat verbis suis Urbs antiqua fuit contentionem futuram umbram suam longam prae se iacuisse. Iam diutius quam oportuit viri docti carmina Vergiliana quasi lusus quosdam magistelli eruditioris iudicaverunt commentati sunt; iam tempus adest, ut investigare conemur ex quibus animi motibus orta et nata sint. Re vera Vergilius magnam eruditionem magnamque industriam operibus impendebat, at operibus perpoliendis et limandis, quae conceperat sicut omnium temporum omnes veri iustique poetae opera sua creaverunt animo gaudiis doloribus, amore odio motu denique vehementi percussus. Neque longa investigatio est nam ex unoquoque paene vocabulo amor patriae et fiducia civis Romani cognoscuntur, quae Romanos ilico non fefellerunt, et fortasse magis quam quaelibet alia res effecerunt ut omnium princeps poetarum Vergilius haberetur. Ut Vergilium intellegamus igitur semper paratas habeamus oportet non omnes res quae umquam vel Vergilii ipsius saltem temporibus Romano imperio acciderunt sed ordinem ipsum historiae Romanae, ut nostro sermone utar, niet uit de gegevens en gebeurtenissen van de Romeinsche geschie-

denis, maar uit het geschiedkundig gevoel, dat het volksbewustzijn omtrent zijn wording is, dient Vergilius te worden verstaan.

ad 19. sed enim. *Vollständig* sed Carthagini metuebat (23), audierat (20) enim. Quae revera omissa sint in iis ellipsibus quas communis usus loquendi iam accepit neque facile dici potest neque dicto opus est. At si supplere volumus non ea quidem quae poeta ipse dixisset si eum rogare possemus ut planius mentem suam explicaret, attamen ea quae contextus ferre potest hoc loco nequaquam Carthagini metuebat inserere licet. Nulla enim est oppositio inter priora et haec, quam tamen coniunctio sed poscit. Sperat Carthaginem quondam fore caput orbis terrarum sed .... Dubitari non potest quin pergere debeamus „sed metuebat ne id fiere non posset". Fortasse commentator id ipsum voluit at verba eius latina eam significationem habere non possunt.

ad 19. *Tr. a. s.* 550, IV 191, VII 318. Exscribo locos laudatos.

550. Troiano a sanguine clarus Acestes. IV 191 Troiano sanguine cretum; VII 318 sanguine Troiano et Rutulo dotabere virgo. Meo iudicio loci qui in commentario laudantur textum illustrent oportet. At horum locorum is unus qui primus commemoratur ad loci nostri constructionem pertinet. Etiam alter locus usui esse potest; saltem si additur quid sit discrimen inter ablativum praepositione definitum et ablativum sine praepositione; locus vero tertius litteras nonnullas tantum cum nostro communes habet. De discrimine supra memorato ea disserere conabor quae a commentatore flagitanda esse puto. In hanc rem inquirenti non abs re mihi visum est investigatione mea etiam illas locutiones complecti quibus ad affinitatem designandam Vergilius saepe usus est quaeque sunt *a stirpe, stirpe, de stirpe* et *gente, de gente*. Loci qui exempla locutionis *a sanguine* praebent sunt I 235, IV 229 sqq., V 45, 298 sq., VI 500. Horum tres eius sunt generis, ut auctore nominato, gens definiatur, nempe I 235, IV 229 sqq. VI 500. Hinc initium faciamus commemorato loco qui est

VIII 142 sic genus amborum scindit se sanguine ab uno

ubi manifesta imago in mentem vocatur arboris a cuius trunco rami et fructus se extendunt pendentque. His locis bene per-

pensis ad alios transeamus, qui sunt praeter supra laudatos I 19, 550, etiam V 45, 298. His omnibus non de auctore sermo est sed de gente cuius membra auctores vel singulorum hominum vel gentium populorumve fuerunt. Quamquam minus perspicua quam locis supra tractatis attamen etiam hic in mente adest imago arboris. Vocabulum *sanguis* igitur per metonymiam positum est pro arbore vel potius pro synonymo eius vocabuli quod et ipsum per eandem metaphoram nonnumquam ponitur: pro stirpe; cf. A. I 626, III 94 sqq. Alterius est generis metaphora quae A. VIII 129 occurrit. Hic enim legimus

non equidem extimui Danaum quod ductor et Arcas
quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis.

Nam ad hunc locum bene intellegendum non de locutionibus quales e. g. *pendere ab*, *suspendere ab* e. a., cogitandum est, sed in memoriam revocemus oportet locutiones quales e. g. sunt *a dextra*, *a laeva* e. a. *Ab stirpe* igitur significat *antiquitus*, *quod ad maiores pertinet*. Tertium modum adhibendae locutionis *ab stirpe* invenimus

IX 603 durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
deferimus saevoque gelus duramus et undis.

Hic enim *ab stirpe* designat *inde ab initio*, *a prima pueritia*. Cum usu primo arte cohaeret sed eo differt quod hoc loco vita singulorum hominum non tota gens cum arbore comparatur.

Ad locutiones *sanguine cretus*, *sate sanguine* e. a. venimus; A. II 74, III 608, IV 191, VI 125. Eodem modo vocabulum *stirps* usurpatur G. IV 322 sqq., A. X 543. Quibus verbis si poeta utitur animum nostrum vocat non ad gentis ordinem quem patris patrem semper numerantes usque in tempora diu praeterita sequi possumus sed ad rationem ut ita dicam physicam quae filio cum parentibus est. *Sanguis* igitur quippe quae pars insignis totius corporis sit, per metonymiam pro corpore, vel persona corporali dictum est, *stirps* autem per metonymiam pro sanguine. E. g. nonnullos locos singulos interpretor. G. IV 322: cur me deo quodam patre conceptum peperisti. A. IV 191 filium Troiani patris. A. X 543 ipsius Vul-

cani filius. Ad hanc totam disceptationis partem cf. A. VI 761, XII 838.

Vocabulum *gens* semel tantum ita dictum occurrit, per metonymiam nempe pro sanguine A. VIII 36 o sate gente deum: i. e. o filius deae cuiusdam. Aliis non ita raris locis ubi vocabulum *gens* legimus semper *de gente* invenimus: A. II 78, V 372 sq., VI 755, 875, VII 220, 282 sq., 367, 750, 803, IX 284, X 350, 388, XI 331, 432. Gens igitur fere ubique multitudinem cognatorum agnatorumque indicat cuius membrum quoddam nominatur. Per metonymiam pro gente ergo ponitur *sanguis* in locutione *de sanguine*: VII 706, X 203, et *stirps* in locutione *de stirpe*: V 297, VI 864.

ad 21. Maximi momenti est observatio de studio parallelismi membrorum. De locis laudatis suo tempore agemus. Nunc pauca tantum addam, nam verum est Vergilium parallelismo illi valde studere, at studium illud explicationis indiget. Aliud est parallelismo studere, aliud e. g. rus amare. Si poetam quendam ruris amatorem esse contendimus, aliquid de eo observavimus, quod, praesertim in editione in usum scholarum emissa, per se et dici et intellegi potest; partem scilicet indolis tetigimus et ratio partium illarum alio loco tractanda est. Hoc vero studium, de quo nunc loquimur discipulus si nihil amplius additur, intellegere non potest; aut totam observationem negleget aut rogabit cur parallelismus Vergilio gratus fuerit. Huic respondemus si eadem res duobus nominibus indicatur, bis narratur duobusve modis describitur, animus noster, cui paulisper nihil novi complectendum est, partim requiescit, partim in eam rem solito magis intendit. Ideo parallelismus imprimis occurrit hinc ubicumque sententiae magni momenti exprimuntur in quibus insistendum est, hinc in fine partis narrationis descriptionisve rythmo plerumque tranquilliore. Illius usus exemplum unum e multis noster locus praebet, huius autem e. g. vs. 123, 155 sq., 168 sq. et multis aliis locis.

ad 23 veteris, *des früheren; s.* 47 *und vgl. VI* 449, *VIII* 332. Minus accurate locus noster explicatus est, minus accurate loci qui afferuntur intellecti sunt; sin minus laudati non essent. Quod ut demonstrem paullo fusius de huius vocabuli usu Vergiliano agam.

1*a*. E. III 12 *veteres fagos*, E. IX 9, A. II 513, A. I 215 *veteris Bacchi*, A. I 358 *veteres tellure recludit thesauros*, A. XII 823 *vetus .... nomen*.

vetus designat condicionem rerum quae inde a tempore iam diu praeterito usque ad diem hodiernum durant.

1*b*. G. I 378 *et veterem in limo ranae cecinere querellam*
G. II 381 *veteres ineunt proscaenia ludi*

vetus dicitur de rebus inde a tempore diu praeterito usque ad diem hodiernum saepius repetitio.

1*c*. A. VIII 499 *o Maeoniae delecta iuventus, flos veterum virtusque virum.*

A. XII 27 sq. *me natam nulli veterum sociare procorum*
fas erat

veteres viri: oud heldengeslacht. *veteres proci:* vrijers van ouden adel.

vetus dicitur de hominibus (rebusve) quorum series inde a tempore diu praeterito usque ad diem hodiernum durat; cf. A XII 832.

2*a*. A. VII 202 sqq. *ne fugite hospitium neve ignorate Latinos*
Saturni gentem haut vinclo nec legibus aequam
sponte sua veterisque dei se more tenentem

A. VIII 332 *amisit verum vetus Albula nomen*

A. VII 254, VIII 185 sq., 499 sq., IX 786 sq.

vetus adhibetur de personis divinis, rebusve, quae ideo magis sacra facta sunt, quod diu fuerunt vel quod diu ea homines coluerunt; nostrum aloud.

2*b*. G. II 532 *hanc olim vitam veteres coluere Sicani.*
A. II 448, 484, III 102, 181, VII 177, 759, VIII 356, 600, X 184.

Hinc substantive G. I 176, A. XI 441.

vetus denotat homines et res qui quondam fuerunt: antiquius.

3*a*. A. III 82 *veterem Anchisen adgnoscit amicum.*
A. V 39 *veterum non immemor ille parentum.*
A. V 575 sq. *excipiunt plausu pavidos gaudentque tuentes*
Dardanidae veterumque agnoscunt ora parentum.

vetus de personis quos diu ante novimus ponitur.

3*b*. A. IV 23 *adgnosco veteris vestigia flammae*
A. VI 527 *et famam extingui veterum sic posse malorum.*
Praeter locum nostrum etiam A. IV 539, VI 739 sq., XI 279 sqq.
vetus definit res quae antea factae sunt et quae cum rebus hodiernis non amplius cohaerent.

3*c*. E. IX 4 *haec mea sunt veteres migrate coloni,*
A. VI 449 *in veterem fato revoluta figuram.*
vetus usurpatur, ut res praesentes prioribus cum vi opponantur. Ut ad locum nostrum redeamus, *veteris ... belli* i. e. den oorlog van weleer, des ehemaligen krieges.

ad 26. *animo ... mente.* Adnotationem desideramus quae lectorem discriminis admonet. Dolores et irae sunt motus animi memoria vero mentis pars est. Cupidines timores, voluntas, fiducia, virtus, superbia haec omnia animi sunt. Mens cogitat et ratiocinatur.

ad 28. genus invisum. *Dardanus der Ahnherr Trojas, war als Sohn des Iuppiter und der Elektra* (*s. VIII* 134 *f.*) *der eifersüchtigen Iuno verhaszt. — Wie Iuppiter zu Iunos kummer den* Ganymedes, *einen Sohn des Trojaners Tros, entführte und ehrte, erzählt Ovid. Met. X* 155/161.

Duae hae observationes eius explicandi generis exempla sunt, quod pessimum mihi videtur. Si quis quid nescit, discere potest; si quis quid non intellegit, res ei explicari potest. At si quis res et verba novit, ex his rebus verbisque vero notionem perversam elicit non video quid peius accidere possit, nisi ut idem ille aliis suam explicationem quasi veram proferat. Revera enim Dardanus ob causam in annotatione laudatam Iunoni invisus esse credebatur, sed poeta indignum est et ab hoc loco alienum eam rem commemorare. Lector enim incautus morisque Vergiliani adhuc ignarus eo induceretur ut verba *genus invisum* verbis *rapti Ganymedis honores* opposita esse crederet, cum illa ad Dardanum haec ad Ganymeden spectent. Vergilius vero ea voluit quae explicata sic reddere possumus: „neque iudicium Paridis primum irae incitamentum fuit; iam antea totum genus, tota familia regia totusque populus Iunoni invisa erant, cuius odii variae erant causae, quarum una quod Ganymeden rapuit Iuppiter". Ab interpretatione in annotatione prolata haec nulla re — et

tamen toto caelo differunt. Locutio enim 'genus invisum' si revera ad Dardanum imprimis spectaret obscurior esset, at significationem definitam eamque mythologicam haberet. Locus totus autem iuste explicatus ita intelligendus est, ut sententiamus his verbis Vergilium vocabulis paullo magis indefinitis ultro electis apud lectorem memoriam excitare voluisse historiae mythicae omnibus notae tangendae igitur potius quam narrandae vel explicandae. Eodem spectat quod discipulis locus Ovidianus, ubi res hic tactas modo fusius narratas invenimus, laudatus usui esse potest sed quod verba *Wie Iuppiter* etc. eis imprudentibus persuadent historiam Ganymedis minus cognitam fuisse.

ad 29. *Mit den Worten* his accensa super (*Praepos. wie VII* 334 *und X* 42) *faszt der Dichter die ganze Erörterung von* 19 *an zusammen und kehrt dann zu der* 24 *abgebrochenen Konstruktion zurück*. Minime. Neque *super* hoc loco praepositio est neque passus bene divisus est. Locos afferre, ut pateat utrum *super* praepositio an adverbium sit supervacaneum est. Utriusqne usus permulta exempla in Vergilio occurrunt. Divisio autem haec est. 19—22 Troiani superstites auctores sunt eius populi qui Carthaginem eversurus est. ⟨Ergo Iuno eos perdere vult⟩. 23 sq. Hae cum novae essent causae irarum neque vero veteres irae, quibus adducta bello Troiano Graecis affuerat — ⟨constructio interrumpitur⟩ 25—22 veterum illarum irarum vel vetustiores causae summatim attinguntur — ⟨constructio pergit⟩. 29—33 illis veteribus odiis etiam instincta e. q. s.

ad 32. fatis, *durch ihr Geschick, welches durch die Feindseligkeit der Iuno bestimmt wurde*. Error iam supra demonstratus hic recurrit. Nam denuo vis vocabuli *fatis* commentatorem fallit. Non odium Iunonis fata Teucrorum constituit, immo vero fatis Teucrorum quam maxime obstitit. Iuno eos Italia prohibere conatur, fata vero eos alibi requiescere non sinunt, eosque semper propellunt aguntque ad terram destinatam officiumque constitutum.

De vss. 12—32 nonnulla adhuc dicenda restant, quae omissa neglectaque editioni vitio tribuere non audeo quidem, quae vero commemorata lectoribus, discipulisque imprimis magis prodesse mihi videntur, quam multae res, quas commentator dignas iudicavit quae tractarentur. Imprimis animum ad discrimen revoco

quo dicendi genus versuum 12—22 differt ab eo quod legimus vss. 22—28. Ampla atque larga ubertate in prima parte narratio accurata procedit; in altera parte oratio consulto neglegentior res quasdam enumerat, rationem ordinemque constituenda lectori relinquit. Propius eam partem inspiciamus.

25 necdum etiam causae irarum saevique dolores
exciderant animo; manet alta mente repostum e. q. s.

Causae irarum saevique dolores iuxta posita sunt quamquam eorum ratio praedicativa est, quia saevi dolores causae illarum irarum fuerunt. Verbo *exiderant manet* asyndetice succedit; neque ut primo aspectu fortasse quis sentit, figura parallelismi hic expressa est; *manet* non idem atque *necdum exciderant* parva quadam varietate exprimit, sed potius illud hoc explicat. Quia Iuno memoriam iniuriarum qualia fuerunt iudicium Paridis Ganymedes raptus e. a., nondum deposuit, etiam animus eius valde semper turbatur dolore atque ira. Parallelismus autem eandem sententiam imaginemve alio modo proponit, ab alia parte nobis monstrat sed numquam explicat.

27 indicium Paridis spretaeque iniuria formae
et genus invisum et rapti Ganymedis honores.

Quattuor partes coördinantur sed haudquaquam omnes eiusdem sunt ordinis momentive. Ordo logicus fere hic est: Iuno adhuc optime meminit sibi a Paride iniuriam factam esse, cum arbiter trium dearum constitutus formam suam Veneris pulchritudini postponeret; neque eam primam iniuriam fuisse sed totam gentem sibi iam saepe odio fuisse exempli gratia cum Ganymedes raperetur et honoribus afficeretur.

Neque temere ea diversitas orta est. Contra cum indole et ingenio non solum Vergilii ipsius sed etiam Horatii aliorumque fortasse quos a parte eorum in arte poetica stetisse ex operibus Horatii discere possumus cohaeret. E Graeco enim fonte palam se haurire profitebantur. Sed quid? Artem, non ingenium neque divinus ille spiritus qui poetae ut essent effecit. Vergilius autem ipse multas res diligebat, multasque res cecinit, sed haud scio an nulla ei magis cara esset maiorisve momenti aut ipsi in carminibus condendis aut nobis in carminibus eius bene intellegendis quam amor pius patriae eiusque gloriae ex temporibus antiquis traditae atque magnitudinis praesentis. Litterae graecae

ei semper praesentes erant neque aeque de eo iudicamus nisi in operibus eius aestimandis semper memoriam illius rei retinemus. Sed iis rebus quas ex litteris graecis sumebat, vocabulis nominibus, fabulis narrationibus, imaginibus comparationibus, arte tam dispositionis quam enuntiationis, omnibus usus est; omnes pro instrumento ei fuerunt. Et nisi omnia me fallunt hoc ipsum nobis prologus aperire vult. Res mythicae e graecis litteris, Homero imprimis sed aeque ex aliis notae commemorantur, argumentum ipsum totius operis fuse exponitur ut pateat quantopere carmen romanum a carminibus graecis differat sed etiam quam omnibus rebus, a dicendi arte et versus forma externa usque ad nomina personarum agentium ipsum illud carmen romanum cum carminibus iisdem graecis coniunctum sit.

(*Continuantur*).

QUIDEM *adversativum*

grammatici appellant sicubi duo sententiae membra non interiecto *sed* verum adiecta alterius membri vocabulo primo coniunctione *quidem* inter se opponuntur. Parum hercle accurate. *Adversativa* sunt *sed, at* simm., usitatissimaque est haec sententiae structura: (ille) *quidem* ... *sed* ..., unde elucet non magis *quidem* pro *sed* poni posse quam *μέν* pro *δέ*. Revera ita se res habet: omittitur *sed* et *ἀνακολούθως* duo sententiae membra inter se opponuntur; iam sic maior fit oppositionis emphasis, quae ultra augetur alterius membri primo vocabulo annexa voce *quidem* Ita nascitur aliquid quod insignem habeat gravitatem et paene dixerim solemnitatem. Praeclare rem illustrant duo loci diversissimi diversissimorum scriptorum, qui tamen ipso quo pronuntiantur vocis sono mirum in modum inter se concinunt. Alter est *Cic. pro Cl.* c. 57 in. Dixit hoc fere orator: „leges si malae sunt emendentur", tum sic pergit:

interea *quidem*, per deos immortales, ... a legibus non recedamus.

Alter *Sen. de Ira* III c. 16 in. Praecedunt fere haec: „qui sub duro tyranno vitam exigit non vitalem, ei patet ad libertatem via" pergitque philosophus:

quamdiu *quidem* nihil tam intolerabile nobis videtur, ut nos expellat e vita, iram, in quocunque erimus statu, removeamus.

J. J. H.

PROPERTII ELEGIA IV 4.

SCRIPSIT


H. T. KARSTEN.



Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
fabor et antiqui limina capta Iovis,
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
multaque nativis obstrepit arbor aquis,
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
fidaque suggesta castra coronat humo.
— Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
cum quateret lento murmure saxa Iovis,
atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes; ubi nunc est Curia, saepta. —
  bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit, at illi
urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit harenosis e. q. s.

Primam elegiae partem. quae variis multorum interpretationibus,

coniecturis, versuum transpositionibus ad hoc usque tempus frustra temptata est, ideo denuo interpretandam suscepi [1]), quia novo aliquo adiumento eam commodissime explicari posse mihi persuasi, adhibita nempe Clivi Capitolini delineatione antiquissima, quam dedit Arth. Schneider in libro **Das alte Rom**, ubi invenitur in tabulis III et IV, quaeque sic se habet:



Castra Tatii posita esse debuerunt a sinistro latere medio montis Capitolini.

Lucus cum antro hederoso (2) erat in convalli, qui postea dicebatur *inter duos locos*. Hinc scaturiebant et sensim in planitiem occidentalem abundanter defluebant fontes et rivuli, nutriti aquis pluvialibus e locis altioribus a septentrione et meridie. Quam humida et aquosa tota regio fuerit, docent praeter vs. 4 sqq. praesertim vss. 48 sqq.:

Tu cave spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota viast et perfida, quippe tacentes
fallaci celat limite semper aquas.

Castra coronata erant suggesta humo (8). Pars convallis, graminosa sine dubio et arboribus consita, eleganter appellatur „Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu fistula poturas ire iubebat oves", nempe a parte Sabinorum. Hunc fontem Tatius „vallo praecingit ahorno". Cur et quomodo?

A parte inferiore aditus fontis apertus esse debebat gregibus quotidie intrantibus et exeuntibus, nec non a parte superiore aquae libere affluebant et fontem nutriebant, idque, ut fieri solet in regionibus montanis et aquosis, non uno angusto, sed compluribus certe rivulis, qui (24) coniunctim uno nomine appellantur „amnis". Praecinctio igitur a lateribus tantum structa erat, eo consilio, ut oves et „equus bellicus", qui ex illo fonte bibebant (14), aliquatenus tuti essent ab insidiis Romanis ipsos

1) Lachmannus adnotavit ad vs. 3: „In sequentibus Itali et ceteri viri docti multa mutare gestiunt: nos libros optimos sequimur, negligentiam in multis et omnia parum elaborata agnoscimus". Vss. 7—17 edidit per interstitia tria quasi membra carminis inter se non cohaerentia.

forte disturbare et furtivis excursionibus fontem aliqua ratione corrumpere conantibus, quamquam Romanos Capitolium conscendisse et umquam talia ausos esse nec verisimile est, ut postea videbimus, nec usquam traditur.

Agmina pilata Sabinorum excubabant in foro (12). Quominus autem illinc per intervallum inter Capitolinum et Palatinum urbem invadere conarentur, arcebantur „saeptis" (13), longis nimirum et ita validis, ut defensores Romani impetus repellere satis possent [1]). Post ea quae modo disputavi de topographia fontis, nihil mirum est Tarpeiam aquam hausisse ex aliquo rivulo, unde conspici furtim possent equites equis aquam haurientibus in fontis ripae parte spatiosa, ubique regem etiam virgini locum frequentanti (23 sqq.) aspectum sui praebiturum esse sperare poterat.

Reliqua pars carminis, in qua copiose narrantur querelae virginis, vehemens luctatio cum invicto amore, mox certamen impendens, pactum cum hoste, turpis poena proditionis a Tatio inflicta, haec omnia ordine procedunt, neque alia obstacula lectorem impediunt, nisi quae in singulorum versuum et verborum interpretatione sunt posita, quae singillatim persequi alienum est a proposita mihi primae tantum partis Elegiae interpretatione. Haec si cui lectori non tantum simplicissima esse, sed etiam aliquam veri speciem habere videatur, mirabitur fortasse, qui factum sit, ut haec prima pars carminis tot controversiis, verborum mutationibus, versuum denique transpositionibus ansam dare potuerit. Causa haec est, quod interpretes iustam locorum, ubi res geruntur, imaginem sibi informare aut neglexerunt aut non potuerunt, et semel irretiti falsis opinionibus de tribus diversis fontibus in 4 sq., 7, 14 et 15, de vallo acerno et de saeptis, inde sese extricare non amplius valuerunt.

---

1) Saepta in illis locis iam antiquitus saepe viderant Romani, quoties nempe amplissima comitii area tempore liberae reipublicae iis circumdaretur ad coercendum populum. Pro Sertio 79: fragmentis saeptorum et fustibus. Ovid. T. 1. 53 populum includere saeptis. Apud Senecam de ira 2. 81 verba „cum videris forum multitudine refertum et saepta concursu omnis frequentiae plena" respiciunt sine dubio saepta marmorea in Campo Martio.

Apud Heatzbergium video iam Io. Castalionem sic distinxisse: Ubi nunc est Curia, saepta. Sed ille haec perperam interpretatur castra.

Primum igitur hoc probe tenendum est, non describi in his versibus et accurate distingui tres fontes diversos, sed unius eiusdemque amnis propagines, quae de monte decurrentes, humo saepe occultae, modo hic modo alibi sese ostendebant, ut supra descripsimus. Iampridem sane viri docti observarunt, fontem vallo undique praecinctum a virgine adiri non potuisse ut aquam inde hauriret. Idcirco Rothstein ad vs. 7 hoc adnotavit: „Die Quelle reichte also tief in das von den Sabinern besetzte Gebiet hinein und war zu beiden Seiten von den Befestigungen der Sabiner eingeschlossen, aber nicht in Sie hineingezogen worden", in quo verum est quod dixit de fonte a lateribus tantum praecincto, falsum quod „castra coronata suggesta humo" in 8 et „vallum acernum" in 7, quae diserte distinguuntur et separantur, unam eandemque repraesentare putat munitionem, nempe amplissimum aggerem eius generis, quo postea Romani castra circumvallabant: „Der aus aufgeworfener Erde und Pfälen von Ahorn hergestellte Wall umgiebt das Lager wie einen Kranz"; accedit quod his verbis sustulit quae paulo ante dixerat de lateribus tantum praecinctis.

Habemus ergo fontem utrinque praecinctum et castra suggesta humo coronata, quo castellum altius exstructum et terrena munitione circumdatum significari verisimile est, ubi degebat rex cum equitibus, nimirum propter fontem et graminosam planitiem, dum pedestres copiae stabant in foro.

Hertzberg ex consilii inopia infeliciter hoc coniecit: „Quibus causis efficitur ut praecingere non ita interpretandum sit, quasi Tatius fontem vallo circumdederat, sed praecinxerat vallo hoc erit: iuxta fontem aggerem castrorum duxerat."

Heinsius olim controversiam tolli posse credidit corrigendo: Hunc Tatius montem. Cum autem nullius adhuc montis in praegressis vss. mentio facta sit, rogamus: quem montem? Ii autem, qui Heinsium secuti sunt et adhuc sequuntur, respondent dubitari non posse quin intellegatur Capitolinus. Sed quis credat Sabinos opus laboriossimum longaeque morae suscepisse ut ingentem clivum vallo cingerent? Quo autem hoc fructu aut consilio fecissent? Metuebantne obsidionem a Romanis? Nihil minus. Cum postea Sabini per proditionem montis cacumen occupassent et custodiam illinc depulissent, Romani semel tan-

tum vano impetu arcem recuperare conati sunt (Liv. I 12. 1), sed dein pugnatum est inter montes, in quibus certaminibus semel iterumque Romani ita profligati sunt, ut Romulus Iovis Statoris opem tandem imploraverit his verbis: „Deme terrorem Romanis fugamque foedam siste" (ibid. 5). Protrahuntur dein pugnae „in valle duorum montium" (ibid. 12 et 10), donec per uxores Sabinas pax inita et ex duabus civitatibus una facta est (ibid. 13. 1 sqq.).

Prava coniectura „mons", ut fit, alios peperit eiusdem notae. Cum enim „fons" in vs. 7 evanuerat, pronomen demonstrativum „illo" in vs. 14 ferri non amplius potuit, pro quo coniecerunt „ex vivo fonte" vel „exili fonte", utrumque ineptum. Cur enim equites, numero haud pauci, in vallo scatente fontibus exilem praeferrent, et quis nescit aquas montanas semper vivas esse?

Imprimis autem interpretes vexavit verbum „saepta" in vs. 13, quod uno consensu cum praecedenti „Curia" coniungendum esse pro certo habuerunt. Sed quid hoc significat „Curia saepta"?

Rothstein curiam revera aliquando saeptam fuisse suspicatur, sed ipse testatur: „von der Umzäunung der Curia wird somit nichts berichtet". Hoc igitur nemini persuasit.

„Butler [1]) non de saepimento aliquo cogitat sed de aedificiis vel domibus, quibus inclusa fuerit: „hedged by buildings", quae tum ita cum Curia cohaesisse sumendum est, ut una notione de „Curia saepta" Romani loquerentur. Sed de hoc quoque nihil historia tradidit, tantum novimus eam apertam fuisse versus forum. Itaque distingendum est: Murus erat montes; ubi nunc est curia, saepta, scilicet „erant" quod cogitatione supplendum ex „erat".

In vs. 15 v. d. dubitarunt quo respiceret „Hinc" et reprehenderunt repetitionem: „hinc, i. e. ex hoc fonte, fontem libavit". Enk recte adnotavit (l.l. ad hunc v.) „fontem" hoc loco significare aquam. Rothstein mire interpretatur: „von diesem kleinen Rom aus". Heinsius coniecit rorem. „Hinc", me iudice, non designat fontem vs. 14, sed totam fontium seriem,

---

1) Eum secutus est Enk in libro nuper edito Elegiaci Romani p. 225. Heinsii coniectura: „montes ... septem refutatione vix indiget".

quae per convallem descendebat, cuiusque alius locus ab equitibus, alius a Tarpeia usurpabatur.

Tandem venio ad eos qui cum Baehrensio omnes difficultates, quae in primo carmine interpretes vexarunt, funditus removeri posse credunt per hanc versuum transpositionem:

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
fabor et antiqui limina capta Iovis.
7 Hunc Tatius montem vallo praecingit acerno,
fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
10 cum quateret lento murmure saxa Iovis?
13 Murus erant montes: ubi nunc est Curia saepta,
14 bellicus ex illo fonte bibebat equus,
11 atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
12 stabant Romano pila Sabina foro.
3 Lucus erat felix hederoso conditus antro.
multaque nativis obstrepit arbor aquis,
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
fistula poturas ire iubebat oves.
15 Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
16 urgebat medium fictilis urna caput.
19 Vidit harenosis e. q. s.

Haec quam „facillimam medicinam" esse perhibent [1]), mihi nec facilis nec probabilis neque efficax esse videtur. Cum autem v. d. transpositionum rationes, quantum cognovi, non reddiderint, saepe divinare debemus, cur versus sic disposuerint. Vs. 7—10 ideo post vs. 2 posuisse videntur, ut vocabulum mons (7) propius accederet ad „limina antiqui Iovis", in quibus verbis aliquam Capitolii mentionem iam latere putarent. Cur vs. 13. 14 praemiserint versibus 11. 12 non perspicio. Initium carminis vs. 3—6, de luco et domo Silvani, relegarunt post 12, cum quo quid habeat commune non sentio. Describunt illi versus eam argumenti partem, quae annuntiata est in vs. 1 „Tarpeium nemus", a quo non separandi sunt. Non magis assequor cur vs. 15. 16 iungantur cum 3—6, praesertim cum ad ovium fon-

1) Sic Enk in dissert. p. 311. Hartman, Butler, alii Baehrensium secuti sunt.

tem Tarpeia ex virorum doctorum opinione propter vallum acernum penetrare non potuerit [1]). Concludo novam hanc versuum seriem a v. d. commendatam, (quaeque postulat coniecturas mons et exili) perturbare sanum iustumque rerum ordinem neque idoneis fulciri rationibus.

Si vulgarem codicum ordinem tuemur, hanc habemus locorum rerumque narrationem genuinam et simplicem: vs. 3—6 describunt nemus Tarpeium, h. e. regionem ubi res agitur. Vs. 8—13 continent in parenthesi comparationem Romae parvae et pristinae cum posterioris urbis amplitudine et cur tamen parva urbs satis defensa visa sit declarant. Tandem vs. 14. 15 indicant locum, quem ad aquam hauriendam virgo delegerat, ita ut rex in conspectum sibi veniret.

Superest ut agam de vs. 17. 18.

Et satis una malae potuit mors esse puellae,
quae voluit flammas fallere, Vesta tuas,

qui in memoriam revocant Horatianum illud „levis una mors est virginum culpae" (O. 3. 27. 37).

Distichon nec verborum structura (Et) neque argumento cohaeret cum circumpositis versibus, et praeterea absonum est, poetam iam de digna poena loqui, antequam ulla culpae mentio praecesserit. Ob hanc causam fortasse transponi potest post vs. 22, ubi primum saltem delicti neglectique officii indicium apparet. Sed neque sic repentina exclamatio apposita videtur, neque autem alibi in tota Elegia locus inveniri potest, ubi melius quadret. Nihilominus Broukhusius olim locum sibi invenisse visus est, ubi vs. 17. 18 iuste inseri posse credidit, nempe ante postremum distichon vs. 93. 94, quod etiamnunc sunt qui probent. Coniectura tamen damnanda est his de causis: primum quod fabulae expositione ad finem iam perducta poeta inconcinne illuc rediret; dein in disticho 91. 92, ubi dicitur dos quam Tarpeia accepit, id est poena quam passa est, apta esse eius officiis, hoc ita corrigitur in 17. 18, ut eam non unam sed plures mortes subire debuisse affirmet. Denique

---

1) Hartman, cum in hac versuum dispositione primum argumentum vs. 1 descriptio nemoris desideretur, pro „nemus" in 1 coniecit scelus.

gravissimum transpositionis vitium hoc est, quod clausula quatuor versuum, qua Elegia eleganter concluditur, misere discinditur, nam sententia versuum 91—94 haec est: acquiesci potest apta dote Tarpeiae tributa, sed hoc iniustum est, quod perfidae mulieris memoria non oblivioni tradita, verum montis cognomine ad posteros propagata est.

AD MINUCII FELICIS OCT. 13. 1.

Quamquam si philosophandi libido est, Socraten, sapientiae principem, quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. eius viri, quotiens de caelestibus rogabatur, nota responsio est: e. q. s.

In disputatione cum discipulis meis nuper instituta H. B. Vroom, litt. class. candidatus, sententiam de hoc loco aperuit novam, certe inter coniecturas a Waltzingio enumeratas non commemoratam, quae sane digna mihi visa est quam lectores nostri cognoscerent considerarentque. Credit autem Minucium scripsisse:

Quamquam si philosophandi libido tanta est, Socraten, sapientiae principem, quisque vestrum, si potuerit, imitetur.

Suspicatur igitur, vocc. *tanta est* primum per scribae errorem in lineam inferiorem immigrasse, deinde ut grammaticae satisfieret *tanta* in *tantus* mutatum esse, in versu autem superiore ex eadem ratione rursus *est* esse suppletum.

Maehly quoque verbis traiciendi loco mederi studuit ita: *Socraten — quisque vestrum, si potuerit, imitetur: tantus est* (sc. Socrates); Vroomii vero rationem multo probabiliorem videri nemo non agnoscet.

P. H. D.

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(*Continuantur e Vol. XLII pag.* 353.)



II.

PLEBISCITA IN HONOREM PEREGRINORUM.

Quanta copia decretorum civitatum Graecarum inprimis ex saeculis III° et II° a. C. n. aetatem tulerit, sciunt omnes qui in arte epigraphica operam suam posuerunt. Ex Argis tamen hactenus integrum aliquod illius aetatis decretum nondum cognitum erat. Nam plebisciti in honorem Eudami Seleucensis in Asia Minore reperti, quod ab editoribus initio alterius saeculi a. C. n. attributum est [1]), praescriptum legi non potuit, et decretum ex iisdem fere temporibus, quod ab Argivis Magnesiam missum erat [2]), praescripto suo caret. In ipso quidem oppido Argis inventum est fragmentum lapideum, in quo pars inferior decreti exarata est, quo proxenia conferebatur alicui peregrino [3]); sed hunc titulum aetati posteriori tribuendum esse et litterarum ductus et totius decreti tenor indicant.

Mihi hic de novem lapidibus saec. III[i] agere in animo est, quibus continebantur duodecim plebiscita in honorem peregrinorum. Quae cum maiorem partem trunca ac lacera sint, duo tamen

1) Heberdey et Wilhelm, Reisen in Kilikien (1906), p. 108 sq.; Michel, Recueil, 535.
2) Inscr. Magn. 40.
3) IG, IV, 559.

sunt, quae licet paululum detrita propemodum intacta e ruderibus aetatis Byzantinae protrahere mihi contigit. Ab his igitur initium capere libet. Reperta sunt omnia eodem loco ac titulus de quo proximo anno egi [1]). Forma litterarum saeculum IIIum manifesto arguit. In omnibus Σ e lineis obliquis constat et linea posterior litterae Π anteriore dimidio fere brevior est, quod tamen hic oculis repraesentandum nusquam curavimus. Solae litterae tituli M apicibus ornatae sunt.

A, B

Lapis calcarius albicans quadratus in duas partes fractus repertus est die XXVI° mensis Iunii a. 1912. Altitudo eius est 0m. 72, latitudo 1m. 085, crassitudo 0m. 35. Partem eum fuisse putaverim parietis templi porticusve. Tituli in medio lapide occupant spatium quadriangulum latum 0m. 82, altum 0m. 325. Litterarum altitudo vs. A, 1 et B, 1 est 0m. 017, ceterorum versuum 0m. 01.

Λίχα Πτολεμαιέος.

ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ, Ἀγυήου ἠνάτᾳ δευτάτᾳ, ἀμβολίμῳ ἐκ τοῦ Πανάμου· ἀρήτευε βωλᾶς | Ἀρίστανδρος Ἀριστέος Δυμᾶ[νς Σ]ελλιγών, γροφεὺς βωλᾶς Θιότιμος Θιοκλέος Μόκλας Λαγαρία· | πρόξενον ἦμεν καὶ εὐεργέτα[ν τᾶς πό]λιος τῶν Ἀργείων καὶ θεαροδόκον τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶς || Ἥρας τᾶς Ἀργείας Λίχα[ν] Ἐ . . . . . ό . ου Πτολεμαιέα ἀπὸ Βάρκης αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, ἦμεν δέ σφιν | ἀτέλειαν καὶ ἀσυλίαν καὶ [ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ] χρήμασι καὶ ἐμ πολέμῳ καὶ ἐν ἰράνᾳ καὶ κατὰ γᾶν | καὶ κατὰ [θ]άλασσαν καὶ γᾶ[ς καὶ οἰκίας ἔμπαιν καὶ προεδρ]ίαν ἐν τοῖς ἀγῶνσι οἷς ἁ πόλις τίθητι ἅπανσι. |

[ἔλ]ε[ξ]ε Ὀρθαγόρας [Πυ]θίλα [Κλεοδαΐδα]ς Στιχέλειον. |

Θεογένεος Μυνδίου.

ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ, Ἀγυήου ἠνάτᾳ δευτάτᾳ, [ἀμβ]ο[λίμ]ῳ ἐκ τοῦ Πανάμου· ἀρήτε[υε] βω[λᾶς] | Ἀρίστανδρος Ἀριστέος Δυ-

1) Cf. Mnemos. 1914, p. 330.

μ[ὰν]ς Σελλ[ιγ]ώ[ν], γροφεὺς βωλᾶς Θιότιμος Θιοκλέος Μόκλας Λαγ[αρία]· | πρόξενον ἦμεν καὶ εὐεργέταν τᾶς πόλιος τῶν Ἀργείων καὶ [θεαροδ]ό[κον τοῦ Διὸς τ]οῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶ[ς] || Ἥρας τᾶς Ἀργείας Θεογέν[η Θε]ο[κλ]έους Μύνδιον αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, ἦμεν [δέ σφιν] ἀτέλειαν καὶ ἀσυλίαν | καὶ ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ χρήμα[σι] καὶ ἐμ πολέμῳ καὶ ἐν ἱράνᾳ καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν καὶ γᾶς καὶ οἰκίας | ἔμπαιν καὶ προεδρίαν [ἐν τοῖς ἀγῶνσι] οἷ[ς] ἁ πόλις τίθητι ἅπανσ[ι]. ἔλεξε Ὀρθαγόρας Πυθίλα | Κλεοδαΐδας Σ̣[τιχ]έ[λειον].

Litterae evanidae ea de causa facilius legi potuerunt, quod cum duo plebiscita eodem die eiusdem anni eodem auctore facta sint, eadem fere bis in lapide iterantur. Tamen non pro certo affirmare ausim in nominibus locorum, quae sunt Σελλιγών (A, 2; B, 2; cf. E, 10; G, 6), Λαγαρία (A, 2; B, 2), Στιχέλειον (A, 8; B, 8; cf. I, 8) transscribendis non una alterave littera erratum esse. Λαγαρία vocabatur etiam colonia Phocensium in ora Lucaniae [1]), cetera duo nomina alibi occurrere non puto.

Auctor plebiscitorum Orthagoras Pythilai filius aliunde nobis non notus est. Notandum tantum in catalogo victorum Panathenaeorum hodie deperdito, qui a Koehlero initio fere saeculi II[i] a. C. n. assignatus est, haec legi:

συνωρίδι τελείᾳ
Πυθίλαος Ὀρθαγόρου Ἀθηναῖος [2]).

Lapis valde corrosus et detritus erat; tamen dubitare non licet, quin haec recte lecta sint. Homonymiam ne notarem quidem, nisi nomina rariora essent fierique posset, ut gens Argiva Athenas confugisset ibique civitatem adepta esset.

Quod ad aetatem tituli nostri attinet, statim apparet eum exaratum esse ante annum 229/8, quo Argos in foedus Achaicum receptum est; alioquin etiam magistratum Achaeorum in praescripto nominari oportuit.

Peregrinorum autem, quibus hic proxenia confertur, alter civis est novae urbis Ptolemaidos, quae aetate Ptolemaeorum

1) Strab. VI, p. 263.
2) IG, II, 967, vs. 42.

iuxta antiquum oppidum Cyrenaicum Barcen condita est. Quod quo tempore factum sit, traditum non est. Potest autem factum esse aut ante Magam regem creatum aut post mortem Demetrii, qui Pulcher dictus est. Sed utrum verum sit, apud me saltem non constat. Itaque hic ad aetatem tituli accuratius definiendam non multum proficimus.

Illud vero maxime animadversu dignum est lapidem, in quo haec decreta exarata sunt, non pede Argivo, qui est 0m. 32, neque pede Attico, quo quidem Argivi saeculo III° fortasse nonnumquam usi sunt, verum pede Ptolemaico, qui est 0m. 3552, mensum esse. Hoc, cum mensuras huius et sequentis lapidis Argis enotabam, nondum intellexeram; nunc in praesens etiam diligentius eos metiendi copia non est. Sed etiam sic dubium esse non potest, quin altitudo lapidis sit pedum Ptolemaicorum duorum, latitudo pedum trium, crassitudo pedis unius. Iam ipsos Argivos, etiamsi eos, quod infra demonstrare conabor, aliquando amicitia cum Ptolemaeis iunctos fuisse mihi concesseris, mensuris Ptolemaicis umquam usos esse perquam improbabile videtur. Civitates quidem foederis Achaici iisdem mensuris ponderibusque uti instituisse docet Polybius [1]). Sed inter Argos et Aegyptum nullo modo tam arcta necessitudo exstitisse potest, ut Argivi patrias mensuras aboleverint. Potius censendum est Argis saeculo III° ab architecto Alexandrino aedificatum esse templum alicuius numinis Aegyptii aut aliud quoddam aedificium in honorem unius e Ptolemaeis. Sic, ut alia exempla praeteream, Rhodus [2]) Samothrace [3]) Halicarnassus [4]) habuerunt *Πτολεμάεια* sua. Eidem aedificio procul dubio tribuendus est lapis, de quo infra sub CD agam.

Constat tertio saeculo a. C. n. civitates Graecas fere omnes coactas fuisse aut Macedoniae aut Aegypti rebus favere itaque

---

1) Polyb. II, 37, 10: *νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς καὶ σταθμοῖς καὶ μέτροις καὶ νομίσμασι.*

2) Diod. XX, 100: *τέμενος ἀνῆκαν ἐν τῇ πόλει τετράγωνον οἰκοδομήσαντες παρ' ἑκάστην πλευράν στοὰν σταδιαίαν, ὃ προσηγόρευσαν Πτολεμάειον.*

3) IG, XII, 8, 228.

4) Dittenberger, Or. Graec. Inscr. Sel. 16: *ἀγαθῇ τύχῃ [τῇ] Πτολεμαίου, τοῦ Σωτῆρος καὶ Θεοῦ, Σαράπι, Ἴσι Ἀρσινόη τὸ ἱερὸν ἱδρύσατο, Χαιρήμονος ν(εωποιοῦντος).* Cf. Tarn, Antigonos Gonatas, p. 439, 15. — Dittenberger, l.l. 46, 4 sq.: *τὴν στοάν, ἣν ὁ δῆμος ἀνατίθησιν τῷ Ἀπόλλωνι καὶ βασιλεῖ Πτολεμαίῳ.*

verisimile videtur Argos tunc cum intra moenia sua fanum in honorem Ptolemaei condebatur, et ipsum cum Aegyptiis stetisse. Qua de re cum apud rerum scriptores nihil memoriae sit proditum, quaerendum nobis est possitne saeculo III° ante a. 229/8 inveniri momentum, quo id usu venisse suspicari possimus. Scimus autem Aratum, postquam Corinthum a Macedonibus liberasset, inde ab anno 243 Argivis sedulo obtrectasse et palam adversatum esse, Ptolemaeum vero cum Achaeis foedus iniisse. Unde efficitur Πτολεμάειον Argivum ante a. 243 aedificatum esse. Iam inde a Pyrrhi morte usque ad bellum Chremonideum et durante hoc bello Argivos aut a Macedonibus stetisse aut certe numquam cum adversariis eorum fecisse prorsus constare videtur. Restaret igitur ut inter finem belli Chremonidei et annum 243 per breve tempus ab illis descivissent. Neque hoc mirum videretur, nam ea ipsa aetate Sicyon a Macedonibus liberata est (a. 251) et Megalopolis et universa Arcadia [1]). Sed nihil opus est coniecturis: certum testimonium adferre possumus. Iisdem enim temporibus Alexander Crateri filius, qui Corinthi et Chalcide regnabat, a rege Macedoniae defecit et cum Achaeis, ergo cum Ptolemaeo, societatem coniunxit. Cognovimus autem e titulo Atheniensi [2]), qui a plerisque anno 250/49 tribuitur, hunc Alexandrum cum Atheniensibus et Argivis bellum gessisse eosque coegisse ut pacem a se peterent, ergo, si me audis, in partes regis Aegypti concederent. Nam minime probabilis est sententia Tarnii, qui Argivos etiam post pacem cum Alexandro factam regi Macedoniae addictos manere potuisse censet [3]). Quo autem anno Alexander bellum adversus Antigonum molitus sit, nusquam diserte traditum est, sed libenter Belochio et Tarnio astipulor, quibus anno 252 (aut anno 253) hoc factum esse videtur [4]). Obiit Alexander, si Tarnio [5]) credis, inter auctumnum a. 249 et auctumnum a. 248, si Belochio [6]), a. 245/4. Cuius post mortem omnes civitates, quas armis pactisve possederat,

---

1) Cf. Beloch, Griech. Gesch. III, 1, cap. XVII: Die republikanische Bewegung.
2) IG, vol. II et III edit. min. I, 774.
3) Tarn, Antigonos Gonatas, p. 366.
4) Beloch, l.l. III, 2, p. 438 sq. Tarn, l.l. p. 355, 35.
5) Tarn, l.l. p. 370, 5; p. 374, 16.
6) Beloch, l.l. III, 1, p. 643.

rursus in potestatem regis Macedoniae redactae sunt. Sequitur igitur ut Argivi inter annos 252 et 244 aliquamdiu a Ptolemaeis steterint. Sed etiam ultra progredi licet. Anno 251 Aratus clam Argis profectus est, ut Sicyonem occuparet; ergo Argos tum nondum ad Ptolemaeum defecerat. Deinde Aratus iter in Aegyptum moliens non, ut par erat, Sicyone Argos et inde Methanam, quae ea aetate ab Aegyptiis occupata erat et Arsinoe vocabatur [1]), profectus est, sed tota Arcadia et Messenia peragrata Methonae navem conscendit [2]). Ergo ne tunc quidem, i. e., si Tarnium [3]) audis, a. 249 vel 248, Argos Ptolemaicum factum erat [4]). Efficimus igitur spatium temporis, per quod Argos a Ptolemaeis stetit, utique circumscribi annis 249 et 244.

Quaesiverit quis possitne fieri ut Argivi etiam ante Pyrrhi mortem (a. 272) foedus cum Ptolemaeo fecerint. Hoc cum Tarnio [5]) vix probabile duco, licet fatendum sit eos, postquam inter annos 280 et 273 praesidium Macedonicum expulissent, procul dubio magnam a Ptolemaeo gratiam iniisse.

Cum autem aedificatio *τοῦ Πτολεμαείου* vix intra annum ad finem perducta esse possit, decreta in honorem peregrinorum in parietibus et metopis eius incisa annis 248—244 tribuere nos oportet. Atque paene supervacaneum est monere haec omnia necessario spectare ad incolas civitatum, quae a Ptolemaeis stabant. De Licha Ptolemaeensi nihil habeo quod addam. Sed iam attendas velim, cuias fuerit Theogenes, qui eodem die simul cum Licha *πρόξενος* 'Αργείων creatus est. Myndius ille est, ergo et ipse civis oppidi imperio Ptolemaei subditi. Vicina enim Halicarnassus cum, fortasse iam inde ab anno 280, praesidio a Ptolemaeo Philadelpho occupata fuerit, vix dubium esse potest quin Myndus, quam Rhodii anno 197 una cum Halicarnasso

1) Tarn, l.l. p. 292, 45. Non video cur Arsinoe Argolica condita esse non possit regnante Arsinoe i. e. inter annos 274 et 270.

2) Plut. Arat. XII.

3) Tarn, l.l. p. 368.

4) Tarn, l.l.: Aratos could not reach the Egyptian harbour of Methana-Arsinoe, as the territory of Antigonos' friend Aristomachos intervened.

5) Tarn, l.l. p. 132, 44: Argos is free in 273, Plut. Pyrrh. 31, and therefore probably expelled her garrison in 280; but it may have been a little later. p. 133: Argos itself was neutral. p. 133, 46: we cannot say if Egypt stood behind the rising of 280.

ab Aegyptiis liberaverunt[1]), simul cum Halicarnasso se ditioni Aegyptiacae permiserit[2]).

C, D

Tituli exarati sunt in metopa ex lapide albicanti reperta die XXV° mensis Iunii a. 1912. Altitudo metopae est duorum pedum Ptolemaicorum (0m. 722), latitudo item duorum (0m. 70); de crassitudine ambigitur; ego enim enotaveram eam esse 0m. 36, sed architectus Guilielmus van der Pluym: ab una parte 0m. 24, ab altera 0m. 26. Etiam altera metopa huius consimilis ex iisdem fundamentis Byzantinis protracta est. Altitudo litterarum decreti superioris est 0m. 01, inferioris 0m. 008, sed in primo versu 0m. 014 et 0m. 012. Decretum inferius post superius exaratum esse manifesto apparet. In sinistra parte lapidis litterae attritae sunt, in dextra ubique fere perierunt.

ΙΩΙΛΟΥ ΙΜΥΡΝΑΙΟΥ

ΑΛΙΑΙΑΙΕΔΟΞΕΤΕΛΕΙΑΙΑΓΥΗΙΟΥΗ....ΙΔΕ.Τ
ΑΜΒΟΛΙΜΩΙΕΚΤΟΥΠΑΝΑΜΟΥΑΡΗΤΕΥΕ
ΚΟΙΛΑ..ΓΡΟΙ...ΒΩΛΑ
.Ρ..ΕΝΟΝΗΜΕΝ ΠΟΛΙΟΣΤΩΝ
ΚΑΙΘΕΑ ΚΑΙΤΑΣΗΡΑΣΤΑΣ
ΑΡΓΕΙ ΑΥΤ..ΚΑΙΕ

ΗΜΕΝΔΕΑΥΤΟΙΣ
ΑΣΦΑΛΕΙΑΝ
ΓΑΝΚΑΙΚΑΤΑΘΑΛΑΣΣΑ
ΟΙΣΑΠΟΛΙΣ
ΚΑΙΕΚΓΟΝΟΝΣΚΑΙ
ΚΑΙΤΑΛΛΑΑΣΦΙΝ
ΕΛΕΞΕ ΑΛΕΞΙΩΝ Χ

---

1) Liv. XXXIII, 20.

2) Tit. Adulit. (Dittenberger, Or. Graec. Inscr. Sel. 54), vs. 6 sqq.: (Ptolemaeus III) παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν ... Καρίας. Polyb. V, 34, 7. — Beloch, Griech. Gesch. III, 2, p. 266 sq. — Halicarnassum iam priore III i saeculi parte Ptolemaicam fuisse demonstrat titulus Deliacus IG, XI, 4, 1046, qui honores duorum civium Halicarnassensium continet; cf. etiam ibidem 565.

ΕΥΚΛΕΟΣ ΚΟ.ΙΝΘΙΟΥ

ΑΛΙΑΙΑΙΕΔΟΞΕΤΕΛΕΙΑΙΠΑΝ.ΜΟ
ΣΕΙΔΑΣΑΡΑΧΝ.ΣΓΡΟΦΕΥΣΒΩΛΑΣ
ΔΡΙΟΥΚΟΡΙΝΘΙΟΣ.ΑΛΛΑΚΑΙΕΥΧΡΗΣΤ
ΕΞΑΡΓΕΟΣΔΕΔ.ΧΘ.....ΔΑΜΩΙΠΡΟΞΕ
ΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΚΑΙΘΕΑΡΟΔΟΚΟΝΤΟΥΔΙΟΣ
...ΟΥΚΟΡΙΝΘΙΟΝΑΥΤΟΝΚΑΙΕΚΓΟΝΟΝΣΗΜΕΝΔΕ
ΓΑΝΚΑΙΚΑΤΑΘΑΛΑΣΣΑΝΚΑΙΠΟΛΕΜΟΥΚΑΙΕΙΡΑ
ΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣΠΟΛΙΤΑΙΣΑΓΓΡΑΦΗΜΕΝΔΕΤΟΔΟΚΗΜ...ΤΩΙΑΛ
ΕΛΕΞΕΛΑΧΑΡΗΣΜΙΘΩΝΟΣΜΕΛΑΝΙΠΠΙΔΑ.ΤΣΕΑΑΝ.

Ζωΐλου Ζμυρναίου.

ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ Ἀγυήου ἠ[νάτᾳ] δε[υ]τ[άτᾳ]
ἀμβολίμῳ ἐκ τοῦ Πανάμου· ἀρήτευε [βωλᾶς] . . .
Κοίλᾳ· γρο[φεὺς] βωλᾶ[ς] . . . .
[π]ρ[όξ]ενον ἦμεν [καὶ εὐεργέταν τᾶς] πόλιος τῶν [Ἀργείων]
καὶ θεα[ροδόκον τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ] καὶ τᾶς Ἥρας τᾶς
Ἀργεί[ας Ζωΐλον τοῦ δεῖνος Ζμυρναῖ]ον αὐτ[ὸν] καὶ ἐ[κγόνους],
ἦμεν δὲ αὐτοῖς [ἀτέλειαν καὶ γᾶς καὶ οἰκίας ἔμπαιν καὶ]
ἀσφάλειαν [καὶ ἀσυλίαν αὐτοῖς καὶ χρήμασι καὶ κατὰ]
γᾶν καὶ κατὰ θάλασσα[ν καὶ προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶνσι]
οἷς ἁ πόλις [τίθητι ἅπανσι] . . . . [αὐτὸν]
καὶ ἐκγόνους καὶ . . . .
καὶ τὰ ἄλλα σφιν [ὑπάρχειν ὅσσα καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις].
ἔλεξε Ἀλεξίων Χ . . . .

Εὐκλέος Κο[ρ]ινθίου.

ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ Παν[ά]μο[υ] . . . . ἀρήτευε βω-λᾶς . . . .
σείδας Ἀράχν[α]ς· γροφεὺς βωλᾶς . . . . [ἐπειδὴ Εὐκλῆς] .
δρίου Κορίνθιος [ἄ]λλα καὶ εὐχρήστ[ης τᾷ πόλι καὶ . . . .
ἐξ Ἄργεος· δεδ[ό]χθ[αι τῷ] δάμῳ· πρόξε[νον ἦμεν καὶ εὐ-εργέταν καὶ πολίταν τᾶς πόλιος]
τῶν Ἀργείων καὶ θεαροδόκον τοῦ Διὸς [τοῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶς Ἥρας τᾶς Ἀργείας Εὐκλέα] .

[δρί]ου Κορίνθιον αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, ἦμεν δὲ [αὐτοῖς ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν καὶ κατὰ]
γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν καὶ πολέμου καὶ εἰρά[νας καὶ τὰ ἄλλα σφιν ὑπάρχειν ὅσσα καὶ]
τοῖς ἄλλοις πολίταις. ἀγγραφῆμεν δὲ τὸ δόκημ[α ἐν] τῷ Ἀλ . . . .
ἔλεξε Λαχάρης Μίθωνος Μελανιππίδα[ς] Ὑσία ἄν[ω].

Decreto superiore honoratur civis Smyrnaeus. Smyrna urbs, postquam per longissimum tempus deserta iacuit, IV° saeculo exeunte restitui coepta est [1]). Supra ostendi omnia decreta honorifica, quae in aedificio Ptolemaico incisa erant, annis 248—244 tribuenda esse. Per hoc spatium temporis Smyrnam regno regis Syriae adiunctam fuisse constat. Post mortem Antiochi Θεοῦ a. 246 bello inter successorem eius Seleucum et Ptolemaeum III^um^ coorto, Smyrna Seleuco constanter fidem praestitit, ut ostenditur inscriptione clarissima in ipsa urbe inventa [2]). Sequitur inde ut decretum nostrum post a. 246 factum esse non possit. Factum esse oportet annis 248—246, cum post nuptias Antiochi et Berenices Aegyptus et Syria, itaque etiam Argivorum civitas et Smyrna amicitia iunctae erant.

Decretum superius cum factum sit mense Agyeio, inferius mense Panamo [3]), efficitur hoc undecim saltem mensibus post illud factum esse. Ergo decretum, quod in honorem Euclis Corinthii latum est, annis 247—244 tribuendum esse apparet. Latum tamen esse consentaneum est, antequam Antigonus Gonatas Corinthum dolo a Nicaea, Alexandri uxore, recuperasset [4]).

Obicere mihi possis has conclusiones non valere, si forte Zoilus et Eucles, tunc cum Argis honorati sunt, patria pulsi exsularent. Concedo libenter. Sed non probabile est eos exsules fuisse.

D, 4. ἄλλα καὶ pro ἄλλα τε dictum esse videtur.

---

1) Strab. XIV, p. 646: ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος.

2) CIG, 3137; Michel, Recueil, 19; Dittenberger, Or. Graec. Inscr. Sel. 229, V. inprimis vs. 1 sqq.

3) Cf. quae infra de Argivorum mensibus disputabo.

4) Plut. Arat. 17; Polyaen. IV, 6, 1. De anno, quo hoc factum est, ut et de anno, quo Alexander obiit, non plane consentiunt viri docti. V. supra p. 369, 5, 6.

D, 9: [ἐν] τῷ 'Αλ... Cum demonstratum sit hunc titulum inscriptum esse in metopa aedificii in honorem Ptolemaeorum constructi, supplendum esse suspicor: ἐν τῷ 'Αλεξανδρείῳ. Cultus enim Ptolemaeorum sive Θεῶν Σωτήρων et Θεῶν 'Αδελφῶν et Θεῶν Εὐεργετῶν in Aegypto constanter cultui Alexandri coniungebatur [1]). Peregre quidem non semper item fiebat; sed tamen nihil obstabat quominus ita fieret. Reputandum quoque reges Macedoniae se stirpe Argiva ortos gloriatos esse. Dixerit quispiam Alexandro Argis fortasse iam multo ante τέμενος consecratum esse, deinde medio III° saeculo in illo Πτολεμάειον aedificatum esse. Sed hoc non valde veri simile esse existimarem: si enim historiam Argorum percurras inde ab Antipatro, quem Alexandri tamquam dei aut herois cultum abominatum esse constat, ante a. 249 vix invenies momentum, quo Argivi Alexandro aram consecraverint [2]). Fateor equidem nos hic in incerta delabi; sed historia saeculi III[i] a. C. n. ita comparata est, ut nullus dum in ea restituenda occupatus coniecturis abstinere potuerit.

E, F

Die XX° mensis Iunii a. 1912 repertum est fragmentum stelae lapidis calcarii cani, cuius margo sinister servatus est. Altitudo est $0^{m.}69$, latitudo $0^{m.}29$, crassitudo $0^{m.}30$; litterae altae sunt $0^{m.}01$, in vs. F, 1 $0^{m.}015$.

ΤΟΙΣΚΑΙΧ
ΚΑΙΚΑ . ΑΘΑ
ΜΩΙΚΑ . ΕΝΙΡΑ
ΗΜΕΝΓΑΣΚΑΙΟΙ

1) Prott, Mus. Rhen. 1898, p. 466; Kornemann, Klio, 1901, p. 72.

2) 'Αλεξάνδρειον sive ἄλσος καθιερωμένον 'Αλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου in agro Teiorum (Strab. XIV, p. 644), ubi τὰ 'Αλεξάνδρεια a civitatibus Ionicis celebrabantur et rex Antiochus quoque cum suis colebatur (Dittenberger, O. G. I. S. 222), iam ipsius Alexandri aetate consecratum esse haud absone augurantur viri harum rerum periti (cf. Kornemann, l.l. p. 57; Kaerst, Gesch. des hellenist. Zeitalters, II, 1, p. 387 sqq.). Sed 'Αλεξάνδρειον Megalopolitanum, cuius reliquias vidit Pausanias (VIII, 32, 1), forsitan et ipsum tum demum conditum sit, cum Ecdemus et Demophanes urbem a tyranno et Macedonibus liberassent, id est eadem fere aetate, qua Argis aedificium nostrum Ptolemaicum exstructum est.

ΛΑΑΠΑΝΤΑΟΣΣΑΙ
ΛΟΙΣΠΡΟΞΕΝΟΙΣ
ΕΝΤΟΙ . ΑΓΩΝΣΙΑΠ
ΣΤΙΘΗΤΙΑΓΓΡΑΨΑΙΔΕ
ΔΕΕΝΤΩΙΤΟΥΛΥΚΕΙΟ
ΘΕΡ . ΑΣϜΑΝΙΔΑΣ . ΕΛΛ

ΚΛΕΑΝΔΡΟΥΕΠΙΔ

ΑΛΙΑΙΑΙΕΔΟΞΕΤΕΛΕΙΑΙ
ΤΕΤΑΡΤΑΙΔΕΥΤΑΤΑΙΑΡ
ΒΩΛΑΣΦΟΙΝ . ΞΛΥΚΩ . Α
ΚΑΙΟΝΓΡΟΦΕΥΣΙΔΑΙΟΣΑ
ΦΟΛΥΓΑΣΠΡΟΞ . . Ο . ΗΜ
ΕΥΕΡΓΕΤΑΝΤΑΣΠΟΛΙΟΣΤ
. . . ΩΝΑΥΤΟΝΚΑΙΕΓΓΟΝ
. . . ΡΟΝΚΛΕΑΙΧΜΙΔΑΕΠ
ΘΕΑΡΟΔΟΙΟΙ
Α . . Α

[καὶ ἀσφάλειαν αὐ]-
τοῖς καὶ χ[ρήμασι καὶ ἀσυλίαν]
καὶ κα[τ]ὰ θά[λασσαν καὶ ἐμ πολέ]-
μῳ κα[ὶ] ἐν ἰρά[νᾳ καὶ ἔμπαἰν]
ἦμεν γᾶς καὶ οἰ[κίας καὶ τὰ ἄλ]-
λα ἄπαντα ὅσσα [ἐστὶ καὶ τοῖς ἄλ]-
λοις προξένοις [καὶ προεδρίαν]
ἐν τοῖ[ς] ἀγῶνσι ἅπ[ανσι οἷς ἁ πόλι]-
ς τίθητι. ἀγγράψαι δὲ [τὸ δόκημα τό]-
δε ἐν τῷ τοῦ Λυκείο[υ ἰαρῷ. ἔλεξε]
Θέρ[σ]ας Ϝανίδας [Σ]ελλ[ιγών].

Κλεάνδρου Ἐπιδ[αυρίου].

ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ . . . . .
τετάρτᾳ δευτάτᾳ· ἀρ[ήτευε]
βωλᾶς Φοίνιξ Λυκώ[π]α . . .
καιον· γροφεὺς Ἰδαῖος Ἀ . . .
Φολυγάς· πρόξ[εν]ο[ν] ἦμ[εν καὶ]
εὐεργέταν τᾶς πόλιος τ[ῶν Ἀρ]-

[γεί]ων αὐτὸν καὶ ἐγγόν[ους Κλέ]-
[ανδ]ρον Κλεαιχμίδα Ἐπ[ιδαύρι]-
[ον καὶ] θεαροδό[κ]ο[ν τοῦ Διὸς]
[τοῦ Νεμέ]ᾳ [κ]α[ὶ τᾶς Ἥρας τᾶς]
[Ἀργείας]

E, 10: [Σ]ελλ[ιγών]. Cf. quae supra p. 367 ad A, 2, B, 2 adnotavi.

F, 1 et 8—10: Κλεάνδρου Ἐπιδ[αυρίου], [Κλέανδ]ρον Κλεαιχμίδα Ἐπ[ιδαύριον]. Sic supplere licet, quia in titulo Epidauri reperto (IG, IV, 1134, vs. 3 sq.) occurrit Cleaechmidas Cleandri filius Epidaurius, Laphantae Evanthei filiae maritus, quae, ut ex IG, IV, 1130 apparet, honesto loco nata circiter aetate Augusti Epidauri vixit. Alii clarissimi cives Epidaurii, quibus item Cleaechmidas nomen fuit, occurrunt IG, IV, 1508, B, 1 (saec. IIIi exeuntis: ἐπὶ ἀγωνοθέτα τῶν Ἀσκλαπιείων Κλεαιχμίδα τοῦ Ἀριστοκλέος), 993, 1017 (Κλεαιχμίδας Δαμοφάνεος ἰαρομναμονήσας ... ἰαρεὺς γενόμενος Ἀσκλαπιῶ).

Hoc quoque plebiscitum ante a. 229/8 collocandum est, quia praetor Achaeus non nominatur. Quin etiam, cum Epidaurus iam. a. 243 ad Achaeos transierit, quibuscum Argivi inter annos 243 et 229 in amicitia non erant, ante a. 243 latum esse statuo. Eidem aetati necessario tribuendum est decretum superius, quod in cuius honorem factum sit ignoramus.

G

Die XVIIIo mensis Augusti a. 1906 reperta est pars superior stelae aëtomate ornatae ex lapide calcario albicanti. Stelae margines dexter et sinister servati sunt, sed in parte dextra lapidis superficies adeo corrosa est, ut litterae legi non possint. Altitudo est 0m. 43, latitudo 0m. 37, crassitudo 0m. 12. Litterae vs. 1 altae sunt 0m. 0145, ceterae 0m. 01.

ΔΙΑΤΑΓΕΟΣΜΑΝΤΙΝΕΟΣ

ΘΙ . ΣΑΛΙΑΙΑΙΕ . ΟΞΕ . . ΛΕΙΛ
ΟΤ . ΕΤΑΡΤΑΙΔΕΤ . . ΤΛ . . . . . Ω
ΕΤΣΤΡΑΤΟΣ . ΑΛ . . . ΛΧ

ΦΕΤΣΒΩΛΑ . . ΙΟΜΗΔΗΣ
. . . . . ΩΝΠΡΟ . . . ΟΝΗ . Ε
. . ΙΘΕΑΡΟ . Ο . . . ΤΟΤΔ . ΟΣ
Ρ Ρ

Διατάγεος Μαντινέος.

θ[εό]ς. ἁλιαίᾳ ἔ[δ]οξε [τε]λεί[ᾳ] . . . . .
ου [τ]ετάρτᾳ δευ[τά]τ[ᾳ]· ἀρή(τευε) β]ω[λᾶς]
Εὔστρατος . αλ . . . . [γρο]-
φεὺς βωλᾶ[ς Θ]ιομήδης . . . .
. . . . . ων· πρό[ξεν]ον ἦ[μ]ε[ν Ἀργείων]
[κα]ὶ θεαρο[δ]ό[κον] τοῦ Δ[ι]ὸς [τοῦ Νεμέᾳ]
[καὶ τᾶς Ἥ]ρ[ας τᾶς Ἀ]ρ[γείας Διατάγη]
[τοῦ δεῖνος Μαντινέα]

Vs. 1. Nomen quod est Διατάγης a radice verbi διατάσσειν ductum esse videtur.

Vs. 5 supplevi [Θ]ιομήδης. Possis etiam [Δ]ιομήδης, sed nomen herois saeculo III° civi Argivo inditum fuisse non est veri simile.

Vs. 6 initio desunt litterae quatuor vel quinque. Supplendum esset nomen loci in -ών exeuntis. In fine versus aut Ἀργείων scribi potest aut τᾶς πόλιος.

Hoc quoque decretum ante annum 229/8 factum esse quivis concedet. Sed cuinam potissimum parti saeculi III^{i} tribuendum sit, ex historia Mantineae indagare nequimus.

H

Die XIII° mensis Maii a. 1912 repertum est fragmentum stelae lapidis calcarii albi, cuius margo dexter servatus est. Altitudo eius est 0^{m}.36, latitudo 0^{m}.17, crassitudo 0^{m}.075. Altitudo litterarum est 0^{m}.01.

ΛΙΟ
ΚΟΝ
ΣΗΡΑΣ
ΚΑΛΛΙΑΑ

ΙΑΤΤΩΙΚΑΙΕ
ΑΙΑΣΤΛΙΑΝΕΜ
ΙΚΑΙΚΑΤΑΓΑ
ΚΑΙΠΡΟΕΔΙ
ΠΑΝΣΙΟΙΣΑΠΟ
ΕΤΟΔΟΚΗΜΑ
ΟΤΙΑΡΩΙΕΛΙ
ΝΙΣ *vacat*

[πρόξενον]
[ἦμεν καὶ εὐεργέταν τᾶς πό]λιο[ς]
[τῶν Ἀργείων καὶ θεαροδό]κον
[τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶ]ς Ἥρας
[τᾶς Ἀργείας τὸν δεῖνα] Καλλία Α-
[καὶ ἦμεν] αὐτῷ καὶ ἐ[κ]-
[γόνοις ἀσφάλειαν κ]αὶ ἀσυλίαν ἐμ
[πολέμῳ καὶ ἐν ἰράνᾳ] καὶ κατὰ γᾶ[ν]
[καὶ κατὰ θάλασσαν] καὶ προεδ[ρίαν]
[ἐν τοῖς ἀγῶνσι ἅ]πανσι οἷς ἁ πό-
[λις τίθητι. ἀγγράψαι δ]ὲ τὸ δόκημα
[τόδε ἐν τῷ τοῦ Λυκεί]ου ἰαρῷ. ἔλ[ε]-
[ξε] νίς.

Vs. 4, 5 fortasse supplendum est: Ἀ[θηναῖον], cum Calliae nomen Athenis vulgatissimum fuerit. V. indices IG, II et IG, XI, 4, 527.
Vs. 12 suppleri possit: [Ποιμω]νίς [1]).

I

Die XX° mensis Augusti a. 1906 repertus est lapis calcarius canus ex monumento rotundo aut exedra semirotunda, cuius diametros erat circiter 3m. 30. Pars sinistra deest. Superne conspicitur foramen, cuius forma litterae T consimilis est. Altitudo est 0m. 18, latitudo 0m. 50, crassitudo 0m. 465. Litterarum altitudo est 0m. 01.

1) Cf. BCH, 1909, p. 189.

ΡΗΤΕΥΕΒΩΛΑΣ
ΛΑΣΘΙΟ
ΤΑΝΤΑΣΠΟΛΙΟΣ
ΑΣΑΡΓΕΙΑΣ
ΦΙΝΑΤΕΛΕΙΑΝΑΣΦΑ
ΝΑΙΚΑΙΚΑΤΑΓΑΝΚΑΙΚΑΤΑ
ΓΩΣΙΟΙΣΑΠΟΛΙΣ
ΕΛΕΙΟΝ

[ἀ]ρήτευε βωλᾶς
[γροφεὺς βω]λᾶς Θιο-
[πρόξενον ἦμεν καὶ εὐεργέτ]αν τᾶς πόλιος
[τῶν Ἀργείων καὶ θεαροδόκον τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶς Ἥρας τ]ᾶς Ἀργείας
[καὶ αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, ἦμεν δέ σ]φιν ἀτέλειαν ἀσφά-
[λειαν ἀσυλίαν αὐτοῖς καὶ χρήμασι καὶ ἐν εἰρά]νᾳ καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ
[θάλασσαν καὶ γᾶς καὶ οἰκίας ἔμπαιν καὶ προεδρίαν ἐν τοῖς ἀ]γῶσι οἷς ἁ πόλις
[τίθητι ἅπανσι. ἔλεξε] . . . . ἐλειον.

Vs. 8 forsitan legendum sit [*Στιχ*]*έλειον*. Cf. quae supra p. 367 ad A, 8, B, 8 adnotavi.

K

Die XXIII° mensis Augusti a. 1906 repertum est fragmentum stelae ex lapide calcario albicanti, in quo margo sinister stelae servatus est. Altum est 0m. 22, latum 0m. 125, crassum 0m. 085. Litterae altae sunt 0m. 01; spatium, quo singuli versus inter se distant, est 0m. 015.

ΛΛ
ΟΤΤ
ΒΩΛΛ . ΑΜΛ
ΞΕΝΟΝΕΙ
ΔΑΜΟΤ
ΚΟΝΤΑ
ΜΕΝ
ΑΤ

[ἀρήτευε βω]-
λ[ᾶς] . . . .
ου Τ . . . . [γροφεὺς]
βωλᾶ[ς] Ἀμα . . . . [πρό]-
ξενον εἶ[μεν καὶ εὐεργέταν τοῦ]
δάμου [τῶν Ἀργείων καὶ θεαροδό]-
κον τᾶ[ς Ἥρας τᾶς Ἀργείας καὶ εἶ]-
μεν [αὐτῷ] . . . .
αὐ[τῷ καὶ ἐγγόνοις]

Vs. 8: Τ[ημενίδας]?

L

Die XIX° mensis Iunii 1912 repperi parvum fragmentum lapidis calcarii cani. Infra nihil deesse videtur. Altitudo est 0m. 22, latitudo 0m. 12, crassitudo 0m. 105. Altitudo litterarum est 0m. 008.

Ο
ΝΟ
Α . ΚΑ
ΓΩΝΣΙΑΠΑΝΣΙ

ο
νο
[κ]α[ὶ] κα[τὰ]
[καὶ προεδρίαν ἐν τοῖς ἀ]γῶνσι ἅπανσι [οἷς ἁ πόλις τίθητι].

M

Die XXI° mensis Augusti a. 1906 repertum est fragmentum stelae ex lapide calcario albicanti duro ac levi. Extant margines dexter et sinister; in dextra parte stelae litterae detritae sunt. Altitudo fragmenti est 0m. 24, latitudo 0m. 43, crassitudo 0m. 155. Litterae *στοιχηδόν* incisae, hastae extremae apicibus ornatae sunt; litterae A ductus non est fractus; altitudo litterarum est 0m. 008.

. . . . Ο Σ . . . .
. . . . Σ Τ Ρ Α Ι Ο Σ Θ Α Υ Μ Ε Α Φ Ο Λ . . . .
. . . . Μ Α Χ Ο Υ Μ Ο Κ Λ Α Σ Κ Α Ρ Σ Ε . . . .
. . Μ Ο Υ Δ . Μ Ο Ι Τ Α Δ Α Σ Τ Ε Λ Ε Ι Π Π Ο . . . .
. Ε Ο Σ Α Ρ Κ Ε Ι Δ Α Σ Ε Υ Κ Ρ Α Τ . Σ Ε Υ . . . .
. Υ Σ Φ Ι Λ Ι Π Π Ο Σ Φ Ι Λ Ι Π Π Ο Υ . . . .
. Ω Ρ Ο Σ Κ Ε Φ Α Λ Ι Δ Α Μ Ο Κ Λ Α Σ . . . .
. Σ Τ Ρ Α Τ Ο Υ Α Ρ Κ Ε Ι Δ Α Σ Α Ρ Η . . . .
Ι Α Υ Π Λ Ι Α Δ Α Σ Γ Ρ Ο . Ε Υ Σ Β . . . .
. Ο Υ Α Μ Φ Ι Α Ρ Η Τ Ε Ι Δ Α Σ . . . .
. Γ Α Θ Ω Ν Υ Μ Ο Ν Α Γ Α Θ Ο Υ Κ Ο Ρ . . . .
. . Ε Ν Κ Α Ι Ε Υ Ε Ρ Γ Ε Τ Α Ν Τ Α Σ . . Ο Ι . Ο . . . .
. . . Υ Τ Ο Ν Κ Α Ι Ε Κ Γ Ο Ν Ο Ν Σ . . . .
. . . . . Ι Ο Σ Τ Ο Υ Ν Ε Μ Ε Α Ι . . . .
. . . . . . Η Μ Ε Ν Δ Ε Α Υ Τ Ω Ι . . . .
. . . . . . Α Ι Ο Ι Κ Ι Α Σ Κ Α Ι . . . .
. . . . . . Ν Κ Α Ι Α . . Α . . . .

. . . . ος
. . . . στρα[τ]ος Θαυμέα Φολ[υγάδας]
. . . . μάχου Μόκλας, Καρσε
. . μου Δ[α]μοιτάδας, Τελέιππο[ς]
. εος Ἀρκείδας, Εὐκράτ[η]ς Εὐ
[ε]ύς, Φίλιππος Φιλίππου
[δ]ωρος Κεφαλίδα Μόκλα[ς],
. στράτου Ἀρκείδας· ἀρή(τευε) [βωλᾶς]
[Ν]αυπλιάδας· γρο[φ]εὺς β[ωλᾶς]
. ου Ἀμφιαρητείδας· [δεδόχθαι τῷ δάμῳ·]
[Ἀ]γαθώνυμον Ἀγάθου Κορ[ίνθιον πρόξενον]
[ἦμ]εν καὶ εὐεργέταν τᾶς [π]όλ[ι]ο[ς τῶν Ἀργεί]-
[ων α]ὐτὸν καὶ ἐκγόνους [καὶ θεαροδόκον]
[τοῦ Δ]ιὸς τοῦ Νεμεαί[ου καὶ τᾶς Ἥρας τᾶς Ἀ]-
[ργείας], ἦμεν δὲ αὐτῷ [ἀτέλειαν καὶ ἔμπα]-
[ιν γᾶς κ]αὶ οἰκίας καὶ [αὐτῷ καὶ γένει καὶ]
[ἀσυλίαν] καὶ ἀ[σφ]ά[λειαν καὶ πολέμου καὶ]
[ἰράνας κ]αὶ κα[τ]ὰ γ[ᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν]

Supplementa versuum 12, 13, 15 certa sunt. Cum autem vs. 12 habeat 33, vs. 13 31, vs. 15 32 litteras, apparet numerum litterarum, quamvis litterae στοιχηδόν dispositae sint, hic illic paululum vacillare. Vs. 17 octavo loco sub I vs. praecedentis nulla littera incisa erat. Vs. 14 scripsi τοῦ Διὸς τοῦ Νεμεαίου, non ut in ceteris titulis τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ, quoniam sic demum litterae fiunt 32.

Titulum praecedentibus recentiorem esse ex litterarum formis efficere licet.

Vs. 3. Nomen Graecum a Καρσε- incipiens nobis non notum est. Tamen ita in lapide scriptum esse videtur.

Vs. 11: [Ἀ]γαθώνυμον Κορ[ίνθιον]. Nomen hocce IV° saeculo Corinthi usurpatum fuisse demonstratur inscriptione Delphica S. G. D. I. 2502, A, 98: anno 344 Ἀγαθωνύμῳ Κορινθίῳ λιθαγωγῷ ἐγ Κορίνθῳ persolvuntur minae VII.

Nunc antequam exponam, quaenam hi tituli nos de rebus Argivis edoceant, circumspiciendum est possintne horum ope alii tituli in integrum restitui aut saltem melius intellegi quam antea.

1° IG, IV, 560. Pessimum Lebasii apographon non ita supplendum est ut suppleverunt Foucartius et Fraenkelius, sed in hunc fere modum:

[καὶ θεαροδόκον]
[το]ῦ [Διὸς τ]οῦ Ν[εμ]έᾳ κ[α]ὶ [τᾶς] Ἡρ[ας]
[τᾶς Ἀρ]γεί[ας] α[ὐ]τὸν καὶ [ἐκγό]-
νον[ς, ἦμεν δέ σφιν] ἀτέλειαν καὶ ἀ-
[συ]λίαν [κα]ὶ ἐ[μ πολέμῳ] καὶ [ἐν ἰρά]-
νᾳ καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασ[σαν]
καὶ π[ρ]ο[εδρί]α[ν ἐν] τοῖ[ς ἀ]γ[ῶνσι]
[ἅπανσι], ο[ἷς ἁ π]όλις τίθ[η]τι, ἦ[μεν]
[δὲ αὐτοῖς] καὶ τὰ [ἄ]λ[λ]α ἅ[παντα]
[ὅσσα ἐστὶ] καὶ τοῖ[ς ἄ]λλοι[ς] π[ρ]ο[ξ]έ-
[νοις]

2° Michel, Recueil, 535 (cf. supra p. 365). Tituli praescriptum sic fere restituendum esse arbitror:

[ἀλ](ι)[α]ί(ᾳ) [ἔδοξε τελείᾳ τοῦ δεῖνος μηνὸς . . . δε]υτ(ά)[τᾳ]
[ἀρήτευε βωλᾶς] . . . . . ης . . . . . ἴδας· (γ)ρο[φεὺς]
[βωλᾶς] . Φαν . . . . . . το . . . . ος Δ . . .
. ν· πρόξενον εἶναι και εὐεργέτην τῆς πόλεως τῶν Ἀργείω[ν]
κτλ.

3° IG, IV, 479:

ἁλιαίᾳ [ἔδοξε τελείᾳ τοῦ δεῖνος μηνός]
τετάρτ[ᾳ] . . . . [ἀρήτευε]
βωλᾶς [ὁ δεῖνα] . . .

Male Fraenkelius tentabat vs. 3: βωλᾶς [εἰσηγησαμένας]. Decreti fragmentum Nemeae in templo repertum est, sed Argivum esse videtur.

4° IG, XII, 3, 1259: θεός· ἔκρινε ὁ δᾶμος ὁ τῶν Ἀργείων κατὰ τὸ δόκημα τοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλάνων, ὁμολογησάντων Μαλίων καὶ Κιμωλίων ἐμμενέν, ᾇ κα δικάσσαιεν τοὶ Ἀργεῖοι περὶ τῶν [ν]άσων, Κιμωλίων ἦμεν Πολύαιγαν, Ἐτήρειαν, Λίβειαν. ἐδίκασσαν

νικῆν Κιμωλ[ίο]υς. ἀρήτευε Λέων· [β]ωλ[ᾶ]ς σευτέρας. Ποσιδάον γρο[φ]εὺς βωλᾶς· Πέριλλος πεδιόν.

De hoc titulo infra fusius disputabo. Sed iam nunc e decretis a me repertis (v. etiam BCH, 1910, p. 331, vs. 23 sqq.) efficere licet in fine legendum esse: *ἀρήτευε Λέων· [β]ωλ[ᾶ]ς⟨ς⟩ Εὐτέρας Ποσίδαον· γρο[φ]εὺς βωλᾶς Πέριλλος Πεδίον.*

(*Continuabuntur*).

AD INSCR. ALLIAE POTESTATIS VS. 32.

Ex disputatiuncula, quam J. Mesk v. d. in Berl. Phil. Wochenschr. 9 Ian. 1915 de versibus paucis huius elogii instituit, in versu explicando:

femina quod struxit talis, nunc puncta lacessunt

viros doctos alios manus iam dedisse, alios interpretationes neutiquam probabiles protulisse mirabundus didici. Quas postquam redarguit, ipse suam explanationem commendat non probabiliorem: „an dem Bau, den ein solches Weib errichtet hat, rütteln jetzt die Schläge der Spitzhacke, er ist dem Untergange geweiht".

Equidem Allium hoc voluisse semper arbitratus sum: Aedificium, quod talis femina struxit, nunc puncta (h. e. homunculi nullius pretii) evertere conantur. Cf. Cic. Ac. II 116: punctum esse quod magnitudinem nullam habeat, Plin. N. H. II 174: mundi punctum neque enim aliud est terra in universo.

P. H. D.

DE ALLIAE POTESTATIS EPITAPHIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Elisa Laurillard [1]), ille omnium quot sunt quotque fuere praedicatorum disertissimus, *vir*, si quisquam *bonus*, egregius mentium medicus, morumque tam lenis quam sedulus corrector, et aliis ingenii dotibus insignis et peculiari quodam lepore, quo nunquam quemquam laesit sed simul et risum movere et prudenti vitam consilio monere solebat, multa quidem scripsit quae civium nostrorum inhaerent memoriae, sed vulgo notissimum est poemation quoddam eius, quo paupercula inducitur quae amisso marito ad incitas redacta a „societate" quadam „benefica" opem petit. Cuius praeses, audito illum in suo sibi lecto occubuisse morbo, hoc ei argumento subsidium negat:

o bona, debuit aut cecidisse alicunde tuus vir,
aut aliquid cecidisse in eum: sic nostra iubet lex.

Horum mihi versiculorum saepe in mentem venit hodiernam literarum nostrarum contemplanti conditionem. Quidquid enim iusto continetur libro spernitur negligiturque:

aut inter lapides et rudera debuit esse
effossum, aut lapidi insculptum fractove tigillo.

Ut vero eiusmodi aliquid in lucem est protractum, sive testula quam literulis implevit puer aliquis, sive sandapilae fragmentum,

---

1) Natus a. d. VIII Kal. Apr., quo die hanc commentationem scribere coepi, anni MDCCCXXX.

in quo locus Platonicus versusve Homericus dudum notus utcunque est conscribillatus, certatim eo tamquam muscae ad mel effusum advolant viri docti suaque ibi relinquunt commenta quorum brevi tempore sat magnus existit tumulus. Quantum ergo putemus doctrinae montem huic, de quo nunc agam, superingestam inscriptioni, quae et ipsa e terrae latebris est effossa idque iam ante aliquot annos, et praeterea non minus 52 continet versus aut veros aut simulatos, denique — nam hoc accedere debet — non a vero probatoque est conscripta poeta sed ab homine de plebe indocta semidoctave? Hercule, tam firma nemo est memoria qui vel nomina possit enumerare eorum qui in hunc thesaurum incubuerint.

Quorum omnium se commenta legisse omnia quis est qui asseverare audeat? Admodum tamen multa legi satisque bene iam scio ubi lateat aliqua ἀπορία quam alius alio modo solvere sit conatus. Quod sufficit huiusce disputatiunculae proposito. De toto enim carmine iudicium sum laturus, qua re nunc quam maxime opus esse sentio, simulque *scio aut neminem aut vix quemquam mortalium nunc vivere huic negotio me magis idoneum.* Quod cuiusmodi sit sub finem demum exponam atque legentium suspensam tenebo exspectationem, ut quae praecedunt perlegant omnia: adstupescere enim eos opinor verbis quae ipsa literarum forma a ceteris destinguere operarium iussi, meque subita quadam abreptum insania putare. Ergo iam nunc declaro me et vere illud dicere potuisse et sine ulla vel levissimae arrogantiae suspicione.

Sed ut recte et ordine fiant omnia, atque ita ut nihil quod in rem sit omittatur, totum mihi est percurrendum carmen et tantum non in singulis eius versibus subsistendum. Vix enim ullus eorum est qui non aut aliquam requirat explanationem aut aliquod mihi sententiae meae praebeat argumentum.

Dis Manib.

Alliae A. L. Potestatis.

Sic inscribitur epitaphium, cuius primus est versus huiuscemodi:

1 Hic Perusina sita est, qua non pretiosior ulla

hexameter, ut vides, nullo laborans vitio, et sermo quoque *videtur* nulli obnoxius reprehensioni. Videtur, aio; nam fac aliquem in versuum pangendorum arte non plane hospitem e memoria

eum repetere: dubium non est quin errando eum sit emendaturus. Sponte enim sic recitabit:

Hic Perusina iacet e. q. s.

Quanto hoc auditu iucundius quam quod revera scriptum est. Cuius enim hominis paulo exercitatioris aures ista *sina sita* non laedunt? Sed accedit aliud quiddam gravius: *pretiosa* dicitur defuncta mulier. Nolo nunc Alliae nostrae iusto gravius maledicere, hoc tamen intelligo mecumque intelligunt omnes, qui carmen perlegerunt, convenire in eam pervulgatum istud dictum: „bona est in suo genere, sed ipsum genus est improbandum". Quod ergo magis anxie vitandum erat quam illud adiectivum quod statim legentibus in memoriam revocet Horatianum illud: „dedecorum pretiosus emptor"? Longe, ut opinor, arcenda erat omnis *pretii* commemoratio, sponte *dedecora* secum tractura. Denique me adiutore si usus esset Allius, sic orsus esset:

Hic Perusina iacet qua non praestantior ulla

quod et multo modulatius videtur.

2 Femina de multis vix una aut altera visa.

Sive illud *femina* cum praecedenti versu iungis, sive partem novae facis sententiae, haud te hinc extricas: deficiente aliquo membro totum claudicat enuntiatum. Et tamen quid poeta voluerit est manifestum: tritum illud: „praestitit Alliae nulla mulier, pares ei fuerunt paucissimae, si iam ulla", sed id ipsum propter ingenii inopiam recte enuntiare non potuit, metroque coactus omisit quod erat primarium. Et tamen quid erat facilius quam sic:

Hic Perusina iacet qua non praestantior ulla,
Par huic de multis vix una aut altera visa

scribere?

3 Sedula seriola parva tam magna teneris.

En versum multo sudore e variis consutum pannis ut tamen constaret metrum. Nam vocabula tantum non omnia sunt quam ineptissima. Quid enim istud *sedula* sibi hic vult? Nonne omnia insunt in adiectivis *parva* et *magna* inter se oppositis? An hoc ceteris omnibus lacrimabile magis rebus, quod *sedula* mulier mortua sit sepultaque? Nam vocem *seriola*, quam equidem e solo Persii versu;

Seriolae metuens veterem deradere limum

ubi *seriola* parva lagena est, notam habeo, Allii tempore usitatum fuisse *parvae urnae* vocabulum quis credat? Et quis nescit ad rariora confugere solere malos poetas verba, cum quo modo consueta adaptent versui non inveniant?[1]) Sed — atque hoc multo gravius — quam aliena hinc tota sententia: *parva urna tenetur magna* (vel *magnus*)! Scin quando bonus ita lamentetur poeta? Cum de exequiis agit viri qui corporis magnitudine et viribus superavit omnes. Praeclare Ovidius in XII Metamorphorseon:

iam cinis est et de tam magno restat Achille
nescio quid parvam quod non bene compleat urnam.

I nunc et Alliam cum ingenti compara Pelide!

4 crudelis fati rector duraque Persephone.

Quid sit hexameter et quid pentameter poeta simul scit et ignorat. Nam e parte hexametri et parte pentametri hic versus constat.

5 quid bona diripitis exsuperantque mala.

En sincerum pentametrum sed sic temere inter hexametros coniectum. Nam quod vocabuli *diripitis* ultimam syllabam ante caesuram producit, fecerunt et alii et parata est venia, sed ea conditione ut raro fiat. Nam qui, ut noster, saepe sibi permittit talia, semet ipsum indicat ut parum exercitatum.

6 Quaeritur a cunctis iam respondere fatigor.

Ipse versus omni caret macula, sed risum movet sententia. Quis enim recte haec de se profatur? Aut ipse deus Delphicus aut princeps aliquis philosophorum, quem quotidie adeunt homines ut de fati providentiaeque edoceantur mysteriis. Raro de talibus rebus consultum opinor Allium nostrum neque ipse sibi tam magni aliquid arrogavit, sed quomodo expleret versum quaerens invenit id ipsum quod esset ineptissimum.

7 Dant lacrimas animi signa benigna sui.

Iterum pentametrum hic habes. Et quod est verbi *dant* subiectum? An *sui* nominativus est pluralis? Hoc opinor. *Animi signa benigna* pro *animi signa benigni*, hypallage dicitur, poetis concessa, sed hoc quoque ea conditione ut caute circumspecte, raro denique eam admittant.

---

1) Conferatur carminis pseudo-horatiani I. 20 vs. 2 *Cantharis* istud ibique Peerlkampii annotatio.

8 Fortis, sancta, tenax, insons, fidissima coniunx.

ὅλῳ τῷ θυλάκῳ spargit praeconia coniunx vel pro coniuge noster, cui non obloquemur, licet nobis illud *sancta* nimium videatur in libertina et concubina, et *tenax* nullo addito genitivo vix laudis esse videatur. Quid enim si non *propositi* sed *nummorum* fuit tenax Allia? Parcam esse decet matremfamilias, avaram sordidamque dedecet.

9 Munda domi, sat munda foras, notissima vulgo.

Foras pro *foris* error videtur hominis qui poetis delectatur sed nunquam satis accurate iis dedit operam. Admodum lepide inter se opponuntur: „munda domi" et „*sat munda* foris", et placet adiectivi *mundus* ambiguitas, quam de industria hic adhibitam credere volo. Sed non illud *notissima vulgo* huius loci huiusque feminae esse videtur. Mulier, quae ne in aliquam suspicionem incideret tantum esset periculum, potius eo nomine laudanda erat quod *bene latuisset*.

10 Sola erat ut posset factis occurrere cunctis.

Bonus versus et bene enuntiata omnia, sed paulo obscurius. Videor tamen mihi perspicere quid hic dicatur: Allia nullius ancillae uti voluit opera, ipsa omnibus obviam ire laboribus malebat qui domi erant peragendi.

10 exiguo sermone irrĕprĕhensa manebat.

Turpibus erroribus laborat versus, quos male aliquis correxerit *atque* post *sermone* inserendo; nam hoc volebat poeta: „non multa loquebatur Allia *ideoque* nunquam dicebat aliquid quod indictum mallet". Et *manebat* pro *semper erat* metro coactus dedit. Nam aliud quidquam subesse huic vocabulo credere noli. Iam nunc id moneo, nam saepius ea vox eodem modo adhibita recurrit.

12 sq. Prima toro delapsa fuit, eadem ultima lecto
Se tulit ad quietem positis ex ordine rebus.

Prior versus quantas molestias exhibuerit poetae, quam fuerit trahendum ei iterumque trahendum ut tamen quae in mente haberet ad finem usque versus pertinerent vides. Primum vocabuli *fuit* producitur syllaba altera, quod iam dixi ea fieri condicione licere ne nimis saepe fiat, nunc addo: ne nimis appareat metri causa esse factum. Tum *toro delabi* pro *surgere* et periphrastica coniugatio *delapsa fuit*, ubi nihil aliud dicitur

quam quod simplici imperfecto solet significari. Nunc quoque rima patet, verbum ferte ocius; ecce: suppleat hanc *eadem.*

Ultima lecto se tulit satis magnifice pro re tam humili; *quietem* aut disyllabum est aut corripitur paenultima, utrumque non sine confessione paupertatis. Denique *positis ex ordine rebus* quid sit multos quaerere suspicor, at ego qui verborum illorum sensus sit mihi videor intelligere. In mentem enim mihi venit grandaevae cuiusdam matronae, cui magna erat commissa familia: ibidem enim habitabant quatuor eius filiae, puellarum magistrae, haud paucae illarum adiutrices, grex denique sat magnus discipularum. Iam cubitum ierant iuniores cum subito erupit incendium. Discurrebatur totis aedibus, clamabatur, excitabantur dormientes semisomnesque, fletus etiam fiebant lamentationesque, at strenua anus illa, ne tum quidem officii immemor vel prae metu quid ageret nescia, theae ferventem aquam affundebat, pocula implebet lacte, ova coquebat suisque sibi imponebat sustentaculis, panes dissecabat, omnia denique parabat quae mane edi bibique solerent. Sic nostra quoque Allia priusquam cubitum iret semper operam dedisse videtur ne quidquam deesset ientaculo.

14 Lana cui e manibus nunquam sine causa recessit.

Sive *cui* ita legimus ut litera *i* consonantis vim habeat, sive longam syllabam in vocalem exeuntem ante vocalem, a qua sequens incipit vocabulum, Homerico modo corripi statuimus, sive quocunque modo hunc pedem defendere studemus, operam perdimus, nam in eiusdem verbi fine immane deprehenditur vitium quod nulla unquam doctrina aut tollet aut excusabit: *sine causă.* Et tamen haec omnia utcunque concoqueremus nisi id ipsum quod dicitur nobis tam absurdum videretur. Quid enim? *Domi sedit lanam fecit,* sic facunda breviloquentia laudari solebat antiqua mulier Romana, non, hercle, quod semper quavis dici hora colum fusumque exerceret sed quod non solum in publicum non prodibat verum ne domi quidem virilibus se immiscebat negotiis, muliebri contenta labore. Intelligisne quam ridiculum sit istud graviter enunciatum „lana ei nunquam sine causa e manibus recessit", et metri difficultatem nostro has extorsisse ineptias?

15 Obsequioque prior nulla moresque salubres.

Ne possunt quidem haec aliter accipi quam sic ut duae fiant

sententiae quarum altera voce *erat*, altera plurali *erant* sit supplenda. Accedit producta ante caesuram brevis, de qua licentia saepius iam egimus. Et ne sic quidem, quamvis multa abiecerit vincula, noster recte enuntiare potuit quod in mente haberet. Qui enim *mores salubres* sunt? Ullamne aliam ob causam illud electum censeamus adiectivum quam quod post *moresque* nihil aliud poetae in promptu erat quod bene versum expleret? Quidni potius

Nulla prior fuit obsequio, non gnavior ulla

aliumve eiusmodi dedit hexametrum? An iocari tibi nunc videor ut Francogallus ille, cuius hoc est lepidissime dictum: „pourquoi les Allemands disent ils *Schwester*, quand c'est si simple de dire *soeur*"?

16 Non tamen usque balbutit noster vel claudicat Allius, ecce:

Haec sibi non placuit, numquam sibi libera visa.

Nonne bellus hic hexameter venustusque, nonne aptissima sententia lepideque enuntiata? Nam et virtute quadam ego eam splendere puto quae tamen plerosque legentes lateat. Duplici enim modo haec accipi possunt, vel sic: „nullus in ea fastus erat, nullus amor sui, nulla arrogantia, servam se fuisse semper meminerat neque unquam ea utebatur loquendi libertate quae ingenuarum est" vel sic: „nunquam ei plane probabatur quod ipsa fecerat, semper deesse aliquid videbatur, nunquam desidebat otiosa, nunquam se perfunctam labore putabat". Nonne utrumque eleganter ita enuntiatur? Quantus artifex evadere potuisset Allius si bonis usus esset praeceptoribus!

17 Candida luminibus pulchris aurata capillis
Et nitor in facie permansit eburneus illae
Qualem mortalem nullam habuisse ferunt.
Pectore et in niveo brevis illi forma papillae.
Quid crura? Atalantes status illi comicus ipse.
Anxia non mansit, sed corpore pulchra benigno
23 Levia membra tulit, pilus illi quaesitus ubique.

Haec simul omnia exscripsi ne posset dubitare quisquam quin pro uxore sua libertina usus esset Allius. Sat multa hic occurrunt mire, insolite, vitiose dicta. Singula notemus, sed simul in universum observemus minime cautum et circumspectum se nostrum praebere epithetorum dispensatorem, vel hic vel alibi. Conferantur praesertim versus

3 *sedula*, seriola parva *tam magna* teneris
et 8 Fortis *sancta*, *tenax*, insons, fidissima custos.

Esto: erat ergo *candida* Allia, et *luminibus pulchris*. Utrumque recte. Sed **aurata** *capillis* cur dicitur? Opinor, quia poeta quo modo vocem *aurea* versui inferciret frustra quaerebat. In mentem ei non veniebat: *flavisque capillis*. Et tamen ipsum *aurum* ab optimis poetis *flavum* dicitur!

Versu 18 denuo istud *permansit* occurrit, vox versui implendo aptissima. Sed sensu a *fuit* differt nihil. De *illae* idem observo quod vs. 9 de *foras*.

Vs. 19 pentameter est parum elegans, nec ullus ei inter tot hexametros locus.

De versu 20 nihil annoto nisi hoc, iusto loquaciorem mihi hic Othonem, Allium volo, videri.

Sed in versu 21 quis non haereat? Hoc unum manifestum istud *status* ... *ipse* sumptum esse ex Ovidiano *artificis status ipse fuit*. At vox *comicus* quid sibi vult? *tragicus* praestaret, nam comoediam in qua locus sit Atalantae, Meleagro, toti denique venationi Calydonicae quis vel fingere potest? An homines parum exculti inter Romanos sicut nunc apud nos quamvis scenam et quidquid in ea agebatur *comoediam* appellabant? Sit ergo *Atalantes status comicus* hoc fere: „eius Atalantes status quam spectavimus in theatro ego Alliaque mea". Ita vel hinc rem discimus minime spernendam: mythologica nomina Graeca iam tum vulgi in ore fuisse et deinde usque ad nostra perstitisse tempora, ita ut prorsus sit iniquum poetam novicium deridere quod de paupertate loquens *Irum* nominet, de divitiis *Pactolum Attalumque*, tamquam si putide et ludimagistri instar doctrinam ostentet. Si *Atalante* iam Allio nomen fuit minime reconditum, quo non nomine nunc tamquam „appellativo" uti potest assiduus Virgilii Ovidiique lector cui ipsi illi auctores carminum pangendorum inspirarint amorem? Praeterea quid non condonemus poetae scilicet, qui vocem hanc sic versui adaptarit ut fieret *Ātălăntēs*?

Versu 22 recurrit istud metro tam habile *mansit*. Quid enim aliud quam *fuit* ea vox significat? Esto: non fuit *anxia* Allia? Hoc quid est? Illustrari opinor sequentibus quae opponuntur *corpore pulchra benigno* pro *corpore pulchro benigna*, satis dura

hypallage quam poetae vi metri extortam tuis cernis oculis. Erat ergo Allia non *anxia* sed *corpore pulchro benigna*. Quis aliter haec accipere potest quam sic ut Allia dicatur ne in ipsa quidem pudicitia excessisse modum sed omnes formae dotes omnibus habuisse palam qui eas vellent admirari? Praeclara hercle laus quam admodum incaute libertae suae impertit amator nimio abreptus amore. Quanto enim melius suae apud posteros famae consuluisset Allia, si vel nimia effecisset pudicitia ut eam Procridis apud Ovidium verbis utentem facere posset caelebs Allius: „uni mea gaudia servo"!

Versu 23 *levia membra tulit* parum eleganter dictum videtur. Imperfecto fuerat utendum tempore et verbo alio, sed *tulit* post *levia membra* tam bellam efficiebat hexametri priorem partem! Sed quid marito facias qui talia in uxore demortua laudet? Nam istud *levia membra* illustrant sequentia, *οἴμοι ὡς σαφῶς*! Et quid poeta qui bene inchoatum (ut iam hoc concedamus) hexametrum sic absolvat *illĭ quăesitus ubique*?

24 sq. Quod manibus duris fuerit culpabere forsan:
Nil illi placuit nisi quod per se sibi fecerat ipsa.

Qui non de industria densas in clara luce excitare tenebras studet aequi bonique consulet *deponens* verbum *culpari*. Et sic evadit versus satis elegans, nam crimen istud quo modo sit refutaturus patronus sponte intelligimus. Et sequitur quod exspectamus, sed pro hexametro nobis heptameter obtruditur. Quam interdum in arte caecutiebat hic poeta qui non videret omisso *per se*, quod prorsus abundat, iustum fieri versum potuisse! At amborum versuum sententia egregia et proposito aptissima. Primum agnoscimus hic eandem quae

10 sola erat ut posset factis occurrere cunctis

cuius versus eam esse sententiam quam modo dicebam nunc luce fit clarius: non solum nullam sibi a marito petiit ancillam sed enixe obstitit quominus sibi ulla obtruderetur; ipsa peragere cupiebat omnia. Deinde admodum venuste sic a corpore ad mentem Alliae fit transitus. Sequitur enim:

26 Nosse fuit nullum studium sibi se satis esse putabat.

En iterum heptametrum! Et sententia perlucet quidem sed e vocabulis temere deiectis coniectisque. Hoc enim dicere vult noster: doctrinae non erat appetens, contenta erat prudentia

quam a natura acceperat. Aut iusto hexametro:

Discere non voluit nisi quae natura docebat.

Sequitur nunc versus qui multas exhibuit viris doctis molestias:

27 Mansit et infamis quia nil admiserat unquam.

Sed de universa eius sententia non ita magna est vel esse potest inter eos discrepantia. Primum istud *mansit* et *permansit* metri causa pro *fuit* positum a pristino suo significatu nunquam magnopere discedit, hic vero tam prope eo accedit ut tantum non eodem hic quo semper apud omnes sensu sit accipiendum: *mansit* h. e. tota sua vita fuit. At quis et qualis Allia fuit quamdiu vixit? Nempe *infamis.* Omnia nos vetant *in malam partem* illud accipere adiectivum. Quid ergo restat nisi ut Allia dicatur tota sua vita fuisse parum nota, nullo in se hominum convertisse oculos splendore, sed *bene latuisse*? Quodsi quis mihi hic versum 9 opponit:

Munda domi, sat munda foras, *notissima vulgo*

huic ego respondeo eo ipso signo agnosci poetas qualis est Allius quod saepe inviti sibi contradicunt. Quid non mortalia pectora cogis o lex dura metri! Esto; tamquam semper „infamis" *laudatur* Allia. Quo modo eo pervenit? Scilicet *quia nil admiserat unquam.* Consulto mihi perturbata omnia et obscura reddere quae quam maxime sunt perspicua viderer, si illud *admiserat* non sic interpretarer ut esset *commiserat, deliquerat* simm. Ergo hoc dicit Allius: „tota urbe nota et spectabilis Allia mea fieri potuisset gemmisque insignis et auro, si quas ei dotes natura largita esset venales voluisset habere, sed pudica esse maluit ideoque ardelionum nationi parum innotuit". Nonne egregie haec hominem de plebe decet oratio qua simul et suam coniugem laudat et eorum qui altiorem inter cives tenent locum levitatem notat moresque corruptos?

Sed de hoc quidem versu leviter inter se discrepare possunt legentes et tamen de ipsa Allii Alliaeque vita prorsus idem sentire. Non idem statui potest de loco in quem iam incidimus. Summi is in omni de epitaphio nostro est momenti disputatione. Multa hic dubia sunt et obscura, multa eiusmodi ut pergere non possis priusquam omnia explanaveris et illustraveris aut certe explanasse et illustrasse tibi videaris. Quapropter totus mihi est exscribendus.

28 Haec duo dum vixit iuvenes ita rexit amantes
Exemplo ut fierent similes Pyladisque et Orestae.
30 Una domus capiebat eos unusque et spiritus illis.
Post hanc nunc idem diversi sibi quisque senescunt.
Femina quod struxit talis nunc puncta lacessunt.
Aspicite ad Troiam quid femina fecerit olim.
Sit precor hoc iustum exemplis in parvo grandibus uti.

28 *Duo iuvenes amantes.* Vix oculis meis credidi videns esse qui hic ipsos Allium Alliumque significari putaret. Vidi tamen. Sed quis maritus unquam se uxoremque *duo iuvenes* dixit? Cum praesertim omnia eo tendant ut maturiorem iam decessisse Alliam putemus atque — de qua re statim agemus — haud ita paucis annis maior ea fuisse patronus videatur. Quis coniugiale foedus cum Pyladis et Orestae comparavit amicitia? Accedit gravissimum hoc quod coniugum nostrorum altera mortua iam est, at duo illi iuvenes, non quidem ut voluerat Allius, sed vivunt tamen. Ergone hi duo iuvenes — nam hoc quoque est propositum — ipsius Alliae fuerunt amantes ita ut illa praeter patronum suum, quae ei pro marito erat, duos haberet amatores praecipuos, quos e magno — quid enim de tali muliere non credas? — sibi elegit numero? Et hoc Allius non aequo solum tulit animo sed eo ipso nomine eam laudavit illamque laudem sepulcro eius incidendam curavit? Digna profecto progenies illius Allii qui Catullo (c. LXVIII) domum praebuit et dominam:

isque domum nobis isque dedit *dominam*

hanc enim codicum lectionem, spreta certissima venustissimaque emendatione *dominae,* mordicus nunc retinent qui prae sanis absurdissima, prae tolerabilibus immania probant. Mirum quod non e sequenti versu

ad quam communes exerceremus amores

cum eodem scorto in coeno volutatos esse hos porcos effecerunt. Absit ut eiusmodi aliquid de bono nostro Allio suspicemur, qui tam pia memoria suam sit prosecutus concubinam iam mortuam, eamque et aliis ornarit praeconiis et *sanctam* dixerit.

Nil ergo restat quam hoc ut duo iuvenes nostri *inter se* amantes fuerint. Et quid, obsecro, quominus sic versum hunc accipiamus obstat? Qui enim, nisi id ipsum in praecedenti fuit dictum versu, cum Oreste et Pylade comparari possunt? Et

quid in ipsa re parum est verisimile? Sic enim quae hic narrantur accipienda censeo ut Allius post iustae uxoris mortem, Catonem censorium aliosque imitatus, ancillam pro uxore habuerit cui et cetera omnia commiserit et duos filios, quos e iusta uxore susceperat, educandos iam paene adultos. Et egregie noverca .... sed hic mihi interpellari videor ab accurato lectore qui observet Pyladem et Orestem *fratres* non fuisse. At quidni fratres concordes comparentur cum iis quorum in proverbio semper fuit concordia? Fac vero — per me licet — Allium non filios sed pupillos aut filium pupillumque concubinae suae tradidisse, res manet eadem et idem concubinae meritum. Egregie enim eos *rexit*, ita ut *idem* esset illis *spiritus* utque mortua matre (vel tutoris uxore iusta) tamen in iisdem manere aedibus in quibus fuerant educati vellent; at noverca quoque (vel pronoverca) defuncta in alias abierunt habitatum aedes, studiosi hodierni haud dissimiles, cui parentes, Leidae habitantes sed, nocturni strepitus parum patientes, apud tenuiorem aliquem civem conclavia („cubicula" appellant qui ea locant) conducunt. Quid quod hi iuvenes ne in eisdem quidem aedibus habitare volebant, tantae inter eos exortae lites erant, quas Allia tam prudenter coercuerat. Vides cum *adolescentibus* nobis rem esse, non cum parvis pueris, qui Alliae fuerint nutriendi, quorumque illa primos *rexerit* passus. Alia hic *regendi* opus fuit ratione. Hoc illud est cur aliquot annis maiorem Allia fuisse credam Allium, nam eius fuisse filios utrumque iuvenem mihi tamen verisimillimum videtur.

Una domus capiebat eos unusque et spiritus illis.

En iterum heptametrum.

Post hanc nunc idem diversi sibi quisque senescunt.

ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον; nunc *ĭdĕm*?

Quaerat nunc quispiam: ergone cum Allia mortem obibat iam senes illi iuvenes facti erant, an tanto post obitum eius poeta factus est Allius? Non adeo hic illud *senescunt* urgendum videtur, nam ét apud malos mediocresque poetas sua sibi vocabula provocare metrum solet, ét revera *senescimus* omnes qui vivimus, neque absurda ea vox adhibetur de iis qui iam aliquamdiu puerilem sunt egressi aetatem, cum praesertim vita quae eos maneat tristis futura esse dicatur. Confero enim quod

apud Senecam legitur (de Ira III, 23, 5): „postea (sc. postquam ei amicitiam renuntiavit Augustus) Timagenes in contubernio Pollionis Asinii *consenuit*". Nonne egregie hoc nostrum decet Allium: „quam iucunda eorum, quamdiu Allia mea vixit, vita fuit, quam solitaria et moesta nunc est"?

Et unde nata illa discordia? Dicet vs.

32 Femina quod struxit talis nunc puncta lacessunt.

Quis hic non *talis* cum *femina* iungat? Nam nimis exile, atque adeo sensu cassum est, uno vocabulo quod est *femina* hic Alliam nominari. Haud ita visum viris doctis, quibus moris est propinqua fastidire remota aucupari, sed *talorum* hic fieri mentionem asseverant, ita ut iuvenes nostri dicantur apud aleatorem peculium suum *καταχυβεύειν*. Et ut miram hanc interpretationem defendant, *puncta* ea esse fingunt quibus numeri significentur. En hypallagam ne in hoc quidem carmine aequo animo ferendam! Oportebat enim non *puncta talis* sed *tali punctis lacessunt*. Praeterea ubinam exstat locus ubi eo sensu *puncta* dicantur? *κεῖται ἢ οὐ κεῖται* hic, non putidus solum grammaticus, sed quivis homo paulo prudentior roget. Denique, funesta res est alea, sed si duo se ei dediderunt fratres, non necessario inde discordia inter eos nascitur: gratia eadem potest manere si uterque cum alieno ludere consuevit. Legimus autem metaphora minime inepta: *femina quod struxit talis* h. e. illud concordiae fraternae aedificium, *lacessuut* et labefactant .... opus hic est subiecto rem denotante concordiae divellendae aptam. Opinor ergo, licet exemplo caream quo opinionem illam defendere possim, *puncta* esse dicta mordacia aut inter fratres iacta aut in utrumque ab alienis. Levissima quaeque maxime divellunt amicitiam.

33 Aspicite ad Troiam quid femina fecerit olim.

Ipsum poetam hic ignorasse puto quid sibi vellet. De qua enim hic femina sermo est? Equidem praeter Helenam invenio nullam. Sed quae femina huic loco minus apta quam illa „Troiae et patriae communis Erinnys"?

34 Sit precor hoc iustum exemplis in parvo grandibus uti.

En poetam tam diu se torquentem donec *malum* habeat versum (heptametrum). Nam sponte se ei offerebat

Si licet exemplis in parvo grandibus uti.

Inde de se ipso haec declarat confirmatque:

Hos tibi dat versus lachrimans sine fine patronus
Muneris amissae cui nunquam es pectore adempta
Quae putat amissis munera grata dari
Nulla cui post te femina visa proba est
Qui sine te vivit cernit sua funera vivos.
Auro tuum nomen fert ille refertque lacerto
Qua retinere potest auro collata potestas.

Octo sunt versus quorum tantummodo duo

35 Hos tibi dat versus lachrimans fine fine patronus

et 39 Qui sine te vivit cernit sua funera vivos

nulli sunt obnoxii reprehensioni, nisi quod hic (*qui sine e. q. s.*) communis vitii particeps est: structurae sententiarum ingratissimae. Adspice enim hoc schema:

„Haec tibi dat versuum munera patronus *cui* numquam es adempta *quae* putat amissis munera grata dari, nulla *cui* post te femina visa proba est, *qui* sine te vivit cernit sua funera vivos." Nonne pueri utcunque sententiolas principales et relativas inter se conflantis videtur? Et quam inepte claudicans ultimum istud *cernit sua funera vivos* accedit! Tum duos hic habes pentametros:

Quae putat amissis munera grata dari.
Nulla cui port te femina visa proba est.

qui sic deinceps positi risui pro misericordia movendo sunt aptissimi.

Praetera vs. 36 in voce *muneris* haudquaquam genitivi constat ratio. Opinor poetam in errorem inductum locutionibus qualis est *hoc muneris*, intempestiveque illam ei in mentem venisse.

Versu 36 *cui* διςυλλάβως rarius quidem est sed minime labente Latinitate natum, siquidem Priscianus ex Albinovano [1]) Ovidii amico haec citat:

Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus ....

Versu 40 aut *auro tŭum* legendum est aut vitio in hoc carmine non incredibili: *aurŏ tuum.*

---

1) Prave cum nominat *Albinum*, nisi librarii error hic est.

Versu 41:

Qua retinere potest auro collata potestas

quid faciamus haud facile dicas. Unum est quam certissimum voce *potestas* lusum quendam verborum esse captatum sed eum frigidissimum: est enim simul proprium nomen et appellativum. Sic fere loquitur atque adeo balbutit noster: (tuum nomen fert lacerto) *qua retinere potest* hoc sensu: „quae sola tui retinendi ei est concessa potestas (h. e. ratio)" adiungitque: *auro collata potestas* quod nunc ei videtur utrumque significare posse, et: „ea retinendi potestas auro est commissa" et „Allia Potestas mea auro est commissa".

Versus 43 pentameter est, admodumque rarum *quamdiucunque* et continuo post *quantumcunque* ingratissimum.

Inde ad ipsam se Alliam convertit et sic lamentatur:

44 effigiem pro te teneo solatia nostri
quam colimus sancte sertaque multa datur.
Cumque ad te veniam mecum comitata sequetur.
Sed tamen infelix cui tam sollemnia mandem?
Si tamen exstiterit cui tantum credere possim
49 Hoc unum felix amissa te mihi forsan ero.

Ad vs. 44 annotat Petrus Rasi: „il braccialetto lo potra sempre portare seco fino alla tomba; quanto all' effigies, dopo averla venerata in vita e ornata di corone, incarichera un suo fido a portargliela nella tomba". Rectissime, sed sic elucet quam inepte hic illud *teneo* sit positum: anulum illum *tenet* et fertque refertque, sed effigiem suo sibi stantem relinquit loco.

Vs. 45 bonus est versus, sed pentameter. Et quae est ista intemperies semper et ubique cum multo labore protrahendi quae rara suspectaque sint, ubi sponte se affert id ipsum quod est perspicuum et venustum? Nam si *damus* pro *datur* scripsisset, multo fuisset elegantior sententiae structura, vitataque esset vox *serta* feminini generis, quae ne quid gravius dicam est rarissima. Nonne vidisse (id quod ante oculos erat) cum quanto totius loci emolumento *serta multa* tamquam neutrius generis vocabula potuissent fieri obiectum verbi *damus*, egregie praecedenti *colimus* responsuri!

46. Cumque ad te veniam mecum comitata sequetur.

Recte dicitur *sequi aliquem* et *comitari aliquem* vel *ire cum*

aliquo. Noster vero omnia simul effundit: *mecum comitata sequetur.* Hercle non est difficile sic versum implere.

47 sq. Admodum pueriliter haec inter se excipiunt:

Sed *tamen* infelix *cui tam* sollemnia mandem?
Si *tamen* exstiterit *cui tantum* credere possim.

Anxius tristisque (infelix) circumspicit vs. 47 caelebs noster ecquem habeat inter necessarios dignum cui negotium tam sanctum (*tam solemnia* ait) committat. *Quaerit* infelix; quaerentis autem est sperare se *inventurum.* Quanto ergo aptius vs. 48 *inveniam* fuisset quam *exstiterit*? At ipsum illud verbum poeta non inveniebat.

49 Hoc unum felix amissa te mihi forsan ero.

Istud *hoc unum* si omisisset, pentametrum certe haberemus. At nunc nobis offertur aliquid quod neque versus sit et sententiam praebeat non uno crimine damnandam. Primum inter se pugnant *hoc unum* et *forsan*: non enim dubium est quin hoc uno nomine felicem se sit praedicaturus noster. Et male *mihi* cum *amissa* iungitur. Requiritur *adempta* vox huiuscemodi carminibus nata cf. 36 „*cui* nunquam es pectore *adempta*". Sed illam respuebat versus neque tanto exhausto labore poeta synonymon aliquod (velut *erepta*) metro aptum excogitare potuit.

Denique querelam suam sic claudit atque adeo abrumpit:

50 ei mihi vicisti sors mea facta tua est.

In multis epitaphii nostri versibus substiterunt haeseruntque viri docti, sed mihi nullus hoc difficilior visus est digniorve quem explanare conaremur saltem. Nam si credere possem id quod mihi amicus quidam acutissimus suppeditavit *sors* esse *vocativum,* ita ut non ad Alliam sed ad fatum suum se hic convertat Allius, omnia quam planissima essent. Sed non possum. Neque enim a me impetro ut non simul et versum et sententiam post *vicisti* incidam, et ipsum illud: „vicisti o sors, tua facta est quae mea erat" quid significat aliud quam hoc: „Allia mea mortua est"? Et de hac quidem re quis in ipso carminis fine etiam certior est faciendus? Immo Alliam, Alliam alloquitur Allius, hoc unum eum decet, hoc unum tota flagitat versus indoles. Sed quid illud: „vicisti, o Allia, sors mea facta tua est" significare potest? Equidem nihil aliud invenio quam hoc: „semper e concubina iusta fieri uxor cupiisti, vitae mihi mor-

tisque consors; mortua demum te sentio me sine te vivere non posse, te ergo comitabor". Nam difficile quidem dictu esse scio quid eo tempore inter iustam uxorem et concubinam interfuerit, sed interfuit tamen aliquid quod ipsis concubinis permagnum fortasse visum est. An istud *κέκρικα* nimis est philosophicum Stoicumque quam pro nostro homine? Hoc qui dicit meminerit censeo iam per multa saecula hominum Romanorum, atque etiam Graecorum, omnem huc spectasse atque huc directam fuisse sapientiam ut fortiter adirent mortem voluntariam supremaque illa verba *tempus abire tibi* certa claraque possent pronuntiare voce. Quid mirum istam Stoicorum Epicureorumque communem sapientiam etiam ad homines permanasse indoctos?

Et securus istud *tempus abire tibi* Allius noster profari potuit. Invenit enim qui sibi unam illam demeret sollicitudinem ne nemo suum funus qua par esset pietate esset procuraturus. Quod et ipsum carmen, quod marmori insculptum terra effossa reddidit, testatur et fortasse disertissime omnium testantur versus ultimi.

Sic enim res se habet. Quinquaginta, quos hactenus tractavimus, versus per duas sunt divisi „columnas" quarum 25 versus continet utraque. Sed separatim additur hoc distichon:

Laedere qui hoc poterit ausus quoque laedere divos.
Haec titulo insignis credite numen habet.

Quod non ab ipso Allio factum sed adiectum a fideli amico, qui et alia erga defunctum officia et sepulcri exstruendi illud in se recepit officium, ingeniosissima est coniectura viri doctissimi D. A. H. van Eck. Quam prorsus certam dicerem, nisi tam multa in ultimo illo disticho invenirentur quae artis Allianae propria sunt, velut illud ante caesuram productum *-it*.

Iam singulos epitaphii versus accurate consideravimus. Restat ut annotationum nostrarum summam quandam faciamus quam hisce concludo sententiis:

1 In epitaphio Alliae nulla sunt indicia sermonis recentioris et tum nascentis.

2 Non insunt indicia sermonis vulgaris.

3 Non ibi fit transitus ad novam rationem metricam.

4 Sermo est Virgilianus et Ovidianus.

5 Metrum est Virgilianum et Ovidianum.

6 Sed est poetae parum excercitati carmen.

7 Hinc illae discrepantiae (pentametri, heptametri, versus e pentametrorum et hexametrorum partibus conglutinati, epithetorum parum accurata dispensatio, productiones iusto frequentiores, hypallagae nimis multae, vocabula versum sine sententiae emolumento supplentia, vocabula metri tantummodo causa adhibita velut ista *mansit, permansit,* formae verborum bonae et „classicae" sed parum accurate positae) quae omnes meri *errores* sunt.

Denique si quis me roget e quo genere carminum hoc mihi videatur, ei sic respondeam ut simul promissum quod in initio huiusce dedi disputationis exsolvam. Dicebam enim vix quemquam nunc vivere me magis idoneum qui huic carmini suum in republica literarum assignaret locum. Quod cuiusmodi sit nunc enarrabo.

Quot iam anni sunt ex quo iudicibus Hoeufftianis sum adlectus! Nemo me diutius perpetuo honore eo est functus, nemini magis cordi ille fuit. Hic quotannis ad nos quae in certamen descendant adferuntur tricena quadragenave carmina, quorum pauca sunt egregia, aliquot laudabilia; plus bina ternave vix unquam plane abiiciuntur, sed multo est maior pars carminum *parum probatorum.* Nullum ergo genus carminum mihi est notius, nec facile reperietur homo cui illud innotuerit magis. Atque ego quotiescunque Alliae inspicio epitaphium, legere mihi aliquod *parum probatum carmen Hoeufftianum* videor: eadem in illis occurrunt vitia metrica, eaedem obscuritates; eodem modo explentur rimae, similiter parum apta sic ponuntur vocabula ut tamen quid poeta sibi voluerit aliquo modo appareat. Hercle non illi Batavi Italique novam quandam sunt secuti rationem metricam novisque Latini sermonis paruerunt legibus. Quidquid deliquerunt vel ingenio deficiente deliquerunt vel doctrina. Ad totum illud hominum genus penitus cognoscendum non ullae ingenii dotes non ulla recondita sapientia me aptum reddidit: quidquid in eo genere profeci ipse me usus docuit praetereaque nihil. Vides me sine ulla arrogantia, sine ulla gloriolae affectatione quatuordecim illa potuisse in huiusce disputationis prooemio scribere vocabula, quae inclinatis literis legentium in se convertunt oculos.

Esto, carmen Hoefftianum parum probatum mihi videtur Alliae epitaphium. Eamne ergo ob causam parvi pretii duco inventum hoc, meliusque situm putarem si terra celaret? Minime. Summi enim momenti illud esse lubenter declaro.

In omnium ad Rhenum vel prope Rhenum sitarum urbium museis tituli sepulcrales servantur concepti versibus ab hominibus de plebe honestiore, a veteranis Romanis iisque qui castra sunt secuti Romana militesve Romanos vel opera sua vel rebus quas haberent venales adiuvare sunt soliti, ab hominibus denique qui hexametris pentametrisque latinis pangendis sunt delectati sed nunquam probe illam artem didicerunt neque ab ipsis Musis placido sunt adspecti lumine. Sed illi tituli omnes nostro sunt multo breviores, neque eorum ullus tam manifesto se indicat scriptum ab eo qui poeta videri vellet. Allius ergo quodammodo noviciae poesis Latinae pater dici potest: a tam humili origine praeclara illa ars nata est quae tot per saecula floret nostraque aetate vel maxime florere videtur. Ut de aliis taceam, nisi Allii illi exorti essent, neque Leeuwenii *matris querela*, neque Damstei *patriis ruribus* et ne Pascolii quidem *Thallusa* nostrum gloriari posset saeculum.

QUAESTIUNCULA.

Recentiorum philosophorum effata saepe obtundendis quam acuendis hominum ingeniis aptiora esse, multosque qui se iis dedant ipsam *cogitandi* amittere facultatem aut novimus aut experti sumus ipsi. Sed nihil unquam in eo genere vidi absurdius insaniusque quam hoc Nietzschianum in quod nuper forte incidi: „man sollte vom Leben scheiden, wie Odysseus von Nausicaa schied, mehr segnend als verliebt." Nam ut alia omnia mittam: *amare* vitam potest aliquis et *vitae amans*, quin etiam *tenax* esse. At quid, obsecro, est *vitam deperire*? Latina vero haec:

Nausicaam memor et gratus, non captus amore,
Dulichius liquit; sic vitam linquere possim!

nonne sanum sensum praebent eumque satis lepide enunciatum? Iam qui fiat ut tantum inter se discrepent Germanica et Latina, quae tamen idem significare *videntur*, *φιλοσοφωτέρων ἔστω διακριβῶσαι*, ut Plutarchi utar verbis.

J. J. H.

DE OSCHOPHORIIS.

SCRIPSIT

A. RUTGERS VAN DER LOEFF.



In lexico Segueriano, quod inscribitur λέξεις ῥητορικαί (Bekkeri anecdota I p. 318), haec leguntur:

'Ωσχοί (legendum ὦσχοι)· τὰ μεγάλα κλήματα σὺν αὐτοῖς τοῖς βότρυσι· καὶ ὠσχοφόροι οἱ ταῦτα τῇ Σκειράδι (legendum Σκιράδι) 'Αθηνᾷ προςφέροντες ἐν γυναικείαις στολαῖς δύο νεανίαι παρὰ τοῦ Διονύσου· καὶ ἡ τῆς θεοῦ ταύτης ἑορτὴ ὠσχοφόρια λέγεται.

'Ωσχοφορίον (legendum ὠσχοφόριον)· τόπος 'Αθήνησιν, ἔνθα καὶ τὸ ἱερὸν τῆς 'Αρτέμιδος.

Etymologicon magnum idem habet, sed vocabula μεγάλα et δύο — λέγεται omisit, καὶ ante ὠσχοφορίον inseruit, in fine haec adiecit:

καὶ ὠσχοφόρια ὄνομα ἑορτῆς ἀπὸ τῆς ὤσχης, τῆς κληματίδος.

Etiam Etymologicon Gudianum duas sententias, e quibus altera ὦσχος, altera ὤσχη praebet, in hisce nugis coniunxit:

'Ωσχοφορία (legendum ὠσχοφόρια)· ἑορτὴ Διονύσου (immo 'Αθηνᾶς Σκιράδος)· ὦσχον γὰρ 'Αἰγύπτιοι [1]) καλοῦσι τὴν ἄμπελον (credisne?)· ἀπὸ περισπωμένου δέ ἐστι τὸ ὄνομα· ἔστι γὰρ ὠσχοφορῶ (sc. non ὠσχοφόρω)· ἡ ὤσχη δέ ἐστι τὰ μετὰ τῶν βοτρύων κλήματα.

Facile credimus formas femininas et masculininas aequo iure adhibitas esse, ut in multis aliis vocabulis. Sed etiam de prima

1) Vir doctus P. A. A. Boeser benigne mihi respondit neque sibi neque iis, qui novum lexicon Aegyptiacum praeparant, tale vocabulum in Aegyptiorum lingua notum esse.

littera dubitari potest, quam saepe ὁ scriptam invenimus, ut apud Eustathium ad ε, 68, p. 1524, 32: (ἡ ἄμπελος) οὐ χαμαὶ εἷρπε ταῖς ὄσχαις, ὅ ἐστι τοῖς βοτρυηφόροις κλήμασιν, ἀλλὰ τετάνυστο περὶ σπείους, et in Photii lexico, ubi tamen manus prima bis ὠ scripsit:

Ὄσχη· τὸ σὺν τοῖς βότρυσι κλῆμα.

Ὀσχοφορεῖν· ἑορτή τις ὀσχοφόρια καλουμένη· ὄσχος γὰρ καλεῖται κληματὶς ἐκκειμένους ἔχουσα τοὺς βότρυας, ἣν εὐγενὴς παῖς ἔφερεν [1]) εἰς τὸ ἱερὸν Σκιράδος (sc. Ἀθηνᾶς)· ὁ τρόπος, δι' ὃν τοῦτο ἐγίνετο, διάφορος τοῖς παλαιοῖς ἀπεδόθη [2]).

Viri docti hodierni plerumque formam ὄσχος praeferunt et libenter nomen subsimile ὄζος comparant. Sed neque etymologia illa parum probabilis neque quicquam aliud impedire videtur, quin ὦσχος scribam cum permultis codicum antiquorum scriptoribus.

Accentum locis nonnullis oxytonon invenimus, e quibus duo οἰσχός praebent, alter Plutarchi, quem mox citabo, alter in Etymologico magno inter οἰστρεῖ et οἰχνεῖν:

Οἰσχός· κλῆμα βότρυας φέρον ὀργῶντας καὶ γενναίους· καὶ ὀσχοφόρια τὰ τῆς ἀμπέλου κλήματα περιέχοντα βότρυας, παρὰ Ἀριστοφάνει.

Quae corrupta sine dubio et ab hoc loco aliena sunt. Desunt in tribus codicibus, e quibus unus sub littera ὠ eiusdem, ut videtur, notae reliquias habet: ὦσχος· κλῆμα βότρυας φέρον ὀργῶντάς τε καὶ γενναίους· ἔστι δὲ Σκειράδος Ἀθηνᾶς ἑορτή. Itaque Aristophani grammatico haec fere attribuerim: ὠσχοφόρια· Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἑορτὴ ἐν ᾗ φέρεται [3]) τὰ τῆς ἀμπέλου κλήματα περιέχοντα βότρυας.

An cum Gaisfordio de comici loco aliunde ignoto cogitemus? Quod si licebit, me quidem iudice nihil adicere unamque tantum litteram expungere praestabit, ut τὰ τῆς ἀμπέλου κλήματα ab

---

1) Unum tantum ὠσχοφόρον fuisse putaremus, si praeter Photium solum Alciphronem testem haberemus, qui in libri tertii epistola prima puellam finxit matri scribentem: οὐκέτ' εἰμὶ ἐν ἐμαυτῇ ...., ἐξ ὅτου τὸν ἀστικὸν ἔφηβον ἐθεασάμην τὸν ὠσχοφόρον, ὅτε με ἄστυδε προὔτρεψας ἀφικέσθαι ὠσχοφορίων ὄντων.

2) Duo diversa oschophororum genera inveniemus p. 412.

3) Paene idem iam Sylburgius supplevit.

Aristophane ὀσχοφόρα (sic, vide huius disputationis finem) dicta esse faciamus.

Primam syllabam vocabuli nostri non diphthongo scriptam esse ex ipso Etymologici loco iam apparet. Tantam certitudinem de accentu non habemus. De prima littera Hesychii testimonium nobis praesidio est, in cuius lexico, omnium quae adhuc citavimus lexicorum antiquissimo, haec leguntur [1]):

Ὠσχοί (cum Musuro legamus ὦσχοι)· τὰ νέα κλήματα σὺν αὐτοῖς τοῖς βότρυσιν.

Ὠσχοφόρια (cod. ὠτχοφορεία)· παῖδες εὐγενεῖς ἡβῶντες καταλέγονται οἱ φέροντες τὰς ὤσχας (cod. ὄσχας) εἰς τὸ τῆς Σκιράδος (cod. κειράδος) Ἀθηνᾶς ἱερόν· εἰσι δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς (cod. βότρυσιν).

Ὠσχοφόριον· τόπος Ἀθήνησι (sensu laxiore, ut passim) Φαληροῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν.

Cui Hesychii loco ea, quae e Bekkeri anecdotis citavimus, tam similia sunt, ut dubitari non possit quin ex eodem fonte hausta sint. Itaque audaciae crimen non metuemus, si in lexico Segueriano (et in Etymologico magno) Φαληροῖ suppleverimus et νέα pro μεγάλα necnon Ἀθηνᾶς (Σκιράδος) pro Ἀρτέμιδος reposuerimus.

At etiam si in oschophorio vel ad oschophorium Artemidis sacrum aliunde ignotum exstitisse sumamus, locum illum Phaleri situm fuisse constat prope ab Athenae Sciradis templo, cuius Pausanias I 2, 4 et 36, 5 mentionem fecit.

Eo igitur oschophoriorum die oschophori muliebri ornatu ramos uvis onustos portabant a Dionyso, hoc est sine dubio a Dionysi Eleutherei fano sub arce sito. Oschophori autem illi duo pueri puberes e primoribus electi erant, de quibus Harpocration (et multo brevius Suidas) haec habet:

Ὀσχοφόροι·

Ducem igitur minime spernendum ii sequuntur, qui primam litteram ὁ scribunt. Sed vide huius disputationis finem.

Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Δημέου εἰ γνήσιος.

---

1) Praecedunt obscura haec et corrupta:
Ὦσχης· ὁ μετὰ κλήματος ἀμπέλου.
De quo loco nihil legi neque cogitavi, quod ab omni parte mihi satisfaceret.

Ex eadem oratione Harpocration nomen *δειπνοφόρος* citavit. Utrumque in lexico rhetorico Segueriano paullo aliter explicatum est. De dipnophoris videatur infra p. 410.

περὶ τῶν ὀσχοφόρων ἄλλοι τε εἰρήκασι καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ ιβ'.

Philochorus de oschophoriis loqui potuit in libro duodecimo *περὶ ἑορτῶν*. Sed nescio, an praestet legere: *ἐν τῇ β'*, sc. *Ἀτθίδος*, in quo libro de oschophoriis sermonem fieri ex Athenaei loco infra citando constat.

Ὁ δὲ Ἴστρος ἐν τῇ ιγ',

Scilicet *τῶν Ἀττικῶν*, quem librum etiam Plutarchus in Thesei vita c. 34 citavit.

περὶ Θησέως λέγων, γράφει οὕτως· ἕνεκα τῆς κοινῆς σωτηρίας νομίσαι τοὺς καλουμένους ὀσχοφόρους καταλέγειν β' τῶν γένει καὶ πλούτῳ προὐχόντων.

Quaecumque de oschophoriis iam audivimus, Istri testimonio corroborantur, non ita tamen, ut ex Atticis eius necessarie hausta sint. Ceterum in illa *συναγωγῇ τῶν Ἀτθίδων* [1]) nihil exspectare possumus, quod ab Atthidographis antiquioribus nondum dictum fuerit. Quae sequuntur fortasse etiam ad Istrum pertinent.

ἡ δὲ ὄσχη κλῆμά ἐστι βότρυς ἐξηρτημένους ἔχον· ταύτην δὲ ὀρεσχάδα ἔνιοι καλοῦσιν.

In Etymologico magno *αὐροσχάς* dicitur *ἄμπελος* esse vel *ἐπαιωρημένη τις ὄσχη*. Sed missam faciamus quaestionem, quid sibi velit novum hoc nomen, ut ad Theseum animum advertamus, quem ab Atthidographis cum Oschophoriis coniunctum esse hic discimus.

Plura de ea re Plutarchus, partim certe e Demonis Atthide, in Thesei vita tradit, ubi c. XXII haec narrantur:

Theseo post reditum ex Creta Phaleri sacrificante praeco, quem in urbem miserat, extra templum exspectabat non capite sed caduceo coronas gestans, quas cives Aegei quidem mortem deplorantes sed nuntio laeti ei obtulerant. Sacrificiis peractis patris exitus Theseo renuntiatur atque omnes cum lacrimis et clamoribus in urbem properant. *Ὅθεν καὶ νῦν ἐν τοῖς ὠσχοφορίοις στεφανοῦσθαι μὲν οὐ τὸν κήρυκα λέγουσιν, ἀλλὰ τὸ κηρύκειον, ἐπιφωνεῖν δὲ ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐλελεῦ, ἰοὺ ἰοὺ τοὺς παρόντας· ὧν τὸ*

---

1) Harpocration s. v. *ἐπενεγκεῖν*.

μὲν σπεύδοντες ἀναφωνεῖν καὶ παιωνίζοντες εἰώθασι τὸ δὲ ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστι. Θάψας δὲ τὸν πατέρα τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου· ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. Sequitur Pyanepsiorum et Εἰρεσιώνης descriptio.

In qua narratione ea, quae Oschophoriorum caerimonias describunt, multum, quae explicant, nihil valent. De Oschophoriorum tempore autem quid tandem hic dictum sit, quaerendum videtur.

Solo enim hoc Plutarchi loco fretus A. Mommsen [1]), quem vulgo sequuntur, Oschophoriorum diem mensis Pyanepsionis septimum fuisse perhibuit. Sed parum verisimile videtur eodem die Apollini ramum quendam, cui nomen εἰρεσιώνη, et Athenae plane alium ramum, cui nomen ὦσχος, fuisse oblatum. Deinde si facta consideremus, quae harum caerimoniarum exempla esse dicuntur, Theseum uno die navem appulisse, Phaleri sacrificasse, Athenas revertisse patrem modo mortuum sepelivisse, Apollini votum solvisse, quis umquam crediderit? Ipsum denique Plutarchum testem habemus verba „ταύτῃ (h. e. Pyanepsionis die septimo) γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες" e textu esse eicienda, qui in capite XXXVI diem octavum Pyanepsionis Theseo sacrum fuisse dicit, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἠιθέων ἐκ Κρήτης ἐπανῆλθεν. Eundem auctorem paucis paginis intercedentibus utramque sententiam scripsisse nego. Contextus posteriore carere non potest, prior moleste abundat et notae marginali quam simillima videtur.

Itaque emblemate importuno amoto a Plutarcho discimus Thesea octavo Pyanepsionis, Pyanepsia septimo Pyanepsionis, Oschophoria nescioquo die antea celebrata, variis modis ab Atthidographis cum Thesei ex Creta reditu esse coniuncta.

Oschophoria autem haud ita paucis diebus Pyanepsia antecessisse ipsa caerimonia testatur, in qua vitis rami (νέα κλήματα apud Hesychium, sed hoc mitto) uvis onusti portabantur. Aptissima enim eiusmodi caerimonia uvarum maturescentium tempori est, sed vix conveniens, immo alienissima videtur Pyanepsionis initio, quod est numquam ante finem Septembris, saepe sub finem demum Octobris, cum vindemia in Attica mense

---

1) Feste der Stadt Athen. Leipzig, 1898, p. 282.

Augusto fieri soleat, medio Octobri in summis etiam montibus perfecta sit [1]).

Plutarchus post Pyanepsia navigii Athenis reservati, quo Theseus cum suis ex Creta revertisse dicitur, mentione facta sic pergit:

Ἄγουσι δὲ καὶ τὴν τῶν ὠσχοφορίων ἑορτὴν Θησέως καταστήσαντος. Οὐ γὰρ ἁπάσας αὐτὸν ἐξαγαγεῖν τὰς λαχούσας τότε παρθένους, ἀλλὰ τῶν συνήθων νεανίσκων δύο θηλυφανεῖς μὲν ὀφθῆναι καὶ νεαρούς, ἀνδρώδεις δὲ τὰς ψυχὰς καὶ προθύμους, λουτροῖς τε θερμοῖς καὶ σκιατροφίαις καὶ ταῖς περὶ κόμην καὶ λειότητα καὶ χροιὰν ἀλοιφαῖς καὶ κοσμήσεσιν ὡς ἔστιν ἐξαλλάξαντα κομιδῇ, καὶ διδάξαντα φωνὴν καὶ σχῆμα καὶ βάδισιν ὡς ἔνι μάλιστα παρθένοις ὁμοιοῦσθαι καὶ μηδὲν φαίνεσθαι διαφέροντας, ἐμβαλεῖν εἰς τὸν τῶν παρθένων ἀριθμὸν καὶ διαλαθεῖν ἅπαντας· ἐπεὶ δὲ ἐπανῆλθεν, αὐτόν τε πομπεῦσαι καὶ τοὺς νεανίσκους οὕτως ἀμπεχομένους, ὡς νῦν ἀμπέχονται τοὺς ὤσχους [2]) φέροντες.

Si id quod Theseus fecisse dicitur expressa Oschophoriorum esset imago, duo illi oschophori non tantum muliebri veste induti sed etiam longa curatione effeminati fuissent et Oschophoriorum pompa a littore in urbem esset profecta. Hoc autem cum ex aliis testimoniis constet non esse verum, illud credere nondum debemus.

Φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι διὰ τὸν μῦθον,

Fabula ea in Procli Chrestomathia loco infra citando narratur. Sed ibi pro Ariadne Athenam habemus neque aliter legi potest. Itaque cum Oschophoria Athenae (et Dionyso) multis locis, Ariadnae hoc solo loco sacra dicantur, Minois filiam Thesei et Dionysi causa in Plutarchi textum irrepsisse credamus et pro *Ἀριάδνῃ* legamus *Ἀθηνᾷ*.

ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον.

Hic Theseus non mense Pyanepsione, qui ad *μετόπωρον* sive *φθινόπωρον* pertinet, sed ignoto illo Oschophoriorum die revertisse manifeste dicitur, quem supra iam eo *τῆς ὀπώρας* tempore quaesivimus, quo fructus ex arboribus colligi incipiunt.

---

1) A. Mommsen, Mittelzeiten, Schleswig 1870, p. 9.

2) In codicibus *ὀσχοὺς* vel *οἰσχοὺς* est. Videatur p. 405.

αἱ δὲ δειπνοφόροι παραλαμβάνονται καὶ κοινωνοῦσι τῆς θυσίας ἀπομιμούμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων· ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς ὄψα καὶ σίτια κομίζουσαι· καὶ μῦθοι λέγονται διὰ τὸ κἀκείνους εὐθυμίας ἕνεκα καὶ παρηγορίας μύθους διεξιέναι τοῖς παισί. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ Δήμων [1]) *ἱστόρηκεν.*

Mulieres igitur, quae *δειπνοφόροι* dicebantur, Oschophoriorum sacris Phaleri factis intererant et fabulas narrabant. De qua re apud Harpocrationem p. 52 ex Hyperidis oratione in Demeam, ubi de Oschophoriis sermonem fieri iam cognovimus, eadem fere leguntur:

Λέγεται δὲ καὶ τὰς δειπνοφόρους καταλέγεσθαι (eligebantur igitur, ut oschophori ipsi.) *νῦν, ὅτι αἱ τῶν κατακεκλειμένων παίδων μητέρες εἰσέπεμπον καθ' ἡμέραν αὐτοῖς τροφὴν εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς* (*Σκιράδος* sc.) *ἱερόν, ἐν ᾧ διῃτῶντο* (antequam in Cretam proficiscebantur), *καὶ αὐταὶ συνῄεσαν ἀσπασόμεναι τοὺς ἑαυτῶν.*

Cum duobus hisce testimoniis iamdudum Hesychii locus collatus est, ubi codices habent:

> *Δειπνοφόροι· παρὰ Ἀθηναίοις καθίστανται ἐν τῇ τῶν ὠσχοφορίων ἑορτῇ οἱ δειπνοφόροι,*

Valesius iam communi consensu restituit *αἱ δειπνοφόροι.*

Maiorem difficultatem lexicon Seguerianum movet, quod inscribitur *λέξεις ῥητορικαί.* Ibi enim, cum propter Hyperidis locum nimirum de dipnophoris sermo fit [2]), post *δειπνοφορίαν* quandam Cecropidibus factam haec leguntur:

Φιλόχορος [3]) *δέ φησι τὰς μητέρας τῶν δὶς ἑπτὰ παίδων, τῶν κατακλεισθέντων ἵνα πεμφθῶσι τῷ Μινοταύρῳ, πέμπειν καθ' ἡμέραν αὐτοῖς δεῖπνον καὶ φοιτᾶν πρὸς αὐτούς· καὶ μετὰ τὴν ὑποστροφήν, ὥςπερ εὐχὴν ἀποδιδόντας, ἐν τῇ ἑορτῇ ἄγειν τοὺς παῖδας τὰ δεῖπνα καλουμένους δειπνοφόρους.*

Quae ab Hyperidis fragmento eo tantum discrepant, quod ipsi pueri *δειπνοφόροι* vocari videntur. Sed alia etiam vitii indicia habemus. Cibus enim ante profectionem acceptus post reditum portari non potest, neque „portare cibum" Graece „*ἄγειν τὰ δεῖπνα*" dicitur, neque *δειπνοφόρος* is est, qui epulas agit. Immo

1) Frustra rogamus, a quo loco incipiant ea, quae Demon etiam narraverit, et utrum alter ille, qui eadem narret, Plutarchus ipse sit, an tertius quidam, ut Istros.

2) Bekkeri anecdota I p. 239.

3) In libro XII *περὶ ἑορτῶν*, vel potius in libro II *Ἀτθίδος*. Videatur p. 407.

nihil aliud pueri die festo agere possunt quam ipsas matres, quae *δειπνοφόρων* nomine Oschophoriorum sacrificiis intererant. Aut igitur vitium altius latet, aut Philochorus dixit *ἄγειν τοὺς παῖδας αὐτὰς καλουμένας δειπνοφόρους*, in quibus una littera omissa *αὐτὰ* scriptum falsam explicitionem *τὰ δεῖπνα* et pravam emendationem *καλουμένους* flagitare videbatur.

Sed ad alia testimonia transgrediamur, quae neque saltationem neque cantum ab Oschophoriis afuisse docent. De saltatione Athenaeus XIV c. 30 (p. 631) haec habet: *Τρόποι δ' αὐτῆς* (sc. *τῆς γυμνοπαιδικῆς ὀρχήσεως*) *οἵ τε ὠσχοφορικοὶ καὶ οἱ βακχικοί.* Pueri igitur veste non iam muliebri sed nulla induti Oschophoriis saltabant.

De cantu oschophorico Proclum testem habemus, in cuius Chrestomathia paragr. 28 [1]) haec leguntur:

Ὠσχοφορικὰ δὲ μέλη παρ' Ἀθηναίοις ᾔδετο· τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι, κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι, κλῆμα ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὤσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) [2]) *καθηγοῦντο. Ἄρξαι δέ φασι Θησέα πρῶτον τοῦ ἔργου· ἐπεὶ γὰρ ἑκούσιος ὑποστὰς τὸν εἰς Κρήτην πλοῦν ἀπήλλαξε τὴν πατρίδα τῆς κατὰ τὸν δασμὸν συμφορᾶς, χαριστήρια ἀπεδιδοὺς Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἱ αὐτῷ κατὰ τὴν νῆσον τὴν Δίαν ἐπεφάνησαν* [3]), *ἔπραττε τοῦτο, δυσὶ νεανίαις ἐσκιατρσφημένοις χρησαμένος πρὸς τὴν ἱερουργίαν ὑπηρέταις. Ἦν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἱεροῦ* (sub arce) *εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σκιράδος τέμενος* (Phaleri). *Εἵπετο δὲ τοῖς νεανίαις ὁ χορὸς καὶ ᾖδε τὰ μέλη.*

Haec omnia artissime inter se cohaerent et sine dubio ex uno fonte minime spernendo fluxerunt. Praeter carmina oschophorica nihil novi nos edocent, sed plane nova sunt quae sequuntur:

Ἐξ ἑκάστης δὲ φυλῆς ἔφηβοι διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλους δρόμῳ· καὶ τούτων ὁ πρότερος ἐγεύετο ἐκ τῆς πενταπλῆς λεγομένης φιάλης, ἡ συνεκιρνᾶτο ἐλαίῳ καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι καὶ τυρῷ καὶ ἀλφίτοις.

---

1) In Hephaestionis editione Gaisfordiana p. 388, in Photii bibliothecae editione Bekkeriana II p. 322.

2) Eieci vocabula *τῆς ἑορτῆς*.

3) Vide p. 409. Hic Ariadnam pro Athena introducere non licet, quia Dia, insula Cretae propinqua, Naxum antecedit.

Quae profecto, utpote de cantu oschophorico nihil iam continentia, hic non essent subiuncta, nisi in Procli fonte ita legerentur. Aut igitur vitium latet, aut decies bini pueri, dum Oschophoriorum pompa Phalerum procedit, cursu certabant et decem victores in Athenae Sciradis templo vel in Oschophorio propinquo potione quincuplici fruebantur.

At de certamine illo duo alia testimonia habemus, quae cursoribus certantibus oschophororum nomen induunt, alibi semper duobus pueri muliebriter vestitis proprium.

Alterum, quod aut contaminatione quadam, aut temporum ratione, quae inter fontes intercedit, mediam fere viam obtinet inter Procli locum citatum et Athenaei locum citandam, in scholiis ad Nicandri Alexipharmaca legitur, v. 109, ubi ulmi rami minus recte ὦσχαι dicuntur:

'Ωσχοφόροι λέγονται 'Αθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἳ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς Σκιράδος 'Αθηνᾶς ἱερόν.

Alterum apud Athenaeum legitur XI c. 92 (p. 495 e):

Πενταπλόα· μνημονεύει αὐτῆς Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ 'Ατθίδος.

In hoc libro Philochorum de Theseo locutum esse constat. Itaque veri simile videtur ex hoc fonte ea hausta esse, quae Proclus primo de oschophoris duobus et de Theseo, deinde de puerorum bis denorum certamine et de potione quincuplici tradit, necnon ea, quae e lexico Segueriano de dipnophoris citavimus.

'Αριστόδημος δ' (Aristarchi discipulus) ἐν τρίτῳ περὶ Πινδάρου τοῖς Σκίροις (Scirophorionis duodecimo) φησὶν 'Αθήναζε (pro 'Αθήνησιν ut passim) ἀγῶνα ἐπιτελεῖσθαι τῶν ἐφήβων δρόμου· τρέχειν δ' αὐτοὺς ἔχοντας ἀμπέλου κλάδον κατάκαρπον, τὸν καλούμενον ὦσχον. Τρέχουσι δ' ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου μέχρι τοῦ τῆς Σκιράδος 'Αθηνᾶς ἱεροῦ, καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει κύλικα τὴν λεγομένην πενταπλόαν καὶ κωμάζει μετὰ χοροῦ.

De saltatione oschophorica et de carmine oschophorico libenter cogitaveris. Sed hoc ad pompam pertinebat et in illa pueri nudi saltabant. Quam ob rem neque huius neque illius origo certe huius recentioris temporis moribus illustranda est.

Πενταπλόα δ' ἡ κύλιξ καλεῖται, καθ' ὅσον οἶνον ἔχει καὶ μέλι καὶ τυρὸν καὶ ἄλφιτον καὶ ἐλαίου βραχύ.
In potione quincuplici describenda Proclus (Philochorus?) ab oleo, Aristodemus a vino initium facit.

Maioris momenti est, quod oschophororum certamen Sciris factum esse nunc cognovimus. Itaque ignotum illum Oschophoriorum diem Scirophorionis duodecimum fuisse constaret, si inter Atthidographorum et Aristodemi tempora nihil esset mutatum. Cum vero oschophororum munus tunc potissimum a duobus pueris muliebribus, ad pueros non iam decies binos, ut videtur, sed cunctos (*οἱ ἔφηβοι*) cursu certantes translatum sit atque uva inter Iunium medium et Iulium medium (ad hoc enim tempus anni Scirophorionis duodecimus pertinet) nondum matura sit, haud scio, an praestet Oschophoria primo aliquot diebus post Scira celebrata putare. Facile enim fieri potuit, ut religionis perantiquae vestigia vix iam intellecta in exercitationem *τῶν ἐφήβων* abirent, quae eo facilius cum die festo antecedenti coalescere poterat, quod Oschophoria Sciradi sacra erant, cuius deae nomen ad Scira pertinere videbatur [1]).

Saeculo secundo autem ante Christum, quod inter Aristodemum et Istrum, Atthidographorum postremum, intercedit, epheborum inscriptiones (C. I. A. II 465 et sequentes) demonstrant magnas et novas partes in dierum festorum celebratione „gymnasiastis" illis attributas esse, ut religioni simul atque exercitationi et disciplinae satisfieret. Quam ob rem minime absonum videtur cursum, quo iam pridem decies bini pueri tributim electi certabant, ipso illo tempore ita inviguisse, ut totam Oschophoriorum celebrationem in se contraheret et in cunctorum epheborum certamen mutaret.

Duo alia recentioris temporis vestigia removenda sunt, priusquam videre possimus, quidnam Oschophoriorum caerimoniae

---

1) Ii sane, quibus Oschophoriorum diem Pyanepsionis septimum fuisse persuasum est, aut Aristodemi locum mendosum arbitrantur, ut fecit A. Mommsen in Heortologiae editione prima, aut bina Scira celebrata esse credunt, altera mense Scirophorione, altera autem Pyanepsione, ut idem vir doctus in Philologo L p. 126 et in Heortologiae editione secunda p. 308. Cum vero neque hoc neque illud probabile sit, ipsae illae aliorum difficultates disputationem meam corroborant, qua Oschophoria ab auctumno ad aestatem removi. Ceterum Scira et Sciradem alias fusius tractare mihi proposui.

antiquitus significaverint. Theseus enim, cuius historiam Atthidographi variarum caerimoniarum „explicationibus" illustraverunt, ante Cimonis tempora in Atheniensium cultu vix quicquam valebat; et Dionysus Eleuthereus, a cuius templo Oschophoriorum pompa proficiscebatur, certe non ante saeculum sextum a. Chr. Athenas translatus est.

Vestis muliebris puerorum remotissimam redolet antiquitatem. Obscura quaedam alteque recondita voluptas inde ab origine toto orbe terrarum homines coëgit, ut sexus quodammodo inter se permutarent, cuius rei aliae rationes aliis locis et aliis temporibus excogitatae huc non faciunt. Inter caerimonias autem, cum quibus puberes virorum numero adscribuntur, vestis muliebris pueris induta et detracta vehementer mutationem eorum auget, qui viri nondum habebantur, priusquam in virorum communionem sollemniter essent recepti.

Etiam clamores illi, qui alacritatem et luctum mirabiliter miscebant, eiusmodi caerimoniis aptissimi sunt, in quibus pueri moriuntur, ut viri resurgant.

Potio quincuplex, postea mirificum quoddam certaminis praemium, primo fortasse tamquam venenum vel medicina pueros in viros, ut κυκεὼν ille Eleusinius subsimilis profanos in mystas, mutabat.

Mulieres illae ad δειπνοφόρων munus electae indicio sunt pueros olim in Sciradis templo aliquamdiu seclusos mansisse, priusquam viri fierent. Fabulas fortasse propterea narrabant, quod quasi nutrices essent, e quarum manibus pueri tunc demum grato animo evaderent.

Ubi virorum societates florent, ibi saepe pueri nonnulli ita effeminantur, ut veri viri fieri nunquam possint. Sciradis templo remotissimis temporibus duos effeminatos addictos fuisse non sine causa conieceris.

Caduceum coronatum melius intellegimus, si perpendimus caduceos, bacula, virgas saepe phalli esse symbola.

Eandem significationem ramis illis uva onustis eo libentius attribuere velim, quod Oschophoria non Dionyso sed Sciradi, non vino sed pueris celebrari persuasum habeo.

At ipsum oschophororum nomen viti magnas partes tribuere videtur. Ὦσχος enim sive ὤσχη vitis ramus est. Non nego.

Atqui ὀσχεός [1]) sive ὀσχεά [2]) sive ὀσχή [3]) scrotum significat neque dubito, quin ὠσχοφόροι nostri antiquitus ὀσχοφόροι fuerint, quamquam veste muliebri virilitatem velabant.

Uva eodem fere tempore, quo Ὀσχοφόρια celebrari solebant, in ὤσχοις sive ὤσχαις suis maturescens religionem obscaenam oblitterandi et novum deum cum caerimoniis antiquis coniungendi occasionem dedit. Sed in Atheniensium mente „racemiferi" illi semper „testiculati" manebant et ipsa verba, quibus fontes nostri in vocabulo ὤσχος sive ὤσχη explicando utuntur huius rei vestigia reservare videntur. Immo nulla iam differentia est inter ὄσχη sive ὤσχη et ὄσχεα sive ὄσχεος secundum Hesychium:

Ὄσχαι· κλήματα βοτρύων γέμοντα.

Ὄσχεα· βαλλάντια, μαρσύππια· ἢ τὸ τῶν διδύμων ἀγγεῖον καὶ κλήματα βοτρύων πλήρη.

Ὄσχεος· τὰ αὐτά.

Sed confusionem potius quam verum testimonium hic habemus. Itaque ὤσχος sive ὤσχη pro racemo et ὀσχεός sive ὀσχή pro scroto scribendo discrepantiam et littera initiali et accentu quam maximam reddidi. In qua re si forte erraverim, huius certe erroris emendatio disputationis meae summam magnopere confirmabit.

---

1) Passim ὄσχεος scriptum est, sed Eustathius ad Ψ 160, p. 1293, v. 46 et Etymologicon magnum vocabulum oxytonon fuisse demonstrant.

2) Apud Aristotelem, de generatione animalium I 12, ubi paroxytonon est. Accentum propter ὀσχεός mutavi.

3) Apud Hippocratem passim, sed paroxytonon. Accentum mutavi propter ὀσχεά.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 204).



CVII.

DE NILO CENSITORE.

Pars prima.

Flumina quidem omnia *censitorum vice funguntur* [1]) maxime vero Nilus [2]) *ὅρων συγχύσεις .... ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα καὶ τἆλλα σημεῖα* [3]) *ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τό τ' ἀλλότριον καὶ τὸ ἴδιον* [4]). Quod hodie quidem maiore Aegypti parte [5]) fieri desiit, sed perseverat tota paene Thebaide [6]) et in agro fluviatili [7]), id est,

---

1) L. 30 § 3 D. 41.1. — Supersunt termini *στηριχθ(έντες) .... φροντίδι τοῦ δεῖνος διασημοτάτου κηνσίτορος* (*Ann. épigr.* 1907 no. 145; cf. ibid. 1908 pag. 48).

2) Simile quid traditur de Acheloo (Strab. X 2 § 19), cuius *ἡ χοῦς .... τὴν χώραν .... περιμάχητον .... ἐποίει τὸ παλαιὸν τοὺς ὅρους συγχέουσα ἀεί,* antequam scilicet Hercules *παραχώμασί τε καὶ διοχετείαις (ἐ)βιάσα(το) τὸν ποταμόν.*

3) Dicendum erat, quae *σημεῖα*. Nam hodie utique in terra Aegypto „*hedges, fences and all similar boundary marks are absent*" (Lyons, *The cadastral survey of Egypt* (1908) p. 25. Cf. ibid. p. 4 med.).

4) Strab. XVII 1 § 3. Cf. P. Oxy. 486, 14/5 et 31-33.

5) Lyons, op. cit. p. 104 (cf. p. 20): „*the Delta*"; p. 132/3: „*Beni-Suef, Minia and the northern part of Assiut*"; p. 19: „*the portion of E. between the Nile and the Bar-Yusef*".

6) Lyons, op. cit. p. 134: „*the lands of Aswan, Qena and Girga*".

7) Lyons, op. cit. p. 325/6.

in ipsa declivitate ripae [1]) insulisque, quem generaliter appellant „gezira" [2]), id est νησιώτ(ην) [3]). Atqui Strabonis temporibus etiam (τὸ Δέλτα) ἐν .... ταῖς ἀναβάσεσι τοῦ Νείλου (ἐ)καλύπτετ(ο) πᾶ(ν) [4]), multo vero magis Halicarnasensis rerum scriptoris [5]). Itaque veteres iam Aegypti domini, si cuius possessionis Nilus quid abstulisset, damnum passum iusserant σημαί(νειν) τὸ γεγενημένον, ut ipsi mitterent τοὺς ἐπισκεψομένους [6]) καὶ ἀναμετρήσοντας, ὅσῳ ἐλάσσων ὁ χῶρος γέγονε, ὅκως τοῦ λοιποῦ κατὰ λόγον τῆς τεταγμένης ἀποφορῆς τελέοι [7]), quemadmodum apud Romanos relevabatur, cuius *agri portio chasmate per(isse)t* [8]). Erat autem ἡ τεταγμένη ἀποφορὴ annona, non decuma aliave fructuum pars rata; quid enim ad decumam fundi modus? Itaque non fefellit Huschkium [9]) suspicio: quintam, quam scribit Orosius [10]) a Iosephi patriarchae temporibus ad sua tota Aegypto pensam esse, multo ante Orosium [11]) factam esse annonam [12]). Annonam intelligimus certam frumenti vel ceterarum specierum [13]) collatio-

1) Lyons, op. cit. p. 25 ima: „*the sloping banks of the river*".

2) Lyons, op. cit. p. 325.

3) P. Grenf. II 15 II 2.

4) Strab. XVII 1 § 4. Post pauca addit: τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὰ ἐπάνω τοῦ Δέλτα ποτίζεται.

5) II § 14, § 19, § 97.

6) Kenyon, *Catalogue of the Greek papyri* II (1898) p. XII: ἐπίσκεψις *appears as the word for an official survey of land in* Berl. pap. 563 (*and* Lond. 267 lin. 134)", nam sic sententia eius explenda est. Cf. Wilcken, Ostr. I p. 175; *Archiv* I p. 151; *Grundzüge* p. 176, p. 206.

7) Herod. II 109. — Cf. Heronis (ed. Heiberg) Geometr. 23 § 1 (Hultsch: 106 § 1): ἐπενόησαν .... μέτρησιν τῆς ἀπολειπομένης ὑπὸ τοῦ Νείλου γῆς, id est, mensuram agebant eius, quod flumen reliquum fecisset. Quae exscripsi, pro parte absunt a loco gemino (Geometr. utrubique 2).

8) L. 4 § 1 D. 50. 15.

9) *Ueber den* Census (1847) not. 60.

10) I 8 § 9.

11) De Orosii loco cf. praeterea Savigny, *Verm. Schr.* II p. 165; Lumbroso, *Recherches* (1870) p. 94[2]; Wessely, Corp. Rain. I p. 155[1]; Wilcken, Ostr. I p. 198 (cum not. 1); id. *Grundzüge* p. 171[2].

12) Similiter, quod pecuniarium vectigal Minuciorum sententia (Bruns, font. (1909) no. 184) comprehenditur (lin. 25), id succedere videtur in locum vicesimae vel sextae (lin. 27).

13) Annona proprie intelligitur id, quod (*in*) *fructibus* confertur (c. 15 C. Th. 12. 6) ex more (l. 32 § 6 D. 26. 7), unde dictae *species annonariae*. Attamen interdum ὑπὲρ ἀννώνης solvitur nummus (P. Lond. 1095 (a) (III pag. 249); Ostr. 273; 674). Cf. Wilcken, Ostr. I kap. IV § 16; *Grundzüge* p. 361, 363.

nem, non pro ratione perceptorum. Opinio autem Huschkii, quam laudavimus, magnopere commendatur disertissimo Valeriae Paulinae (p. chr. 201/2) testimonio [1]: aruras suas *γῆς ἰδιοκτήτου* pendere iussas [2]) demonstrantis *ἀνὰ πυροῦ (ἀρτάβην) μίαν ἥμισυ* [3]); constat praeterea *γῆν κληρουχικὴν* [4]), *δημοσίαν* [5]), *βασιλικὴν* [6]), *ἰδιωτικὴν* [7]), cuius fuisse speciem *τὴν ἰδιόκτητον* hodie constare videtur [8]), pariter pependisse omnem *ἀνὰ ἀρτάβας τοσαύτας*, *ἰδιωτικὴν* quidem tributi, *βασιλικὴν* autem et *δημοσίαν* [9]) canonis potius iure [10]). Ergo hoc discrimine salvo verissima est Huschkii sententia. Erat quidem Ptolemaeorum temporibus *ἀπόμοιρα ἕκτης καὶ* (= vel) *δεκάτης*, cui subiecti erant *ἀμπελῶνες* et *παράδεισοι* [11]): ab hoc diversum fuisse *τὸν ἀμπελώνων φόρον* [12]), demonstravit ut nihil solidius Grenfell [13]); *ἕκτην ἀκροδρύων (καὶ στεφάνων)* eandem esse atque *παραδείσων*, argumentis facile perspicitur Wilckenianis [14]). Romani hanc quoque *ἀπόμοιραν* nomine retento ad annonae genus

---

1) Pap. Berol. (*BGU*) 139 lin. 12/3 (Wilcken, Ostr. I p. 207).

2) Wilcken, Ostr. I p. 211: „*für alle Mal*".

3) In papyris non mutatur. Cf. ex hac ipsa serie (*BGU*) P. 408 l. 10/1; 411 l. 7; 446 l. 23; 538 l. 33.

4) P. Tebt. 324.

5) P. Oxy. 1031, 11/2 (*δημοσίαν γῆν οὐκ ἔλαττον διαρτάβου*).

6) Pap. Brux. 1 (passim); Flor. sine no. (Chrestom. I 341) lin. 12 sqq.; Giss. 60 II; Tebt. 84 lin 89 sqq.; 87 lin. 49 sqq. etc. Huic accedunt (P. Giss. 60 III 18 sqq.) *ἱερατικὰ* (cf. P. Tebt. 302, 31).

7) P. Brux. 1 (passim).

8) Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 306.

9) Inter *δημοσίαν* et *βασιλικὴν γῆν* quid proprie interfuerit, adhuc ignoratur. Non multum interfuisse videtur, quandoquidem P. Tebt. 373, 4-6 *ἀπὸ .... δημοσίων ἐδαφῶν* locatur aliquantum *βασιλικῆς γῆς*, quin P. Giss. 60 II lin. 17, 22 (pag. 167) mutua vice funguntur, ut P. Oxy. 916, 7. 13. 16 *δημόσιος* et *βασιλικὸς τραπεζίτης* (Sed *BGU* 285 et P. Oxy. 899, 22 et Giss. 4, 6/7 separantur).

10) Vidit hoc Seymour de Ricci, *Musée belge* VIII p. 116 ima. Consentit Wilcken, *Grundzüge* p. 303 med.

11) Quid hac appellatione significetur, demonstrat Wilcken, Ostr. I p. 157[2]. Cf. nunc quoque inscr. Sard. sine no. (*Amer. Journal of archaeol.* 1912 p. 13) I 15, 16: *παράδεισοι σπόρου*; P. Tebt. 60, 39 (*π. ἐν λαχανείᾳ*); 86, 20 (*π. στεφάνοις καὶ λαχάνοις*).

12) Wilcken, Ostr. I, p. 150 ima: „*damit ist wohl die Grundsteuer gemeint*". Quidni canon?

13) *Revenue laws* (1896) pag. 109/10. Accessit P. Elephant. 14, 2/3.

14) Ostr. I p. 134/5 (cf. ibid. p. 161 not. 1).

transtulerunt [1]), etsi superfuerunt παράδεισοι ὧν ἕκτη [2]). Ergo decimam vel sextam ante Romanorum dominationem παράδεισοι vineaeque praeter ἱερὰν γῆν [3]), ceterum annonam [4]) omnis pendebat Aegyptus simili sub exceptione γῆς χέρσου καὶ ἄλλης [5]) γῆς ἐκτὸς φορολογίας [6]), exigebatur enim functio [7]) (ἀπὸ) τῆς (μὴ) ὑφ' ὕδωρ οὔσης [8]) (μηδὲ) ὀψίμως ἀποκαλυφθείσης [9]) βεβρεγμένης [10]), quo pertinent προσαγγέλματα βεβρεγμένων [11]) et ἀπογραφαὶ quum ὑφ' ὕδωρ ὄντων [12]) tum ἠβροχηκότων [13]), quas ab

1) P. Lond. 195 lin. 9/10 (II pag. 128). Vidit hoc Kenyon (ad P. cit.), cuius probat sententiam Wilcken, Ostr. I p. 160.

2) P. Tebt. 343 Ro., 69. — Nostra quoque vidit aetas in terra Aegypto genus agrorum decumatium „*ushuri*" (Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 62), quod nunc in aliud genus translatum est (ibid. p. 350).

3) *Revenue laws* col. 36 lin. 7/8.

4) Tributi vel canonis vice.

5) Id est, ἁλμυρίδος et ἐμβρόχου (P. Tebt. I pag. 574) et item ἀβρόχου (P. Tebt. 72 lin. 434 (ia. 428); 151), quae ἀπὸ χέρσου interdum separatur (P. Tebt. 79, 1. 3).

6) Pap. Lond. 401 lin. 14 (Wilcken, *Archiv* I p. 185).

7) Integra, nam (ἀπὸ) ἐπηντλημένης dimidia exigitur (P. Brem. 34, 16 (*Archiv* V p. 246); Giss. 4, 20; 6 I 12; 6 II 16; 6 III 14; 5, 13/4).

8) Cf. P. Hamb. 12; Lond. 267 lin. 113, 121, 202, 216 (ia. praef.); Petrie III 99, 22. Atqui P. Oxy. 918 XI 3 minuuntur dumtaxat τὰ ἐκφόρια .... διὰ τὸ καθ' ὕδατος γεγονέναι. Quin P. Tebt. 64 (*a*) lin. 63, 99, 121 ἀναλ(αμβάνεται) (κληρουχικὴ) ἔμβροχος, ut (lin. 54, 80) ἄσπορος, πρὸς τὸ ἥμισυ ἀρτάβης, cf. ibid. pag. 556 lin. 4-6.

9) P. Hamb. 12, 8/9.

10) Edict. Tib. Alex. (CIG. 4957) lin. 55, 57 (cf. Wilcken, Ostr. I p. 211, p. 505 not. 2). Communis est lex tributo canonique (P. Brux. 1, ubi ἄβροχος γῆ tributum vel canonem adscriptum quidem habet, sed non pendit ut P. Petrie III 95 II 7). Ad canonem praecipue spectant (γῆς βασιλικῆς) P. Brem. 34, 14/5 (*Archiv* V p. 246); Giss. 6 I 11/3; 6 II 14/7; 6 III 13/4; 5, 13/4, (διοικήσεως καὶ οὐσιακῶν) *BGU* 84 (Ostr. I p. 212[1]; cf. ibid. p. 203/4), (incertum genus) P. Giss. 4. — Etiam in papyris Tebtunicis exigitur τὸ ἐκφόριον (ἀπὸ) βεβρεγμένης, licet fuerit ἄσπορος (veluti P. 61(a) lin. 176/7, cf. ibid. pag. 563). Quo potest explicari P. Lond. 924 (III pag. 134). Cf. praeterea Or. gr. inscr. sel. 56 lin. 13 sqq. (= Michel 551, 10-13).

11) Kenyon, *Class. Review.* IX (1900) p. 173 (505): „*the order of* Tib. Alexander ... *is illustrated by* P. Lond. 604 (A), *which is a register of the land inundated in* A. D. 46/7." Sunt similes P. Flor. extrav. sine no. (Chrestom. I 341); Giss. 60; Tebt. 71 Ro., cui praescribitur προσάγγελμα τῆς βεβρεγμένης (cf. 24, 31: κατὰ τὰ προσαγγέλματα τῆς βεβρεγμένης). Add. P. Tebt. 71 Vo: κατ' ἄνδρα τῆς ἔτι ἀποτίστου.

12) Cf. P. Hamb. 12, 17. Exemplum sistit *BGU* 1193.

13) *BGU* 139; 198; 973; P. Fay. 33; Grenf. II 56; Hamb. 11; Oxy. 1113; Tebt. 324 (annorum p. Chr. 162-208). Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 203/5, qui neglexit P. Oxy. 1113, adiungit autem *BGU* 108 (Chrestom. I 227).

ordinariis professionibus rectissime separat Grenfell [1]), sed non recte docet [2]) porrigendas fuisse a dominis et nominandum *τὸν γεωργόν* (*lessor* = *lessee*). Porriguntur a cultoribus et nominatur dominus, qui libris censualibus brevibusque detineatur (*ὁ εἰς ὃν διὰ σωματισμοῦ*), nec obest, quod, qui porrigit, *ὑπάρχειν* sibi *τὴν γῆν* testificari solet, quia hoc vocabulum etiam conductori convenit [3]). Quapropter hoc solum videndum superest, utrum *κατ' ἔτος* porrigi consueverint [4]). Quarto quidem post Christum saeculo exigebantur *τὰ εὐσεβῆ τελέσματα* [5]) etiam de iis, quae *ἐν χέρσῳ* fuissent [6]), quod hodie rursus in desuetudinem abiit [7]). In conductionibus quoque interdum recipitur merces *ἐπί τ' ἐμβρόχῳ καὶ ἀβρόχῳ* [8]), sed convenire potius solet [9]) *ὑπὲρ ἀβρόχων* [10]) merces ne debeatur [11]), vel tota ne debeatur [12]), vel ut debeatur de irrigatis [13]), quin immo de cultis [14]). *Ὑπὲρ ἐπηντλημένης* ut dimidia debeatur, et ut necesse sit *ἐπαντλεῖν ἄβροχον*, occurrit clausula [15]), non vero frequentatur. Illud, ut relevaretur publica eorum functio, quibus flumen abstulisset, supervixit, nam confirma-

1) P. Oxy. II pag. 177.

2) Ad P. Fay. 33, 18/9. Cf. Eger, *Grundbuchw.* p. 188; Lewald, *Beiträge* etc. (1909) p. 78/9.

3) P. Tebt. 335, 17-19.

4) Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 184[2]; Grenfell ad P. Oxy. 1113 I 14; Wilcken, *Grundzüge* p. 204.

5) Recurrunt eadem *BGU* 917, 15 (*Archiv* II p. 139); P. Gizeh 67151, 73. Intelligo tributa auspice Stephano sch. I (lin. 5) ad Bas. 11. 1. 42.

6) CPR I 19 (anni 330); P. Goodsp. 15, 22 (anni 362); P. Gizeh 10885 (Thead. 16); 10889 (Thead. 20).

7) Sayce, *Proc. soc. bibl. arch.* XXIII (1901) p. 213 (cf. Ostr. *Sammelbuch* 1089): "*under English rule* (*γῆ ἄβροχος*) *does not pay .... taxes.*" Quod confirmat Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 95.

8) P. *Soc. ital.* 77, 23 (anni 551 vel 565).

9) Cf. Waszyuski, *Bodenpacht* I p. 131-134; Gentilli, *Studi ital. di filol. class.* XIII (1905) p. 299, 352; Frese, *zum gräco-aegypt. Rechtsleben* (1909) not. 123 (p. 36).

10) Cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 177.

11) Sic fit P. Amh. 85, 15/8; 86, 13/4; *BGU* 640; 831; P. Flor. sine no. (*Studi ital.* cit. XIII p. 362/3); CPHerm. 119 Ro. II 22; P. Lond. 350, 11/2 (II pag. 193); Magd. 3 lin. 4/8; Oxy. 101, 24-26; 501, 27-30; 910, 26/8; 1125, 10/2; 1279, 22/4; CPR I 239, 9/11; P. Tebt. 106, 16/7; 374, 19/21.

12) P. Grenf. I 56, 12/3; 57, 11.

13) *BGU* 938, P. Hibeh 90, 8.

14) P. Amh. 68, 22; Argentor. 10 lin. 11/3; Lips. 19, 16/7.

15) CPR I 39, 22/3.

tur ab Arcadio [1]) sub hac adiectione, ut, sicut ii, *qui suum deplorant patrimonium imminutum, ... functionis onere libera(n)tur*, ita *hi, quos inundatio Nili fluminis reddidit ditiores, pro terris, quas possident, tributorum praestationem agnoscant* [2]). Etiam hodie, ubi intervenit imminutio vel incrementum, id est, ut diximus, in agro fluviatili, *pro terris, quas possidet*, tributorum quisque praestationem agnoscit [3]). Hoc praecepto apparet, quid delirent, quibus videtur copia fuisse Aegyptiis apud varia officia non tantum formarum [4]), sed formarum mensurali ratione scriptarum [5]), quibus adhibitis redintegrari certa fide potuerint praediorum fines, quos flumen commutasset; nam si fuisset talium formarum copia, causa afuisset, cur tributa propter Niloticam confusionem aliis remitterentur, aliis augerentur. Quod illi persuaderi sibi patiuntur spe miraculorum velut auctoritate Cassiodori [6]), quo teste *(geometriam) .... Aegyptii* non tantum *ad dimensionem terrae*, sed etiam *ad recuperandas formas finium transtulerunt*; dum supprimunt Diodori [7]) testimonium: non ex forma, sed *ἐκ τῆς ἐμπειρίας* finales controversias apud Aegyptios componi solitas, quemadmodum apud Romanos teste Ulpiano [8]): *si irruptione fluminis* cuiuslibet *fines agri confudit inundatio, ... praeses provinciae .... domin(i)s suum restitui terminosque per mensuram declarari iubet.* Quo testimonio non utique comprobatur per totum orbem Romanum copiam fuisse formarum finibus restituendis mensurali ratione accommodatarum.

---

1) c. 2 C. 7. 41.

2) Hoc fuisse antea quoque observatum verisimile esse contendit Wilcken, Ostr. I p. 213 (post notam 1) eoque pertinere *BGU* 563 I 8, hodie vel confidentius, ni fallor, laudaturus P. Tebt. 78,7; 81,27; 344,5.11; Lond. 192,45 (II pag. 223); 604 B,54 (III pag. 78); Ostr. 777, quo remittit Meyer ante P. Giss. 60 (pag. 24 not. 3).

3) Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 325 lin. 14-23.

4) Unius hactenus frusta inventa sunt (P. Gizeh dem. 31163).

5) Quam pro parte superesse diximus (P. Gizeh dem. 31163), ea habebat singulorum fundorum dispositionem vel situm cum possessorum nominibus (velut hoc modo: *ἔδαφος ἀμπελῶνος Νεχθμίνιος*), mensuras nullas.

6) Var. III 52 § 4. — Laudat hunc testem Rudorff, *Feldmesser* II p. 283[146].

7) I 81 § 2: *ὁ μὲν γὰρ ποταμὸς κατ' ἐνιαυτὸν ποικίλως μετασχηματίζων τὴν χώραν πολλὰς καὶ παντοίας ἀμφισβητήσεις ποιεῖ περὶ τῶν ὅρων τοῖς γειτνιῶσι. Ταύτας δ' οὐ ῥᾴδιον ἀκριβῶς ἐξελέγξαι μὴ γεωμέτρου τὴν ἀλήθειαν ἐκ τῆς ἐμπειρίας μεθοδεύσαντος.*

8) L. 8 pr. D. 10. 1.

Haud magis igitur de Aegypto quidquam praeiudicat Strabonis testimonium: propter Niloticam confusionem frequenti ἀναμετρήσει opus fuisse [1]); licet enim significare non videatur toties renovanda vasaria [2]) mensura ex re sumpta, sed hoc potius: ex vasariis rem ad mensuram toties restituendam [3]), nam ita fieri perseveravit ad hunc usque diem, ubicumque inundari perseverat [4]) nec est fluviatile [5]), tamen nihil est necesse formarum copia in eam rem suppeditaverit. Nam hodie quoque sine formis fit [6]) ἐκ τῆς ἐμπειρίας [7]). Quam autem vera sit Diodori hac parte sententia, vel eo demonstratur, quod (οἱ) ἀναμέτρησιν ποιησ(ό-μενοι) γῆς non muta cum forma ambulabant, sed σὺν ὁριοδείκτῃ [8]) eius loci; erant enim per singulos locos constituti [9]). Idem comprobatur controversia Thotortaei et Panatis [10]) de praedii finibus, quod a fisco Panas comparaverat, quae deciditur controversia non ad formam sed iureiurando, quod Panati defert Thotortaeus. Apertius etiam declarat P. Amh. 68, 53—62 nihil proficere τὴν εὐθυμετρίαν fines restituenti, nisi concurrat (ἡ) κατ' ἀγρὸν θεωρ(ί)α [11]), quod nostros quoque mensores quum deplorarent frequenter audivi [12]). Ex diverso non obstat Pap. Berol. (*BGU*) 616, licet ibi videatur modus vindicari [13]); proponit saltem actor ἄρουραν ἥμισυ [14]) ἐν τόπῳ [15]) Κοιλάδι sibi ὑπάρχ(ειν) et petit, quasi παρο-

1) Sic pergit (XVII 1 § 3): ἀνάγκη δὴ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν.

2) Ita intellexit Wilcken, Ostr. I p. 174/5.

3) Verba utrumque admittunt.

4) Lyons, *The cadastral survey of Egypt* (1908) p. 23 (ima), 70, 313, 338, 346, 347.

5) Agri fluviatilis mensura quotannis ex re sumitur (Lyons, op. cit. p. 26 (summa), 67, 325) sicut ἀβρόχων (ibid. p. 95).

6) Lyons, op. cit. p. 313 (ia. p. 69).

7) Cf. Lyons, op. cit. p. 341/2.

8) P. Gizeh 10472 (Preis. 8); *BGU* 616; P. Amh. 142, 12.

9) P. Gizeh cit., lin 9; *BGU* 983, 5; P. Flor. 11, 9. Hodie sunt γεωμέτραι per singulas κώμας (Lyons, op. cit. p. 313), iidem ὁριοδεικτῶν instar (ibid. p. 342).

10) P. Grenf. I 11, quem papyrum supplevimus, emendavimus, interpretati sumus in observ. ad pap. § 20.

11) Alioquin quid referret μὴ δεδυνῆσθαι inde τὸ ἀληθὲς γνωσθῆναι?

12) Cf. Boer, *Economist* 1881 p. 553, 570-573 atque Mitteis, *Ztschr. d. Sav.-St.* XXII (1901) p. 160.

13) Cf. Mitteis, Herm. XXXII p. 656-658. Erit de modi vindicatione cap. harum observ. CX.

14) Diximus supra.

15) Ita legendum esse docet Grenfell, P. Tebt. II pag. 385 et (pag. 365) τόπους esse „*small areas probably not exceeding a few acres.*"

ριζόμενος ὑπὸ τῶν γειτόνων, iubeat magistratus *ἀναμετρῆσαι τὴν πᾶσα(ν) γῆν* [1]) *καὶ ἑκάστῳ τὸ ἴδιον ἀποκαταστῆσαι* [2]). Modi enim vindicatio, licet verum esset [3]), quod scribit agrimensor Romanus [4]): *semper* eam *ad formam (esse)*, non tamen requireret formam talem, qualem illi somniant, id est, ex qua fines possint integra fide redintegrari. Restat Strabonis testimonium de regni divisione in fundos minutos forma mensurali spatio aruras, qua praecaverint Aegyptii confusionem [5]); divisione enim sine forma praecautum non fuisset. Sed facilis est demonstratio talem divisionem institutam esse numquam. Habet enim arura centum cubitos maiores [6]) sive regios, id est, centum quinquaginta pedes in utramque partem, et efficiunt quini regii senos Italicos pedes [7]); ergo capit centuria Romana ducenaria 178 aruras, quae fiunt 183 ad veterem Aegyptiam mensuram [8]). Totam igitur Aegyptum tam laboriosae divisioni umquam subiectam esse, credere quis potest? Neve quis obiciat veteris Germaniae exemplum, ubi constare videtur antiquissimam divisionem in singula fuisse iugera [9]); non enim erant iusta ac legitima iugera mensura

1) Hoc ne hodie quidem inauditum est (Lyons, *The cadastral survey of Egypt* p. 342 lin. 1-7).

2) Cf. P. Amh. 142, 12: *γενάμενοι ἐπὶ τὴν αὐτοψίαν καὶ ἀναμετρήσαντες τὸν κλῆρον παρέδωκάν μοι*; P. Gizeh 10472, 10/1 (Preis. 8): *τὴν ἀναμέτρησιν ποιησάμενοι δηλοῦμεν κτέ.* (est hic papyrus = Chrestom. I 240 et eius praef. consulenda).

3) Tunc verum est, quum ex forma modus petetur. Potest autem etiam extra formam modus deberi, veluti, *si quando praescriptus est lege aliqua agri modus* (Gromat. p. 45 lin. 9 = Thulin p. 35 lin. 9/10). Intelligo *venditionis* legem (ibid., utrubique lin. 22).

4) Gromat. p. 131 lin. 13 (Thulin p 94, 13)

5) Strabo XVII 1 § 3: *ἡ δὲ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε ... Πάλιν δ' οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον· εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς· ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες. Ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται* et quae initio descripsi.

6) Nissen in: *Iwan Müller's Handbuch* I (1892) p. 854. Adstipulatur Wilcken, Ostr. I p. 775 (lin. 3-5). Ipse cubitus maior habet 24 *δακτύλους* maiores, qui efficiunt 28 *δακτύλους*, quales habet 24 cubitus minor (Nissen, l.l.).

7) Nissen, op. cit. p. 880².

8) Cf. Nissen, op. cit. p. 840, 841, 854, 880.

9) Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 111: „*die Gewannanlage nach Morgen* (*ist*) ... *als die* ... *ursprüngliche zu betrachten*"; Lamprecht, *Wirthschaftsleben im Mittelalter* I 1 (1886) p. 334-339: „*die einzelnen Gewannenstücke* (*sind*) *zumeist viel grösser als ein Morgen. ... Indess ... manche sehr alte Gewannenparzellen* (*sind*) *in der That Morgen*".

naturaliter acta pedibus [1]) per longitudinem et latitudinem [2]), sed pro agri copia et acceptarum numero vel maiora vel minora [3]). Praeterea scriptum nusquam exstat, totam Germaniam eo modo divisam esse, sed passim *ὀλίγους χώρους* [4]) (*Gewanne*). Eandem ob causam nullum ex Italia argumentum est petendum, quod ibi sit haud semel *in iugeribus* adsignatum [5]) eoque magis, quod non adsignabatur in singulis iugeribus, sed verbi gratia vicenis quinis [6]), quae efficiunt aruras 22 (vel 23). Itaque diu est, ex quo fabulae Strabonicae fidem denegavit Lepsius [7]). Habet quidem Aegypti divisionem (*εἰς*) *κλήρ*(*ους*) *ἴσ*(*ους*) .... *τετραγών*(*ους*), quos adsignaverit Sesostris, etiam Herodotus [8]), sed de mensura tacet. Quamquam cogitaverit necesse est aruras, ut Strabo, nam alibi [9]) refert *τοῖς μαχίμοις* praecipuas datas esse duodenas; ergo, qua parte docet [10]): *σπεῖρ*(*αι*) *ἕκαστον τὴν ἑαυτοῦ ἄρουραν*, modus intelligendus est ad totamque Aegyptum sententia porrigenda [11]). Constat praeterea aliquam Aegypti partem in aruris possessam esse [12]). Quod neque mirum est et potest aut Germanorum instituto intelligi de aruris vagis aut Romanorum de aruris multiplicatis. Divisionis quod exemplum videtur [13])

---

1) Hoc fingit Meitzen, op. cit. I pag. 101: „*diese* (*Morgen*) *schritt man einzeln* ... *ab*" (cf. quoque Stutz, *Gött. gel. Anz.* 159 (1897) p. 525), quod mox ipse refellit.

2) Est enim mensura pedibus („*das Abschreiten*) rigoribus adhibenda („*eine* ... *Längenmessmethode*), non summitatibus (Jordan, *Handbuch der Vermessungsk.* I § 58).

3) Meitzen, op. cit. I pag. 101/2: „*Flur- oder Lagemorgen* ... (*sind*) *im Gewann gleich gross* ... *Dabei ist aber ihre Abweichung gegen das übliche Morgenmaass oft recht beträchtlich*". Itaque appellat nomine tenus iugera „*nominell*(*e*) *Morge*(*n*)", et refellit superiorem sententiam („*diese* (*Morgen*) *schritt man einzeln* ... *ab*").

4) Cf. Hom. M 423.

5) Lib. colon. (Gromat. p. 209-262) passim (cf. Rudorff, *Feldmesser* II p. 285).

6) Gromat. p. 218 lin. 9.

7) *Abhandl.* (*Berl. Akad.*) *a. d. J.* 1855 p. 99: „*das ganze Land wäre* (p. 109: *nach Strabon war das ganze Land*) ... *in Aruren eingetheilt gewesen*".

8) II § 109.

9) II § 141, 168.

10) II § 14.

11) Verba comprehendunt (*τὴν*) *ἔνερθε Μέμφιος* dumtaxat.

12) c. 6 § 5 C. Th. 11. 24; P. Genev. 16 lin. 12. Cf. praeterea Strab. XVII 2 § 5: *τὸ κίκι* (*σπείρεται*) *ἐν ἀρούραις*.

13) Paulo utique Viereck, Herm. XXX (1895) p. 122: „*man muss wohl vermuthen* etc.".

certum: *κληρουχίαι* vel *κλῆροι* [1]) veteris *Λίμνης* [2]), quae sub Ptolemaeis exsiccata est, deinde, sicut alius ager publicus [3]), per partes [4]) militibus [5]) aliisque [6]) adsignata, eae capiebant singulae amplius 44 aruras — tot enim efficiuntur iunctis quinque papyris [7]), qui sunt eiusdem anni et eiusdem, id est, octogesimae tertiae [8]) cleruchiae — possidebantque in singulis cleruchiis multi domini suum quisque modum [9]). Qui sic possederint ab initio necesse est, si illa *κληρουχιῶν* divisio praecessit adsignationem [10]). Inveniuntur enim, quorum sors solidam *κληρουχίαν* non explet, cleruchi *πεντάρουροι* [11]), *ἑπτάρουροι, δεκάρουροι, εἰκοσιάρουροι, εἰκοσιπεντάρουροι* [12]), *τριακοντάρουροι*, etsi mensura nomini non semper ad amussim convenit. Veluti *ἑπταρούρων κλήρους* inveniri ararum senum et semissium, *τριακονταρούρου κλῆρον* arurarum tricenum quaternum et quod excurrit, notavit Grenfell [13]), quocirca vicenum quaternum arurarum *κλῆροι* [14]) possunt esse cleruchorum *εἰκοσιπενταρούρων* vel *εἰκοσιαρούρων*. Cleruchiarum

1) Sic appellantur per abusum veluti P. *Class. phil.* I 3, 6/7 (ia. lin. 5) et item P. Amh. 121, 6.

2) „*des Landes*" (Viereck, l.l.). Intelligenda tamen est ἡ *Λίμνη*, unde (id. ibid. p. 107: „*aus dem Fayum*") papyri harum rerum indices extracti sunt.

3) Cf. e. g. P. Petrie II 31 (Revillout, *Précis* p. 645).

4) Pap. Tebt. I pag. 545 (§ 3), 549.

5) *Τοῖς τε μισθοφόροις (ἱππεῦσι καὶ πεζο)ῖς καὶ τοῖς Μακεδόσιν* (P. Petrie II 31), *μαχίμοις* denique (Pap. Tebt. I pag. 551-554).

6) *Καὶ ἄλλοις* (P. Petrie II 31) veluti *αἰχμαλώτ(οις)* (P. Petrie III 104, 2, et quos indicabit Grenfell, P. Tebt. I pag. 550/1).

7) P. Goodsp. 22 (*Decennial publications of Chicago* V); P. Chic. 70 (pro parte); 80; 81 (*Studies in class. philol.* III); *BGU* 209.

8) Suus enim cuique cleruchiae numerus adscribitur quarumlibet *σφραγίδων* (*BGU* 831, 6 (*α* = *πρώτη*); P. Brux. 1; Fay. 339; Flor. 19, 6 (*Archiv* IV p. 429); Hamb. 12, 2; Iand. 27, 5) exemplo.

9) Cf. P. Fay. 340, ubi sine dubio *κλη(ρουχίαι)* explendum erat.

10) Praecessisse putat Meyer, *Heerwesen* p. 39, sed non probat (Schubart, *Archiv* II p. 151; Smyly ad P. Petrie III p. 288).

11) Eos sistit Grenfell ad P. Tebt. 5, 44 (ex P. Paris. 63). Reliqui et *ἑβδομηκοντάρουροι, ὀγδοηκοντάρουροι, ἑκατοντάρουροι, πεντακοσιάρουροι* passim occurrunt (Pap. Amh., Fay., Hamb., Lond. 604 B (*Archiv* IV p. 538) Petrie, Tebt.).

12) Horum memoriam etiam servat *κώμης* nomen *Ἰβίωνος εἰκοσιπενταρούρων κληρούχων* (P. Flor. 35) vel *Ἰβίωνος εἰκοσιπενταρούρων* (P. Tebt. I pag. 608) vel *Εἰκοσιπενταρούρων* (P. Tebt. II pag. 380).

13) P. Tebt. I pag. 552, 550; cf. pag. 547/8.

14) P. Petrie III 105 I 9, II 9; Tebt. I pag. 550.

autem modus in apochas quidem σπερμάτων, quas illustraverunt Viereck [1]) atque Goodspeed [2]), quae solae hactenus vel tantum non solae [3]) servaverunt κληρουχιῶν memoriam, non totus deductus est [4]), sed, quia pertinent istae ad seminis prorogationem, quae fiebat publice colonis agri publici vel fiscalis, modus dumtaxat γῆς δημοσίας vel βασιλικῆς vel προσόδου [5]) vel ἱερᾶς [6]) vel massarum, quae proprio iure ad fiscum pervenerant veluti Ἀντωνίας γῆς et si qua similis [7]). Ceterum non mihi tantum sed etiam Eifflero [8]) delirare videntur, quibus persuasum est de mensurali per Aegyptum possessionum obligatione, neque commovetur inscriptione ea, quam posuisse dicitur Uzahorpenris, sive is quo alio nomine fuit [9]), et posuisse sub rege Dario, in qua glorietur ille iussu regis possessoribus [10]) iura et fines restituisse se ad veterum instrumentorum seu tabularum fidem [11]), id est, κὰτ τὰ ἀρχαῖα, ut habet tabula Heracleensis [12]); ideo non commovetur, quia instrumenta, licet fines aliquatenus declarent, non propterea continuo mensuraliter obligant [13]). Ceterum animi

---

1) Herm. XXX (1895) p. 107-123.

2) *Studies in class. philol.* III (1902) p. 1-66 et P. Goodsp. pag. 23.

3) Accedunt P. Amh. 121; *BGU* 188; 218; 656; P. *Class. phil.* I 3; Fay. 340. Papyris autem Tebtunicis (etiam 30 lin. 26) κληρουχία semper intelligenda est adsignatio, numquam laterculus.

4) Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 304 = Grenfell ad P. Tebt. 343 Ro., 9. Dubitari tamen potest, numeri adscripti sintne κληρουχιῶν potius quam σφραγίδων quarumlibet.

5) Herm. XXX p. 119.

6) *BGU* 656.

7) Herm. XXX p. 121; *Studies* cit. III p. 14/5.

8) *Vereinsschrift des Elsass-Lothr. Geometervereins* XV (1895) p. 204 (26), p. 209 (31).

9) Outahorsoun audit Aemilio de Rougé, *Rev. archéol.* VIII (1851) p. 51; Uzahorsun Henrico Brugsch, *Geogr. Inschr.* I p. 247; Uzahorenpiris huic eidem, *Gesch. Aegyptens* (1877) p. 748, *History of Egypt* (1881) p. 306; Utahorresenet clarissimo Renouf, *Records of the Past* X (sine anno) p. 49; Utchaherresenet Budgio, *History of Egypt* VII (1902) p. 45; Horufasutennet Alfredo Wiedemann, *Aegypt Gesch.* (1884) p. 667; Udjahorresntpa Eugenio Revillout, *Précis de dr. égyptien* (1903) p. 471.

10) Intelligendas esse, quibus pristina iura restituta sint, scholas ἱερογραμματέων, docet Revillout, *Précis* p. 471.

11) Eiffler, l.l. p. 222. — Laudat similem locum et multo antiquiorem Revillout, *Journal asiatique* 1905 p. 481 = *Précis* p. 24 = Lyons, *cadastral survey of Egypt* (1908) p. 50.

12) *Inscr. jur. gr.* XII (II) lin. 23 (et item Michel 257. 3).

13) Cf. Gromat. p. 114/5; 117 lin. 6-9; 163,4 (Thulin p. 74; 80, 8-11; 128, 17/9)

causa apponam, fructum itineris Berolinensis, inclyti verba Uzahorpenris, quae non puto omnibus lectoribus ad manum esse, quemadmodum ea vel Gallice vel Germanice vel Anglice verterunt viri docti in eaque re fastorum ordinem fere sequar. Ergo vertit Rougé [1]): *„Agissant conformément aux ordres de sa divine Majesté je fis un recensement d(e) tout. Toute la population était auprès de moi. .... Je les rétablis dans tous leurs droits et dans toutes les limites de leurs biens tels qu'ils se trouvaient (désignés) dans les titres et comme ils étaient auparavant"*. Vertit Brugsch [2]), cuius posterior versio longe diversa infra dabitur: *„Agissant conformément aux ordres du roi je fis un recensement d(e) tout. Toute la population était auprès de moi. .... Je les ai pourvus de tous leurs priviléges et de tous leurs droits, qui étaient enregistrés (dans les titres) comme ils étaient auparavant"*. Vertit Duncker [3]): *„Nach dem Befehle seiner Heiligkeit habe (ich) die Ordnung in Aegypten hergestellt, und eine Aufnahme von Allem gemacht ...., ich habe Alle in die Rechte und in die Grenzen ihrer Güter, wie diese verzeichnet waren, eingesetzt"*. Vertit Brugsch [4]), cuius antiquior versio longe diversa supra data est: *„Ich that nach dem, was er mir befohlen hatte. Ich nahm sie [5]) aus allen ihren (Schulen??) von den Söhnen der Bewohner [6]) dem Kinderlosen [7]) zum grossen Schmerze, und übergab sie dem kundigen Meister [8]) in allerlei Wissenschaft [9]), auf dass sie verrichteten alle ihre Arbeiten. .... Ich versah alle Diejenigen, welche sich aus-*

---

1) *Rev. Archéol* VIII (1851) p. 51.

2) *Hist. d'Égypte* I (1859) p. 273. In: *Geogr. Inschr.* I (1857) p. 247 sqq. hanc inscriptionis partem omiserat.

3) *Gesch. des Alterthums* IV (1880) p. 520.

4) *Gesch. Aegyptens* (1877) p. 748. Non multum recedit aut Anglica eiusdem versio, *History of Egypt* (1881) p. 306, aut quam publici iuris fecit Renouf, *Records of the past* X (sine anno) p. 53 ipso intervallo Germanicae et Anglicae Brugschiani operis editionum (1877-1881).

5) Intelligendi videntur: *„die heiligen Tempelschreiber"*.

6) Anglica editio habet: *„I chose of the sons of the inhabitants from all their (schools?)" = Ich nahm von den Söhnen der Bewohner aus allen ihren (Schulen?).*

7) Anglica editio habet: *„those who were childless" = den Kinderlosen.*

8) Anglica editio habet: *„expert masters" = kundigen Meistern*; Renouf: *„a skilful teacher"*.

9) Anglica editio habet: *„skilful in all kinds of learning"* = in *allerlei Wissenschaft erfahren*.

zeichneten mit allem, dessen sie bedürftig waren zum Schriftthume [1]) *entsprechend ihren Fortschritten*". Vertit Revillout [2]): „*Je fis selon l'ordre de sa majesté. Je les recolligeai (les hiérogrammates) dans tous les* adyta *de leurs hommes. .... Je les mis largement en possession de tous leurs honneurs et de tous leurs approvisionnements convenant à la profession de scribe, comme dans le principe on faisait pour eux*", et item post secundas curas [3]): „*Je fis selon l'ordre de sa majesté. Je les* [4]) *remis en possession de leurs* adyta *et de tous leurs gens. .... Je les mis largement en possession (je les munis) de tous leurs honneurs, de tous leurs approvisionnements, qui étaient par écrit, comme ils en jouissaient primitivement*". Loci initium sic vertit Wiedemann [5]): „*Auf seinen Befehl stellte (ich) das Inventar alles Opfergeräthes auf*", unde ad vasaria longe abest. Habebat sane vasaria sua Aegyptus et ea sub Ptolemaeis utique [6]) non minus trina, una apud *τὸν κωμογραμματέα*, altera apud *τὸν τοπογραμματέα*, tertia apud *τὸν βασιλικόν* [7]), sub Romanis autem vel plura. Tum enim perseverabat *ἡ τοῦ κωμογραμματέως ἀπογραφὴ* [8]) et alterius *πρὸς χρείαις*, quo pertinet commemoratio [9]) *ἀρουρ(ῶν) τιν(ῶν) τῷ μὲν τῆς ἀτελείας τριετεῖ χρόνῳ* [10]) *ὑπὸ ἀμφοτέρων τῶν πρὸς χρείαις διὰ τῶν λόγων*

---

1) Anglica editio et Renouf habent: „*scribe's profession*" = *Schreiberthum*.

2) *Rev égyptol.* I (1880) p. 77/8. Eam versionem omnium optimam iudicabat Ed. Meyer, *Gesch. Egyptens* (1887) p. 391 not. 1.

3) *Précis de droit égyptien* (1903) p. 471.

4) *Les* = *les collèges des hiérogrammates.*

5) *Gesch. Aegyptens* (1880) p. 208.

6) De veteris regni vasariis cf. Wilcken, Ostr. I p. 480 (ia. p. 175); Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 47-49; Revillout, *Journal Asiatique* 1905 p. 480/1; id. *Précis* cit. p. 24, 33, 44 (ia. 47), 84, 252/3, 254/5, 301 not. 1, 394/5, 628/9, 887/8, 932-934. Quem hic passim (*Précis* p. 33, 394, 887, 932, 933, 1502) laudat Herodoti locum, esse videtur II § 42. Quas similiter laudat (*Précis* p. 254, 628, 888, 934, 1502) sacerdotum Ammonis literas (P. Taur. 1. IV 25/6), eae ad vasariorum ius nequaquam pertinuisse videntur (cf. P. cit. IV 28/9 et VIII 8-10) — De Ptolemaeorum et Romanorum aevi vasariis dixi in Observ. ad papyros § 15, nec iterabo.

7) De huius vasariis nunc demum constare coepit ex P. Tebt. 30; 31 (Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des römisch-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 82*; sed cf. etiam Engers, de aegypt. *κωμῶν* administr. (1909) p. 43/4).

8) Cf. P. Oxy. 288, 41, qui pertinet quidem locus ad personarum censum.

9) P. Amh. 68, 40-46.

10) Ea scilicet lege emptae erant *ἐκ τοῦ βασιλικοῦ* (lin. 21).

ἀνασταθεισ(ῶν) ὕστερον δὲ ὑπὸ μόνου κωμογραμματέως σημανθεισ(ῶν) ὑπ' αὐτοῦ μὴ παραδεδεῖχθαι, id est: quas per tres annos, quibus futurae forent immunes, uterque magistratus in tabulas retulisset, sed, postea solum *κωμογραμματέα* non retulisse, testatus esset [1]) is, cuius nomen cum parte papyri (Vo. I) periit. Nam, quod non perspexit editor, qui sic vertit [2]), ac si scriptum esset *ἀλλ' ὑπ' αὐτοῦ μὴ παραδεδειγμέν(ων)*, pendet infinitivus *μὴ παραδεδεῖχθαι* a participio *σημανθεισ(ῶν)*, quia nihil est praeterea, unde pendeat, post quod coibunt sponte *ὑπὸ μόνου κωμογραμματέως* et *μὴ παραδεδεῖχθαι* [3]) atque praeterea *ὑπ' αὐτοῦ* et *σημανθεισ(ῶν)*. Sintne autem *ἀμφότεροι οἱ πρὸς χρείαις*, quorum unus certe fuit *ὁ κωμογραμματεὺς* [4]), quos putat editor: *τὸν κωμογραμματέα καὶ τὸν βασιλικὸν*, an vero potius *ὁ κωμογραμματεὺς* et *ὁ τοπογραμματεύς*, definiri nondum potest. Plane *ἀρουρῶν μὴ παραδεδειγμένων* quia arguebatur *ὁ κωμογραμματεύς*, non est verisimile, *τὴν τούτων ἐξέτασιν*, quemadmodum vult editor, huic praecipue delegatam esse, itaque sic potius explendum est [5]): *ἔκρεινε τὸν στρατηγὸν καὶ βασιλικὸν* [6]) *ἐξετάσαι, εἰ ἀπὸ τοῦ καθήκοντος ὑπολόγου ἡ παράδειξις* [7]) *ἐγένετο καὶ τὸ ὁμόλογον* [8]) *ἀναφέρειν, ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ βασι(λικὸν)* [9]) *μετὰ τοῦ (τοπογραμ)ματέως* [10]) *ἐξέτασαι*. Erant igitur Romanorum aetate praediorum census penes *τὸν κωμογραμματέα* et alterum *πρὸς χρείαις*, id est, sive *τὸν τοπογραμματέα* sive *τὸν βασιλικὸν* vel apud omnes tres [11]), quemadmodum sub Ptolemaeis, tum vero, qui sub regibus nondum comparent, apud *τοὺς βιβλιοφύλακας*,

---

1) De significatione vocabuli *σημαίνειν* cf. Specim. Wesselyi (7) 9, 3; (11) 19, 4.

2) „*(having been) referred to in a general way* (*σημανθείσας*) *by the κωμογραμματεὺς alone, who had not held a fresh survey*". Planius etiam Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXII (1901) p. 159: „*zwar in den Büchern verzeichnet* (*σημανθείσας*), *aber nicht in Evidenz gehalten*".

3) Cf. lin. 60-62: *τὸν μὴ μεταβαλόμενον κωμογραμματέα τετελευτηκέναι.*

4) Latuit hoc Ludovicum Mitteis, *Ztschr.* cit. XXII p. 159 neglecta voce *μόνου* (lin. 44), sicut p. 160 *ἀμφοτέρων* (lin. 42).

5) lin. 46-52.

6) I. e. *τὸν βασιλικόν.*

7) I. e. adsignatio.

8) Cf. Wilcken ad Chrestom. I 374, 49.

9) I. e. *τὸν βασιλικόν* (sicut lin. 47). Supplevit Grenfell: *βασι(λικοῦ).*

10) Supplevit Grenfell: *κωμογραμματέως.*

11) Textus non obstat.

quum τοὺς τῶν δημοσίων λόγων [1]), tum τῆς δημοσίας [2]), tum denique τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης [3]). Horum quidem vasaria non solum fisci utilitatibus inserviebant, sed privatorum quoque: ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύ(οι)ντο) [4]). Quamobrem non dominos [5]) tantum iis profiteri iubet Mettius Rufus (90 p. Chr.), sed etiam τοὺς δανειστάς, ἃς ἐὰν ἔχωσιν ὑποθήκας καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσα ἐὰν ἔχωσι δίκαια [6]). Conveniens est *BGU* 536, 9 creditorem profiteri, non dominum, οἰκιῶν ἐν ὑποθήκῃ [7]): ἥμισυ μέρος οἰκίας καὶ αὐλῆς ἐν ᾗ ἐξέδ(ρα) [8]) παρὰ Παπεῖτος. Ergo adibantur vasaria vice monumentorum [9]), de proprietate [10]) ut constaret, quum Ptolemaeorum aevo [11]) tum Romanorum [12]). Quin immo deficientibus auctoritatis instrumentis pro his interdum tradebatur ἀντίγραφον ἀπογραφῆς. Cuius rei exemplum sistit *BGU* 1148, 28–35, alterum *BGU* 1147, 24–26, ubi sic supplendum est: δούλης Ἐρωτίου, καθ' ἥσπερ καὶ ἀναδέδωκεν αὐτῷ ἣν ἔχει (λαβὼν ἐξ ἀγορανο)μείας [13]) ἀπογραφήν. Servi enim profitendi erant διὰ τῶν ἀγορανομ(ε)ίων [14]), indidem igitur antigrapha

---

1) Cf. *BGU* 5 + 11 et *BGU* 1047 II 5-8, ubi quum ὁ κωμογραμματεὺς tum οἱ βιβλιοφύλακες de praediorum statu renuntiant ex vasariis quisque suis (Lewald, *Beitr. zur Kenntnis des röm.-aeg. Grundbuchrechts* (1909) p. 76); nihil enim obstat, quod *BGU* 1047 II 8-10 ὁ κωμογραμματεὺς aliquid προσ(τίθησι) fide ἀπαιτησίμου (cf. Wilcken ante Chrestom. I 239). Videntur autem οἱ τῶν δημοσίων λόγων βιβλιοφύλακες intelligendi, quorum alia parte prioris papyri (5 III 14) laudari videtur relatio.

2) P. Oxy. 1287 (tertii saeculi).

3) Dubitari quidem hodie coepit, sintne revera vasaria, id est, tabulae censoriae τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ διαστρώματα. Cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 83-85; Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 195/6; Wilcken, *Grundzüge* p. 202/3.

4) P. Oxy. 237 VIII 36.

5) Τοὺς κτήτορας.

6) P. Oxy. 237 VIII 31-33.

7) Add. P. Oxy. 274, 8; 486, 25.

8) Obtemperandum non est Ulrico Wilcken (Ostr. I p. 462) solventi ἐξεδ(ανεισάμην) eo vel minus, quia ἐν ᾗ ἐξέδρα habet P. Agentor. 9 lin. 11.

9) Usu venisse, docebat Wilcken, Ostr. I p. 484/5.

10) Similiter de genere: P. Lond. 324, 29-35 (Wilcken, Ostr. I p. 487).

11) P. Taur. 1 III 33-IV 10.

12) *BGU* 5 II 1-8; 11 (Wilcken, Ostr. I p. 486); 388 II 19 (Mitteis, Herm. XXX (1895) p. 601 not. 3); 1047 II 5-8; P. Oxy. 237 V 10/1, 15-21.

13) Edebatur μερας, sed adnotabatur „*oder* μειας; *auch* νειας *nicht ganz ausgeschlossen*". Hodie Schubart νειας praefert (Preisigke, *Berichtigungsliste* p. 98 not. 4).

14) P. Hibeh 29, 2/3; Oxy. 73: ἐπ' ἀγορανόμων (errat Wilcken, Ostr. I p. 467).

petenda. Nihilomagis ipso iure professio censualis dominum faciebat, quidquid in contrarium disputat Mitteis [1]), sed pactio vel stipulatio [2]) a iusto auctore; idque causae est, cur Ptolemaei non ei possessori subveniant, qui censu, sed, qui pactione vel stipulatione deficiatur, edicto proposito: *τοὺς κεκυριευκότας τινῶν καὶ μὴ δυναμένους παρατίθεσθαι τὰ κατ' αὐτῶν συμβόλαια ἐᾶν κρατεῖν* [3]), qua de constitutione diximus [4]) cap. CV, curve venire soleant praedia non tantum *γείτοσιν* [5]) illis *ἢ οἳ ἂν ὦσιν* [6]) *διὰ τῶν κατ' ἀγρὸν τοποθεσιῶν* [7]) vel *καθὼς αὐτοὶ ὑπηγόρευσαν* [8]) vel *καθὼς αἱ .... προκτήσεις περιέχουσιν* [9]), sed etiam a domino *ὡς φ(η)σιν* [10]), curve pignori daturus alienaturusve iuret [11]): *εἶναι ἐμὰ καὶ μὴ ὑποκεῖσθαι πρὸς ἕτερα, ἀλλ' εἶναι καθαρὰ ἀπὸ πάντων κινδύνων* [12]), quae perinde omnia fuissent supervacanea, si census [13]) fuisset certi dominii titulus. Eadem causa est, cur

---

1) *Archiv f. Papyrusf.* I p. 183: „*eine solche Einverleibung ... begründete unanfechtbare Rechte*", sed p. 189: „*so weit dürfen wir ... nicht gehen, zu behaupten, dass der Kataster* publica fides *genossen hätte*". Cf. Revillout, *Précis* p. 628.

2) Nudam negat (p. 82), scriptam ait (p. 104/5) Gradenwitz, *Einführung* I.

3) P. Taur. 1 V 22-24.

4) Mnemos. 41 (1913) p. 125. Ibi lin. 15/6 pro *auctorem quum dant* scripsisse mallem *auctorem quum habent*, et pro *etiamsi nullum dedissent: etiamsi nullum haberent*.

5) Οἱ *γείτονες* aut nunquam aut raro omittuntur. Antiqnum *κατ' ἄνεμον* laudat Revillout, *Précis* p. 127.

6) *Mitth. a. d. S. Rain.* IV (1888) p. 62; Wessely, *Wien. Stud.* VII (1885) p. 71; Mitteis, *Reichsr. und Volksr.* p. 180[1]; Ruggiero, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XIV p. 98[1].

7) P. Giss. 100, 10.

8) CPR I 62, 13 (cf. ibid. 175, 9: *καθὼς ὁ ὁμολογῶν* (P. Argentor. 52, 5: *ὡς ἡ δεδανεισμένη*) *ὑπηγόρευσεν*, et Ruggiero, *Bull.* cit. XIV p. 102 not. 1).

9) CPR I 187, 6; cf. P. Oxy. 504, 12/3; CPR I 4, 9/10.

10) CPR I 24, 9. Editur: *φασιν*.

11) Profanas innumeras omitto *βεβαιώσεις*.

12) *Actenstücke* (Wilcken) 11 lin. 9. *Κινδύνων* rectene habeat, dubitat Rabel, *Verfügungsbeschr.* (1909) p. 26[1]. Hoc detracto similiter iuratur P. Petrie III 57(a); Oxy. 77 lin. 12 sqq.; 100 lin. 11/2; 263; 483, 21 sqq.; 588; Lond. 903, 18-21 (III p. 117) cum hac interdum adiectione: *μηδὲ ἑτέροις ἐξηλλοτριῶσθαι* (P. Oxy. 100 et 263). Itaque *BGU* 446, 15 supplendum est *διο(μόσει)*. — Invenietur idem hoc iusiurandum in celeberrima Dicidiae Margaridis emptione ob nummos (Bruns (1909) no. 134) et apud Modest. l. 4 D. 47. 20.

13) Aliave quaevis *ἀναγραφή* (*Grundbuch*).

etiam creditor pignus venditurus proscribat [1]) non: *τὸν Τάγητος*, sed: *τὸν εἰς Τάγην (ἀναγραφόμενον) οἶκον* [2]); cur denique Hermiae vitio non detur ab adversariis, quod vasariorum testimonium non habeat, sed quod *μήτε διαγραφὴν* [3]) *μήτε ἄλλην κτῆσιν* [4]), id est, neque conventionem [5]) neque aliam emptionem [6]) *ἐπιφέρ(ων) ἀλλ' ἀνυπόδεικτο(ς) καθεστ(ὼς)* sic temere alienam possessionem eripere studeat [7]). Atque ob id ipsum, quod *μηδεμίαν πρόκτησιν μηδ' ἄλλον χρηματισμὸν* [8]) adferret, contra Hermiam pronuntiatum est [9]), nec eius ratio habita, quod videntur Hermiae maiores possedisse; quod in controversia huic simillima [10]) profuit ad victoriam Tesenuphi Marrae filio (*τὸν τοῦ Τενεσούφιος Μαρρῆν πατέρα κατεσχηκέναι τὴν οἰκίαν*). Sed huic quidem *προσεμαρτυρ(ήθη)*, extitisse factas patri *συγγραφὰς* et in tumultu combustas.

(*Continuabitur*).

---

1) P. Paris. 5 I 7 = Leid. M, I 2. De contractu eius papyri dixi in observ. ad papyros § 24.

2) I. e. *οἰκίαν*,

3) Eodem sensu mox dicetur *χρηματισμός*. Alioquin posset intelligi *ἐκ βασιλικοῦ διαγραφή*, sed non esset necesse. Cf. P. Paris. 15, 50/1, ubi comparator a privato computat possessionis suae tempora *ἀπὸ τῶν τῆς διαγραφῆς χρόνων*.

4) Eodem sensu mox habebis *πρόκτησιν*.

5) Dixi in observ. ad papyros (§ 19).

6) Dicere debuerant, quod dixit iudex: neque emptionem neque aliam conventionem.

7) P. Taur. cit. (1) VI 2/3.

8) *Χρηματισμός* = instrumentum factum (Gradenwitz, *Einführung* I p. 197: „*Urkunde*"; cf. Revillout, *Chrestomathie* (1880) p. IX) èt in inscriptionibus quum Orientis (Paul Meyer, Klio VI p. 425 not. 5) tum Aegypti (Revillout, l.l.) obviam fit èt in papyris Romani utique aevi (Meyer, Klio VI p. 425) frequens est, veluti occurrit *BGU* 73 lin. 15; 177, 6. 11; 243, 11; 260, 4: CPR I 3, 14; 6, 21; P. Oxy. 99, 19; 237 VIII 35; 286, 25; 483, 20; Argentor. inv. 87 (*Archiv* IV p. 134) III 41. Etiam *BGU* 362 (pag.) XI 22 *χρηματισμοὶ* non sunt (quod putat Wilcken, Herm. XX p. 459) vasaria, sed *οἰκονομίαι* (*BGU* 301, 12-17) i. e. emptiones.

9) P. Taur. cit. (1) IX 5-7.

10) P. Amh. 30.

DE LOCO ARISTOPHANEO

(ACHARN. VS. 95—97).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Locus plurimis interpretum vexatus explanationibus, immo criticis nonnullis desperatus iam visus ille est, ubi Dicaeopolin, cum Pseudartaban *τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν* conspicatur, poëta facit exclamantem:

ὦναξ Ἡράκλεις·
πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφρακτον βλέπεις
ἢ περὶ ἄκραν κάμπτων νεώσοικον σκοπεῖς;
ἄσκωμ' ἔχεις που περὶ τὸν ὀφθαλμὸν κάτω.

Versus duos priores primum consideremus.

Naberus (Mnem. 1895 p. 264), verba male habita esse neque ea ab omni parte se expedire posse praefatus, rogat: „Cur ille *νεώσοικον σκοπεῖ* et prospectat navale?" et ipse respondet: „Eadem de causa qua *Ἀττικὸς ἐς λιμένα*, sicuti proverbio dicitur; scilicet festinat, nam animus iam auguratur fore ut in prytaneum invitetur ad coenam; prytaneum est navale quod cogitat."

Non est quod obloquar, sed verba tradita male habita esse non mihi persuasit; id certe, quod viri docti totius loci sententiam ad liquidum perducere nondum potuerunt, pro argumento adhiberi non licet, vitium qualecumque latere, cum praesertim sermo de Pseudartabae specie totus sit neque verbis apertis eam poëta legentibus significaverit.

In Leeuwenii editione haec in annotatione critica leguntur: „Corruptus esse videtur hic versus, fortasse etiam contextus;

nam nisi legatur *τί πρὸς θεῶν ἄνθρωπε* vel: *πρὸς τῶν θεῶν, τί οὕτω*, sequentia apte subiungi nequeunt. Sed gravius etiam displicet quod *navis* vox, cui assimulatur Pseudartabas, deest. Intellegerem *ναῦς σταθμὸν βλέπεις; navisne es stationem spectans* (=*petens*)? Reicio quod in mentem venit *ναῦς Φρυκτὸν.*" Deinde in commentario versus sic vertit: *Vultum sanequam maritimum habes! Numquid navis circa promunturium cursum flectens navale prospicis?* monens etiam, inde ab epico tempore naves Graecis pro animalibus fuisse, quas in Equitum fabula vel inter se confabulantes Aristophanes finxit; faciem autem iis fuisse neque raro in vetustis navium imaginibus oculos cerni, quibus etiamnunc piscatores Capreenses cumbas suas ornare soleant. Quibus enarratis ita pergit: „Ingens igitur Pseudartabae oculus rustico in mentem vocat praegrandes illos oculos navium, quapropter navi portum petenti ipsumque navale veluti circumspicienti hominem assimulat." Deinde scrupuli, quos ei locus iniecit, hic quoque sequuntur: „Ipsa tamen verba molesti quid habent; nam vox *πρὸς τῶν θεῶν* aut *interrogantis* est aut *iubentis*, sequentia vero verba *ναύΦαρκτον βλέπεις* ut nunc quidem habent *exclamantis* sunt; neque aperte satis indicatum est navi assimulari Pseudartabam."

Mihi persuasum est, èt corruptelae, quae versui ultimo nunc adhaeret, èt stultissimis scholiorum fabricatoribus, qui ad nostrum quoque locum nugas suas atque hariolationes venditare non sunt veriti, imputandum esse, quod etiamnunc editores in eo extricando desudant. Quid enim pronuntiant? In ista annotationum farragine hae quidem inter se consentiunt, ridiculi causa huic Regis Oculo circumpositam esse larvam cum ingenti oculo, quem comicus comparaverit cum foramine navis, per quod remus exseritur: inde eum prospicere, quo cursum dirigat.

Ista autem omnia aut improbabilia sunt aut falsa.

Primo verum esse non potest, Pseudartabam larvam *cum ingenti oculo* habuisse, deinde poëta oculum *non* comparat cum foramine navis, per quod remus exseritur, denique neque navis oculi neque remorum foramina *pro speculis* umquam fuerunt.

Viris rerum nauticarum imperitis istas ineptias libenter condonamus, quibus peritiores fallere non potuerint, sed gravius est quod unum illum oculum a librario oscitante receperunt

atque speciosis interpretationibus circumvallatum posteris suis tradiderunt. Inter editores enim hodiernos nemo est quin iis astipuletur opinantibus, Pseudartabam comitantibus duobus eunuchis procedere, ridicule ornatum ita ut unum eumque ingentem oculum in media fronte habeat. Plerisque hoc quoque persuaserunt, sub oculo illo longam dependere barbam more barbaro plexam; nonnulli tamen de quaestione qualis appendix fuerit aliter iudicant.

Necessitate coacti barbam eam viro suspenderunt, ut infra videbimus, sed unus ille oculus unde provenisse putandus est? Primum titulus interpretes in errorem istum deferre potuit; vs. 91 *ὁ πρέσβυς* dicit:

καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν Ψευδαρτάβαν,
τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν,

quibus auditis Dicaeopolis secum mussitat:

ἐκκόψειέ γε
κόραξ πατάξας — τόν τε σὸν τοῦ πρέσβεως,

atque *ὁ κήρυξ* sollemniter iam eum introducit exclamans: *ὁ βασιλέως ὀφθαλμός*, quo facto locus noster sequitur.

Ex eo quod Dicaeopolis in exsecrando usus est singulari numero statuere non licet, Pseudartabae modo unum oculum fuisse; nempe Persam nondum conspicatus tunc erat et singularis numerus in talibus exsecrationibus legitimus est. Cf. Nub. 24, ubi Strepsiades ad filium: *κοππατίας εἴθ' ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμὸν λίθῳ!* Accedit quod e Dicaeopolidis verbis ita aequo iure concludere possis, legatum unoculum fuisse, cum dicat: „Regis illum oculum utinam effoderet corvus tuumque simul!" Iam hoc te, lector, rogare velim: An etiam simile veri tibi videtur, poëtam magistratum Persicum, *δι' οὗ πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ* unoculum sive altero oculo captum in scenam produxisse? Mihi sane aeque absurdum videretur ac si quis *τοὺς ὠτακουστάς, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ*, una tantum aure finxisset. Nonne etiam putas, si Pseudartabas unoculus prodiisset, Aristophanem titulum *βασιλέως ὀφθαλμός* ad verbum interpretaturum fuisse et comparationem aliquam excogitaturum, ab ea quam nunc posuit prorsus diversam? Iam versus 97 unus restat, unde interpretes in eam cogitationem incidere potuerint, poëtam titulo ita usum esse „ut novum quendam Polyphemum

induceret, cuius personam oculus ingens habet fere totam", ut Leeuwenii verba sunt. Minime vero. Equidem Pseudartabam persona instructum fuisse aio, duobus oculis munita iisque ingentibus limisque. Ita demum verba Dicaeopolidis:

πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφρακτον βλέπεις
ἢ περὶ ἄκραν κάμπτων νεώσοικον σκοπεῖς;

bene intellegi explicarique possunt.

Quacum enim re viri vultum confert?

Cum prora h. e. cum navis facie, quae ipsa quoque duobus oculis praegrandibus munita erat. Quorsum igitur hi νεὼς ὀφθαλμοί! In scholiis misere confunduntur cum remorum foraminibus (ὀπαί), quae lateres navigii per totam fere eius longitudinem distinguebant: ἐπειδὴ μεγάλοι ταῖς τριήρεσιν ὀφθαλμοὶ γίγνονται, δι' ὧν τὰς κώπας ἐμβάλλοντες ἐκωπηλάτουν. Inepta nimirum ista sunt. E multis de re nautica apud veteres scriptoribus, qui quales navigii ὀφθαλμοὶ fuerint nos edocent, definitionem veram concisamque affero quam Cecil Torr (Ancient Ships, Cambridge 1894 p. 69) dedit:

„On each bow of a ship there generally was a huge eye. These pairs of eyes doubtless owed their origin to the sentiment that a ship is a living thing and must see her way: but in course of time they probably were turned to account as hawseholes for the anchor-cables." E multis locis, quos Torrius affert, hic repetere satis est Aeschyl. Suppl. 716:

καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασι βλέπουσ' ὁδόν.

Quae cum ita sint, versus rursus consideremus primumque quid sit ναύφρακτον βλέπειν investigemus. Voc. ναύφρακτος fictum esse videtur ab Aeschylo cf. Pers. 950: Ἰάνων ναύφρακτος Ἄρης, 1027: ναύφρακτον ὅμιλον, a quo Euripidem id accepisse verisimile est, cf. Iph. A. 1259: ναύφρακτον στράτευμα, neque facere potuit Aristophanes quin a tumido tragicorum sermone avide epitheton illud gravitatis plenum arriperet et ridiculi causa hoc loco poneret. In Photii lexico (ed. Porson) s. v. haec leguntur: Ναύφαρκτον βλέπειν· Φησὶν ἐπὶ τοῦ περιαρθροῦντος καὶ σεμνῶς ἰόντος· Πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφαρκτον βλέπεις. Ibi si pro περιαρθροῦντος emendatum erit περιαθροῦντος, sub forma alia redibit scholion: ὡς περιβλέποντος ἐν κύκλῳ τοῦ πρεσβευτοῦ καὶ ἀξιωματικῶς εἰσιόντος. Versus igitur ita reddi latine potes: Per

deos immortales, mi homo, propter oculos istos speciem sane navalem s. maritimam prae te fers, vel, ut Elmsleius voluit: *ὡς ἐς ναυμαχίαν παρεσκευασμένος*, quamquam nimirum eius interpretamentum omnino reicio: „immensum oculum in media fronte depictum habebat Pseudartabas, quem cum oculo navis comparat Dicaeopolis." Ceterum copulatio *ναύφρακτον βλέπειν* eodem iure a poëta comico usurpata est quo alibi saepe iunguntur *δεινόν, σεμνόν, φόβον, Ἄρη, κάρδαμα βλέπειν.*

Quod igitur Leeuwenius imprimis se in hoc versu offendere affirmat, non satis aperte indicatum esse navi assimulari Pseudartabam, nihil iam esse existimo: cernebant spectatores oculos viri ingentes navalibusque similes et similitudinem insuper a Dicaeopoli audiebant.

Iam videamus qualem dubitationem externa Pseudartabae species rustico nostro attulerit. Si eum non cum navis prora contulisset, sed tamquam hominem compellasset, eum idem interrogasset ita: „An forte, dum istis oculis obliquis ad dextram simul laevamque specularis, locum captas quietum placidumque?" Nunc vero, quoniam eum quasi navigium alloquitur, ita rogat: An forte, dum circa promunturium cursum tuum flectis, navale iam prospicis? Oculi in utramque partem stupentes hanc quaestionem abunde illustrant, in qua interpretanda Naberi explanationem vocis *νεώσοικος* libenter accipio.

Iam ad versum tertium pervenimus, qui qualis nunc legitur unus causam sustinere videtur, propter quam Pseudartabam vultum Cyclopium habuisse nemo non hucusque crediderit:

ἄσκωμ' ἔχεις που περὶ τὸν ὀφθαλμὸν κάτω.

Quae verba priusquam interpretari conemur, *ἄσκωμα* quid sit primum est inquirendum. Torrius (l.l. p. 43) rursus nos docebit: „The sides of a war-ship had to be pierced with a row of portholes for each bank of oars below the first; so that a ship of several banks was almost honey-combed. On the Athenian ships these openings were closed against the water by leathern bags termed *askomata*, which would cling round the oars without much hindrance to their motion; and some protection here was indispensable, as the gap generally was large enough for a man to put his head through." Cartault (La Trière athénienne, Paris 1881 p. 159) etiam fusius ea descripsit addiditque:

„Quand les avirons sont rentrés, les ἀσκώματα pendent vides et flasques le long du bâtiment" h. e. cum remiges operari desierunt et remos intro iam sustulerunt, follicularia vidua laxaque per latera navigii pendere solent. Ceterum in opere caelato, quod Daremberg et Saglio s. v. *Navis* p. 33 fig. 5278 depinxerunt, circa remos in aquam demissos expressa cernuntur. Dicaeopolis igitur rogat:

„An forte, circa promunturium cursum flectens, navale prospicis? Ita sane est: certe folliculare tuum iam pendulum laxumque habes" — ubi autem? Libri mss. affirmant: περὶ τὸν ὀφθαλμόν, atque haec corrupta lectio omnium malorum causa fuit. Semel iam in membranis ita exaratum erat et quamquam critici ναύφρακτον, vocabulum cascum, quod propter ipsam raritatem suspiciones movere non debuit, mutare nil verebantur, voc. ὀφθαλμός tam tritum vulgatumque erat eoque speciem praebebat tam innocentem, ut nemini umquam in suspicionem ceciderit. At, hercle, mirum quantum confusionis peperit! Primo editores pellexit ut parum probabiliter Cyclopem fuisse Pseudartabam putarent, deinde vero ad interpretationes arcessitas huius versus eos adegit. Necesse enim erat Pseudartabam aliquid habere quod cum folliculari comparari posset. Ergo iam in scholiis barba sub uno illo oculo ei suspenditur, folliculari scilicet similis! Hanc opinionem amplexi sunt editores tantum non omnes. Naberus tamen l.l. aliter censuit: „Quod ad folliculare attinet, in navi certe ὀφθαλμὸς non habet ἄσκωμα, sed hoc ipsum miratur Dicaeopolis quod grandis oculus personati Persae desinit in ἄσκωμα, nam sic ridens appellat τὴν τιάραν κεκλιμένην, qualem conspicimus in pavimento Neapolitano. De reliquis anceps haereo." Rursus aliter alios rem explicavisse ita cognovi, ut oculum lacinia dependenti tumentem sibi fingerent.

Ne barbam cogitemus verba περὶ τὸν ὀφθαλμὸν utique vetare videntur, nam ipsa praepositio repugnat quominus vertatur: „Istud autem, quod *sub* oculo geris, folliculus est opinor," neque reliqua probabiliora sunt: misellus homo aut nihil aut nihil fere videre iam potuisset, sit unicus eius oculus sive tiara seu paleari esset coopertus. Rem sane miram in Regis ἐπισκόπῳ!

Quid autem de loco nostro factum est quidve olim scriptum fuisse putemus?

Librarius, qui corruptelae causa est, cum in versibus superioribus de *βασιλέως ὀφθαλμῷ* identidem sermo fuisset, hoc vocabulum totiens legerat scripseratque, ut ad versum nostrum cum pervenisset et ad vocabulum, quod voci *ὀφθαλμὸν* sane simillimum erat, labore litteras accuratius inspiciendi supersederet, immo ne suspicatus est quidem, aliud quidquam legi posse quam *περὶ τὸν* ΟΦΘΑΛΜΟΝ *κάτω*, sed in eius exemplo revera exaratum erat: *περὶ τὸν* ΟΜΦΑΛΟΝ *κάτω*! Bonus vir forsitan ne noverit quidem, *οἱ νεὼς ὀφθαλμοὶ* quales essent, nedum eos numquam *ἄσκωμα* habuisse sciverit, itaque leporem loci qualemcumque incuria sua ignorantiaque omnem iam perdidit. At spectatores Athenienses, qui rerum nauticarum ad unum omnes peritissimi essent, nimirum poëtam albis derisissent dentibus, si eum folliculare circa oculum navis apposuisse cognovissent.

Hac igitur emendatione illata, quam sana ratio ipsa flagitat, iam denique intellegere possumus, quomodo poëta Persam ornatum esse voluerit. Persona eum instruxit cum duobus oculis praegrandibus inque partes diversas spectantibus nec non pene facticio eoque *καθειμένῳ*. Vid. Hamilton, Sujets de Vases Grecs fig. 52 et Monum. del Inst. III, XXXI. Oculi rustico in mentem vocant *νεὼς ὀφθαλμοὺς* et exclamat: „Mehercule, quantus terror me invadit! Per deos immortales, mi homo, navali figura es et specie! An forte circa promunturium cursum flectens prospectas navale? Ita sane est, nam folliculare tuum laxum iam habes circaque umbilicum dependens," h. e. nam remos intro iam retraxisti, ut verbis scholii utar, *ἐπειδὴ δεδοικότες οἱ ἐμπλέοντες, ὅταν ὦσι πλησίον τῆς γῆς, ἠρέμα καὶ ἐπιστημόνως ἰθύνουσι, μὴ προσπταίσωσι τῇ γῇ*.

Denique te, lector, rogo ut in alio loco apud Aristophanem mecum paulisper commorari velis. In Nubibus fabula vs. 538 poëta de ea ipse affirmat:

ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκυτίον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

h. e. Haec mea fabula penes facticios nullos habet cet., unde Leeuwenius iure efficit: „Nuper igitur in alia comoedia aliqua spectatores id viderant et riserant."

Quis autem poëta actorem ita ornatum in scenam produxerat? Scholion Hermippum hic carpi contendit, Buecheler (Kleine Schriften I p. 313) Cratinum et Ameipsiam; Leeuwenius Eupolim tangi suspicatur propter verba „τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως", quibus poëtam retorquere putat id quod Eupolis in Prospaltiis (fr. 244) dixerat, de Aristophanis Acharnensibus loquens, ut Leeuwenio videtur:

τοῦτ' ἐστὶ σοὶ
τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα
ψυχρόν· γελᾷ γάρ, ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία.

Quod deinde disputat, choros certe comicos nullos habuisse phallos, actores autem illis tantum locis, ubi corpora quamcumque ob causam nudentur, penem facticium, ipsa virilia actoris simulantem, spectatorum oculis obiecisse libenter ei credo neque mihi Körtius persuasit (Archaeol. Studien zur alten Komödie, Jahrb. d. arch. Inst. 1894), actores in fabulis Aristophanis phallis ornatos constanter fere prodiisse. Certo locus noster argumentum praebere non potest, actores in scena Attica etiam Aristophanis temporibus phallo sive καθειμένῳ sive ἀνκαδεδεμένῳ constanter fuisse instructos.

At tamen nonnumquam fiebat, cum corpora „quamcumque ob causam" nudabantur, ut Leeuwenius concedit, atque magnopere vereor ne studium risum movendi Aristophani saepe causa satis rata visa sit ut tali auxilio uteretur, etiamsi corpora nudari minime opus esset. In ipsis Acharnensibus plus semel factum est; vs. 158 Dicaeopolis, Odomantorum exercitum conspicatus, exclamat:

τίς τῶν 'Οδομάντων τὸ πέος ἀποτεθρίακεν;

neque diagnosin eam ponere potuisset, ut medici nunc loquuntur, nisi τὸ πέος fuisset conspicuum. Deinde vs. 161:

τοισδὶ δύο δραχμὰς τοῖς ἀπεψωλημένοις;

atque in Pseudartaba nostro, si emendatio mea vera est, tertium iam exemplum habemus.

Ubi igitur Aristophanes de Nubibus suis spectatores edocet: „Haec mea fabula penes facticios nullos habet", cum Leeuwenio dicere licet: „Nuper igitur in alia comoedia aliqua spectatores id viderant et riserant," sed non amplius in poëtam, qui eius rei teneretur, est inquirendum: non Hermippus fuit neque Eu-

polis neque Cratinus Ameipsiasve, sed. ipse Aristophanes, qui in Acharnensibus anno 425 facinus in se admisit, quo facto Eupolis in Prospaltiis anno 424 obscoenitates multas eius fabulae ei exprobravit; denique poëta in Nubibus anno 423 testatur, se sedulo iam operam dedisse ut omnem turpitudinem vitaret.

AD SOPH. TRACH. 706—710.

Deianira iamiam metuens ne marito letale miserit donum sic secum loquitur:

ὁρῶ δέ μ' ἔργον δεινὸν ἐξειργασμένην.
πόθεν γὰρ ἄν ποτ' ἀντὶ τοῦ θνήσκων ὁ θήρ
ἐμοὶ παρέσχ' εὔνοιαν, ἧς ἔθνησχ' ὕπερ;
οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ τὸν βαλόντ' ἀποφθίσαι
χρῄζων ἔθελγέ με.

Sic distinxit Nauckius, rectius quam qui *πόθεν* cum *οὐκ ἔστιν* coniungunt. Fortasse opus non est cum eodem *ὕπο* pro *ὕπερ* legere, nam hoc quoque incredibile beneficio ab Hercule affectam eam *propter quam* ille sit occisus. Sed displicet duplex illud *πόθεν, ἀντὶ τοῦ*. Quid enim emphasis ista sibi vult? Et misere languet *θνήσκων*, praesertim eo loco positum ubi quam maxime gravis aliqua emphasis requiritur. Legendum *θνήσκειν* pro *θνήσκων* censeo, ut Nessus dicatur suam ipse esse remuneratus mortem, idque illam beneficio afficiens mulierem propter quam mortem subierit.

J. J. H.

AD OVID. AMOR. I. 8. 57 SQ.

SCRIPSIT

L. RANK.



Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? *amatoris millia multa leges.*

Adhuc pentameter in mendo cubat. Verissime olim Burmannus annotavit: „in vulgatis nulla est sententia" et obelo dignum manebit lepidissimae elegiae hoc distichon, donec simplici atque probabili emendatione sanatum erit.

Sed nuper cum duplici medela ad locum accessit v. d. D. A. Slater [1]). Nam et coniecturam protulit novam et simul nova explicatione vulgatam tueri conatus est. De sagacis philologi commentis tacere non possum, mox meo modo amorum vati opem laturus. Scripsit igitur Slater: „The interest of this couplet lies in the allusion to Catullus (cui *dono* lepidum *novum* libellum). .... Was the „vivamus mea Lesbia" familiarly known to its admirers as the „millia multa"? .... If we looked for an antithesis to iste tuus, *maioris* might be coniectured for *amatoris*". Haec est Slateri coniectura. Nunc cognoscamus novam interpretationem lectionis traditae eodem nimirum fundamento Catulliano innisam: „Keep the litera scripta of the Mss, and translate: the only hundreds and thousands you will ever reap from him will be those of a lover".

1) Classical Review. Dec. 1913. p. 257 sq.

Sedata mente haec omnia perpendamus. In verbis Ovidianis aenigma Catullianum aliquod subodorari quis vetat? Iam locum corruptum Ovidianum eiusmodi aenigmatis ope adhibita in integrum restituere, id vere ἑρμαῖον invidiosum. Sed quae obsecro in eiusmodi invento novo inest πειθανάγκη, si ipse inventor adhuc dubitat, quomodo sua re utatur? Ne longus sim neve quis fortasse putet me cum sagaci philologo cavillari velle, haec statim addam: Frustra hic fuit Slaterus, quippe qui aenigmatis Catulliani captus lenociniis lenunculae Ovidianae obliviscatur. Sat docte sane loquitur anicula ista, ita ut carminis Catulliani alicuius mentio ab eius sermone non abhorrere debeat. Modo ne ipsa illa mentione rumpatur sermonis concinnitas. Id ipsum autem utroque Slateri conamine accidere, ut intruso Catullo pessumdetur Ovidiani sermonis concinna cohaerentia, demonstrare conabor.

Monet lena: „Divitem iuvenem, o puella, amatorem accipe. Quin etiam, si me audis, vel plures amatores tibi adsciscere debes, ut forma tua rem facias." Nunc audiamus ipsum Ovidium:

Certior e multis nec tam invidiosa rapina est:
    Plena venit canis de grege praeda lupis.
Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates
    Donat? *amatoris millia multa leges.*
Ipse Deus vatum, palla spectabilis aurea
    Tractat inauratae consona fila lyrae.
Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero.
    Crede mihi: res est ingeniosa dare.

Simplici et arto vinculo, opinor, cohaerent simplicis sermonis sententiae: Rem facias, puella mea. Quid pauper amator poeta tibi affert? ... *Ipse* Apollo nos docet, quantum sit auri pretium, at poeta tuus id nescire videtur. Dives amator ipsi Homero praeferendus est. Nunc tu, candide lector, accipe Slateri coniecturam, vel servata lectione tradita utere nova viri docti versione. Quomodo nunc cohaeret distichon nostrum conclamatum cum proxime insequenti? Ubi est vis naturalis explicativa voculae: ipse? Immo rumpitur sermo, qui non nisi per asyndeton quoddam adversativum: Attamen ipse Deus vatum e. q. s. aegre resarcitur.

Praeterea, quae sit ratio futuri in verbis: maioris poetae

„millia multa" *leges* non capio, quodque ad novam Slateri versionem attinet, vere scrupulum mihi inicit orationis contractio nimis pressa. Sed fortasse alii in utraque re non offendentur.

Nunc misso Catulli aenigmate trita magis obambulemus emendandi via. Non id cogitemus, quomodo millia multa basiorum Catullianorum minima cum molestia textui Ovidiano inseramus, sed id primum rogemus, quid multa millia illa Ovidiana significare possint, tum, quis sensus in loco corrupto lateat quam cautissime statuere studeamus, denique bona fortuna invocata (nam haec nisi affulserit omnis philologorum labor irritus) sanis coniecturis indulgeamus. Dimidium facti iam habemus. Nam verissime iamdudum hunc esse corrupti loci sensum scripsit Burmannus: „Amatores non ferant carmina sed multa millia nummorum". Iterum laudemus:

Ipse Deus vatum e. q. s.

Nonne *ipse* ille Deus vatum, quem lepida astutia auri cultorem hic inducit cata lenuncula sat lucide demonstrat de nummorum illecebris in verbis proxime praecedentibus mentionem esse factam? Opinor. Nunc porro sapere audeamus. Fortasse nobis continget, ut nonnullis locis allegatis leni emendatione pentametro nostro restituamus simplicem atque sat vulgatam orationis figuram.

Honoris causa Propertianum locum praemittamus: Haec legimus Propertii verba ad Cynthiam scripta super praetore isto Illyrico: (II, 13, 7 sq.)

Quare, si sapis *oblatas* ne desere *messes*
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.

Nunc caute ad amoris magistrum redeamus ut, si fieri possit, Ovidium Ovidio emendemus:

Ita monet Romanam iuventutem Naso magister: Iusta tempora eligite, o iuvenes, quibus amicas vestras adeatis: (Art. Am. I, 359 sq.).

Mens erit apta capi tunc, cum laetissima rerum,
Ut *seges in pingui luxuriabit humo.*

Mox eadem figura: (Ibid. 401 sqq.)

Nec semper *credenda Ceres* fallacibus *arvis,*
Nec teneras semper tutum captare puellas.

Promissis ducite et decipite puellas: (Ibid. 447 sqq.)

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui;
At quod non dederis, semper videare daturus:
Sic *dominum sterilis* saepe *fefellit ager.*

Porro monet discipulos, ut interdum amationem interrumpant, ut amica relicta magis aestuet: (Ibid. II, 351)

Da requiem; requietus *ager* bene *credita reddit.*

Nec non ad stabiliendam meam coniecturam, quo sensim prorepere est animus, haec Ovidii monita valent, quibus adolescentibus auctor est, ut magni faciant in amatorio tirocinio maturiorum puellarum favorem: (Ibid. II, 667 sq.)

Utilis, o iuvenes, aut haec aut serior aetas,
Iste feret segetes, iste serendus ager.

Denique haec verba audiamus, quibus poeta Amazonas Romanas suas docet, quanta cum cura asservandus sit iis rudis atque puerilis amator: (Ibid. II, 561 sq.)

Te solam norit; tibi semper inhaereat uni,
Cingenda est altis saepibus ista *seges.*

Iam quid longa ista exemplorum serie evolvenda consectatus sim in aperto est. An tu fortasse, candide lector, adhuc cum Iuvenale rogas: Quae tamen inde *seges?*

Propono igitur:

Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? amatoris millia multa *seges.*
Ipse Deus vatum e. q. s.

Orationis figuram ab Ovidiana dictione non abhorrere, id demonstrasse mihi videor. Quid praeterea sive displiceat sive periculosum sit in nova medela a doctioribus medicis discere pervelim.

AD T. LIVII LIB. XXXVI ET XXXVII.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



T. Livi ab urbe condita libri. Ed. A. Zingerle. Editio maior. Vindobonae 1888—1908.

Lib. XXXVI.

2. 1: *His ita in senatu, ⟨incerto⟩ ad id, quae cuius⟨que⟩ provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit.*

Auctore Kochio editor *incerto* addidit, aliis alia suppleri iubentibus, Ruperto duce etiam *que* pronomini *cuius* affixit. At ista ratione si pergimus, de quantuliscumque centunculis nullum non vestimentum consuere iam licet, nam causa manifesta est nulla propter quam vocabula inserta a librariis neglecta esse verisimile sit; accedit quod monitio inde nata post ea, quae in capite superiore exponuntur, satis pueriliter adicitur. Suspicor, Livium scripsisse: *His ita in senatu decretis tum demum sortiri consules placuit,* et verba *ad id, quae cuius provincia foret* in textum irrepsisse e margine, ubi a nescio quo ascripta essent ad verbum *sortiri* explicandum.

4. 6: Carthaginienses Romanis ad bellum cum Antiocho gerendum et alia se apportaturos polliciti sunt

et classem [suorum] suo sumptu comparaturos.

Dukero praeeunte Zingerleus et Weissenbornius voc. *suorum* eliminant, quod emendandum, non relegandum potius crediderim. Puto enim aut numerum latere navium, quibus classis constaret,

aut legendum esse *classem sociorum* cl. huius libri c. 22. 3: Aetolos quoque, quamquam non secuti sint regem, sed accersierint, et duces belli, non socii fuerint, si paenitere possint, posse et incolumes esse.

5. 1: *Cum haec Romae agebantur, Chalcide Antiochus . . . partim ipse sollicitabat civitatium animos mittendis legatis, partim ultro ad eum veniebant.*

Quae causa Dukerum impulerit ut pro *agebantur* substituere vellet *agerentur* non intellego: certe coniectura indigna erat quae in apparatu critico ab editore commemoraretur. Cf. c. 15. 1: Cum haec agebantur, Chalcide erat Antiochus.

ibid. 6: *hac legatione id agi apparebat, ut sive, quod magis credebant, abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud exercitus Romanos essent* e. q. s.

I. F. Gronovius vocem *exercitus* delendam esse putavit, quae editoribus plerisque suspecta est. At vix mihi persuaderi potest, quemquam eam inseruisse, qua de causa suspicio mihi nata est vocabulum e versu superiore per scribae errorem in inferiorem migrasse; nempe ex usu Liviano scriptum erit: *sive . . . exercitus abstinuisset Epiro*, ut lexica docent.

7. 1: *Cum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur, Hannibal* e. q. s.

Voculam *fere* ante *omnis* traiciendam esse arbitror, quandoquidem de consultationis genere nulla exstat dubitatio, immo in c. 6. 8 disertis verbis Livius affirmavit: *consultatum de Thessalorum gente est.*

ibid. 13. *Ille* (Thoas sc.) *quidem ferae bestiae vinctae aut clausae et refringere claustra cupienti regis iram verbis aequabat.*

Lectio non constat, quoniam libri mss. ad unum omnes *ut ferae* exhibent, quorum illud Gelenius primus induxit, scriptura autem varia est *cupienti — cupientis — cupientes.* Equidem veram ac genuinam lectionem sic restituendam esse censeo: *Ille quidem ut ferae bestiae vinctae aut clausae et refringere claustra cupientis* ⟨*ita cupientis*⟩ *regis iram verbis aequabat.* Ut apud Livium

facta dictis aequare, apud Plinium in Epist. *haec dicendo aequare*, apud Vergilium *labores lacrimis aequare* legitur, sic hoc loco Hannibal intulit Thoantem iram Philippi verbis suis aequare voluisse. Et imperfectum *aequabat*, quod de conatu dicitur, id suadere videtur et verba Hannibalis quae sequuntur: „cuius si talis animus est, solvamus nos eius vincula et claustra refringamus, ut erumpere diu coercitam iram in hostes communes possit".

8. 1: *Haec ferme Hannibalis oratio fuit; quam laudarunt magis in praesentia, qui aderant, quam rebus ipsis exsecuti sunt.*

Legendum est: *quam rebus ipsis et secuti sunt.*

9. 15: *dimissi ab rege inviolati omnes, quod eam rem magni momenti futuram rex ad conciliandos Larisaeorum animos credebat.*

I. F. Gronovius aut *ab rege* aut *rex* infra tolli iussit. Potius credo verba *ab rege inviolati* insiticia esse atque suo interpretatori reddenda, cl. c. 10. 3: beneficio praesidii dimissi, c. 33. 7: eae quoque (naves sc.) cum praefecto suo dimissae sunt. Iis quoque locis verbo dimittendi sic nude posito eadem inest notio.

10. 3: *tunc aggredi Larisam constituit, ratus vel terrore ceterarum expugnatarum vel beneficio praesidii dimissi vel exemplo tot civitatium dedentium sese non ultra in pertinacia mansuros.*

Verba *vel terrore ceterarum expugnatarum* non loco suo nunc leguntur, verum traicienda sunt post verba *dedentium sese.* Ita demum erit ad quod voc. *ceterarum* referatur (sc. civitatium) itaque iusta evadet gradatio. Vix quisquam, credo, lectionem traditam annotatione Weissenbornii defendi existimabit: „die Zwischenstellung zwischen die beiden Classen von Städten ist vielleicht deshalb gewählt, weil die Freilassung bei einer Eroberung erfolgte."

ibid. 8: *aliis nunc vires urbis* (Larisae sc.) *nequaquam Pheraeis conferendae memorantibus.*

Male Zingerleus lectionem *Pheraeis* ex editionibus antiquissimis recepit, quae tunc demum probaretur, si non *conferendae*, sed

conferendas scriptum esset. Retinenda igitur est codicum mss. omnium scriptura *Pheris*, nam quam cod. B praebet *phaereis* ab illa revera non discrepat.

14. 5: *cetera multitudo Athamanum aut militum Antiochi regis ... Philippo tradita regi est.*

Voc. *regi* nescio an postea sit additum; certe moleste abundat post verba in § 4: cui decedenti praesidio cum obvius forte fuisset Philippus rex, et post mentionem modo factam, Philippum alterum (Megalopolitanum sc.) deductum ad consulem et haud ita multo post in vinculis Romam missum esse.

15. 1: *Cum haec agebantur, Chalcide erat Antiochus, iam tum cernens nihil se ex Graecia praeter amoena Chalcide hiberna et infames nuptias petisse.*

Alterum nomen *Chalcide* e versu superiore per errorem repetitum quantocius inducendum est.

ibid. 2: *tunc Aetolorum vana promissa incusare et Thoantem, Hannibalem vero ... admirari.*

Scriptum fuisse credo: *Thoantis.*

ibid. 5: *destitutus undique et ab suis, qui morabantur in Asia, et ab sociis, qui ea, in quorum spem vocaverant, non praestabant, intra saltum Thermopylarum sese recepit.*

Nonne potius: *in quorum ⟨eum⟩ spem vocaverant*?

ibid. 12: *Thermopylae locus appellatur, nobilis Lacedaemoniorum adversus Persas morte magis memorabili quam pugna.*

Maluerim: *nobili ... memorabilis.*

17. 3: *Macedonico bello inexsuperabilior saltus ad amnem Aoum fuit quam hic; quippe portae sunt hae, et unus inter duo maria clausis omnibus velut naturalis transitus est.*

Conicio: *quippe portae ⟨apertae⟩ sunt hae.* Propter similitudinem litterarum forsitan vocabulum praetermissum sit.

ibid. 9: *et, cum Hypatam tuendam Heracleamque depoposcissent,*

neutram tutati refugerunt in iuga montium, pars Heracleae incluserunt sese.

Nomen *Heracleae*, quod in uno codice (M) legitur, in ceteris omnibus omissum est, post *Heracleamque* importune iteratur atque delendum est utpote a nescio quo ascriptum, cui in mentem venit locus e c. 16. 5: Aetolorum utraeque manus Heracleam sese incluserunt.

ibid. 12: *sed neque Antiochum tuebuntur angustiae, nec Aetolos vertices illi, quos ceperunt.*

Suspicor ante *angustiae* excidisse: *suae.*

ibid. 13: *illud proponere animo vestro debetis ... neque ea tantum in praemium vestrum cessura, quae nunc in regiis castris sunt, sed illum quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso expectatur, praedae futurum.*

Verba ultima quae sunt *praedae futurum* ab ipsius auctoris manu profecta esse vix ac ne vix quidem mihi persuaderi potest.

19. 2: *Macedones quique alii in castris regiis erant primo, dum procul nihil aliud quam turba et agmen apparebat, Aetolos credere visa procul pugna subsidio venire.*

Corrigas quaeso: ⟨*in*⟩ *primo,* cl. c. 18. 2: levis armaturae partem ante vallum in primo locavit.

22. 7: ⟨*ab*⟩ *arce, qua extra muros frequentius prope quam in urbe habitabatur, Ti. Sempronio Longo opp⟨idum opp⟩ugnandum dedit.*

Ita ex H. I. Muelleri coniectura locum in libris mss. male habitum editor restituere conatus est. Unus enim codex (M) verba *arcem extra muros quae frequentius* servavit, e quibus in libris ceteris non nisi vox *frequentius* superest; deinde in cod. M exaratum est *urbs* — in ceteris *in urbe,* denique lectio tradita est: *oppugnandam.*

Criticos mutationibus ac traiectionibus variis itemque litteris voculisque addendis male loco consuluisse puto. Credo in archetypo versum unum fuisse sive obscure exaratum seu primum omissum ac deinde in margine adiectum, quem scribae ceterorum

codicum neglexerint — unius libri M transscripserit quidem sed non accurate, nam verba *arcem extra muros quae* lineam non explent. Quidni? Versus cum litteris minutis esset appictus atque vocabula, certe exitus vocabulorum, siglis ac compendiis expressa essent, fieri facile potuit ut aliquid perperam interpretaretur vel totum praetermitteret. In verbis igitur, quae in cod. M leguntur: *arcem extra muros quae,* aliquid excidisse mihi constat, quod quale fuerit illud *extra muros* indicare videtur. Desideratur enim significatio loci, qui extra muros frequentius prope quam urbs ipsa habitabatur. Quae cum ita sint, in exemplari quod scriba codicis M ante oculos habuit, haec fuisse opinor:

arcem ⟨et aream⟩ extra muros, quae frequentius prope quam urbs habitabatur, Ti. Sempronio Longo oppugnandam dedit.

Similitudo, quae est inter litterarum ductus in vocabulis *arcem* et *aream,* corruptelae omniumque turbarum causa fuit. Quod autem Weissenborn disseruit ad coniecturam *ab arce* commendandam, verum non esse c. 23. 6 demonstrat: per quattuor et viginti dies, ita ut nullum tempus vacuum dimicatione esset, adversus quattuor e partibus simul oppugnantem hostem nocturnus diurno continuatus labor est.

ibid. 10: Intra paucos dies turres arietesque et alius omnis apparatus oppugnandarum urbium perficitur; *et cum ager Heracleensis paluster omnis frequensque proceris arboribus benigne ad omne genus operum materiam suppeditabat, tum, ... deserta ... tecta ... non tigna modo et tabulas, sed laterem quoque et caementa et saxa variae magnitudinis praebebant.*

Legendum: *et⟨enim⟩ cum ager* cet. Cf. infra c. 23. 5: etenim cum multis urgerentur rebus, nulla eos res aeque ac vigiliae conficiebant. Idem mendum in libris Livianis saepius occurrit, cf. in huius libri c. 31. 2 et 43. 1.

23. 2: Et Romani quidem operibus magis quam armis urbem oppugnabant, Aetoli contra armis se tuebantur. *nam cum ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus, sed armati frequentes ⟨erumpebant⟩, quidam ignes etiam, quos aggeribus inicerent, ferebant.*

Editor *erumpebant* auctore I. F. Gronovio inseruit neque aliter Weissenborn aut id verbum aut *aderant* excidisse credit. Attamen locus qui est XXXVII. 5. 1 me induxit ut suspicarer, non verbum aliquod supplendum sed *armati* ex *arma* esse corruptum. Ibi enim haec leguntur: constantius tamen, quam quis facturos crederet, in tam subito periculo, cum viri propugnarent, feminae tela omnis generis saxaque in muros gererent, iam multifariam scalis appositis urbem eo die defenderunt.

De excursionibus in § sequenti demum mentio inicitur: „fornices quoque in muro erant apti ad excurrendum" e. q. s., unde persuasum est mihi, eos qui verbum alterutrum inserentes locum ita constituerint ut de eruptione ex urbe facta sermo fieret, sententiae male consuluisse.

ibid. 5: *Romanis in magna copia militum succedentibus aliis in stationem aliorum, A e t o l o s propter paucitatem eosdem dies noctesque adsiduo labore urente.*

Emenda: *Aetolis*. Nomina enim *Romanis* et *Aetolis* pro dativis, qui commodi et incommodi a grammaticis nuncupantur, habenda sunt.

ibid. 7: *cum fatigatos iam Aetolos sciret consul et e x s p a t i o temporis et quod ita transfugae adfirmabant, tale consilium init.*

Quod editor dedit *ex spatio* Novakii coniectura est pro lectione in codicibus plerisque tradita: *expectatione* uno cod. B *expectatio* exhibente. Corrigendum esse existimo: *e x i p s a r a t i o n e temporis*, quod loci sententia flagitat. Corruptela palaeographice facile explicatur: similiter a librario peccatum est in huius capitis fine, ubi pro *ipsi* posuit *spe.*

27. 7: *et se suppliciter agentibus iis adfuturum et apud consulem et Romae in senatu.*

In libris mss. cum *se* desit, Weissenborn fortasse legendum esse annotavit: *i p s u m suppliciter*. At in codicibus etiam pro *adfuturum* scriptum est: *profuturum*, quod me inducit ut potius *ipsum* ante *adfuturum* restituendum esse credam.

33. 3: *destituti enim ab omni spe, cum desertos se ab Antiocho,*

spem nullam in Aetolis esse cernerent, dies noctesque aut Philippi hostis adventum aut infestiorem etiam, quo iustius irati erant, Romanorum expectabant.

Iac. Gronovius pro *ab omni spe* corrigere voluit: *ab omni ope*, equidem vero pro *spem nullam* emendare maluerim: *opem nullam*. Quod idem coniecit *infestiorum* ab editoribus sine ulla dubitatione recipi debuerat.

34. 1: *T. Quinctius ... Naupactum traiecit, quae iam per duos menses — et iam prope excidium erat — oppugnabatur.*

Est in cod. B: *& iã prope*, in libris ceteris: *sed iam prope*, quae scriptura depravata nimirum voci antecedenti *menses* debetur. Weissenborn iudicat, alterutrum *iam* fortasse delendum esse, sed verisimilius duco, olim scriptum fuisse: *etiam prope*.

35. 5: *mittite oratores ad consulem, qui indutias ⟨in⟩ tantum temporis petant, ut mittere legatos Romam possitis.*

Codicibus plerisque non nisi *tantum* exhibentibus (in uno Lov. 3 legitur *tanti*) Drakenborch primus *in* inseruit, cui obsecutus est editor noster. Weissenborn *tanti* recensuit affirmans: „so oder *in tantum* ist statt des hds. *tantum* zu lesen". In utraque codicum lectione vestigia verae scripturae permansisse puto, nempe emendandum esse: *tanti modo* (m̃) *temporis*. Cf. § 10 infra: indutias ad id dierum nonaginta dare, XXXVII. 1. 1: quia brevem indutiarum diem habebant.

41. 3: *nec denique mari minus quam terra pollere Romana arma.*

Zingerleus *nec denique* scripsit pro lectione tradita *neque enim*, quod parum probabiliter scripsisse videtur; neque magis placet aliorum coniectura *enim* induci iubentium, verum Livium posuisse suspicor: *neque iam mari* e. q. s., quamquam dubito an Weissenborn librorum scripturam recte defendat.

43. 8: *biduum in apparatu morati tertio die centum navibus, quarum septuaginta tectae, ceterae apertae, minoris omnes formae erant, profecti Phocaeam petierunt.*

Coniectura Sigonii *cc navibus* pro *centum n.* certe digna erat quae commemoraretur; commendatur sane èt locis huius capitis § 5 et § 13 et Appian. Syr. 21.

Lib. XXXVII.

1. 2: *Aetoli, ut quibus plus in misericordia senatus quam in causa spei esset, suppliciter egerunt.*

Supple: *quam in causa ⟨ipsorum⟩ spei esset,* cl. XXXVI 27, 6: nec enim in causa ipsorum, sed in populi Romani clementia spem salutis positam esse.

ibid. 5: *per aliquot dies cum certatum esset, postremo neque dari neque negari pacem placuit.*

Credo: *neque negari pacem ⟨patribus⟩ placuit,* cl. Polyb. 21. 1: ἔδοξε τῷ συνεδρίῳ δύο προτείνειν γνώμας cet.

10. 2: *Polyxenidas ... praecipuo certamine animi adversus eum sumpto nihil aliud dies noctesque agitabat animo, quam ut verba magnifica eius rebus confutaret.*

Voc. *animi,* pro quo I. F. Gronovius *unum* substituendum esse ducebat, exstirpandum esse puto utpote ex *animo,* quod in versu sequenti legitur, per dittographiam ortum.

ibid. 8: *eo vero pignore velut auctoratum sibi proditorem ratus est: neque enim eum, qui sub rege viveret, commissurum fuisse, ut adversus semet ipsum indicia manu sua testata daret.*

Immo potius: *qui sub rege vivere vellet.*

11. 3: *classem instructam paratamque in portu stare; remigium omne Magnesiam [ad Sipylum] missum; perpaucas naves subductas esse et navalia detegi; numquam intentius rem navalem administratam esse.*

Pro *detegi,* quod Weissenbornio debetur, codices optimi praebent *tegi* — recentiores nonnulli *regi.* Iure ille observat, *navalia*

tegi idem denotare quod c. 10. 12 *navalia reficit,* quod cum pro segnitiae otiique testimonio ibi afferatur, nostro vero loco contrarium usu veniat, lectionem traditam veram esse non posse. Quod tamen coniecit *detegit,* mihi quidem non arridet, sed verisimilius esse opinor scriptum fuisse: *neglegi.*

ibid. 8: *Pausistratus ... armatos duobus agminibus ad promunturia, quae cornibus obiectis ab alto portum faciunt, ducit, inde facile ex ⟨tuto telis⟩ ancipitibus hostem summoturus.*

Lacunam Weissenbornius ita, alii aliter suppleruut. Equidem Livio reddendum puto: *ex ⟨turribus quasi⟩ ancipitibus.* In iis quae continuo sequuntur:

id inceptum eius Nicander a terra visus cum turbasset, repente mutato consilio naves conscendere omnes iubet,

haud scio an vera sit scriptura *a tergo* cl. § 6 supra: „hinc Nicandro quodam archipirata quinque navibus tectis Palinurum iusso petere, atque inde armatos ... Panhormum ad tergum hostium ducere."

12. 11: *inde cum in proxima Samiae vellent traicere, non expectato solis ortu, ex quo statum caeli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt.*

Variae coniecturae ad locum prolatae sunt: *ierunt* (Madvig), *immiserunt* vel *se immiserunt* (Seyffert), *moverunt* (M. Mueller), *transmiserunt* (Koch), sed nullus dubito quin Livius scripserit: *in incertam tempestatem se commiserunt,* ut alibi apud eum legitur: se non committere in aciem, committere duos filios in aleam eius qui proponitur casus, rem in aciem, rem in casum ancipitis eventus committere.

13. 9: *in eos iam ingentem praedam late depopulato agro agentes Andronicus Macedo ... iam moenibus adpropinquantes eruptionem fecit.*

Voc. *iam* multi uncinis incluserunt, quod non modo propter idem vocabulum mox in eodem enuntiato repetitum molestum sed etiam ad sententiam importunum est. Nescio tamen an melius sit emendare: *in eos vim ingentem praedae.* Facile enim

fieri potuit ut, cum *vim* in *iam* corruptum esset, aliquis *praedae* in *praedam* immutaret.

14. 2: *qui ... cum ipse duas tantum quinqueremes haberet, Epicratem cum quattuor navibus in Asiam secum reduxit. prosecutae etiam apertae Atheniensium naves sunt.*

Numerus navium Atheniensium sive post *etiam* seu post *sunt* excidisse videtur.

ibid. 5: *se in animo habuisse tota classe Ephesum petere et onerarias d u c e r e multa saburra gravatas, atque eas in faucibus portus supprimere.*

Pro *ducere* cod. M *reducere* exhibet. Corrige sodes: *a d d u c e r e.* Praefixum ex haplographia omissum est propter ultimas litteras vocis praecedentis.

16. 9: *hi, dum missilibus primo et adversus paucos l e v i b u s e x c u r s i o n i b u s lacessebatur magis quam conserebatur pugna, sustinuerunt certamen.*

Lectio certa non est, quandoquidem in uno cod. M *levibus et excursionibus*, in ceteris tantummodo *levibus* exaratum est. In ed. Basil. 1535 primum est recensitum id quod editores sequentes receperunt: *levibus excursionibus*; ceterum coniecit Weissenborn *levibus armis*, Zingerleus *levis armaturae excursionibus.* Suspicor restituendum esse: *adversus paucos v e l i t a t i o n i b u s lacessebatur*, cuius vocabuli cum syllabae priores inter se commutatae essent, librarii posteriores scripturae depravatae varie mederi conati sunt.

18. 4: *plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quattuor milibus erat. hos paucis ⟨S y r i s⟩ admixtis ad pervastandum passim Pergamenum agrum [milites] emisit.*

Postquam Weissenborn sub voce *paucis* nomen gentis alicuius latere suspicatus *Dahis* dubitanter proposuit, editor *Syris* de suo addere maluit. At te, lector, ad c. 20. 7 revocare velim, ubi haec leguntur: „aegre id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adversus sescentos, mille peditibus cum quattuor milibus pugnaturum cerneret, porta egressus haud procul statione

hostium, occasionem opperiens, consedit." Hic si iidem milites dicuntur de quibus loco nostro sermo est, reponendum videtur: *hos paucis ⟨equitibus⟩ admixtis.*

ibid. 10: *quos ubi exposuisse copias Elaeae et tot classes in unum convenisse portum Antiocho allatum est* e. q. s.

Voc. *portum* insiticium esse puto, cl. Polyb. 21. 8: *καὶ θεωρῶν οὐ μόνον τὰς ναυτικάς, ἀλλὰ καὶ τὰς πεζικὰς δυνάμεις ἐπ' αὐτὸν παραγιγνομένας κ. τ. λ.*

19. 8: *eodem Adramytteum, ut urbi praesidio essent, navibus circumvecti Aemilius et Eumenes venerunt.*

Nomen inducendum Sigonius, Crevier, Dukerus ante me iure sed frustra monuerunt.

20. 5: *dilapsi ceteri sparserant se toto passim campo, pars in iuvenales lusus lasciviamque versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati.*

Immo, opinor, *quiescentes sub umbra.*

21. 2: *postquam haud procul occasu solis redeundi in castra tempus erat, regii signis collatis abire agmine ad iter magis quam ad pugnam composito coepere.*

Legendum est: *signis sublatis.*

ibid. 8: *eam divisis inter se partibus cum oppugnarent, et videretur sine operibus, armis scalisque capi posse,* e. q. s.

Cf. c. 32. 1: „Hos portus tutissimos cum occupasset Romana classis, priusquam aut scalis aut operibus moenia aggrederetur, mittendos censuit praetor, qui" e. q. s. et deleatur molestum emblema *sine operibus.*

23. 1: *In confinio Lyciae et Pamphyliae Phaselis est; prominet penitus in altum conspiciturque prima terrarum Rhodum a Cilicia petentibus et procul navium praebet prospectum.*

Oppidi nomen *Phaselis* me inducit ut veram lectionem esse credam: *navis praebet prospectum.* Cf. c. 27. 7: „ipse collis est

in modum metae in acutum cacumen a fundo satis lato fastigatus"; ap. Cic.: porticus pulcherrimo prospectu.

ibid. 2: *et loco gravi et tempore anni — medium enim aestatis erat —, ad hoc insolito odore ingruere morbi vulgo, maxime in remiges, coeperunt.*

Pro *insolito* fere non dubito quin *insalubri* scribendum sit.

ib. 10: *nam nec sic in altum evectus erat, ut ordo omnium navium ad terram explicari posset, et festinans ipse praepropere cum quinque solis navibus Hannibali occurrit.*

Pro *sic*, quod in uno tantum codice legitur, sententia, ni fallor, postulat: *satis*.

24. 2: *nam et in altum celeriter evectae naves locum post se quaeque venienti ad terram dedere, et si qua concurrerat rostro cum hostium nave, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu praetervecta in puppim impetum dabat.*

Voc. *rostro*, quod nunc post *concurrerat* legitur, traiciendum est post *lacerabat*.

ibid. 4: *et circumvenisset, ni signo sublato ex praetoria nave, quo dispersam classem in unum colligi mos erat, omnes quae in dextro cornu vicerant naves ad opem ferendam suis concurrissent.*

Frustra editores desudarunt in verbis *in dextro cornu* sive explicandis seu emendandis, e quibus Drakenborchium, qui *dextrum cornu* inducta praepositione proposuit, proxime ad verum accessisse puto. Tamen emendandi ratio simplicissima est. Scripsit nimirum L.: *quae iam dextrum cornu vicerant.* Voc. *iam* cum semel in *in* corruptum esset, mox *dextrum* in *dextro* immutatum est.

ibid. 7: *consurrexere omnes, contemplatique trepidationem fugamque hostium, ⟨alacri⟩ ac prope una voce omnes ut sequerentur exclamaverunt.*

Unus cod. M *trepidationem* exhibet — ceteri *expugnationem*,

unde Iac. Gronovius *exsternationem* coniecit. Equidem praetulerim: *perturbationem.*

25. 6: *venire eos ad omnia regna tollenda ... Philippum, Nabim expugnatos; se tertium peti; ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes velut continens incendium pervasurum.*

Corrige ne dubita: *per omnes ⟨reges⟩.*

ibid. 9: *regulos se acceptos in fidem in Hispania reges reliquisse; Masinissam non in patrio modo locasse regno, sed in Syphacis, a quo ante expulsus fuisset, regnum imposuisse.*

Cui illa legenti in mentem non venit Augusti dictum: (urbem) marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset (Suet. Aug. 28) et Petri Magni, Russiae Caesaris: J'ai trouvé la Russe rivière, je la laisse fleuve? In sequentibus vide an non vera sit lectio: *sed ⟨et⟩ in Syphacis.*

27. 5: *postquam videre ex alto classem, in fugam verterunt. et celeritate superabant levioribus et ad id fabrefactis navigiis, et propiores terrae erant.*

Verbum fabrefaciendi, quod de operibus ex aere, argento, auro artificiose factis semper et ubique — de navibus nusquam adhiberi solet, ab hoc loco alienum est inepteque legitur. Corrigatur igitur: *fabricatis*, quod de navibus aedificandis saepe usurpatur. Cf. Sall. fragm.: ad id naves codicariae per hiemem fabricatae.

28. 7: *ita clauditur portus, ut vix duae simul inde naves possint exire. [inde] nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat.*

Pro altero voc. *inde*, quod Zingerleus inclusit, fortasse Livius scripsit: *media.*

ibid. 10: *dicitur et Eudamus Rhodius vitium alterius portus ostendisse.*

Voc. *Rhodius*, nomini viri, de quo toties iam sermo fuit, a nescio quo ridicule additum, in marginem relegandum est.

29. 1: *Traducta classe ad urbem, ignaris omnibus egressi milites nautaeque sunt ad commeatus et vinum maxime dividendum in naves* e. q. s.

Pro verbis *ignaris omnibus*, quae editores explicare frustra laborant, conicio: *ex navibus omnibus.*

30 i. f: *Rhodia una capta memorabili casu. nam cum rostro percussisset Sidoniam navem, ancora, ictu ipso excussa e nave sua, unco dente, velut ferrea manu iniecta, alligavit alterius proram; inde tumultu iniecto cum divellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, tractum ancorale et implicitum remis latus alterum detersit; debilitatam ea ipsa, quae icta cohaeserat, navis cepit.*

Hunc locum neque ego intellego neque quemquam probabiliter explicare posse aio, qua de causa miror editores scripturam in codd. mss. et edd. antiquissimis traditam (*tractu ancorali*), quae certe verae lectionis vestigia servavit, spernentes atque uni editioni Basil. oboedientes scripturam illam mendosam ac prorsus inexplicabilem *tractum ancorale* recipere maluerunt. Funis enim vel catena ancoralis si umquam remos omnes alterutrius lateris detergere potest, hic certo minime potuit, cum prora Rhodiae navis cum altero navigio cohaereret et Rhodii id agerent ut retro remigando se extricarent, unde ancorale remos ne attingere quidem potuit, id quod nemo non agnoscet qui veram rerum narratarum speciem animo conceperit. Haec difficultas Weissenbornium, quamquam ne ipse quidem locum intellexit et ridiculam editionis Basil. lectionem fideliter recepit, saltem non latuit, nam annotavit: „Weniger deutlich ist, wie bei dem Rückgehen des Schiffes die Ruder ergriffen werden".

Iam nunc affirmo, genuinam lectionem esse:

tracta ancorali et implicita remis latus alterum detersit,

verum ad opinionem meam comprobandam opus esse iam video ea, quae deinceps facta sunt, fuse enarrare atque accurate explicare.

Rhodia igitur navis navem Sidoniam rostro percussit.

Ictu ipso ancora ab altera nave in alterius proram decidit eamque alligavit.

Si fides habenda est Appiano Syr. 27, ancora decidit de nave

percussa: *ἄγκυρα ἐκπίπτουσα τῆς Σιδονίας ἐς τὴν Ῥοδίαν ἐπάγη τε καὶ συνέδησεν ἄμφω πρὸς ἀλλήλας*, sed parum verisimile id videtur, quandoquidem tumultus inde Rhodiis inicitur, qui divellere se ab hoste cupientes retro remigando navem suam solvere voluisse dicuntur. At hercle vero rem nullo negotio expedire potuissent, si quis ancoram, cuius pondus viginti kilogrammata non excedebat, manibus arreptam in mare deiecisset. Qua de causa Appianum locum Livianum perperam intellexisse credo, ancoram vero de Rhodia prora in navem Sidoniam decidisse.

At hanc rem, quae ad cetera parum facit, missam faciamus. Naves igitur inter se firmiter iam copulatae sunt, Rhodiis tumultus inicitur, divellere se ab hoste temptant eo quod inhibent. 'Inhibere' autem quid sit lexica docent, ut in Georgii recte legitur: „nach dem Hinterdeck zu rudern ohne zu wenden, rückwärts rudern", et locus lepidissimus ap. Cic. Att. XIII. 21. 3, quem Weissenbornius quoque attulit: „inhibere — est verbum totum nauticum, quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges iussi. id non esse eiusmodi didici heri, non enim sustinent, sed alio modo remigant."

Nautae autem Rhodii cum navem suam remis retro impellunt, quid inde evenire necesse est? Primo nimirum navis a nave adversaria lente se removebit, donec ancoralis funis, qui naves coniungit, totus evolutus erit; tum vero funis ille, si non rumpitur, remulci vice fungi coepit. Navis igitur Sidonia, tracta ancorali, impetu movetur subito multoque vehementiore quam quo Rhodia tunc agitur, utpote a remigibus inhibentibus impulsa, et dum irruens alterum latus Rhodiae navis praestringit, huius remis implicatur, quos dicto citius deterget omnes.

Itaque exitus totius rei hic fuit:

debilitatam (sc. Rhodiam) *ea ipsa, quae icta cohaeserat, navis* (sc. Sidonia) *cepit.*

31. 9: *inde lingua in altum mille passuum excurrens medium fere sinum velut nota distinguit.*

An forte pro *velut nota* scribendum est: *velut normā*?

33. 2: *refertaque urbs omnium rerum commeatibus velut in adventum exercitus praeparatis eos excepit, ubi inopiam ultimam laboremque in obsidenda urbe proposuerant sibi.*

Verba *omnium rerum*, quae nunc post *urbs* leguntur, post *ubi* in vs. sq. reponenda esse suspicor. Cf. c. 28. 2: omni commeatu, Nepos Milt. 7. 2: urbem ... omni commeatu privavit, Caes. B. C. III 49. 6: commeatus omni genere, sed num dici possit 'omnium rerum commeatus' dubito.

34. 6: (tradunt) *alii, postquam transitum in Asiam est, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obviam equitatu cum reciperet sese, delapsum in eo tumultu ex equo, cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse.*

In cod. B cum *ab regia castra* exaratum sit, suspicio mihi nata est, praepositionem *ab* de loco suo migrasse, hunc vero esse ante voc. *effuso.*

39. 11: *laevum cornu non egere videbatur obiectis talibus auxiliis, quia flumen ab ea parte ripaeque deruptae claudebant; quattuor tamen inde turmae equitum oppositae.*

Pro *tamen* scribendum puto: *tantum.*

41. 2: *Nebula matutina, crescente die levata in nubes, caliginem dedit; umor inde ab austro velut ⟨pluvialis⟩ perfudit omnia.*

Ad locum corruptum quoniam multae iam coniecturae prolatae sunt, e quibus nulla adhuc satis placere editoribus potuit, meam quoque opinionem de medela adhibenda aperire liceat. Nihil enim supplendum esse puto, sed pro *velut* legendum: *illatus.*

44. 3: *Et illo quidem die victores direptis hostium castris cum magna praeda in sua reverterunt; postero die spoliabant caesorum corpora et captivos contrahebant. legati ... venerunt.*

Emenda: *contrahebant, ⟨cum⟩ legati ... venerunt.*

49. 3: (Aetoli) *eo ... rem adduxerunt, ut haud paulo plurium*

maleficiorum gentis quam beneficiorum memoria subiret animos patrum, et quibus misericordia opus erat, iram et odium irritarent.

Weissenbornius lectionem suam *irritaret* defendit dicens fore ut, si scriptura codicum mss. *irritarent* reciperetur, verbum satis dure ad nomen *Aetoli* respiceret ratione non habita vocis *memoria*, itaque potius notionem reflexivam *sibi irritarent* esse exspectandam. At male vir doctus locum intellexit: lectio tradita optime se habet, sed Livius inter se opposuit *misericordia* atque *iram et odium*, subiectum autem verbi *irritarent* e pronomine *quibus* facile suppletur ita: et ii, quibus misericordia opus erat, non misericordiam sed iram et odium moverent.

54. 2: *interposita Smyrnaeorum brevis legatio est, quia non aderat quidam Rhodiorum.*

Corrigendum est: *quia non⟨dum⟩ aderat q. R.* Cf. Polyb.: *ἐβούλοντο εἰσάγειν τοὺς Ῥοδίους, ἀφυστεροῦντος δέ τινος τῶν πρεσβευτῶν εἰσεκαλέσαντο τοὺς Σμυρναίους.*

ibid. 12: *quarum una quaelibet regi adiecta multiplicare regnum Eumenis potest, omnes vero datae maximis eum regibus aequare.*

Voc. *regi*, pro quo Kochius *regio* coniecit, eliminandum est. Scripsit Polyb.: *ὧν ἕν τι προστεθὲν πρὸς Εὐμένους βασιλείαν δεκαπλασίαν αὐτὴν δύναται ποιεῖν τῆς νῦν ὑπαρχούσης*, et e verbis sequentibus *regnum Eumenis* facile intellegitur ad verbum *adiecta*: regno Eumenis.

57. 9: *Eodem anno censuram multi et clari viri petierunt. quae res, tamquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multo maiorem excitavit.*

Praetulerim: *parum magni certaminis causae*, i. e. parum causae propter quam magnum certamen oreretur.

OVIDIANA

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



P. III, 1, 104:

utque meae res *sunt*, omni, puto, tempore flebis:
has fortuna tibi nostra *ministret* opes.

Verba haec sunt poetae ad uxorem. Sed recipiendam fuisse variam lectionem *ministrat* totus contextus clamat. Proxime enim praecedunt haec:

quae (sc. lacrimae) tibi ne desint, bene per mala nostra
meque viro flendi copia dives *adest*. [*cavetur*

Et omnino nullus magis in deliciis Ovidio flosculus est quam ille, quo inopis solae lacrimae opes dicuntur. Ut e sescentis exemplis unum afferam, Polyxenam mortuam sic alloquitur mater (Met. XIII, 524):

at, puto, funeribus dotabere, regia virgo,
condeturque tuum monumentis corpus avitis.
non *est* haec fortuna domus: tibi munera matris
contingent fletus e. q. s.

Ubi nemini, opinor, in mentem veniet *haec sit* pro *est haec* legere.

P. III, 2, 106. Cottam ut opem sibi ferat hoc argumento hortatur poeta:

adde quod est animus semper tibi mitis et altae
indicium mores nobilitatis habent,
quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor,
quos Numa maternus non neget esse suos.

Vocem *maternus* corruptam esse Bentleius perspexit, sed quod reposuit *maternis* duriusculum videtur. Ovidianam restitues elegantiam legendo *materni* (sc. nominis auctor).

Tr. V, 3, 15 *sqq*.

Tu (*Bacche*) tamen e sacris hederae cultoribus unum
Numine debueras sustinuisse tuo.
17 An dominae fati quidquid cecinere sorores
Omne sub arbitrio desinit esse dei?
Ipse quoque aetherias meritis invectus es arces,
Quo non exiguo facta labore via est.

Istut *invectus es* nescio quid duri habet. Pro *es* exstant vv. ll. *in* et *ad*. Ecquid 17 sq. a docto lectore additi, simulque vs. 19 istut *es* pro *in* (vel *ad*) positum? Quod ideo verisimilius quia vs. 25 iterum disputatio de Parcis infertur, sed nunc aptissime.

INDEX.



MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. HOLWERDA, J. C. NABER, M. C. VALETON,
J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM QUARTUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1916.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

OBSERVATIONES CRITICAE
IN
PLATONIS REMPUBLICAM.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF.



Platonis Res Publica recognovit Ioannes Burnet, Oxonii, 1902.

AD LIBRUM PRIMUM.

p. 327 B.

καί μου ὄπισθεν ὁ παῖς λαβόμενος τοῦ ἱματίου, „κελεύει ὑμᾶς, ἔφη, Πολέμαρχος περιμεῖναι". καὶ ἐγὼ μετεστράφην τε καὶ ἠρόμην, ὅπου αὐτὸς εἴη. „Οὗτος, ἔφη, ὄπισθεν προσέρχεται".

Tum ego conversus ubinam ipse esset interrogavi. „Te pone sequitur" vertit Ficinus, incommodo pronomine quod est *οὗτος* caute omisso.

Pro *Οὗτος* ex interrogatione equidem iteraverim: *Αὐτός.* „En herum meum, inquit, pone accedentem".

p. 328 C.

Ὦ Σώκρατες οὐ δὲ (codd. *οὐδὲ*) *θαμίζεις ἡμῖν καταβαίνων εἰς τὸν Πειραιᾶ.*

Minime cum libris et Stallbaumio *οὐδὲ*, aut cum Nitzschio et Burneto *οὐ δὲ* aut cum Bywatero *σὺ δὲ οὐ θαμίζεις* scribendum est. Verum videtur: *οὔ τι θαμίζεις.*

Lepide *ὁμηρίζει* bonus Cephalus et Vulcani ad Thetidem verba *„πάρος γε μὲν οὔ τι θαμίζεις"* in suum usum convertit.

p. 328 E s. f.

*καὶ δὴ καὶ σοῦ ἡδέως ἂν πυθοίμην ὅ,τι σοι φαίνεται τοῦτο, ἐπειδὴ ἐνταῦθα ἤδη εἶ τῆς ἡλικίας ὃ δὴ „ἐπὶ γήραος οὐδῷ" φασιν εἶναι οἱ ποιηταί, πότερον χαλεπὸν τοῦ βίου * ἢ πῶς σὺ αὐτὸ ἐξαγγέλλεις.*

Casu, ut opinor, necessarium post *τοῦ βίου* substantivum intercidit. Aut mecum insere *τέλος* aut si quid novisti rectius candidus imperti. „*Durus vitae finis*".

p. 329 A.

πολλάκις γὰρ συνερχόμεθά τινες εἰς ταὐτὸν παραπλησίαν ἡλικίαν ἔχοντες. ..... οἱ οὖν πλεῖστοι ἡμῶν ὀλοφύρονται συνιόντες a) *τὰς ἐν τῇ νεότητι ἡδονὰς ποθοῦντες καὶ ἀναμιμνῃσκόμενοι περί τε τἀφροδίσια καὶ περὶ πότους τε καὶ εὐωχίας κτὲ.*

a) *συνιόντες* codd.; *ξυνιόντες* Stobaeus.

Plane absurdum esse in vv. contextu recte dicit Buttmannus quod codices exhibent participium *συνιόντες*. Expectaveris certe *συνελθόντες*. Commendat autem *ξυνόντες*, *congregati*, quod quamvis satis otiosum tamen quodammodo ferri potest. Mihi aliud quid in mentem venit: post *ὀλοφύρονται* rescribendum esse: *ἀεὶ συνεχῶς*. (Cf. Plat. Legg. IV 706 A et VII 807 E nec non Homericum *ξυνεχὲς αἰεί*.)

ὀλοφύρονται ⟨ἀεὶ⟩ συνεχῶς τὰς ἐν τῇ νεότητι ἡδονὰς ποθοῦντες κτὲ.

Quam facete irridentur queruli isti senes assidue cum aequalibus lamentantes amissaque bona iuventutis venerem convivia ludum, tamquam omnibus fere voluptatibus iamiam privati, continenter deplorantes!

p. 329 C.

καὶ ὅς, „εὐφήμει", ἔφη, „ὦ ἄνθρωπε· ἀσμενέστατα a) *μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών"* b).

a) *ἀσμεναίτατα* recte Et. Magn.; b) *ἀποδράς* Theo.

De librorum scriptura *ἀπέφυγον ..... ἀποφυγὼν* haud parva inter viros doctos est dissensio. Hemsterhusium si audis (quem hodieque sequitur Burnetus) participio *ἀποφυγὼν* utique praeferenda est varia lectio *ἀποδρὰς*, quae servata est THEONIS *Pro-*

gymn. p. 14. Contra Stallbaumius ἀποφυγὼν in hac narrationis simplicitate ut elegantem eiusdem verbi repetitionem admiratur. Naberus commendat rescribere: ἀπεφοίτων ..... ἀποφυγών. Herwerdeni iudicio neque ἀποφυγὼν neque ἀποδρὰς genuinum est et inutile vocabulum delendum esse censet.

Vide ne res paullo aliter se habeat. Componito mihi aliquis Ciceronem (de Sen. § 47) dictum Sophocleum ad verbum fere transferentem: „Di meliora, inquit, lubenter vero (μέντοι) istinc tamquam a domino agresti ac furioso profugi". Sic Platonem quoque eodem naturali i. e. optimo verborum ordine usum dedisse probabile est: εὐφήμει· ἀσμεναίτατα μέντοι αὐτὸ (vel potius αὐτὰ cum Theone) [ἀπέφυγον] ὥσπερ λυττῶντα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀπέφυγον. Librarius errore tralaticio (quale dittographiarum genus etiam in papyris passim nobis obvium est) verbum quod est ἀπέφυγον non semel sed bis exaravit: videlicet primum ubi nunc extat post pronomen αὐτὸ, deinde loco suo in fine sententiae. Errorem non agnovit: puncta, dictionis expungendae signa, notare neglexit. Supervenit correctoris παραδιόρθωσις ultimum verbum, indicativum, in participium corrumpentis, voce superflua intacta relicta. Hoc unum restabat ut sciolus, ne idem verbum breviore intervallo recurreret, ἀποφυγὼν mutaret in ἀποδράς!

p. 329 D.

τὸ τοῦ Σοφοκλέους γίγνεται, * δεσποτῶν πάνυ πολλῶν [ἐστι] καὶ μαινομένων ἀπηλλάχθαι.

De notissimo illo poetae dicto agitur. Cf. Athen. p. 510 B. Quare restitue articulum τὸ ante δεσποτῶν ..... ἀπηλλάχθαι. Vide 331 E s. f. ὅπερ ἄρτι ἐλέγομεν τό τινος παρακαταθεμένου ..... ἀπαιτοῦντι ἀποδιδόναι.

Praeterea aut quantocyus expelle voculam ἐστι utpote ab imperito scriba infertam aut repone particulam τε.

Ibidem paullo inferius:

εἰ δὲ μή, καὶ γῆρας ..... καὶ νεότης χαλεπὴ [τῷ τοιούτῳ συμβαίνει]. Utrum Platonem an potius interpolatorem unum e multis sententiam hac bellissima clausula exornare voluisse putemus?

Compara Cic. *de Senect.* § 7: „importunitas autem et inhumanitas omni aetate molesta est”.

Ibidem E. ..... *διὰ τὸ πολλὴν οὐσίαν κεκτῆσθαι.*

Liquido constat, ex optimo codice Parisino A imprimis, Platonem post antecedentis vocabuli literam consonantem non *κεκτῆσθαι* verum *ἐκτῆσθαι* dedisse. Vide Schanz Praef. ad Legg. p. 16. Hoc igitur loco corrige *ἐκτῆσθαι* et p. 330 A *ἔκτησαι* et 330 B *ἔκτημαι* etc.

p. 330 C.

..... *ταύτῃ τε δὴ καὶ οἱ χρηματισάμενοι περὶ τὰ χρήματα σπουδάζουσιν ὡς ἔργον ἑαυτῶν, καὶ * κατὰ τὴν χρείαν ᾗπερ οἱ ἄλλοι.*

In calcem relegata immerito spernitur, si quid video, vetus quaedam emendatiuncula a Cornario sive ex aliquo deteriore libro sive e Stobaei florilegio protracta, quam in ordinem receptam oportuit: *⟨οὐ⟩ κατὰ χρείαν* dico. Res ipsa clamat. „Qui minutatim, numquam ulli heredes facti, multo labore et sudore sibi ipsi opes comparaverint — scilicet hoc fere vult Cephalus — caram pecuniam suam quasi alterum Palladium venerari ac sustinere solent; **non** sicuti cetera pars mortalium, quibus nummi tantum valent usu”.

p. 331 C.

*τοῦτο δ' αὐτό, τὴν δικαιοσύνην, πότερα τὴν ἀλήθειαν * αὐτὸ φήσομεν εἶναι ἁπλῶς οὕτως καὶ τὸ ἀποδιδόναι ἄν τίς τι παρά του λάβῃ, ἢ καὶ αὐτὰ ταῦτα ἔστιν ἐνίοτε μὲν δικαίως, ἐνίοτε δὲ ἀδίκως ποιεῖν;*

Adde sis quod excidisse apparet:
τὴν ἀλήθειαν ⟨λέγειν⟩.

p. 333 E.

*οὐκ ἂν οὖν ..... πάνυ γέ τι σπουδαῖον εἴη δικαιοσύνη εἰ πρὸς τὰ ἄχρηστα χρήσιμον ὂν * τυγχάνει.*

Sententia utique postulat: *χρήσιμον ὂν ⟨μόνον⟩ τυγχάνει.*

p. 336 A.

οἶμαι αὐτὸ Περιάνδρου εἶναι ἢ Περδίκκου ἢ Ξέρξου ..... ἤ τινος ἄλλου μέγα οἰομένου δύνασθαι [π λ ο υ σ ί ο υ] ἀνδρός.

Haud plane inepte coniiciat aliquis supplendum esse δύνασθ α ι ⟨ἅ τ ε⟩ πλουσίου. Quamquam re bene perpensa ego nullus dubito quin adiectivum quod est πλουσίου cum I. L. V. Hartmanno inducendum sit.

p. 338 A.

..... προσεποιεῖτο δὲ Φιλονικεῖν πρὸς τὸ ἐμὲ εἶναι τὸν ἀποκριΝΟμενον.

Ex antecedentibus luculenter patet utique corrigendum esse: τὸν ἀποκριΝΟΥμενον. Frequentis confusionis inter Ο et ΟΥ in causa esse videtur antiqua literatura. PLAT. PHAEDR. C sustuli vitium contrarium: ὡς διὰ σμικρὰ μεγάλας ἔχθρας οἱ ἐρασταὶ ἀναιρΟΥνται καὶ ἔ χ ο υ σ ι πρὸς τὰ παιδικὰ Φθονερῶς τε καὶ βλαβερῶς: imo ἀναίρΟνται.

p. 340 E s. f.

τοιοῦτον οὖν δή σοι καὶ ἐμὲ ὑπόλαβε ν υ ν δ ὴ ἀ π ο κ ρ ί ν Ε σ θ α ι.

Praesens tempus (pro aoristo), etsi legitur in optimo codice Parisino A Stallbaumioque longe praestabilius videtur, prorsus, mihi crede, falsum est. Qui totum locum diligenter perlegerit, cum libris recentioribus ἀποκρίνΑσθαι (*respondisse*) restituet.

p. 342 A.

Τί δὲ δή; αὐτὴ ἡ ἰατρική ἐστιν πονηρά, ἢ * ἄλλη τις τέχνη ἔσθ' ὅ τ ι (ὅτε?) προσδεῖταί τινος τέχνης;

Verba hiulca, ut vides.

Platonem scripsisse probabile est:

ἢ ⟨ὡς καὶ⟩ ἄλλη τις τέχνη κτέ.

p. 343 B.

Ὅτι οἴει τοὺς ποιμένας ἢ τοὺς βουκόλους τὸ τῶν προβάτων ἢ τὸ τῶν βοῶν ἀγαθὸν σκοπεῖν καὶ παχύνειν αὐτοὺς ..... πρὸς ἄλλο τι βλέποντας ἢ τὸ τῶν δεσποτῶν ἀγαθὸν ....., καὶ τοὺς ἐν πόλεσιν ἄρχοντας ..... ἄλλως πως ἡγῇ δ ι α ν ο ε ῖ σ θ α ι πρὸς τοὺς ἀρχομένους ἢ ὥσπερ ἄν τις πρὸς πρόβατα δ ι α τ ε θ ε ί η κτέ.

Certa et explorata est Faësii emendatio *διαΝΟεῖσθαι* in *διαΚεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀρχομένους* mutantis. Cuius eximii inventi editores nullam rationem habuisse mirationem movet. Confer insequens verbum *διατεθείη*.

Atticum et Platonicum est *διανοεῖσθαι* non *πρός τινα*, verum *περί τινα* vel *ὑπέρ τινος*. Vide Rep. III. 414 E et passim.

p. 344 A.

*πάντων δὲ ῥᾷστον μαθήσῃ, ἐὰν ἐπὶ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν ἔλθῃς, ἣ τὸν ἀδικήσαντα εὐδαιμονέστατον ποιεῖ, τοὺς δὲ ἀδικηθέντας καὶ * ἀδικῆσαι οὐκ ἂν ἐθέλοντας ἀθλιωτάτους.*

Supplebimus: *καὶ* ⟨*ἀντ*⟩*αδικῆσαι*. Veluti Theaet. 173 A: *τὸ ἀλλήλους ἀνταδικεῖν* et Crit. 54 C: *ἀνταδικήσας καὶ ἀντικακουργήσας*.

Ibidem C. s. f.

..... *καὶ ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἔλεγον, τὸ μὲν τοῦ κρείττονος συμφέρον τὸ δίκαιον τυγχάνει ὄν, τὸ δ' ἄδικον * ἑαυτῷ λυσιτελοῦν τε καὶ συμφέρον.*

„Iustum est, ut ab initio dicebam, id quod conducit potentiorum commodis utilitatibusque; iniustum vero quidquid sibi ipsi prodesse conatur".

Addiderim articulum:

⟨*τὸ*⟩ *ἑαυτῷ λυσιτελοῦν τε καὶ συμφέρον.*

p. 346 A.

οὐχὶ ἑκάστην μέντοι φαμὲν ἑκάστοτε τῶν τεχνῶν τούτῳ ἑτέραν εἶναι, τῷ ἑτέραν τὴν δύναμιν ἔχειν;

Respondit Thrasymachus:

'Αλλὰ τούτῳ, ἔφη, [*ἑτέρα*] [a]).

a) *ἑτέραν* libri recentiores.

In oculos incurrit otiosum vel potius vitiosum esse additamentum *ἑτέρα*. Repetere sane potuit, quamquam nihil opus, Thrasymachus: *ἀλλὰ τούτῳ, τῷ ἑτέραν δύναμιν ἔχειν.*

Ibidem B.

ἢ τὴν ἰατρικὴν σὺ καὶ τὴν κυβερνητικὴν τὴν αὐτὴν καλεῖς; ἢ ..... *οὐδέν τι μᾶλλον, ἐάν τις κυβερνῶν ὑγιὴς γίγνηται διὰ τὸ*

συμφέρον αὐτῷ πλεῖν ἐν τῇ θαλάττῃ, ἕνεκα τούτου καλεῖς μᾶλλον αὐτὴν ἰατρικήν;

ξυμφέρον, quod exhibet vetus liber Parisinus A, in recentiore codice Vindobonensi F iure correctum est in *ξυμφέρειν*.

p. 350 D.

Ὁ δὴ Θρασύμαχος ὡμολόγησε μὲν ταῦτα πάντα, οὐχ ὡς ἐγὼ νῦν ῥᾳδίως λέγω, ἀλλ' ἑλκόμενος καὶ μόγις, μετὰ ἱδρῶτος θαυμαστοῦ ὅσου κτέ.

Quis praesertim admonitus non videt transponendum esse: *οὐχ, ὡς ἐγὼ νῦν λέγω, ῥᾳδίως, ἀλλ' ἑλκόμενος καὶ μόγις κτέ.*? „Concessit haec Thrasymachus, non facile quidem sed aegre".

p. 351 B.

ἀλλὰ τόδε περὶ αὐτοῦ σκοπῶ· (praestat cum Nabero legere: *σκόπει·*) *πότερον ἡ κρείττων γιγνομένη πόλις [πόλεως] ἄνευ δικαιοσύνης τὴν δύναμιν ταύτην ἕξει, ἢ ἀνάγκη αὐτῇ μετὰ δικαιοσύνης;*

Sine ullo sive perspicuitatis sive elegantiae detrimento sententia genetivo inducto carere possit. Vehementer suspicor vocabulum prorsus inutile natum esse e dittographia. Nihil tamen definiam.

AD LIBRUM SECUNDUM.

p. 359 E s. f.

καθήμενον οὖν (τὸν Γύγην) μετὰ τῶν ἄλλων τυχεῖν τὴν σφενδόνην τοῦ δακτυλίου περιαγαγόντα πρὸς ἑαυτὸν εἰς τὸ εἴσω τῆς χειρός, τούτου δὲ γενομένου ἀφανῆ αὐτὸν γενέσθαι τοῖς παρακαθημένοις καὶ ⟨οὓς⟩ a) *διαλέγεσθαι ὡς περὶ οἰχομένου· καὶ τὸν θαυμάζειν τε καὶ πάλιν ἐπιψηλαφῶντα τὸν δακτύλιον στρέψαι ἔξω τὴν σφενδόνην καὶ στρέψαντα φανερὸν γενέσθαι, καὶ τοῦτο ἐννοήσαντα ἀποπειρᾶσθαι τοῦ δακτυλίου [εἰ * ταύτην ἔχοι τὴν δύναμιν] καὶ αὐτῷ οὕτω συμβαίνειν· στρέφοντι μὲν εἴσω τὴν σφενδόνην ἀδήλῳ γίγνεσθαι, ἔξω δὲ δήλῳ κτέ.*

a) *οὓς* rectissime inserit Naberus.

Herwerdenus Mnemos. 1907 p. 396 optime me quidem iudice

reponere suadet: *⟨κἀεὶ⟩ αὐτῷ οὕτω συμβαίνειν.* Quamquam mihi in ambiguo est an etiam nunc puram putam scriptoris manum redintegratam habeamus omni sordium admistione incontaminatam. Num quae inclusimus omittentes de vivo quicquam resecabimus aut admirabilis narrationis evidentiae simpliciter quotidiano sermone explicatae minus bene satisfactum erit legendo:

καὶ τοῦτο ἐννοήσαντα (τὸν Γύγην) ἀποπειρᾶσθαι τοῦ δακτυλίου κἀεὶ αὐτῷ οὕτω συμβαίνειν κτἑ.?

Sin natura paullo tenacior violenter excidere et tollere reformidas quod forsitan leniore medicina sanari possit, nescio an tibi concedendum sit adverbium quod est *ἀεὶ* non semel sed bis e contextu evanuisse, ut Plato dederit:

εἰ ⟨ἀεὶ⟩ ταύτην ἔχοι τὴν δύναμιν ⟨κἀεὶ⟩ αὐτῷ οὕτω συμβαίνειν.

p. 360 D.

λυσιτελεῖν γὰρ δὴ οἴεται πᾶς ἀνὴρ πολὺ μᾶλλον ἰδίᾳ τὴν ἀδικίαν τῆς δικαιοσύνης, ἀληθῆ οἰόμενος, ὡς Φήσει (L. *Φησιν*) *ὁ περὶ τοῦ [τοιούτου] λόγου [λέγων]·*

Probabiliter I. L. V. Hartman iudicat prorsus sufficere *τοῦ λόγου.* Ceterum Herwerdenum potius sequamur acute e scriptura ΠЄΡΙ ΠЄΡ i. e. *πατὴρ* elicientem atque participium quod est *λέγων* male sedulo correctori reddentem. Passim sic loquitur noster: velut PHAEDR. 275 E: (*Θεὺθ*) *πατὴρ γραμμάτων*; CONV. 177 D: *ἄρχειν δὲ Φαῖδρον πρῶτον, ἐπειδὴ καὶ πρῶτος κατάκειται καὶ ἔστιν ἅμα πατὴρ τοῦ λόγου*; LYS. 214 A: *οὗτοι γὰρ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας.* Eodem modo alicubi qui alterum in libertatem vindicarat, *τῆς ἐλευθερίας αὐτοῦ πατέρα* vocari memini.

Quibus exemplis egregie confirmatur etiam ingeniosum Herwerdeni inventum, qui *Mnemos.* 1891 p. 221 locum *Rep.* 403 B sic in integrum restituit:

καὶ ξυνεῖναι καὶ ἅπτεσθαι ὥσπερ ⟨πατὴρ⟩ [1]) *υἱέος παιδικῶν ἐραστὴν, τῶν καλῶν χάριν, ἐὰν πείθῃ κτἑ.*

Hoc vero est rem acu taugere!

---

1) Potuit etiam: <ὡς> *πατὴρ.*

p. 361 A.

οὕτω καὶ ὁ ἄδικος ἐπιχειρῶν [ὀ ρ θ ῶ ς] τοῖς ἀδικήμασιν λανθανέτω, εἰ μέλλει σφόδρα ἄδικος εἶναι.

Recte istud *ὀρθῶς* mediam orationem inepte interrumpens I. L. V. Hartman (praeeunte Nabero *Mnemos.* 1908 p. 284) uncinis saepsit.

Ex animi sententia assentientis lectoris exclamatio esse videtur inscienter ex ora libri in contextum introducta.

Sic saepe *καλῶς*! se insinuavit. Cf. Cobet de A. I. p. 137.

p. 361 C.

μηδὲν γὰρ ἀδικῶν δόξαν ἐχέτω τ ὴ ν μ ε γ ί σ τ η ν ἀδικίας κτέ.

Potior videtur quam habet Eusebius scripturam: *δόξαν ἐχέτω τ ῆ ς μεγίστ η ς ἀδικίας.*

p. 362 B.

Τῷ ὄντι γὰρ φήσουσι τὸν ἄδικον, ἅτε ἐπιτηδεύοντα πρᾶγμα ἀληθείας ἐχόμενον καὶ οὐ πρὸς δόξαν ζῶντα, [οὐ δοκεῖν ἄδικον ἀλλ' εἶναι ἐθέλειν] „βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενον, ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα", πρῶτον μὲν ἄρχειν ἐν τῇ πόλει, [δοκοῦντι δικαίῳ εἶναι] ἔπειτα γαμεῖν ὁπόθεν ἂν βούληται κτέ.

Quis tota periodo curatius perlecta non mihi dabit vv. *οὐ δοκεῖν ἄδικον ἀλλ' εἶναι ἐθέλειν* scriptoris verbis putide interstrepere? Manifesto desumta sunt e proxime antecedentibus § 362 in. Neque facile, credo, dixeris quid *ἐν τοῖς συμφραζομένοις* significent vv. *δοκοῦντι δικαίῳ εἶναι* aut unde dativus iste omnino pendeat.

Nisi deletis delendis tota sententia non recte procedet.

p. 363 C.

*Μουσαῖος δὲ τ ο ύ τ ω ν ν ε α ν ι κ ώ τ ε ρ α * Τ ἀ γ α θ ὰ κ α ὶ ὁ υ ἱ ὸ ς α ὐ τ ο ῦ παρὰ θεῶν διδόασιν τοῖς δικαίοις.*

Parum placet articulus ante *ἀ γ α θ ά*. Aliquanto melius rescripseris: *ἔτ' ἀγαθά*. Praeterea nota miram verborum traiectionem, scribae erratum nimirum. Ordo naturalis est:

Μουσαῖος δὲ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ τούτων νεανικώτερα ἔτ' ἀγαθὰ κτέ.

p. 363 D.

οἱ δὲ (alii poetae) *ἔτι τούτων μακροτέρους ἀποτείνουσι μισθοὺς* [*παρὰ θεῶν*].

Prava lectio videtur *ἀποτείνουσι* quam frustra tueri studet Stallbaumius. Caute Naber (*Mnem.* 1908 p. 284): „haud satis scio sitne peccatum nec ne; intellegam certe quod secundum hodiernam orthographiam *ἀποτείνουσιν* est".

Sedes vitii, nisi fallor, est in praepositione. Compositum quod requiritur est *προτείνειν* i. e. *praetendere, ostentare.* Cf. II 382 in.: *ψεύδεσθαι θεὸς ἐθέλοι ἂν ἢ λόγῳ ἢ ἔργῳ φάντασμα προτείνων*; *Phaedr.* 230 E: *σὺ ἐμοὶ λόγους οὕτω προτείνων.* Eurip. Hel. 28: *τοὐμὸν δὲ κάλλος ..... Κύπρις προτείνασα.*

Belgice: *voorspiegelen.*

παρὰ θεῶν inutiliter repetitum videtur e continuo praegressis.

p. 365 E.

„*ἀλλὰ δὴ θεοὺς οὔτε λανθάνειν οὔτε βιάσασθαι δυνατόν*"

οὔκουν (nonne) *εἰ μὲν μὴ εἰσὶν ἢ μηδὲν αὐτοῖς τῶν ἀνθρώπων μέλει, τί καὶ ἡμῖν μελητέον τοῦ λανθάνειν; εἰ δὲ εἰσί τε καὶ ἐπιμελοῦνται, οὐκ ἄλλοθέν τοι αὐτοὺς* (malim *αὐτὸ*) *ἴσμεν ἢ ἀκηκόαμεν ἢ ἔκ τε τῶν νόμων*[a]) *καὶ τῶν γενεαλογησάντων ποιητῶν κτέ.*

a) *λόγων* exhibent codd. ADM et Cyrillus: *νόμων* cod. F.

Varia lectio *νόμων* quam Burnet recepit, ut dicam quid sentiam, etiam aliquanto peior est quam bonorum librorum scriptura leviter corrupta *λόγων.* Vocabulum *νόμων* acceptum referendum videtur alicui „correctori" *τοῦ πονηροῦ κόμματος* h. e. eius generis quod malum medendo augere solet.

Ecquid facilius quam una literula addita legere: *τῶν* ΛΟΓΙΩΝ? Testem producere iuvat Pindarum (Pyth. I. 93 seqq.)

ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας
οἷον ἀποιχομένων ἀν-
δρῶν δίαιταν μανύει
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.

λόγιος est vox Ionica (Herod. I. 1) et poetica, ceteris quoque Graecis non inaudita. „*ὁ τῆς ἱστορίας ἔμπειρος*" Hesychius. Prosae orationis et rerum scriptores sunt *οἱ λόγιοι.* Idem vocantur *λογογράφοι.*

Quemadmodum apud Pindarum *τοὺς λογίους τε καὶ τοὺς*

ἀοιδοὺς et (*Nem.* VI. 31) *ἀοιδὰς καὶ λόγους* et apud PLUTARCHUM de defect. orac. 15 *ποιητὰς καὶ λογογράφους* coniunctos videmus, sic apud Platonem una nominantur *λόγιοι καὶ ποιηταί.*

p. 366 A.

..... *ἄδικοι δὲ κερδανοῦμέν τε καὶ λισσόμενοι ὑπερβαίνοντες καὶ ἁμαρτάνοντες πείθοντες αὐτοὺς ἀζήμιοι ἀπαλλάξομεν.*

Transpone: *ὑπερβαίνοντες καὶ ἁμαρτάνοντες λισσόμενοι.*

Ibidem:

„*Ἀλλὰ γὰρ ἐν Ἅιδου δίκην δώσομεν ὧν ἂν ἐνθάδε ἀδικήσωμεν,* [*ἢ αὐτοὶ ἢ παῖδες παίδων* a)]".

a) *ἢ παῖδες* <*ἢ παῖδες*> *παίδων* cit. Baiterus; *καὶ αὐτοὶ καὶ παῖδες παίδων* cit. Naberus.

Stultum est profecto quod secundum libros MSS. editur. Loci stultitia tamen — pace virorum doctorum dictum esto — coniecturis eorum minime tollitur.

Scilicet homines post obitum iustas peccatorum quae in his terris commiserint, poenas daturos esse et Graeci bene multi pro certo credebant et nobis confirmat Evangelium. Illud quoque tam veteribus Graecis Romanisque quam Hebraeis constabat divinam iram ad vindictam sui procedentem, ipsorum nefariorum hominum supplicio non contentam, liberos etiam ac natos natorum odio perpetuo persequi solere. De summo numine humanae perfidiae et iniquitatis ultore acerrimo ecquis, ut hoc utar, in sacris literis tam parum versatus est quin sponte ei in mentem veniat gravissimae illius sententiae qua diserte significetur: „Dominum, utpote deum *ζηλωτήν*, patrum peccata reddere in filios usque in tertiam quartamque progeniem"?

Et aequa bonorum malorum facinorum, cum ex hac vita discesserimus, retributio et — quod etiam docet experientia — posteros ob parentium malefacta seras saepe poenas pendere, iam antiquissimis temporibus communis plurimarum gentium opinatio erat altissimis radicibus defixa quaeque latissime obtinuerat. „*ἀναίτιοι*, ut apud Solonem est, *ἔργα τίνουσιν ἢ παῖδες τούτων ἢ γένος ἐξοπίσω*". Quae tamen ad hanc terrestrem duntaxat vitam referuntur. Credat Iudaeus Apella, ego certe num-

quam inducar ut credam, quod fide maius est: nempe filios nepotes pronepotes non solum in hac valle lacrimarum verum etiam apud inferos pessimis exemplis male mulcatum iri propter proavorum admissa. Noli animum inducere talia e divino Platonis ingenio proficisci potuisse et una litura dele ridiculum additamentum. Veri simile est Platonis admiratorem nescioquem *τῶν ἀσυνετωτέρων*, recordatum eorum quae modo legerat § 363 D de *bonorum* progenie (*παῖδας γὰρ παίδων φασὶ καὶ γένος μετόπισθεν λείπεσθαι τοῦ ὁσίου καὶ εὐόρκου*) locum nostrum consimilem in modum amplificare voluisse.

p. 366 E.

..... *οὐδεὶς πώποτε ἔψεξεν ἀδικίαν οὐδ' ἐπῄνεσε δικαιοσύνην ἄλλως ἢ * δόξας τε καὶ τιμὰς καὶ δωρεὰς τὰς ἀπ' αὐτῶν γιγνομένας.*

Periit necessaria praepositio. Sine controversia supplendum est: *ἄλλως ἢ ⟨διὰ⟩ δόξας κτἑ.*

p. 367 D.

..... *τοῦτ' οὖν αὐτὸ ἐπαίνεσον δικαιοσύνης* O *αὐτὴ δι' αὐτὴν τὸν ἔχοντα ὀνίνησιν* KAI *ἀδικία βλάπτει.*

Emenda: *ᾧ αὐτὴ δι' αὐτὴν τὸν ἔχ. ὀνίνησιν ὡς ἀδ. βλάπτει.*

p. 368 A.

πάνυ γὰρ θεῖόν ⟨τι⟩ πεπόνθατε, εἰ μὴ πέπεισθε ἀδικίαν δικαιοσύνης ἄμεινον εἶναι, οὕτω δυνάμενοι εἰπεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ.

Liquido patet reponendum esse: *ὑπὲρ αὐτῆς*: *cum sic pro ea* (i. e. iniustitia) *dicere possitis.*

Θεῖόν ⟨τι⟩ bene restituit Herwerdenus.

p. 369 B.

*ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐταρκὴς * ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής.*

Intercidit participium *ὤν*, ut mihi quidem videtur, post adiectivum quod est *αὐταρκής.*

p. 369 D.

οὕτω δὴ ἄρα παραλαμβάνων ἄλλος ἄλλον [ἐπ' ἄλλου τὸν δ']

ἐπ' ἄλλου χρείᾳ, πολλῶν δεόμενοι ..... ταύτῃ τῇ συνοικίᾳ ἐθέμεθα πόλιν ὄνομα·

Expunge quae induximus: verba sensu cassa quae structuram orationis corrumpunt.

p. 369 D.

Φέρε δή ..... πῶς ἡ πόλις ἀρκέσει ἐπὶ τοσαύτην παρασκευήν; ἄλλο τι * γεωργὸς μὲν εἷς ..... ὁ δὲ οἰκοδόμος, ἄλλος δὲ ὑφάντης;

Scriptorem dedisse coniicio: ἄλλο τι ⟨ἢ⟩ γεωργὸς μὲν εἷς ⟨ἔσται⟩ κτέ.

p. 371 A.

καὶ μὴν κενὸς ἂν ἴῃ ὁ διάκονος, μηδὲν ἄγων ὧν ἐκεῖνοι δέονται, παρ' ὧν ἂν κομίζωνται, ὧν ἂν αὐτοῖς χρεία, κενὸς ἄπεισιν.

Contra certum dicendi usum vitiose dictum. Aut corrigendum est: ὧν ἂν αὐτοῖς ⟨ᾖ⟩ χρεία aut ὧν [ἂν] αὐτοῖς χρεία.

p. 373 A.

ταῦτα γὰρ δή τισιν, ὡς δοκεῖ, οὐκ ἐξαρκέσει, οὐδ' αὕτη ἡ δίαιτα, ἀλλὰ κλῖναί τε προσέσονται καὶ τράπεζαι καὶ τἆλλα σκεύη, καὶ ὄψα δὴ καὶ μύρα καὶ θυμιάματα καὶ ΕΤΑΙΡΑΙ καὶ πέμματα, ἕκαστα τούτων παντοδαπά.

En *amicas* sane quam mirabiliter inter bellaria et suffimenta positas! Grata neglegentia Socrates res genere diversissimas permixte enumerat nimirum. Quamquam unguentis obsoniis cupediis omne genus narium palatique oblectamentis num ullo pacto addere potuit ..... scorta? Num forte et ista παντοδαπά? Quae hetaerae non uno nomine suspectae cum aliis quibusdam doctis hominibus gravi offensioni fuerunt tum, quos honoris causa nomino, NITZSCHIO et NABERO [1]). Quamobrem ille mulierculas in *pultes* (ἀθήρας) [2]), hic vero in σίραια i. e. *sapam* vel *defrutum* vertendas esse duxit.

At pultes pristinae illi vitae simplicitati ab esu carnium alienae (p. 372 B) multo magis quam crescenti τρυφώσης πόλεως luxuriae conveniunt. σίραιον vero ne in quotidianis quidem coenis, nedum in conviviis lautioribus sorbillare amabant Graeci. Quid

1) Cf. NITZSCH in Museo Rhenano a. 1857 p. 472; NABER Mnemos. a. 1900 p. 286.

2) Obiter moneo Atticam substantivi formam esse ἀθάρη non ἀθήρη.

si iam primis Platonicae reipublicae temporibus et *σιτοποιοὶ* et *οἰνοποιοὶ* simul nominantur civesque inducuntur in convivio minutis poculis vini naturalis, non medicati [1]), gaudentes? Nec mirum. *σίραιον* sive *ἕψημα* (*sapa*), ingenii non naturae opus, mustum erat ad tertiam partem mensurae decoctum. Acidum atque subamarum habebat saporem. *σίραιον·* — verba sunt scholiastae in Aristophanis Vesp. v. 878 — *τὸ ἡψημένον γλεῦκος, ⟨γεῦσιν⟩ βραχὺ ἔχον παράπικρον, ὅταν ἑψηθῇ.* Potio vilis erat quam sive ad sitim sedandam per calores aestivas frigida dilutam sive ad stomachum aliquantulum corroborandum meraeve voluptatis causa melle edulcatam, teste Varrone, in deliciis habebant mulieres maximeque vetulae. Quae cum ita sint, nondum me poenitet coniecturae quam olim feci.

Civitatis conditoribus, viris antiquis admirandae frugalitatis, *vegetariorum* nostrorum instar degentibus opponuntur posteri laute viventes, nihil boni sibi denegantes, quibus iam multa alia opus erant minime necessaria: coquorum pistorumque imprimis indigebant (*καὶ δὴ καὶ ..... ὀψοποιῶν τε καὶ μαγείρων προσδεησόμεθα*): *ἔτι δὲ καὶ συβωτῶν. τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἐν τῇ προτέρᾳ πόλει οὐκ ἐνῆν. ἔδει γὰρ οὐδέν· ἐν δὲ ταύτῃ καὶ τούτου προσδεήσει. δεήσει δὲ καὶ τῶν ἄλλων βοσκημάτων παμπόλλων, εἴ τις αὐτὰ ἔδεται.* Horum ad convivia cum nullo modo deesse posset *πιόνων ἱερείων ἀφθονία,* qualia Xenophontem v. c. semel atque iterum idque primo loco enumerare memini inter *πάντα τἀπιτήδεια ὅσ' ἐστὶν ἀγαθά* [2]), putabam pro *ἑταῖραι* scriptori reddendum esse *ἱερεῖα.*

p. 374 A.

Ἔτι δὴ ..... μείζονος τῆς πόλεως δεῖ οὔ τι σμικρῷ [ἀλλ' ὅλῳ] στρατοπέδῳ, ὃ ἐξελθὸν ὑπὲρ τῆς οὐσίας ἁπάσης ..... διαμαχεῖται τοῖς ἐπιοῦσιν.

Herwerdenus corrigit: *οὔ τι σμικρῷ ἀλλὰ μεγάλῳ.* Praetulerim expungere *ἀλλ' ὅλῳ,* ut *στρατοπέδῳ οὔ τι σμικρῷ* eleganter per *λιτότητα* *exercitum satis magnum* significet.

1) Varia vinorum genera nec non quae nostra actas *liquores* appellare solet, fusius describit Marquardt (Das Privatleben der Römer p. 429 seqq.). Vide et Beckeri *Gallum* III p. 293 seqq.

2) Cf. Xenoph. Anab. IV. 49.

p. 378 C.

εἴ γε δεῖ ἡμῖν τοὺς μέλλοντας τὴν πόλιν φυλάξειν αἴσχιστον νομίζειν τὸ ῥᾳδίως ἀλλήλοις ἀπεχθάνεσθαι.

Lectorem qui hoc agit, fugere non potest transponendum esse: *τοὺς μέλλοντας ἡμῖν τὴν πόλιν φυλάξειν.*

Ibidem s. f.

..... *ἀλλ' εἴ πως μέλλομεν πείσειν ὡς * οὐδεὶς πώποτε [πολίτης] ἕτερος ἑτέρῳ ἀπήχθετο κτέ.*

Cuinam umquam persuaderi posset ut animum induceret, „in universa republica neminem civem alteri civi ullo tempore invisum fuisse"? Sensit hoc Naberus atque excidisse coniecit aliquod adiectivum, puta ⟨χρηστός⟩: „nemo *bonus* civis".

Quid si omnino *πολίτῃ* isto — nam bonusne sit nec ne parum refert — melius carebimus? Si quid video, ut ab omni parte perfectam habeamus sententiam, non mortali homine sed *deo* opus est. Quae cum ita sint commendaverim:

εἴ πως μέλλομεν πείσειν ὡς ΘC *οὐδεὶς κτέ.*

In oculos incurrit quid praetermissioni ansam dederit.

p. 380 A.

Ἀλλ' ἐάν τις ποιῇ ἐν οἷς ταῦτα τὰ ἰαμβεῖα ἔνεστιν, τὰ τῆς Νιόβης πάθη ἢ τὰ Πελοπιδῶν ἢ τὰ Τρωϊκὰ ἤ τι ἄλλο τῶν τοιούτων κτέ.

Ut recte procedat sententia, violentiore medicamine nihil opus esse videtur; correxisse suffecerit vv. ordinem leviter turbatum in huncce fere modum:

..... *ἐάν τις ποιῇ ἰαμβεῖα ἐν οἷς ταῦτα [τὰ] ἔνεστιν ⟨ἢ⟩ τὰ τῆς Νιόβης πάθη ἢ κτέ.*

p. 380 B.

ἀλλ' εἰ μὲν ὅτι ἐδεήθησαν κολάσεως λέγοιεν ὡς ἄθλιοι ⟨ὄντες⟩, [οἱ κακοὶ], διδόντες δὲ δίκην ὠφελοῦντο ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἐατέον.

Cum cura perlege quae proxime antecedunt. Vix dubito quin verba inclusa ut insiticia expuncturus sis.

Verte: *sed si contendant illos utpote miseros poenis eguisse easque solventes a deo beneficium accepisse, permittendum est.*

p. 380 D.

*ἆρα γόητα τὸν θεὸν οἴει εἶναι καὶ οἷον ἐξ ἐπιβουλῆς φαντάζεσθαι ἄλλοτε ἐν ἄλλαις ἰδέαις τοτὲ μὲν αὐτὸν * γιγνόμενον καὶ ἀλλάττοντα τὸ αὑτοῦ εἶδος εἰς πολλὰς μορφάς, τοτὲ δὲ ἡμᾶς ἀπατῶντα καὶ ποιοῦντα περὶ αὑτοῦ τοιαῦτα δοκεῖν, ἢ ἁπλοῦν τε εἶναι καὶ πάντων ἥκιστα τῆς ἑαυτοῦ ἰδέας ἐκβαίνειν;*

Ad lacunam manifestam supplendam haud sine fructu comparabimus Homeri Odyss. IV. 417 de Proteo:

πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ γίγνονται

et XVII 485 (a Platone laudatum paullo inferius 381 D)

καί τε θεοὶ ξείνοισι ϝεϝοικότες ἀλλοδαποῖσιν
παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας.

Omnino probabile videtur Platonem scripsisse: *τοτὲ μὲν αὐτὸν* ⟨*πάντα*⟩ vel ⟨*παντοῖον*⟩ *γιγνόμενον.*

p. 381 E.

μηδ' αὖ ὑπὸ τούτων ἀναπειθόμεναι αἱ μητέρες τὰ παιδία ἐκδειματούντων, λέγουσαι [τοὺς μύθους κακῶς] ὡς ἄρα θεοί τινες περιέρχονται νύκτωρ πολλοῖς ξένοις καὶ παντοδαποῖς ἰνδαλλόμενοι κτέ.

Quantocyus abiice futile additamentum quod sententiam non ornat sed onerat.

p. 383 B.

„Quamquam multa alia in Homero laudantes nequaquam somnium a Iove Agamemnoni missum laudabimus neque *ῥῆσιν* illam Aeschyleam (fragm. 281 Dind.), ubi Thetis narrat Apollinem in nuptiis suis cum Peleo canentem laetis verbis se ob futuram prolis felicitatem beatam praedicasse".

. . . .
ξύμπαντά τ' εἰπὼν θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας
παιᾶν' a) *ἐπηυφήμησεν, εὐθυμῶν ἐμέ.*
κἀγὼ τὸ Φοίβου θεῖον ἀψευδὲς στόμα
ἤλπιζον εἶναι, μαντικῇ βρύον τέχνῃ.

a) *παιᾶνα* cod. F: *παιῶν'* A M et schol.: *παιὼν* D. Eusebius.

Emenda: *Παιὼν* i. e. *Apollo.* Bene factum quod Aeschyli manum fideliter servarunt Eusebius et D (cod. Venetus 185). Saepe in libris MSS. confunduntur quae prorsus diversa sunt

Παιὼν et παιάν. Vide apud MEISTERHANS (Grammatik der Attischen Inschriften p. 143. 8.) Ἀπόλλωνος Παιῶνος (C.I.A. I 210 k 25).

Veteribus Graecis Παιὼν dei Apollinis est epitheton et synonymon; παιὰν semper hymnum in Apollinem vel alios deos significat. At forma Παιὼν paulatim abiit in desuetudinem. Graeci posterioris aetatis et librarii παιᾶνα vocant et deum et hymnum in eius honorem. (Cf. Dind. in *Thes.* vol. VI p. 58).

(*Continuabuntur*).

AD OV. TR. V, 9, 35.

„Identidem" poeta ait, „vix me contineo, o fidissime amice, quin nomen tuum in meis epistolis ponam":

Ne tamen officio memoris laedaris amici,
  Parebo iussis — parce timere — tuis.
At non parerem si non meminisse *putares*:
  Hoc quod non prohibet vox tua, gratus ero.

Plane sensu caret istud *putares*, neque in codicibus ullum auxilium, nisi quod D. (*corr.*) pro *si non* dat *nisi me*. Dedit, ut opinor, Ovidius: *si me meminisse vetares*. Sic omnia bene procedunt, apteque suam disputationem claudit poeta ultimo quem citavi versu: non eum amicus *vetat* (prohibet) *memorem* (= gratum) esse.

J. J. H.

DE STICHI PLAUTINAE COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

P. J. ENK.



Stichus Plautina tam mire composita est, ut, siquis semel eam legit, non possit facere quin investigatum eat, quomodo illa aenigmata, quorum plena est fabula, solvenda sint. Nam revera est fabula αἰνιγματώδης, ut Teuffelius (Stud. und Char. p. 277) iure suo dicit, neque obloquendum Fennellio Stichi editori Britannico qui in prooemio editionis sic iudicat: „it would hardly be an exaggeration to say that the Stichus has no plot at all."

Itaque non mirandum est Fredericum Leonem τὸν μακαρίτην, cuius indefesso labori egregioque ingenii acumini studia Plautina tam multa debent, in hanc quoque quaestionem, quae ante eum complures vexaverat viros doctos, inquisivisse. Leo autem quaestionem, quomodo Stichus composita sit, tanti momenti esse putavit, ut ter eam tractarit; et omnino operae pretium est memorare quid vir ille Plauti peritissimus de talibus quaestionibus iudicarit. In disputatione enim de Plauti Pseudolo (Nachr. Gött. Ges. 1903) haec legimus: „die sogenannte Kontamination der plautinischen Stücke ist so wichtig für die literarischen Anfänge der Römer und ihr zu folgen so notwendig, wenn wir die Dichter der attischen Komödie aus ihren Spiegelbildern herauserkennen wollen, dasz es sich lohnt, jeden erreichbaren Fall in Betracht zu ziehen."

Primum de Sticho fabula scripsit Leo in praeclaro suo libro, cui titulus est „Plautinische Forschungen" ([2] p. 168); multo tamen fusius de eadem re egit sententia simul mutata in commentatione quae inscribitur: „Über den Stichus des Plautus"

(Nachr. Gött. Ges. d. Wiss. 1902). Postremum quomodo Stichus composita sit exposuit in Historia literarum Romanarum (p. 128 sq.).

Ab eo prorsus differt vir doctus Suess, qui quinque ante annis (Rhein. Museum 65 [1910], p. 452 sqq.) defendere conatus est Stichum nostram accurate sequi exemplum Graecum, Menandri 'Αδελφούς. Qui autem Suessianas leget „observationes", videbit eum magis universe loqui, quam singula Leonis argumenta refellere. Et quamvis sit eius disputatio iucunda lectu atque ingeniosa, *πειθανάγκην* non habet magnam.

Cum autem verissima sint ea quae femina docta Americana Cornelia Catlin Coulter (Retractatio in the Ambrosian and Palatine Recensions of Plautus, Bryn Mawr, 1911) Teuffelii verbis illis citatis „ein rätselhaftes Stück" addit: „the play has remained „a puzzle" to scholars ever since", neque dum litem diremptam esse appareat, operae pretium esse videtur totam rem denuo accurate tractare singulaque argumenta, quae utrimque prolata sunt, perpendere atque examinare.

De nomine exempli Graeci olim fuit lis inter viros doctos, quae nunc dirempta est. Nam cum Stichi didascalia (cf. Goetzii editionem, p. 3) habeat: „Graeca Adelphoe Menandru", Terentius autem „Adelphos Menandri" imitatus sit, cuius argumentum prorsus a Stichi argumento differt, didascaliam Stichi corruptam putabant (cf. Ritschl, Parerga p. 270; Studemund, de actae Stichi tempore, Comment. in honorem Mommseni p. 801), donec tandem aliquando Schoellius (Fleck. Jahrb. 119, p. 44) certissime demonstravit olim fuisse *duas* fabulas Menandri quarum utrique „Adelphoe" nomen esset. Usus est enim scholio ad Platonis Phaedrum 279 C: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων, καὶ Μένανδρος ἐν 'Αδελφοῖς β'*. Verba laudata reperiuntur apud Terentium Adelph. 804 *communia esse amicorum inter se omnia.* Plautus autem priorem Menandri comoediam secutus est in Sticho. Si igitur in sequentibus de Adelphis Menandri sermo est, *'Αδελφοὺς α'* dico.

Incipiamus breviter fabulae argumentum exponere. Duae sorores Panegyris et Pamphila, filiae Antiphontis, nupserant duobus fratribus Epignomo et Pamphilippo, qui re familiari amissa (cf.

135 vosne latrones et *mendicos* homines magni penditis? vs. 628 dum parasitus mihi atque fratri fuisti, *rem confregimus*) peregre profecti sunt, ut denuo rem facerent. Abierunt autem militandi causa in Asiam, quod iniuria negat vir doctus F. Hueffner (de Plauti Comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae p. 43 sq.). Putat enim id nec convenire maritis et refelli versibus 402/405:

Ep. quom bene re gesta salvos convortor domum,
Neptuno gratis habeo et Tempestatibus
simul Mercurio qui me in mercimoniis
iuvit lucrisque quadruplicavit rem meam,

quapropter vocem *latrones* (vs. 135 quem modo citavi) corruptam ducit. Sed etiam inter Κυρείους fuerunt patres familiae, ut recte observat Seyffertius ille (Jahresber. über T. Maccius Plautus von 1890—1894, Bursian 1895, vol. 84, p. 49), qui haec addit: „die beiden verarmten Brüder haben Kriegsdienste genommen, mit der reichen Beute Handelschaft angefangen und dabei Glück gehabt, eine ganz einfache Kombination". Iam triennium aberant (vs. 35 nam viri nostri domo ut abierunt | hic tertius annus) neque unquam uxores fideles ullum nuntium de iis acceperant. Quod Antipho, pater Panegyridis et Pamphilae, moleste ferens generisque iratus qui filias tantopere neglegerent, se ad eas confert ad iis persuadendum, ut, cum mariti non iam redituri videantur, aliis viris fidelioribus nubant. Sorores tamen patri haec proponenti acriter obsistunt, iurantque se nunquam maritis, quibus ipse Antipho se in matrimonium dederit, infideles fore. Pater videns neutram suum imperium exsequi velle proficiscitur: „bene valete. ibo atque amicis vostra consilia eloquar."

Pan. probiores credo arbitrabunt, si probis narraveris.
An. curate igitur familiarem rem ut potestis optume.

Consilium igitur filiarum aequi bonique consulit, quia mutare non potest. Sorores quae iam ante patris adventum miserae erant, quod viris suis tam diu carebant, magis etiam sollicitae factae inter se promittunt, ut, si altera nuntium acceperit, statim alteram certiorem faciat. Panegyris, quamquam unus ex eius servis totos dies apud portum adsidebat qui ei statim nuntium ferret, si quae navis ex Asia venisset, tam impatiens morae erat, ut parasitum quendam — Gelasimus ei nomen est —

arcessi iuberet. Quo autem tempore Crocotium, Panegyridis ancilla, domum relinquit, ut Gelasimum quaeritet, is in publicum prodit perque plateas ambulat, ut auctionem habeat omnium quae possidet; dumque auctionem praedicat, obviam ei it puella; postquam ridiculam eius orationem aliquantisper auscultavit, rogat, ut secum ad Panegyridis domum eat. Gelasimus miratus quid Panegyris se arcessi iubeat promittit se venturum esse; sed subito Pinacium, Panegyridis servum, properantem videt.

Parasitus Pinacium sequitur et ambo una ad Panegyridis aedes perveniunt. Pinacium qui inexspectatum nuntium fert fratres domum rediisse, non statim dominam certiorem facit, sed eam et parasitum aliquamdiu ludit, antequam omnia narrat, quae audivit in portu. Fratribus reversis parasitus plane supervacuus est; callide autem Pinacium eum submovet, tristisque abit Gelasimus. Sequens scena nobis Epignomum Panegyridis maritum cum Sticho servo suo advenientem inducit; Stichus a domino suo diem petit, ut eleutheria capiat, quod ei conceditur. Parasitus, quamquam a Panegyride eiusque servo demissus est, non tamen desperat, sed Epignomum cui forte obviam it statim adloquitur, ut ab eo ad cenam invitetur, neque tamen voti compos fit. Nunc Pamphilippum, alterum fratrem, qui brevi post advenit cum Antiphonte socero domum redeuntem videmus; socer cum genero in gratiam rediit, neque ei iam irascitur ob ea quae antea acciderunt; mox Epignomus qui modo uxorem suam salutavit, se Antiphonti et Pamphilippo comitem addit. Pamphilippus quoque deos salutare et uxorem valde cupit, sed socer eum retinet, nam praesente eo aliquid ab Epignomo petere vult; petit autem, ut sibi unam ex tibicinis dono det concubinam. Postquam Antiphon abiit lautum (nam apud Epignomum cum filiabus et Pamphilippo cenaturus est), fratres Gelasimum appropinquantem vident, quem ludificari eos iuvat. Aliquamdiu cum eo colloquuntur, quoad tandem intelligit se cenam, cuius tam cupidus sit, nunquam adepturum esse, gulamque ut iuncea potione oneret abit.

Actus quintus nobis ante oculos ponit quomodo Stichus, Epignomi servus, cum Sangarino Pamphilippi servo et amica communi eleutheria agat.

Unusquisque, cui ἡ νέα non plane ignota est, argumento fabulae lecto statim sentit fieri vix potuisse, ut exemplum Menandreum sic esset compositum.

Primum plerisque admodum mirum videtur duas sorores in primo tantum actu induci; deinde ea scena, qua Stichum et Sangarinum cum Stephanio convivium celebrantes spectamus, nimis laxo vinculo cum priore parte fabulae coniuncta est; denique totum nostrae fabulae argumentum leve atque futile est, ut ait Camerarius.

Ex recentioribus philologis Ussingius solus lenius de fabulae compositione iudicat: haec enim dicit in commentario ad Stichum: „quamvis exitus ab initio discrepet, tamen simplex admodum est argumentum quippe quod nec nodos contineat servorum astutia solvendos nec errores ex longa turba et sollicitudine tandem felici rerum eventu explicatos, sed recte a carceribus ad calcem decurrat. Moribus personarum egregie depictis laetamur, et cum rarum illud exemplar coniugalis fidei laudibus prosequimur, tum parasitum et servos ex animo ridemus; *argumentum aliquanto complicatius mallemus, et extremam fabulae partem tam laxo vinculo cum prioribus iunctam esse miramur.*"

Quomodo haec vitia orta sunt? En quaestio cui non facile est responsum dare; quaeritur enim primum, num Menandri comoedia eodem fere modo composita fuerit atque Plauti Stichus; deinde, num, si hoc negamus, Stichus per contaminationem orta sit; denique, utrum Stichus integra ad nos pervenerit, an tempore lacunosa sit facta. Vides quaestionem, quam modo proponebam, non solum Plauti causa flagitare responsum, sed etiam Menandri.

Leo problema de quo agimus ita solvere volebat, ut sumeret Stichum contaminatam esse ex tribus fabulis Graecis: „Plautus hat", inquit, „den Stichus aus *drei* attischen Komödien zusammengestellt" (Nachr. p. 390); primam fabulae partem ab initio usque ad versum 149 habet Menandream: „Menander, wie wir ihn kennen, erkennen wir in der Exposition; sie schlieszt damit, dasz der Vater nach abgeschlagenem Angriff sich entfernt, um nach der Wirthschaft zu sehn" (Nachr. p. 381)." Ea scena, quae expositionem sequitur, in qua Gelasimus parasitus prodit, si Leoni credimus, in Menandri Ἀδελφοῖς non reperiebatur;

operae pretium est singula eius argumenta enumerare atque accurate perpendere.

1. „Die Parasitenscene ist nur dazu da, das Publikum zu belustigen; sie exponirt weder, noch enthält sie Handlung oder führt zur Handlung. Das ist bei Plautus und Terenz beispiellos, also sicher der attischen Komödie fremd. Vier plautinische Stücke, Menaechmi Mostellaria Poenulus Pseudolus, haben nach der über die Haupmomente der eigentlichen Handlung aufklärenden Exposition Scenen, die nur die Hauptcharaktere beleuchten und die für die Handlung bestimmende Situation ausmalen."

Sed cur non licet putare in ea fabula qua Plautus ad Stichum componendam usus est, parasitum maiores partes [1]) egisse quam in Menaechmis aut Captivis, ubi parasiti in initio hanc ob causam prodeunt, ut argumentum exponant?

Obliviscuntur saepe viri docti poetam, cum scribere incipiat, alia dare atque aetate maturiore; quantum Acharnenses a Lysistrata differt, quantum Lysistrate a Pluto! Sic Menandrum iuvenem non talem fuisse, qualem eum ex comoediis posterioribus cognoverimus, ipsa res loquitur. Dolendum est tam parvum fabularum numerum ad nostram aetatem venisse, ut indagare non iam possimus, quomodo ars eius paulatim mutata atque melior facta sit, donec evaserit perfectus ille comicus qualem eum nos ostendant Adelphi Terentii. Scimus Menandrum in Colace et in Disexapatonte parasitum cum milite coniunxisse; num igitur tam absurdum est credere eum in prioribus fabulis parasitis magnas partes agendas dedisse, praesertim cum notum sit mediam quae vocatur comoediam parasitos totiens induxisse? Quid igitur, si 'Αδελφοὶ α' inter priores poetae fabulas numeranda est? Praeterea iure nostro rogare possumus, num in ea comoedia, ex qua Leonis sententia parasiti partes sumptae sunt, in scenis illis parasitum inducentibus cum fratribus loquentem et tandem repulsam ferentem „actio" fuerit; unusquisque mihi concedat necesse est eas scenas in ea comoedia, ex qua Leo eas scenas translatas esse conicit, non nisi spectatores iocis delectandi causa esse scriptas. Ut tribus verbis quid mihi velim, exponam,

1) Recte Suess (Rhein. Mus. 65, p. 452) „die Relieffigur des Geprellten ist hier der Parasit Gelasimus".

numerus fabularum, quae aut ipsae nobis traditae, aut notae sunt ex Plauto et Terentio, minor est, quam ut tam confidenter loqui possimus quam Leo loquitur.

2. Videamus ea, quae deinde adfert vir clarissimus: „die Reden des Gelasimus betreffen lediglich seine Person; sie enthalten nicht einmal was für die Vorgeschichte wesentlich wäre eine Andeutung über sein früheres Verhältnisz zu den abwesenden Männern: dass tritt erst in den späteren Scenen zu Tage. Man erfährt nicht einmal warum er grade vor den Häusern des Antipho und der beiden Brüder auftritt."

Hic quoque Leonis argumenta non satis firma sunt: res enim ita se habet. Gelasimus fame iamdiu vexatus tandem, inopia nimis acriter urgente, decrevit omnia quae habet publice vendere; domum igitur reliquit et in platea aliqua populum invitat, ut et alias res nullius pretii a se emant et logos suos ridiculos. Spectatores autem adloquens fingit se cives suos adloqui.

Quod vero de fratribus peregre profectis non loquitur, non est quod miremur; nimis diu enim aberant, neque Panegyris tribus annis parasitum arcessi iusserat, quippe quae Gelasimum, qui cum aliis id genus hominibus rem familiarem mariti confregerat, videre non iam desideraret; cf. versum 266 sq.

demiror quid illaec me ad se arcessi iusserit
quae numquam iussit me ad se arcessi ante hunc diem
postquam vir abiit eiius.

Parasitum autem non habebat Panegyris unicam causam rei familiaris amissae; quod hanc ob causam dico, ne quis miretur in expositione nostrae fabulae eius non mentionem fieri.

Nusquam autem legimus eum in publicum prodisse ut fratrum Antiphontisque domos se conferret; scena enim non unam tantum plateam, sed satis magnam urbis partem effingit.

3. Ad tertium Leonis argumentum respondere minus facile est: „Panegyris lässt den Parasiten holen, um ihn an den Hafen zu schicken: er soll nachsehn, ob gestern oder heut ein Schiff angekommen ist. Das wäre ganz verständig; aber sie fügt gleich selbst hinzu, es sitze dort ein Sklave die ganzen Tage zu demselben Zwecke. Das muszte gesagt werden, denn dieser Sklave,

ein flinker und zuverlässiger Bursche bringt gleich nachher die Nachricht. Warum nun will sie den Parasiten schicken? es ist gar kein Anlasz heute etwas besonders zu erwarten."

Contra quae licet observare Panegyridem quidem servum in portu praestolari iussisse, ut sibi quam primum nuntium afferret, sed timet, quippe quae patris verbis sollicita facta sit, ne servus parum accurate officio suo fungatur aut ne non properet nuntium afferre. Parasitum autem si mittit qui haud dubie sperat se adventu fratrum ad multas cenas opiparas vocatum iri, certo scit eum optime peracturum esse quod velit. Accedit quod poeta sic nanciscitur occasionem scenae illius festivissimae fingendae, in qua Pinacium et Gelasimus eodem tempore Panegyridis domum adveniunt et parasitus a servo adrogantiore, suae dominae deliciis, ludibrio habetur.

4. Quartum viri clarissimi argumentum mihi minus etiam persuasit quam cetera. In ea scena, quae actum tertium praecedit, Pinacium narrat Epignomum, qui mercimoniis lucrisque rem suam quadruplicavit, ut ipse ait domum revertens, omnis generis res pretiosissimas secum advexisse; scena autem sic decurrit (374):

Pinac. argenti aurique advexit nimium. *Get.* nimi' factum bene!
hercle vero capiam scopas atque hoc *convorram lubens.*
Pi. lanam purpuramque multam. *Ge.* est qui ventrem vestiam.
Pi. lectos eburatos, auratos. *Ge.* accubabo regie.
Pi. tum Babylonica et peristroma tonsilia et tappetia
advexit, nimium bonae rei. *Ge.* hercle rem gestam bene!
Pi. poste, ut occepi narrare, fidicinas, tibicinas
sambucas advexit secum forma eximia. *Ge.* eugepae!
quando adbibero, adludiabo: tum sum ridiculissimus.
Pi. poste unguenta multigenerum multa. *Ge. non vendo logos.*
iam ⟨iam⟩ non facio auctionem, mi optigit hereditas:
malivoli, perquisitores auctionum, perierint.
Hercules, decumam esse adauctam tibi quam vovi gratulor.
spes est tandem aliquando importunam exigere ex utero [famem,
Pi. poste autem advexit parasitos secum — *Ge.* ei, [perii miser!
Pi. ridiculissimos. *Ge. revorram hercle hoc quod convorri modo.*
Pan. vidistin virum sororis Pamphilum? *Pi.* non. *Pan.* non adest?

Pi. immo venisse eum simitu aiebat ille: ego huc citus
praecucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.
Ge. *venales logi sunt illi quos negabam vendere.*
ilicet, iam meo malost quod malevolentes gaudeant.
Hercules, qui deus sis, sane discessisti non bene.
Pan. i intro, Pinacium, iube famulos rem divinam mi apparent.
bene vale. *Ge.* vin administrem? *Pan.* sat servorum habeo domi.

Exscripsi totam scenam, quia multis de causis digna est quae accurate examinetur. Leo de his versibus ita disputat: „Pinacium zählt die Herrlichkeiten auf, die Epignomus mitgebracht hat: Gold und Silber, kostbare Stoffe und Möbel, Flötenspielerinnen, Salböle, Parasiten: die Flötenspielerinnen sind Waare, aber Parasiten kauft man nicht. Die Worte *poste autem advexit parasitos secum* erscheinen als blosze Neckerei: aber Gelasimus merkt den Spasz nicht, geräth sofort in Verzweiflung und geht in bitteren Sorgen um die Concurrenten ab. Das wirkt ganz lustig, aber es fällt aus dem Zusammenhang; richtiger, es ist ein unzureichnend motivirtes Mittel den Parasiten, da er des Folgenden wegen nicht ins Haus gelassen darf, vorläufig wieder los zu werden."

Ante omnia hoc pro certo contendere possumus iocum illum de parasitis ab Epignomo advectis iam fuisse in exemplo Graeco; neque enim possunt haec verba a contextu separari, tam firmiter omnia hic inter se cohaerent.

Primum enim Gelasimus, quantum auri Epignomus advexerit, audiens dicit: *convorram lubens,* tum Pinacio plura narrante *non vendo logos, iam iam non facio auctionem, mi optigit hereditas,* deinde tamen, postquam parasitorum aliorum mentio facta est: *revorram hercle hoc quod convorri modo,* postremum *venales logi sunt illi quos negabam vendere.* Sed accedit praeterea quod totus hic locus, ut multa alia in Sticho, de quibus infra disputabimus, colorem habet Aristophaneum: conferantur enim cum hoc dialogo, quae leguntur in Avibus 596—602:

Πεισέταιρος

προερεῖ τις ἀεὶ τῶν ὀρνίθων μαντευομένῳ περὶ τοῦ πλοῦ
„νυνὶ μὴ πλεῖ· χειμὼν ἔσται". „νυνὶ πλεῖ· κέρδος ἐπέσται".

Εὐελπίδης

(secum:)

γαυλὸν κτῶμαι καὶ ναυκληρῶ, κοὐκ ἂν μείναιμι παρ' ὑμῖν.

Πεισέταιρος

τοὺς θησαυρούς τ' αὐτοῖς δείξουσ', οὓς οἱ πρότεροι κατέθεντο,
τῶν ἀργυρίων. οὗτοι γὰρ ἴσασ'. ὥστε λέγουσιν τάδε πάντες·
„οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμόν, πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις."

Εὐελπίδης

(ut supra:)

πωλῶ γαυλόν· κτῶμαι σμινύην, καὶ τὰς ὑδρίας ἀνορύττω

Res quidem, de qua agitur in Avibus, prorsus ab iis quae Stichi scena habet, differt, sed et ratio qua Euelpides verbis Pisetaeri identidem quaedam interserit simillima est Gelasimi loquendi rationi, et Gelasimus et Euelpides uterque mobile ingenium Atheniensium *ταχυβούλων* eodem modo exhibent; nam eorum quae modo cupierunt, paulo post eos paenitet.

Nemo igitur contendat iocum illum de parasitis ab ipso Plauto esse fictum, nam versus quo dicit Gelasimus *convorram lubens* tum demum festivi aliquid habet, *si revorram quod convorri* sequuntur. Apparet igitur etiam in exemplo Graeco, quicumque poeta fuerit, parasitum tali modo abire coactum esse; et si hoc mihi assentiris, cur hic iocus lepidissimus alienus fuerit necesse est a Menandro, praesertim cum, ut ego postea demonstrare conabor, nobis cum Menandro iuvene res sit?

Fac autem Leonem verum vidisse parasitum in Menandri Adelphis nullas habuisse partes; si hoc sumimus, aut etiam Pinacii partes aberant a fabula Menandrea, aut Plautus parasiti partes cum Pinacii partibus coniunxit.

Sed utraque coniectura nos in magnas difficultates involvit; si enim sumimus et Pinacium et Gelasimum ex alia fabula in Stichum adductos esse, sequitur ut Plautus ex Menandri fabula nihil nisi versus 1—150 verterit; Leonis enim sententia omnes eae scenae, in quibus parasitus cum fratribus colloquitur, et convivium Saugarini ex aliis fontibus hausta sunt. Didascalia autem docet exemplum Stichi fuisse Adelphos Menandri. Hoc tamen absurdum est Plautum dici Menandri Adelphos vertisse, si ex tota fabula Graeca nihil nisi fere centum quinquaginta

versus in suum usum convertit. Hoc certe in nulla alia eius fabula factum est. Quare hanc opinionem quieto animo missam facere possumus.

Videamus nunc, num altera opinio, poetam Romanum parasiti partes cum Pinacii Menandrei partibus coniunxisse, verisimilior videatur. Tota autem scena quae Pinacium Gelasimum Panegyridem colloquentes inducit, cuiusque partem supra exscripsimus, ita comparata est, ut argumentum eius artissime cum fratrum reditu cohaereat. Pinacium enim, cum non statim nuntium quem adfert narrare velit, et dominam suam aliquamdiu ludat, totam domum expurgari vult. Animum attendas velim, cuius modi responsa parasitus Pinacii verbis interserat:

345 (*Ge.*) praeterhac si me inritassis — *Pi.* edepol esuries male.
347 *Pi.* munditias volo fieri. ecferte huc scopas simulque harundinem
ut operam omnem araneorum perdam et texturam improbem
deiciamque eorum omnis telas ⟨*Ge.*⟩ *miseri algebunt postea.*
Pi. quid? illos itidemne esse censes *quasi te cum veste unica*?
376 *Pi.* lanam purpuramque multam. *Ge. est qui ventrem vestiam.*

Vides omnia tam bene cohaerere, ut, si quid inde excerpis, totus dialogus corruat. Ne quis tamen putet haec ab ipso Plauto ficta esse, cito versum 382 qui, quod omnes adhuc fugit, tum demum lepidus fit, si Graece vertitur:

(*Pi.*) sambucas advexit secum forma eximia. *Ge. eugepae*!
quando adbibero, adludiabo: *tum sum ridiculissimus.*
tum non Γελάσιμος sum, sed *γελασιμώτατος.*

Facillimum dictu Plautum parasiti partes in hanc scenam ex alia fabula Graeca inseruisse, sed revera tale opus multo difficilius fuisset quam totam scenam de suo addere. Praeterea fabulam, ex qua parasitus demptus esset, nostrae simillimam fuisse necesse esset, quod, ut infra videbimus, incredibile puto.

Sed, ut melius iudicare possimus, quid de Leonis argumentis sentiendum sit, proficiscendum est ab iis quae vir clarissimus de media Stichi parte protulit: „wir erinneren uns", inquit, „an die Parasitenscene des ersten Aktes, von der wir gesehen haben, dass sie der Exposition lose und unzureichend angefügt ist. Es ergibt sich von selbst dasz sie ursprünglich mit dem

Mittelstück des Stichus zusammen zu der Komödie gehört, aus der dieses entnommen ist."

Finge Leonem verum vidisse, cum planum facere conaretur omnes scenas in quibus parasitus partes agit ex alia fabula sumptas esse; quid ex hoc conficitur? cuiusmodi hanc fabulam fuisse putandum est? Colloquium inter Pinacium et parasitum, de quo modo disputavimus, tum demum haberi potest, si de domino aliquo domum redeunte sermo est; aut igitur ponendum est parasiti cum fratribus colloquia vs. 454—505 et 579—640 ex alio exemplo deprompta esse atque parasiti colloquium cum Pinacio — aut comoedia in qua parasitus a fratribus repellebatur, et ipsa fratres duos in patriam redeuntes inducebat. Si priori opinioni adstipulamur, Leonis coniectura etiam minus veri similis fit, nam tum Stichus ex quattuor comoediis contaminata est, ex quibus prima est ea ex qua Plautus expositionem duxit, duae parasitum inducebant, quarta servorum convivium continebat; sed certissimum argumentum citare possum, quod impedit, quominus prior opinio vera sit: et in colloquio parasiti cum Pinacio et in eius cum fratribus dialogo nomen parasiti erat Γελάσιμος, cf. vs. 382, tum sum *ridiculissimus*, et vs. 630 nunc ego nolo ex *Gelasimo* mi fieri te *Catagelasimum*, qui iocus a Plauto fictus esse non potest, quique nobis Aristophanis Acharnenses in mentem revocavit, ut multi ante me dixerunt: cf. Acharn. 606: τοὺς δ' ἐν Καμαρίνῃ καὶ ἐν Γέλᾳ καὶ ἐν Καταγέλᾳ.

Apparet igitur, si Leoni assentiamur, statuendum esse 1. Pinacii partes non fuisse in Menandri 'Αδελφοῖς, 2. omnes scenas, in quibus inducatur Gelasimus, ex eodem exemplo Graeco promptas esse quod de duorum fratrum reditu ageret.

In media parte Stichi festivissimum legimus apologum Antiphontis senis; hic quoque Leone iudice cum parasiti scenis ex comoedia aliqua sumptus est, quae non fuit 'Αδελφοί: sed primum ipsum Leonem audiamus: „wenn man ⟨die⟩ Bindeglieder ablöst, so bleibt von dem zweiten Abschnitt der Komödie Folgendes: eine typische Situation und vier typische Rollen; die Rollen: zwei junge Leute die mit Reichthümern von der Reise heimkehren; ein Parasit, in dessen Gesellschaft sie ihr Vermögen durchgebracht haben (vs. 628) und den sie nun nicht wieder

an sich lassen wollen; ein komischer Alter, dessen Töchter die Frauen der heimgekehrten Männer sind. Der Alte ist besonders charakterisirt; der Parasit hat die stehenden Züge seiner Rolle; die beiden jungen Leute haben nur allgemeine Züge. Die situation ist die einer Heimkehr: zwei Brüder, von denen der eine bald nach dem andern ankommt, werden von ihrem Schwiegervater im Hafen empfangen: dieser tritt erst mit dem zweiten auf, den Parasiten fertigt zuerst der eine, dann beide zusammen ab. *Die Frauen haben in dieser Erfindung keine gröszere Rolle gespielt als in so vielen andern Komödien*; die Möglichkeit besteht und kann nicht unbemerkt bleiben, dasz die Erwähnungen der Frauen im Original vorhanden waren; *dann aber war die Exposition nicht die des Stichus.*"

Operae pretium est Antiphontis apologum accuratius examinare.

539 fuit olim (inquit Antipho) *quasi ego sum senex*; ei filiae
540 duae erant, quasi nunc meae sunt; eae erant duobus nuptae [fratribus
541 *quasi nunc meae sunt vobis*
542 erant minori illi adulescenti fidicina et tibicina,
543 peregre advexerat *quasi nunc tu*; sed ille erat caeleps senex
544 *quasi ego nunc sum.*
545 deinde senex ille illi dixit, quoius erat tibicina,
546 *quasi ego nunc tibi dico.*

Vix opus est dictu haec omnia ex Graeco exemplo esse petita; hic quoque nobis in mentem venit Aristophanis: Aves, 114 sq. ubi Euelpides Tereo dicit:

ὅτι πρῶτα μὲν ἦσθ' ἄνθρωπος, ὥσπερ νώ, ποτέ,
κἀργύριον ὠφείλησας, ὥσπερ νώ, ποτέ,
κοὐκ ἀποδιδοὺς ἔχαιρες, ὥσπερ νώ, ποτέ.

Hic senex idem est atque is quem ex priore fabulae parte quam Leo quoque Menandream habet cognovimus; utroque enim loco senex, qui inducitur, *caelebs* est, utroque loco *duas* habet *filias*; hic quoque senex, ut is qui in priore parte in scenam prodit, *suas filias duobus fratribus* in matrimonium *dedit.* Dicet aliquis: „at fortasse Plautus utrumque locum sic mutavit aut supplevit, ut inter se optime coniungi possent; potuit igitur fieri, ut hic apologus revera ex ea comoedia haustus sit, ex

qua totam mediam Stichi partem petiverit comicus Romanus."

Quid autem videmus, si Antiphontis verba, quae in priore parte loquitur, accuratius examinamus?

Ad filiabus persuadendum, ut sibi obsequantur, callidissimus ille senex iis narrare incipit ipsum denuo uxorem ducere in animum sibi instituisse:

103 vostrum animum adhiberi volo
104 nam ego ad vos nunc inperitus rerum et morum mulierum
105 discipulus venio ad magistras; quibus matronas moribus
106 quae optimae sunt esse oportet? sed utraque ut dicat mihi.
. . . .
108 pol ego *uxorem quaero, postquam vostra mater mortuast.*

Tunc inde a versu 109 usque ad versum 125 pater et filiae disputant qualem feminam domum ducere praestet. Vides igitur *οἰκονομίᾳ* huius scenae necessarium esse Panegyridis Pamphilaeque patrem esse *caelibem*. Quid autem senex qui apologum habet? Hic quoque *caelebs* sit necesse est, ne loci acumen pereat.

Hisce feliciter disputatis quaero, si Plautus cum expositione Menandrea alterius fabulae partem contaminaverit, quasnam res utraque fabula communes habuerit, ut comicus Romanus eas in unum coniungere posset.

Necesse est:

1 utramque fabulam egisse de duobus fratribus;

2 hos duos fratres duas sorores habuisse uxores; nam non potest contra me hoc argumentum afferri Plautum alteram fabulam, quae in actu secundo Leone auctore cum expositione Menandrea contaminata est, ita mutasse, ut fratrum uxores sorores fierent; Antiphon enim socer, ut supra demonstravimus, non potest seiungi neque ab expositione neque a secunda parte Stichi; tota autem fabulae *οἰκονομία* secum fert, ut necessarium sit eum amborum fratrum socerum fuisse;

3 necesse est, socerum fuisse caelibem, ut supra planum fecisse mihi videor.

4 in utraque fabula senex generis aliquamdiu iratus fuerit necesse est; nam si hoc non sumimus, omnia quae inde a versu 505 usque ad versum 530 legimus ab ipso Plauto composita esse sequitur, quod compositionem etiam minus veri similem facit;

5 necessarium est in utraque fabula fratres luxuria ex divitibus pauperes factos esse, confer enim

132 *An.* vosne ego patiar cum *mendicis* nuptas me vivo viris?
133 *Pam.* placet ille meus mihi *mendicus*: suo' rex reginae placet.
134 idem animust in paupertate qui olim in *divitiis* fuit.

cum versu 628, qui legitur in secunda parte:

Ep. dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus.
Ge. non ego isti apud te —? *Ep.* sati' spectatast mihi iam tua felicitas;
nunc ego nolo ex Gelasimo mi fieri te Catagelasimum.

Ultimus hic versus argumento esse potest haec non ab ipso Plauto excogitata esse; nemo praeterea affirmaverit in expositione versus 132—134 a poeta Romano esse insertos.

6 in utraque comoedia fratres peregre iter fecisse necesse est, idque rei familiaris restituendae causa.

Neque igitur possumus Leoni assentiri haec scribenti: „dasz Plautus im Bereich der attischen Komödie leicht ein Stück finden konnte, von dem ein Theil sich der Exposition der 'Αδελφοί ohne viel Mühe anhängen liesz, kann nicht wohl bezweifelt werden."

Tum addit saepissime in fabulis nobis traditis legi de hominibus post longum annorum spatium domum redeuntibus, ut in Trinummo Mostellaria Mercatore Bacchidibus Heautontimorumeno, in Diphili Κληρουμένοις; de hominibus post breve tempus in terra externa actum reversis in Amphitruone Captivis Curculione, de adventu iter facientis, ut in Andria Poenulo Epidico Menaechmis.

Operae autem pretium est animum attendere ad ea quae his subiungit vir clarissimus: „neben diesen Erfindungen die immer wieder die Voraussetzungen der Handlung oder ihren Umschwung auf die Rückkehr von Reisenden begründen, könnte die Heimkehr zweier Brüder, die ihre Frauen vor Jahren zu Hause allein gelassen haben, immer noch als ein specielles Motiv erscheinen. Dasz auch dieses typisch ist, hat uns kürzlich das von Kaibel .... herausgegebene .... Papyrusblatt mit einem Komödienprolog belehrt."

In hoc fabulae alicuius deperditae prologo deus aliquis haec narrat:

ἀστοὶ ʼγένοντ]το Σωσθένης καὶ Δημέας
ὄντες δʼ ἀδ]ελφοὶ δύο ποτʼ εἰς τὰς ἐχομένας
γυναῖκʼ ἔγ]ημαν οἰκίας, καὶ γίνεται
παῖς τῷ μὲν α]ὐτῶν, θυγάτριον δὲ θατέρῳ,
ἔπειτʼ ἀπ]οδημία τις ἀμφοτέροις ἅμα
εἰς τὴν ʼΑσίαν κτλ.

Libenter credo in compluribus aliis fabulis sermonem fuisse de fratribus ad uxores suas post longum intervallum redeuntibus; sed duas fabulas sic omnibus partibus inter se similes fuisse, ut omnia inessent in utraque, quae supra enumeravimus, quaeque, si contaminationem defendere velis, Plautus iam in exemplis invenisse putandus est, paene incredibile videtur; et revera hoc quoque comoediae fragmentum, quamquam de duobus fratribus agit, qui ad uxores redeunt, a Sticho in hac re differt, ut uterque frater uxorem quidem duxerit, feminae autem sorores fuisse non dicantur.

Praeterea, Leoni si assentiris, sumendum est Plautum ex tota fabula ʼΑδελφοῖς nil nisi 150 versus vertisse, quae coniectura hercle absurdissima est.

Venimus nunc ad novam quaestionem quid de Actu quinto, servorum convivio, sentiendum sit. Leo versus 641—775 non pertinere putat ad Menandri ʼΑδελφούς neque ad comoediam ex qua mediam Stichi partem sumptam esse credit.

Quinque tamen annis ante vir doctus Süss, comoediae historiae peritissimus, in disputatione, cui titulus, „Zwei Bemerkungen zur Technik der Komödie" (Rheiu. Mus. 65 p. 448—460), servorum convivium Menandro vindicare conatus est. Is demonstrat et eas scenas, in quibus parasitus partes agit, et τὸ συμπόσιον colorem habere Aristophaneum, citat enim vs. 630 nunc ego nolo ex *Gelasimo* mihi fieri te *Catagelasimum*; comparat Antiphontis apologum cum narratiunculis quas Philocleon senex in Vespis semper et ubique in ore habet. Potuerat addere versus 270. 71:

sed eccum *Pinacium* eiius puerum. hoc vide
satin ut facete, atque *ex pictura* astitit?,

quae, ut Radermacherus (Rhein. Mus. 1897. 624) ingeniose observavit, hanc fere formam habebant in exemplo Graeco, i. e. ut vidimus, Menandreo: ἀλλʼ ἰδὲ Πινάκιον — ὡς ἐκ πίνακος παρίσταται.

Sed non solum ioci aliquot Aristophanem tibi in mentem revocant; complures scenae *ὄζουσι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας.*

„Zweimal — ut ipsius Suessii verbis utar — erleben wir die höhnische Abweisung des ewig hungrigen Gesellen von seiten seiner ehemaligen durch ihn früher ruinirten Gönner, zunächst 453 bis 504 in der Szene mit Epignomus, dann 579 bis 640 wo beide Brüder beteiligt sind. Die ratio dieses ironischen überlegenen Hohnes ist ganz die der Dikaeopolis, Peithetairos usw. in den entsprechenden Stücken."

Ut demonstret etiam *τὸ συμπόσιον* multa habere quae ex antiqua comoedia novimus, citat eos versus, ubi *tibicinis* mentio fit, cf. Acharn. 862:

ὑμεῖς δ', ὅσοι Θείβαθεν αὐλειταὶ πάρα,
τοῖς ὀστίνοις Φυσῆτε τὸν πρωκτὸν κυνός.

Eccles. 890 sq.:

τούτῳ διαλέγου καὶ ἀποχώρησον· σὺ δέ,
Φιλοττάριον αὐλητά, τοὺς αὐλοὺς λαβὼν
ἄξιον ἐμοῦ καὶ σοῦ προσαύλησον μέλος.

Thesm. 1175:

σὺ δ', ὦ Τερηδόν, ἐ π α ν α Φ ύ σ α Περσικόν,

quocum comparetur: *suffla* celeriter *buccas* (Stich. vs. 724).

Thesm. 1186, ubi Euripides ad tibicinem dicit:

αὔλει σὺ θᾶττον.

Ultimis locis, ut in Sticho, scenae amatoriae describuntur. Cum versu 690. 91 Stichi, ubi cibi enumerantur:

nucibus fabulis ficulis
oleae + intripillo + lupillo, comminuto crustulo

apte confert finem Ecclesiazusarum, ubi ancilla cibos mox adferendos enumerat.

Etiam finis fabulae:

vos spectatores plaudite atque ite ad vos comissatum

cum Eccles. 1140 sq. conferri potest:

τὸ δεῖπνον αὐτοῖς ἐστιν ἐσκευασμένον
ἁπαξάπασιν, ἣν ἀπίωσιν οἴκαδε.

Contra hanc Suessii disputationem complura possumus adferre, quae obstare videntur, quominus ei adstipulemur.

Primum non contigit ei, ut refutaret ea, quae observat vir clarissimus Leo (Über den Stichus des Plautus l.l. p. 376);

contra eos enim qui ad Stichi miram compositionem defendendam utuntur verbis illis Plutarcheis, quae legimus in vita Luculli ἔστι δ' οὖν τοῦ Λουκούλλου βίου, καθάπερ ἀρχαίας κωμῳδίας, ἀναγνῶναι τὰ μὲν πρῶτα πολιτείας καὶ στρατηγίας τὰ δ' ὕστερα πότους καὶ δεῖπνα καὶ μονονουχὶ κώμους καὶ λαμπάδας καὶ παιδιὰν ἅπασαν sic disputat: „in den aristophanischen Komödien, die in der Mitte mit ihrer Handlung zu Ende sind und nur noch lustige Scenen vorführen, *verschwindet doch niemals die zu Anfang eingeführte Hauptperson*, vielmehr tragen und verbinden Dikaeopolis, Trygaeos u.s.w. diese Scenen, wie zuvor die Handlung. Nur in den Ekklesiazusen treten gegen Ende Praxagora und Blepyros zurück, aber nicht ohne dasz Blepyros und die Botschaft der Praxagora das Stück beschlieszen."

Non contigit, aio, viro docto Süss, ut haec refutaret (cf. Zwei Bemerk. p. 454). Nam quae de Aristophanis Pluto dicit, nullam habent πειθανάγκην, quia Cario servus etiam in priore parte suas egit partes, Stichus tamen et Sangarinus nullas egerunt in fabula Plautina, neque in Menandrea egisse putandi sunt. Scribit autem Süss et alia et haec: „interessant ist nun dasz im Plutos allerdings wieder auf jene losen Scenen nach der Parabase deutlicher zurückgegriffen wird als in diesen beiden Stücken (sc. in Thesmophoriazusis et Ecclesiazusis), dasz dafür aber vollberechtigt neben dem Herrn selbst der Sklave als lustiger Abfertiger auftaucht. Der Stichus gehört nahe an diesem Type heran."

Sed alia argumenta praesto sunt. Leo enim, cum de servorum convivio agat, ita loquitur: „der Schluszakt gehört nicht zu den Ἀδελφοί; darüber ist genug gesagt; dasz er auch zu dem zweiten Stücke nicht gehört, darüber gibt die Scene III. 1 mit ihrer den Schluszakt vorbereitenden Einlage den Beweis."

Quoniam ad hanc scenam, vs. 419—453, multae pertinent quaestiones, de quibus a nonnullis viris doctis non recte mea quidem opinione iudicatur, non abs re videtur de hac parte fabulae aliquanto fusius disputare.

Primum quaeritur quando Epignomus domum suam uxoris salutandae causa intraverit.

Proficiscendum est a versibus 523—526:

iam redeo: nimiast voluptas ubi iam diu afueris domo

domum ubi redieris, si tibi nullast aegritudo animo obviam.
nam ita me apsente familiarem rem uxor curavit meam,
omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

Sunt verba Epignomi domum relinquentis. Apparet autem Epignomum, cum haec diceret, uxorem suam iam salutasse; nunc aliquam ob causam domo sua exit, uxorique Panegyridi quae intus est, succlamat se mox rediturum.

Fennellius in sua editione ad initium primae scenae Actus tertii haec adnotat: „Epignomus has just arrived, but the first meeting between him and his wife is over"; quod quominus ita esse statuamus, impedimento est *praesens* „convortor":

quom bene re gesta salvos *convortor* domum.

Praeterea futurum „faciam" (vs. 406):

olim quos abiens adfeci aegrimonia
eos nunc laetantis *faciam* ego adventu meo

demonstrat Fennellii opinionem veram esse non posse; si sumimus eum vs. 435 introisse (age abduce hasce intro; hunc tibi dedo diem), non intelligimus qui fiat ut Gelasimus eum (vs. 464 Epignomus hic quidemst qui astat) ante domus ianuam stantem videat. Cum autem absurdum sit credere Epignomum vs. 435 introisse, post 453 denuo domum relinquere, facere non possumus quin sumamus eum, dum Stichus servus loquitur, in scena mansisse. Quod cum sit ridiculum, luce clarius est Epignomum in exemplo Graeco, quominus domum intraret, impeditum esse a Gelasimo. Facimus igitur cum Leone, qui in libro suo, cui titulus est, Plautinische Forschungen[2] p. 169 haec scribit: „Plautus hat das Gespräch eingefügt um den letzten Akt, den er anfügen wollte, vorzubereiten"; et alio loco (Nachr. Gött. Ges. 1902, p. 383) haec addit: „die Einlage löst sich von selbst. Epignomus ist ursprünglich (in exemplo Graeco, ex quo, Leoni si credimus, media pars Stichi sumpta est; apud Menandrum, in Ἀδελφοῖς, me si audis) durch Gelasimus zurück gehalten worden."

Sic simul refutatur argumentum viri docti Kakridis (Barbara Plautina p. 29), quo defendere vult parasiti partes contaminatione insertas esse; „quamquam autem, inquit, ante domum Panegyridis Epignomus cum Gelasimo sermonem longum instituit, mirum in modum Panegyris non exit e domo, praesertim cum a Sticho servo qui in versu 453 intro domum cum tibicinis et

fidicinis iisset, certior facta sit virum suum Epignomum ante fores esse." Versibus enim 419—453 remotis Panegyris nescit Epignomum iam adesse.

Sed totus sermo inter Epignomum et Stichum permulta habet quae suspicionem moveant, quaeque argumento sunt nos hic non habere exempli Graeci imitationem.

I admodum mirum erum versibus 418 et 435 prorsus eadem dicere: *age abduce has intro*;

II vs. 424 erus Sticho permittit, ut eleutheria agat: in *hunc diem te nil moror*; idem repetit vs. 435 *hunc tibi dedo diem*;

III ter abiturus est, vs. 440 *egomet ibo*; vs. 445 *egomet me moror*; vs. 453 *ite hac secundum vosmet.*

Quamquam nonnulla redactori quoque deberi Baier (De Plauti Fab. recens. p. 123), Leo (Nachr. Gott. Ges. 1902 p. 379), Cornelia Catlin Coulter (Retract. in the Ambrosian and Palatine Recens. of Pl. p. 93) viderunt.

Deletis autem quae manui retractoris debentur hanc fabulae nostrae partem ita fere a Plauto profectam puto:

Epignomus

. . . .
418 age abduce hasce intro quas mecum adduxi, Stiche.

Stichus

ere, si ego taceam seu loquar, scio scire te
420 quam multas tecum miserias mulcaverim:
nunc hunc diem unum ex illis multis miseriis
volo me eleutheria capere advenientem domum.

Epignomus

et ius et aequom postulas: sumas, Stiche.
in hunc diem te nil moror, abi quo lubet;
425 cadum tibi veteris vini propino.

Stichus

Papae!
426 ducam hodie amicam.

Epignomus

vel decem dum de tuo.

ubi cenas hodie?

Stichus

sic hanc rationem institi:
amicam ego habeo Stephanium hinc ex proximo,
tui fratris ancillam: eo condicam symbolam
ad cenam ad eius conservom Sangarinum Syrum:
eademst amica ambobus: rivales sumus.

Epignomus

age abduce has intro. hunc tibi dedo diem.

Stichus

meam culpam habeto nisi probe excruciavero.
iam hercle ego per hortum ad amicam transibo meam
mi hanc occupatum noctem: eadem symbolam
dabo et iubebo ad Sangarinum cenam coqui.
aut egomet ibo atque opsonabo opsonium.
446 atque id ne vos miremini, homines servolos
potare, amare atque ad cenam condicere:
licet haec Athenis nobis, sed quom cogito
potius quam invidiam inveniam, est etiam hic ostium
aliud posticum nostrarum harunc aedium;
ea ibo opsonatum, eadem referam opsonium;
per hortum utroque commeatus continet.
453 ite hac secundum vosmet: ego hunc lacero diem.

Sed in iis quae supersunt omnes repetitiones quas supra enumeravimus reperiuntur una (vs. 445) excepta.

Nunc simul responderi potest roganti, quando Epignomus domum uxoris salutandae causa intret: nam si versus 418—435 e textu removemus utpote a Plauto fictos ut convivium serservorum inserere posset, omnia bene procedunt, Epignomus domum intraturus est, cum Epignomus Gelasimum advenientem videt, cf. 458. Is eum adloquitur moraturque, quoad Epignomus, qui omnibus modis conatus est eum ablegare, tandem media inter parasiti verba domum intrat (vs. 496). Tunc igitur primum uxorem post longum temporis spatium vidit maritus. Sic apparet quoque quam procax sit parasitus qui dominum suum pristinum

tam alieno tempore alloquatur domumque intrare prohibeat. Exit autem Epignomus vs. 523, ut, num frater iam adveniat, videat.

Suessium iniuria servorum convivium Menandro vindicare et haec res demonstrat quod actus quintus tam laxo vinculo cum praecedentibus cohaeret; recte enim iam Goetzius (Dittographien im Plautustexte, Acta soc. philol. Lips. VI. p. 308) multo ante quam Leo iudicium suum de Sticho protulerat, scripsit „das einzige Band durch das der fünfte Akt überhaupt mit dem Vorhergehenden verknüpft wird, bildet die erste Scene des dritten Aktes." Idem vir doctus recte observat vs. 446—448, qui, ut servorum mores Graecos Romanis commendarent, scripti sunt, quo loco legantur, non aptos esse: „man erwartete von Rechtswegen dasz diese Erklärung in gröszerer Nähe des fünften Aktes gegeben würde, nicht aber durch zwei volle Akte davon getrennt." Non tamen cum Goetzio hinc concludo versus 425—436 non a Plauto profectos esse, et hic insertos esse, cum inter actum IV et V complures scaenae delerentur; nusquam enim in Sticho *Plautina* quidquam deesse videtur [1]).

Nunc aliud adferam argumentum gravissimum, ut Suessium impugnem, quod miror a nullo dum adlatum esse.

Versibus 649 Sangarinum domum redeuntem inducit poeta hisce verbis:

649 Salvete, Athenae, quae nutrices Graeciae,
650 ⟨te⟩ terra erilis patria te video libens.

Qui sic loquitur, modo a portu redit; nonne autem mirum Pamphilippi servum nunc demum a portu redire, cum dominus eius iam multo ante redierit, iam longum sermonem cum socero et deinde cum Gelasimo habuerit? Cur non, ut Stichus, una cum domino domum rediit? Quod Antipho generum comitatus est, non potest esse causa, cur servus Pamphilippum non secutus sit. Quodsi nescio quam ob causam Sangarinus in exemplo Graeco serius venisset, Menander haud dubie, cur id fieret, explicasset, neque Plautus habebat, cur id omitteret.

---

1) Sic Leo quoque: „nirgend findet sich eine Fuge oder ein Zeichen dasz das Stück durch Verlust von Scenen seinen Bestand verändert habe". (Über den Stichus des Plautus).

Postremum et alia res maxime idonea est ad demonstrandum ultimam partem comoediae Romanae contaminatione esse adiectam: si Menander servorum convivium addere voluit, cur puellae partes, quas nunc Stephanium agit, non dedit Crocotio? sic saltem melius cohaesisset ultima pars cum priore. Neque enim Sangarinus neque Stephanium in priore parte fabulae quicquam egit. Ne quis autem mihi obiciat apud Menandrum servos illos maiores habuisse partes, quas Plautus omiserit, mea facio verba Teuffelii (Studien und Charakteristiken p. 277) quibus ille tamen eos redarguere conabatur qui cum Ritschlio (Parerg. I p. 280 A) et Ladewigio putabant Stichum nostram valde mutilatam esse, magnamque partem deesse, — quaeque ego de exemplo Menandreo adhibere velim: „ich sehe nicht recht was das vollständige Stück weiter enthalten haben soll, welche angefangene Handlung, welche eingefädelte Intrige darin zu Ende geführt werden mochte."

Non tamen solus vir doctus Suess, sed omnes philologi ante Leonem putaverunt servorum convivium Menandreum esse. Supersunt enim nonnulla fragmenta, quae ad Ἀδελφούς pertinere Schoellius Dziatzko alii opinabantur. Quae operae pretium est accuratius examinare, praesertim cum Suessius quoque hinc sua petat argumenta.

Apud Stobaeum, anthol. LVI. 3 legimus ex Menandri Adelphis (Μενάνδρου Ἀδελφῶν) hosce versus:

χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν
ἀσπάζομαι· τουτὶ γὰρ οὐ πᾶσαν ποιῶ
τὴν γῆν, ὅταν δὲ τοὐμὸν ἐσίδω χωρίον·
τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν.

Meineke eos versus ad eam fabulam Menandri pertinere ratus quae Terentio exemplo fuit in Adelphis scribendis coniecit (Menandri et Philem. reliq. Berol. MDCCCXXIII p. 3) Menandrum contra quam Terentius fecit actionem non totam per fabulam intra urbis fines continuisse, sed fuisse etiam ubi eam in agrum transferret; „nam haec" inquit „Demeae verba esse ex urbe in villulam reversi et Ctesiphontem quaeritantis maxima est suspicio."

Contra quae Grauertius observavit talem coniecturam non quadrare in fabulae *οἰκονομίαν*, neque tunc recte se habere verba: *διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδών*. Cum autem Iustinus *περὶ μοναρχίας*

versum ultimum *τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν* ex Piscatoribus („*ἐν Ἁλιεῦσι*") citet, Grauertius sumebat Stobaeum non recte nomen Adelphorum adtulisse, cui adstipulatus est Meineke (fragm. com. gr. IV. p. 76) et Ihnius (quaestiones Terent. Bonn, 1843, p. 31).

Schoellius (Fleck. Jahrb. 1879, p. 46) eos ad Stichi vs. 523 sqq. rettulit:

523 iam redeo. nimiast voluptas, ubi diu afueris domo
domum ubi redieris, si tibi nullast aegritudo animo obviam:
525 nam ita me apsente familiarem rem uxor curavit meam.
omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

Infelicissima coniectura, ut mihi quidem videtur, nam in fragmento Graeco aliquem domum redeuntem audimus, apud Plautum Epignomus qui vs. 496 domum intravit, ut uxorem salutaret, vs. 523 in publicum prodit, ut ad portum se conferat fratri obviam eundi causa: verba *iam redeo* hoc loco significant *mox redibo*, ut Ussingius recte intellexit. Epignomum revera uxorem iam vidisse docent vs. 525/26.

Melior esse videtur coniectura viri docti Dziatzko, qui versus Graecos cum Stichi versibus 649 sequentibusque conferebat (cf. Terenz. Adelphoe Dziatzko-Kauer, Einleitung, p. 6); is haec scripsit „das mit *Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ* beginnende Fragment kann wegen des letzten Verses (*τὸ γὰρ τρέφον κτλ.*) nicht mit Stich. 523 f. verglichen, überhaupt nicht einem der beiden Brüder zugeteilt werden, sondern ist wohl einem der zwei gleichfalls heimkehrenden Sklaven in dem Mund zu legen; höchst wahrscheinlich dem Sangarinus welcher bei Plautus ausruft: *Salvete Athenae quae nutrices Graeciae!* | *Erilis patria, salve: ut te video lubens!*"

Iam statim vides multum differre versus Graecos a Plautinis; trimetri enim Graeci non apti sunt servo, sed domino alicui agellum possidenti; accedit quod Iustinus verba citata ex Piscatoribus adfert; praestat igitur aut cum Grauertio et Kockio (Com. Att. fr. III. p. 8) apud Stobaeo pro *Ἀδελφῶν* *Ἁλιέων* reponere aut putare Stobaeum memoriam fefellisse.

Aliud fragmentum ex Menandri Adelphis tradit Athenaeus X. 431*c* (Comic. Attic. fragm. Koch III. p. 5, fr. 8):

ὀκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
κυάθους, ἕως κατέσεισε φιλοτιμούμενος.

Non potest pertinere ad Adelphos posteriores; nam male Grauertius [1]), quamquam Meinekius aliter iudicat, id ad epulas a Terentio V 1 et 2 memoratas refert. Benfeius fragmentum ad Ἁλιέας pertinere censebat adsentiente Ihnio, sine iusta tamen causa. Nihil est quod dubitemus quin versus ab Athenaeo adlati fuerint in Adelphis prioribus Menandri, non tamen adstipulari possumus viro docto Süss (zwei Bemerk. p. 453) qui putat nobis rem esse cum fragmento ex servorum convivio: „zahlreich sind wörtliche Erinnerungen an die Vorlage, aus der uns ein dem Zechkomment geltendes Fragment überdies erhalten ist." Sed illud convivium *spectari*, non *narrari*, iure suo observat Ussingius (Comment. in Stich. p. 518).

Una etiam res est, quae desiderat responsum: qui fit, rogaverit quis, ut in servorum quoque convivio, ut in media Stichi parte, vestigia deprehendamus τέχνης antiquioris? Qui autem secum reputat etiam Persam fabulam, quam Wilamowitzius [2]) demonstravit Demosthenis aetate scriptam esse, servorum convivium habere in fine, mecum non dubitat quin Plautus Stichi actum V sumpserit ex fabula antiquiore eamque ob causam Aristophanis artis similia exhibente.

Quae, si feliciter disputata sunt, demonstrant, ex fragmentis quae hic illic traduntur ex Menandri Ἀδελφοῖς nullum argumentum peti posse ad servorum convivium Menandro vindicandum.

Cum vero supra planum fecerimus Actum V non fuisse partem Ἀδελφῶν, veri simillimum est Teuffelium (Studien und Charakteristiken p. 277 sqq.) verum vidisse, cum coniceret Plautum pro *dominorum* convivio, quod fabulam Menandream finiret, et in quo etiam *uxores* denuo prodirent, restituisse servorum συμπόσιον; quare id fecerit, relegas velim apud ipsum Teuffelium.

Summa huius disputationis huc redit: neque Leoni adstipu-

---

1) Haec opinio est viri docti Kampe (über die Adelphen des Terenz, Jahresb. d. kgl. Victoriagymn. z. Burg 1902, p. 9), ad quae adnotat v. d. R. Kauer (Terentius' Adelphoe, v. Dziatzko-Kauer p. 210): „Mir erscheint dies auch wegen des τις sehr zweifelhaft."

2) De tribus carminibus lat. (Ind. lect. Gött. 1893/94. p. 13).

landum esse Stichum ex tribus [1]) fabulis Graecis consutam esse contendenti neque Suessio contaminationem omnino neganti.

Non tamen nego Menandri fabulam a Plauto in brevius esse contractam; veri simile videtur, ut unum exemplum demus, uxores etiam in media parte fabulae Graecae in scenam prodiisse, Pamphilippumque uxorem iam vidisse, antequam versu 578 consilium ceperit Gelasimi ludificandi. Apud nostrum parum cupidus est uxoris videndae.

Cum supra viderimus permulta fuisse in exemplo Graeco, quae nobis artem Aristophanis in mentem revocent, ita ut hoc usi argumento coniceremus, 'Αδελφούς α' inter primas Menandri fabulas factam esse, quod etiam universa eius condicio et argumentum non ita artificiose et subtiliter excogitatum videtur ostendere, quaeritur, num ex Sticho cernere possimus, quando prior Adelphi data sit. Egit hac de re vir doctus F. Hueffner (de Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae, 1894), cui tamen adstipulari non possum. Profectus est Hueffner ex versibus 490 sq.:

at ei oratores sunt populi summi viri
Ambracia veniunt huc legati publice;

ad quos haec adnotat: haec spectatoribus Atheniensibus merito insulsa visa essent, nisi *re vera*, cum Adelphoe docebatur, legatio Ambracia missa esset Athenas, *id quod vix factum esse* putaveris, *donec illa urbs sub Macedonum potestate erat.*

Accurate tempus definire non possumus, cum non compertum habeamus quo anno Ambracia Macedonum dicionis facta sit. Anno 317 liberam fuisse equites Ambracienses una cum Olympiadis copiis contra Cassandrum pugnantes evincere rectissime e Diodoro (XIX. 35) effecit Hueffner, qui verisimillimum putat Ambraciam aut *anno* 312 aut *antea* regno Macedonum adiunctam esse. Equidem credo Adelphos inter 317 et 312 datam esse; Hueffner contra Adelphos initio anni 306 actam esse credit, duas praesertim ob causas: Antigonus cum Asandro Asiae domino bellum gerens classes suas quotannis per mare Aegaeum in Graeciam misit atque anno 314 Atheniensium quoque XX

1) Recte Cornelia Catlin Coulter (l.l. p. 86): „it is improbable that Plautus use *so many* different sources as this."

naves, quae Lemnum obsidebant, cepit (Diod. XIX. 68): „quamquam autem, inquit Hueffner, cives Athenienses etiam tum subinde mare transvectos et ab Agathone Asandri fratre exceptos titulus Atticus (C. I. A. II. 238) docet, tamen de *mercatoribus* qui triennium in Asia versati sint, ingensque lucrum fecerint, tanto minus facile cogitaveris, quod haec terra perpetuis Ptolemaeum inter et Asandrum pugnis adeo acerbe vexata est, ut nulla fere eius regio per tres annos non tacta esse videatur." Infra autem vidimus Epignomum et Pamphilippum *militandi causa* in Asiam abiisse, postea praeda auctos mercatura rem fecisse, quod Hueffneri argumento omnem vim adimit.

Summi momenti Hueffnero videtur esse versus 287 si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito; putat enim sermonem esse de Demetrio Poliorceta qui Athenis liberatis *rex* appellatus sit, et anno 306 Athenis moratus sit. Iure suo oblocutus est Seyffertus ille (Bursian, Jahresbericht über Pl. vol. 84, p. 49) cuius verba cito: „dasz die Stelle 287 auf einen bestimmten König zu deuten ist — ein König wird allerdings gemeint sein — ist eine nicht zu erweisende Behauptung."

Sed et hanc ob causam Hueffneri coniectura minus placet, quod, si fabulam anno 306 datam esse credimus, Ἀδελφοὶ non iam inter primas Menandri haberi potest.

Si mecum tamen facis, argumentum parum artificiosum facile explicatur, temporum ratione prorsus non obstante. Ultra a. 317 vero procedere non licet, cum, ut recte observat Hueffner, Menander in primis fabulis mediae comoediae rationem, quod quidem pertinet ad perstringendos certos homines, minime aspernatus sit.

AD THUC. V, 14.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Causae cur Spartani pacem cupiant enumerantur hae: *παρὰ γνώμην ἀποβαίνοντος σφίσι τοῦ πολέμου ... περιπεσόντες δὲ τῇ ἐν τῇ νήσῳ συμφορᾷ ... καὶ λῃστευομένης τῆς χώρας ἐκ τῆς Πύλου καὶ Κυθήρων, αὐτομολούντων τε τῶν Εἱλώτων καὶ ἀεὶ προσδοκίας οὔσης μή τι καὶ οἱ ὑπομένοντες τοῖς ἔξω πίσυνοι πρὸς τὰ παρόντα σφίσιν, ὥσπερ καὶ πρότερον, νεωτερίσωσιν.*

Ultima qui obiter aspicit fortasse putabit hic inter se opponi Helotes qui in urbe remanserunt et Helotes qui iam transfugerunt. Atque adeo sic ab interpretibus vulgo accipi locum arbitror. Quasi vero iam eo res pervenerit ut multo maior Helotum pars tranfugerit, in urbe remanserint *pauci* (hoc enim in composito *ὑπομένειν* inest). Et quam absurde *transfugae οἱ ἔξω* appellantur! Iam quodnam praesidium *ad res novas moliendas* praestare transfugae possint Helotibus qui remanserunt prorsus me latet. Denique e verbis *ὥσπερ καὶ πρότερον* elucet in proxime praecedentibus de alio genere hominum, non de Helotibus, sermonem fuisse. Scin quid Thucydides scripserit? Inspice Xen. H. G. III, 3, 6, pro *οἱ ὑπομένοντες* repones *οἱ ὑπομείονες*, quo vocabulo simul *οἱ νεωδαμώδεις* et *οἱ περίοικοι* significari possunt. Fortasse illorum ne mentionem quidem facere voluit scriptor. Iam verbis *τοῖς ἔξω* significantur *τὰ ἔξω*, bellum a Spartanis infeliciter gestum.

Simul sic apparet sequentis capitis initium corruptum ita esse corrigendum ut *τῶν ὁμοίων* fuisse dicantur ii qui Spacteriae capti sunt.

Postremo nonne prae hisce: „transfugientibus Helotibus *semperque* impendente metu ne *et* cives minore iure, *item ut antea*, res novas molirentur" sensu cassa videntur ea quae sunt tradita?

AD PLATONIS REP. P. 600 E.

„Num Homerum Hesiodumque" Socrates rogat „aequales, si putassent eos virtutem docere posse,"

ῥαψῳδεῖν ἂν περιιόντας εἴων, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἂν αὐτῶν ἀντείχοντο ἢ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἠνάγκαζον παρὰ σφίσιν οἴκοι εἶναι.

In meis editionibus non invenio annotatam coniecturam *μεῖναι* pro *εἶναι*. Suspicor ergo hoc vitium fugisse criticorum sagacitatem, nam quin sit vitium, ita corrigendum, non dubito.

J. J. H.

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(*Continuantur e Vol. XLIII pag.* 384.)



De praescriptione. Sicuti etiam alibi mos erat, decreta Argiva saeculi III[i] incipiunt a praescriptione, qua diligenter definitur, in qua contione, quo tempore, quibus magistratibus lata sint. Antea Argis usitatum fuerat talia in finem decreti relegare, quod etiam in aliis regionibus Graeciae usu venisse scimus [1]). Cuius rei duo exempla habemus, alterum V[i], alterum IV[i] saeculi, siquidem arbitrium Argivorum, quod supra attuli, procul dubio saeculo IV[0] tribuendum est.

Praescriptio decretorum saeculi III[i] quadrifariam dividi potest:

primum enim locum tenent verba: *ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ,*

secundum mensis et dies,

tertio plerumque, sed non semper, sequitur accuratior contionis descriptio, e. g. (*ἁλιαίᾳ*) *ἀμβολίμῳ ἐκ τοῦ δεῖνος μηνός,*

quarto memorantur consilii praeses et scriba.

Auctoris nomen non in praescriptione collocabatur, sed decreto subscribebatur.

1[0] Cum verbis *ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ,* quae etiam in titulo Mycenaeo [2]) ex primo initio saeculi II[i] a. C. n. occurrunt, com-

---

1) Cf. Larfeld, Handb. der Griech. Epigraphik, I[1], p. 471 sq. Griech. Epigraphik[3], p. 338 sqq.

2) IG, IV, 497, vs. 2 sq.

paranda sunt verba *ἐν ἀγορᾷ τελείῳ*, quae in decretis Delphicis legi solent. Quaesitum est inter viros doctos, quaenam sententia hic voci quae est *τέλειος* subesset, neque ulla circa hanc quaestionem dissensio exstitisse videtur. Primus enim Swoboda [1]) *ἀγορὰν τέλειον contionem plenam* esse autumavit atque olim ius fuisse comitia nihil decernere posse, nisi certus civium numerus adesset, suspicatus est. Swobodae assensus est Brandisius [2]). Dittenbergerus [3]) quoque, qui vertit: *contio frequens*, manifesto idem sensit. Neque Larfeldii [4]) diversa est opinio. Vulgo verba *ἀλιαία τελεία* aequiperantur fere similibus, quae in aliis civitatibus reperiuntur, velut *ἔννομος* sive *νομαία ἐκκλησία* vel *ἀγορὰ νόμιμος* vel, ut Athenis loquebantur, *ἐκκλησία κυρία*. Quibus adiectivis omnibus, si Larfeldium l.l. audis, contio in universum tamquam *legitima* extollitur. Paulo aliter Swoboda alio loco [5]) verbis *κυρία, ἔννομος, νομαία, νόμιμος* contiones *ordinarias* spectari censet, ut distinguantur ab illis, quae aeque legitimae, sed extraordinariae sunt; de significatione tamen vocis *τελεία* ibi non disserit. Atque profecto non facile ad dicendum est, quaenam sit prima et vera significatio vocis *τελεία* in *ἀλιαία τελεία*. *Τέλειος* umquam eodem sensu quo *νόμιμος* usurpatum esse demonstrari non potest. Mihi quidem in mentem venit per *ἀλιαίαν τελείαν* et *ἐκκλησίαν κυρίαν* significari potuisse contiones *principales* ad gravissima negotia tractanda idoneas. Sed in primum horum vocabulorum significatum inquirant alii: nobis nunc tantum propositum esto indagare, quid *ἀλιαία τελεία* Argis saeculis V°, IV°, III° a. C. n. fuerit. Quod ut commode investigemus, comparatio cum republica Atheniensium instituenda est. Docet Aristoteles [6]) Athenis ipsius aetate singulis prytaniis quatuor populi contiones ordinarias habitas esse, quarum una *κυρία* esset, altera *ταῖς ἱκετηρίαις*, tertia et quarta *ἱερῶν, κήρυξιν καὶ πρεσβείαις, ὁσίων*. Omnes hae contiones erant *νόμιμοι*, vel, ut cum Aeschine loquamur, *τεταγμέναι ἐκ τῶν νόμων*; si quae praeterea

1) Swoboda, Griech. Volksbeschlüsse, p. 309.
2) Pauly-Wissowa, Real-Encyclop. VII, p. 2239.
3) Dittenberger, Syll. 271, 1.
4) Larfeld, Handb. der griech. Epigr. I[1], p. 473; Griech. Epigr.[3] p. 341.
5) Swoboda, Staatsalt. (Hermann-Blümner, Lehrb. der griech. Antiq. III[6]), p. 115, 6.
6) Arist. Ἀθην. πολ. XLIII, 4.

haberentur contiones extraordinariae, nomen illis erat *σύγκλητοι ἐκκλησίαι*. Eodem fere modo rem Argis habuisse ut credam, duo argumenta mihi suadent. Primum enim decretum Argivum saeculi V[i] latum est in contione quae vocatur *ἁλιαία τῶν ἰαρῶν*, ergo in contione ordinaria, quae tamen non *τελεία* dicebatur, sed *τῶν ἰαρῶν*. Deinde decretum saeculi III[i] in honorem Alexandri Sicyonii, de quo infra agam, factum est in contione, quae vocatur *ἁλιαία τελεία ἀμβόλιμος ἐκ τᾶς τελείας*. Quae verba si conferes cum illis, quae in nostris decretis leguntur: *ἀμβολίμῳ ἐκ τοῦ Πανάμου*, statim intelleges hic designari contionem ex *ἁλιαίᾳ τελείᾳ* proximi mensis, illic vero contionem ex *ἁλιαίᾳ τελείᾳ* eiusdem mensis procrastinatam. Verba *τᾶς τελείας* luculenter ostendunt illo ipso mense *ἁλιαίαν τελείαν*, sed etiam alias contiones ordinarias habitas esse, quae non essent *τέλειαι*. Eodem igitur modo has res ordinatas fuisse apparet tertio atque quinto saeculo, et iure mihi statuere videor, sicut Athenis singulae prytaniae suam *ἐκκλησίαν κυρίαν* haberent, ita etiam Argis — idque fortasse propterea quod Argivi consuetudinem Atheniensium imitati erant — iuxta alias contiones ordinarias (et, si opus esset, extraordinarias) quotannis certum numerum contionum principalium fuisse, quibus nomen esset *ἁλιαῖαι τέλειαι*. Proprium tamen Argivorum fuisse videtur usitata illa dilatio contionis principalis, de qua vide infra.

2° Menses et dies indicantur hoc modo:

A, 2 *Ἀγυήου ἠνάτᾳ δευτάτᾳ*
B, 2 *Ἀγυήου ἠνάτᾳ δευτάτᾳ*
C, 2 *Ἀγυήου ἠ[νάτᾳ] δε[υ]τ[άτᾳ]*
D, 2 *Παν[ά]μο[υ]* . . . .
F, 3 . . . . . *τετάρτᾳ δευτάτᾳ*
G, 3 . . . *ου [τ]ετάρτᾳ δευ[τά]τ[ᾳ]*.

Apparet menses Argivorum usitato Graecorum more [1]) in tres partes divisos fuisse, quarum prima in alio decreto adhuc inedito *πράτα*, ultima hic identidem *δευτάτα* vocatur. Nam hunc esse sensum vocis *δεύτατος* ex Homero cognitum habemus. Apud Pindarum quoque Ol. I, 50 *ἀμφὶ δεύτατα* est *sub finem*; v.

1) Cf. Pollux, I, 63.

Schroeder ad l. [1]). Eandem rationem atque Argivi in diebus designandis sequitur Hesiodus; cf. Op. 782: *ἕκτη δ' ἡ μέσση*, 785: *ἡ πρώτη ἕκτη*, 794 sq.: *τετρὰς μέσση*, 805: *μέσσῃ δ' ἑβδομάτῃ*, 810: *εἰνὰς δ' ἡ μέσση*, 811: *πρωτίστη δ' εἰνάς*, 820: (*τετρὰς*) *μέσση* [2]). Decreta nostra non docent, quomodo Argis pars media mensis vocata sit. Sed si Herzogius inscriptionem Argivam in honorem Latonae recte legit, in ea vs. 5 scriptum est: *ἑβδεμάτᾳ μέσᾳ* [3]), ut apud Hesiodum. Media pars tamen pedestri sermone etiam *δευτέρα* dicta esse possit. In praescriptione decreti Argivi in honorem Eudami, de qua vol. XLIII p. 383 egi, vs. 1, ubi Wilhelmus legerat: *-υτε-*, restitui: [*δε*]*υτ*(*ά*)[*τᾳ*]; possis etiam: [*δε*]*υτέ*[*ρᾳ*]. Neque ductus servati in decreto nostro C, 2 nos ita legere vetarent.

Statuere licet Argivis nonum et quartum quemque diem prae ceteris carum fuisse. Horum uterque inter eos dies est, qui Hesiodo sacri esse videbantur. Cf. Op. 770:

πρῶτον ἔνη τετράς τε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ ...
ὀγδοάτη τ' ἐνάτη τε ...

Diem nonum seorsum collaudat poeta vs. 810—813 [4]), quartum, quem inprimis idoneum ad opus aliquod ordiendum existimare videtur, vs. 800 sq., 809, 819—821.

Sed, nisi magnopere fallor, etiam illud ex titulis nostris sequitur, diem nonum tertiae partis mensis *'Αγυήου* ab Argivis praestitutum esse ut decreta in honorem peregrinorum fierent. Neque id mirum esset, cum etiam apud Epidaurios certam diem (diem quartum mensis *'Απελλαίου*) ea vice functam esse constet [5]).

3° In tribus titulis (A, 2; B, 2; C, 2 sq.) leguntur verba: *ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ, 'Αγυήου ἠνάτᾳ δευτάτᾳ, ἀ μ β ο λ ί μ ῳ ἐκ τοῦ Πανάμου*. In titulis D, F, G lacunae vocem *ἀμβολίμῳ* non

1) Quonam sensu Moschus IV, 65 voce *δεύτατος* utatur, non plane constat.

2) Cf. testamentum Epicuri Diog. Laert. X, 18: *τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος*.

3) Philol. 1912, p. 6.

4) Cf. Athen. IV, p. 141, e, f; Nillson, Griech. Feste, p. 119, 3; 122, 5; Roscher, Abh. der sächs. Ges. der Wiss. phil. hist. Kl. XXI (1903), 4, p. 14—28; XXIV (1906), 1, p. 54 sqq.

5) Cf. IG, IV, 925.

capiunt; ibi ergo agitur de *ἀλιαίαις τελείαις*, quae non erant *ἀμβόλιμοι*.

Adiectivum *ἀμβόλιμος* componendum est cum verbo *ἀναβάλλειν*, ut *ἐμβόλιμος* cum *ἐμβάλλειν*. Occurrit apud Timotheum Milesium Pers. vs. 74: *ἀμβόλιμος ὄμβρος*, *spuma marina sursum iacta*. In decretis Argivis voci inest significatio *dilata*, ab *ἀναβάλλειν*, *differre*, *procrastinare*, quae quidem etiam apud Hesychium invenitur, cuius haec sunt verba: *ἀναβόλιμοι δίκαι* (*causae ampliatae*)· *αἳ διὰ περίστασιν εἰς ὑπέρθεσιν ἐμπίπτουσιν*. Argis igitur cum dies *ἀλιαίᾳ τελείᾳ* praestitutus ad negotia peragenda non sufficiebat, in alium diem eiusdem aut insequentis mensis procrastinari solebat.

4⁰ In decretis nulli alii magistratus eponymi memorantur praeter praesidem et scribam consilii, quos simul comitiis praefuisse sumere licet. Reipublicae popularis hunc esse morem quivis concedet. Tantum in titulo M ante praesidem et scribam nominantur etiam alii magistratus quidam. Numerantur VIII nomina, noni terminatio *-ος* vs. 1 servata esse videtur. Erat igitur collegium X pluriumve magistratuum, qui tunc temporis civitati Argorum praeerant. Supra iam dixi formas litterarum indicare hunc titulum ceteris nonnihil recentiorem esse. Porro cum Corinthius sit is qui honoratur, titulus annis 243—229 incisus esse nequit. Itaque decretum hoc latum est, saeculo III⁰ ad finem vergente, postquam non solum Corinthus, sed etiam Argos Achaicum factum est. Summos magistratus Argivorum ea aetate *στραταγούς* dictos esse apparet ex Liv. XXXII, 25, ubi de rebus Argis anno 198 a. C. n. gestis agens haec habet: „mos erat comitiorum die prius velut ominis causa *praetores* pronuntiare Iovem Apollinemque et Herculem."

De mensibus. Hactenus duo tantum menses Argivorum, *Ἑρμαῖος* et *Ἀρνεῖος*, cogniti erant. Nunc accedunt *Ἀγυῆος* [1]) et *Πάναμος* et ex inscriptione in honorem Rhodiorum, quam mox

---

1) Cum forma *Ἀγυῆος* pro *Ἀγύειος* cf. forma *Καρνήω*, quae legitur in titulo Cnosio S.G.D.I, 5015, 5. Iota subscribo, quia in inscriptione in honorem Rhodiorum scriptum est *Ἀγυήου*. Cf. Buck, Greek dial. § 37.

publici iuris faciam, Καρνεῖος. Quamquam Καρνεῖον mensem apud Argivos fuisse iam ex Thuc. V, 54 effici poterat.

Mensis Καρνεῖος in multis Doricis, Πάναμος item in plurimis Doricis civitatibus et in Graecia septentrionali invenitur. Rarior est mensis Ἀγύειος, quem hucusque tantummodo in Locride et Aetolia et Creta cognoveramus [1]). Hic nos meminisse fas est famam etiam per fabulas Tydei et Diomedis Argos et Aetoliam inter se connectere. In Cretam mensis Ἀγυῆος procul dubio Argis pervenit [2]). Apollo Ἀγυιεύς Argis in fano Apollinis Lycei colebatur [3]).

Quod ad *ordinem mensium* attinet, Πάναμον Ἀγυιήῳ antecedere patet. Eodem modo ex decreto in honorem Rhodiorum efficitur Ἀγυῆον antecedere Καρνείῳ. Iam vero dudum animadverterunt viri docti dies caniculares in Ἀρνεῖον incidisse [4]) et ex Thuc. V, 54 Καρνεῖον Spartanorum et Argivorum inter se congruisse scimus. Ergo hunc ordinem probabilem esse censeo:

Πάναμος	Mai.—Iun.
Ἀγυῆος	Iun.—Iul.
Ἀρνεῖος	Iul.—Aug.
Καρνεῖος	Aug.—Sept.

Ita Argivorum Πάναμος, sicut etiam Rhodiorum, Samiorum, Perinthiorum, Tauromenitanorum cum Atticorum Θαργηλιῶνι congruet [5]). Ἑρμαῖος, quem Plutarchus postea τέταρτον vocatum esse testatur, hiemalis mensis erat: vulgo Atticorum Γαμηλιῶνι aequiperari solet.

De Nemeis. In schol. Pind. arg. Nem. legitur Nemea agi die XII⁰ mensis Panami, in alio scholio recentiore, quod primus edidit Tycho Mommsen a. 1867, μηνὶ Πανέμῳ ιη', ὅς ἐστιν Ἰούλιος. Valde autem probabile est, ut dixit Bergkius [6]), fastos Ar-

---

1) Hemerol. Florent. ap. Ideler. Handb. der Chronol. I, p. 426.

2) Cf. Aly, Der kret. Apollonkult, p. 54.

3) Paus. II, 19, 8.

4) Cf. Athen. III, p. 99, e: ... τῶν ὑπὸ κύνα οὐσῶν ἡμερῶν ... μὴ και τινα Κυνοφόντιν ἑορτὴν ποιησώμεθα ἀντὶ τῆς παρ' Ἀργείοις ἐπιτελουμένης. Clearchus Solensis ap. Ael. hist. anim. XII, 34: ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις, ἃς καλοῦσιν Ἀρνηίδας οἱ αὐτοί (Argivi), ἐὰν κύων ἐς τὴν ἀγορὰν παραβάλῃ, ἀναιροῦσιν αὐτόν.

5) Cf. Inschr. von Priene, 37, vs. 43.

6) Bergk, Poct. Lyr. Graec.⁴ Prol. p. 16.

gorum hic respici. Argivi enim Nemea inde a medio saeculo sexto usque ad secundum saeculum a. C. n. sine intermissione, ut videtur, moderati sunt, nisi quod inter cladem, quam Cleomenes I iis attulit, et Mycenas dirutas Cleonaeis cedere coacti sunt. Nemea igitur non, ut nunc vulgo credunt, media aestate, sed sub finem mensis Maii, id est tempore messium, acta esse mihi videntur. Quod ut probemus, rursus post Droysenum [1]) omnes scriptorum loci, qui huc pertinent, diligenter perpendendi essent. Horum ego nunc unum atque alterum omittam, sed duo argumenta adferam, quae item Nemea vere acta esse demonstrant:

1⁰ Nuntius proelii apud lacum Trasumenum die Nemeorum Argos ad Philippum pervenit. Factum est hoc proelium, ut tunc temporis fasti Romani comparati erant, sub finem mensis Iunii, id est, si nostra ratione utimur, mense Aprili [2]). Nec facile crediderim multo longiore temporis spatio quam unius mensis opus fuisse ut nuntius victoriae ad regem perferretur.

2⁰ Teste Livio XXXIV, 41 Argis a. 194 a. C. n. „ludicrum Nemeorum die stata propter belli mala praetermissum" erat. Qualia haec mala fuerint, apparet ex cap. 26: „frumentatum expeditas cohortes misit (dux Romanus, qui Argos obsidebat). Quod maturi erat circa, demessum et convectum est; viride, ne hostes mox haberent, protritum et corruptum". Ergo hic quoque Nemea tempore messis agi patet; frumentum autem in Argolide sub finem mensis Maii metere incipiunt.

Haec si vera sunt, sequitur porro ut Cleomenes III Argos non aestate, sed vere ceperit, ut Niesius suspicabatur [3]), et pugna apud Sellasiam medio mense Maio facta sit [4]).

Testimonio scholiastae ad Pind. Ol. VII, 147: *τελεῖται δὲ* (Tlepolemea Rhodi) *μηνὸς Γορπιαίου εἰκοστῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ, ἀπέχει*

---

1) Droysen, Die Festzeit der Nemeen, Herm. 1879, p. 1—24. P. 23: „Die obigen Zusammenstellungen gewähren kein befriedigendes Ergebniss."

2) Cf. Polyb. V, 101, 6; Ov. Fast. VI, 763; Mommsen, Röm. Gesch.⁸ I, p. 596; Droysen, l.l. p. 9; Pauly-Wissowa, Real-Encycl. VII, p. 2333.

3) Niese, Gesch. der griech. und maked. Staaten, II, p. 329, 5: „Die Zeit der Nemeen ... ist ... noch immer unsicher ... Nach allem was man aus dem Verlaufe der Ereignisse schliessen kann, muss der Ueberfall der Stadt Argos durch Kleomenes ins Frühjahr 224 gehören."

4) Cf. Polyb. II, 70, 4.

δὲ τῶν Νεμείων ἡμέραις ἕξ cum Bergkio l.l. non utor, quia grammaticus ibi de Nemeis Rhodiensibus loqui videtur. Quod vero auctor arg. Nem. Πάνεμον Iulium esse perhibet, errat. Sed scholiasten posterioris aevi in eiusmodi re titubare quis mirabitur?

De civium nominibus. Ecce index civium Argivorum, qui in decretis nostris memorantur:

A, 3; B, 3	Ἀρίστανδρος Ἀριστέος Δυμὰνς Σελλιγών
A, 3; B, 3	Θιότιμος Θιοκλέος Μόκλας Λαγαρία
A, 8; B, 7 sq.	Ὀρθαγόρας Πυθίλα Κλεοδαΐδας Στιχέλειον
C, 4	. . . . Κοίλα
C, 14	Ἀλεξίων Χ . . . .
D, 3	. . . . [Ὀλισ]σείδας Ἀράχνας
D, 10	Λαχάρης Μίθωνος Μελανιππίδας Ὑσέα ἄνω
E, 10	Θέρσας Ϝανίδας Σελλιγών
F, 4	Φοῖνιξ Λυκώπα . . . . . .
F, 5	Ἴδαῖος Ἀ . . . Φολυγάς
G, 4	Εὔστρατος . αΛ . . . . . .
G, 5	Θιομήδης . . . . ών
H, 12	. . . . [Ποιμω?]νίς
I, 2	Θιο. . . . .
I, 8	. . . . έλειον
K, 3	Ἀμα . . . .
M, 2	. . στρατος Θαυμέα Φολυγάδας
M, 3	. . . . . μάχου Μόκλας
M, 3 sq.	Καρσε . . . ου Δαμοιτάδας
M, 4 sq.	Τελέϊππος . . εος Ἀρκείδας
M, 5 sq.	Εὐκράτης Εὐ . . . . . . εύς
M, 6	Φίλιππος Φιλίππου . . .
M, 6 sq.	. . δωρος Κεφαλίδα Μόκλας
M, 7 sq.	. . . . στράτου Ἀρκείδας
M, 8 sq.	. . . . [Ν]αυπλιάδας
M, 9 sq.	. . . . ου Ἀμφιαρητείδας.

Post nomen civis sequitur nomen patris, quod non nisi semel (E, 10) omissum est. Deinceps sequitur nomen patronymicum in -δας vel appellativum in -ας vel -εύς, quod φάτραν civis indicat, nisi quod bis (F, 5; H, 12) ipsius φάτρας nominis casus

nominativus invenitur [1]. Bis tamen (A, 3; B, 3) eius qui consilio praesidebat non *Φάτρα*, sed *Φυλή* indicatur, fortasse quia ex singulis tribubus per vices aliquis praeses designabatur [2]. Atque haec quidem concinunt cum iis, quae antea ex aliis titulis collegeramus. Hic vero compluribus nominibus insuper additur nomen loci, idque septies casus recti, semel (D, 3: Ἀράχνας) genitivi terminatione ornatum. Nam licet etiam *Φάτρα* Ἀραχνάς sit [3], tamen hic post antecedens [Ὀλισ]σεῖδας pagus Ἀράχνα significari videtur, qui forsitan prope a monte Arachnaeo situs fuerit. Tit. C vs. 4 dubitari potest, utrum Κόλλα scribendum sit an Κόλλα[ς].

Inde iam apertum est, si sub finem inscriptionis in honorem Rhodiorum legatur: *ἔλεξε Θίων Ποιμωνὶς Μενέδαμος Ἀσίνα,* non necessario, ut antea putaveram, has ambas *Φάτρας* esse. Ego nunc Ποιμωνίδα *Φάτραν* esse crediderim [4], sed de Asina vehementer dubito.

Atque rursus nunc de divisione populi et agri Argivi disputandum est. Equidem, cum in titulo saeculi III[i] novus civis adscriberetur *ἐνς Φυλὰν καὶ Φάτραν καὶ πεντηκοστύν*, nomina illa in *-δας, -εύς -ας Φάτρας* indicare sumpseram, simul tamen has *Φάτρας*, licet nomina earum aut omnia aut magnam partem antiquissima esse viderem, eodem statu inde a saeculo VII° vel VI° mansisse posse negaveram. Quomodo enim populares saeculo V° veteres gentilitates intactas perdurare et sicut antea plurimum in civitate valere sivissent? Suspicabar igitur illos, ut Athenis Clisthenes, agrum in pagos divisisse, sed hos *Φάτρας* appellasse et eadem nomina, quae antiquis *Φάτραις* fuissent, ne deorum cultus religionesque oblitterarentur, in pagos et in eorum incolas transtulisse. Similiter enim Clisthenes significationem nominum, quae sunt *Φυλή* et *τριττύς*, immutavit [5]. Sententiae meae adversatus est Francottius [6], qui populum Argivum etiam saeculis III° et II° simpliciter in gentes divisum fuisse censet,

---

1) Cf. BCH, 1909, p. 189.
2) Cf. BCH, 1910, p. 348.
3) Cf. BCH, 1909, p. 184; Ἀραχνάδαι ibid. p. 172, vs. 4 sq.
4) Cf. IG, IV, 529, vs. 13 sq.; BCH, 1913, p. 309.
5) Cf. Arist. Ἀθ. πολ. XXI.
6) Francotte, L'organisation de la cité d'Argos, Musée belge, 1909, p. 321—324.

quamvis ipse fateatur hoc mirum nobis accidere [1]). Nihil igitur, cum saeculo V⁰ respublica popularis Argis conderetur, in his rebus lege immutatum esse autumat, sed non nisi postea, puta saeculo IV⁰, *Φάτρας* ita reformatas esse ut in *πεντηκοστύας* distribuerentur, scilicet ut civitatis figura evaderet concinnior et aequabilior [2]). In hanc sententiam concedere nequeo, quia non intellego quomodo respublica popularis condi potuerit, nisi simul ordo rerum penitus immutaretur et populus aliter distribueretur atque antea. Sed libenter profiteor me quoque de originibus democratiae apud Argivos coniecisse quae mihi tunc temporis probabilia esse viderentur: nunc vero, cum ex titulis recens inventis sine ulla dubitatione concludere liceat solum Argivum aliquando in pagos divisum esse, aliam sententiam in medium proferre libet, quam spero fore ut cum ceteris viris doctis tum Francottio probare mihi contingat. E verbis supra adlatis: *ἐνς Φυλὰν καὶ Φάτραν καὶ πεντηκοστύν* non est cur efficias *πεντηκοστύν* Argis partem *Φάτρας* fuisse. Nisi forte ex IG, II, 1, 54: *καὶ εἶνα[ι αὐτὸν Φυλῆς] ἧστινος [ἂ]ν ἀπογράψηται [κα]ὶ [δήμου καὶ] Φρατρίας* vel ex IG, II, 312, vs. 47 sqq.: *[ἐξ]εῖναι αὐτῷ* (regi Audoleonti a. 289/8 a. C. n.) *γράψασθαι Φυλῆς κ[αὶ] δήμου καὶ Φρατρίας ἧς ἂμ βούληται* sequitur ut Athenis *οἱ δῆμοι* in *Φρατρίας* divisi fuerint. Imo, his titulis comparatis, mihi persuadeo *πεντηκοστύας* Argivorum Atheniensium *δήμοις* aequiperandas esse. Fortasse me relegabis ad *ἑκατοστύας* et *χιλαστύας* Samiorum, Ephesiorum, Byzantiorum, aliorum [3]), quas tribuum (*Φυλῶν*) partes fuisse contendes; sed respondebo tibi nomina quae sunt *τριττύς, πεντηκοστύς* etc., praesertim cum non solum rem, quae tres vel quinquaginta partes habet, sed etiam tertiam quinquagesimamve partem alicuius rei designare possint [4]), non necessario ubique idem significasse. Itaque non absurdum esse videtur statuere Argivos saeculo V⁰ solum in quinquaginta partes descripsisse easque *πεντηκοστύας* appellasse, antiquas autem *Φάτρας* cultus deorum

1) L.l. p. 322: Je crois donc que la cité argienne était établie d'après le principe gentilice; mais, s'il en est ainsi, elle offre un spécimen curieux.

2) L.l.: ... puis, il vint un législateur, féru d'égalité, ami des proportions...

3) Cf. Dittenberger, Syll. 162, 5.

4) *τριττύς* est tertia pars tribus Arist. *Ἀθ. πολ.* VIII, 3; XLIV, 1.

causa conservasse, sed aliquando decrevisse unicuique civi in aliquam *Φάτραν* adscribi ius esse.

De Φατρῶν nominibus. Φάτρας Argivas ordine recensui BCH, 1909, p. 189 sq. Iterum nunc earum indicem paululum emendatiorem et uno nomine auctum propono:

Αἰθαλέες
Αἰθωνίδαι
Ἀμφιαρητεῖδαι
Ἀναιτίδαι
5 Ἀραχνάδαι
Ἀρκεῖδαι
Δαϊφοντέες
Δαμοιτάδαι
Διϝωνυσιάδαι
10 Δμαἰππίδαι
Δωριάδαι
Ϝανίδαι
Ἡραέες
Κερκάδαι
15 Κλεοδαῖδαι
Λυκοφρονίδαι
Μελανιππίδαι
Μόκλαι
Ναυπλιάδαι
20 Ὀλισσεῖδαι
Παιονίδαι
Ποιμωνίδαι
Πωλαθέες
Σμιρεῖδαι
25 Σφυρῆδαι
Τημενίδαι
Ὑάδαι
Φολυγάδαι.

Subiungo nonnulla supplementa commentariorum meorum.

De Ἀμφιαρητείδαις scripseram: „Les Ἀμφιαρητεῖδαι doivent avoir honoré un héros nommé Ἀμφιαρητεύς dont le nom rappellerait de très près celui d'Amphiaraos." Adnotat Bechtelius [1]): „Man muss bestimmter sagen: aus dem Verbandnamen Ἀμφιαρητεῖδαι geht hervor, dass neben Ἀμφιάρηϝος die Namenform Ἀμφιαρητεύς bestanden hat." Fortasse recte dicit. Attamen non abs re est hic ostendere numen illud Argis sub communi nomine Ἀμφιαράου cultum esse. Die VIII° mensis Augusti a. 1906 in foro prope angulum templi antiqui, qui ad meridiem et orientem spectat [2]) repperi fragmentum stelae lapidis calcarii cani, cuius margo sinister integer est. Altitudo est 0^{m}·085, latitudo 0^{m}·11, crassitudo 0^{m}·06, litterarum altitudo 0^{m}·007. Litterae sunt saeculi II^{i} a. C. n.:

1) Zeitschr. für vergl. Sprachforsch. 1913, p. 58.
2) Cf. BCH, 1907, p. 177; Museum m. Oct. 1912, p. 32.

ΜΟΥ
ΤΟΥΑΜΦΙΑΡΑΟΥ
ΠΟΛΛΑΚΑΙΜΕ
ΝΟΙΕΝΤ
. ΕΙΑΚ

μου
τοῦ Ἀμφιαράου
πολλὰ καὶ με
νοι ἐν τ
. εια κ

Δωριάδας aliquis nunc etiam occurrit in inscriptione illa ex Heraeo Argivo, qua reperta Waltero primo titulum IG IV, 530 recte interpretari contigit: Ἀριστίων Ἀριστίωνος [Δ]ωριάδας [1]).

Ϝανίδαι ab heroe Anio originem suam traxisse mihi visi sunt. Nec tamen indignum relatu est in Argolide inter Corinthum et Epidaurum locum commemorari, cui nomen fuerit αἱ Ἄνειαι [2]).

De Κερκάδαις agens exposui Acusilaum Κερκάδαν fuisse, hoc autem nomen nomini scriptoris additum in fonte Suidae male intellectum esse et errorem peperisse satis ridiculum. Plane eodem modo poeta Acusilao aequalis vocabatur Σιμωνίδης Λεωπρέπευς Ὑλιχίδης [3]).

Κερκάδαι, Πωλαθέες, Σμιρεῖδαι, Ὑάδαι quondam perperam pro collegiis opificum habiti sunt. Polandium cum ea quae scripseram BCH 1903, p. 275 titulusque ibid. p. 271 editus [4]) fugissent, et ipse in libro qui inscribitur „Geschichte

1) Oesterr. Jahresh. 1911, Beibl. p. 145 sq.

2) Cf. IG IV, 926, 16 sq.

3) Ὑλιχίδαι occurrunt in inscriptionibus Iulidis (IG, XII, 5, 609, 102 sq., 637). Quin etiam memoratur ibi vir Simonidi cognatus Λεωπρέπης Ὑλιχίδης. In Callim. fr. 77:

οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω
τὴν Μοῦσαν ὡς ὁ Κεῖος Ὑλλίχου νέπους

Ὑλλίχου νέπους poetice pro Ὑλλιχίδης dictum esse iam olim Schneidewinius intellexit. Cf. Wilamowitz, Arist. und Athen, II, p. 183; Sappho und Simon. p. 139; IG, XII, 5, p. XXX. Apud Christium tamen, Gesch. der griech. Litt.[6] (1912), I, p. 217 vel hodie legitur: „Simonides, Sohn des Leoprepes und Enkel des Hyllichos."

4) Hunc titulum postea repetivi et emendavi BCH, 1909, p. 172.

des griechischen Vereinswesens" (1909), p. 118 sq. in eadem re peccavit. Miratus quidem est terminationes patronymicas nominum horum fabrorum et collegarum, ut putabat [1]), et diserte statuit, sola Aegypto excepta, non nisi Argis collegia opificum fuisse videri, quae, si modo ex nominibus eorum indicare liceret, non ex more Romanorum, sed sponte sua extiterint [2]). Haec omnia in posterum ex historia collegiorum apud Graecos omittere necesse erit. Equidem negari non potest in quatuor nominibus supra laudatis similitudinem quandam cum nominibus opificiorum vel instrumentorum inesse, ut reminiscamur loci Etymologici Magni s. v. Ἐλεεῖς: οἱ γὰρ δῆμοι τῶν Ἀθηναίων (ὠνομασμένοι εἰσὶν) ἢ ἀπὸ τῶν τόπων ἢ ἀπὸ τῶν παρακειμένων αὐτοῖς ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς φυτῶν ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς χειροτεχνῶν ἢ ἀπὸ τῶν οἰκισάντων ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν [3]). Hoc de pagis. Sed iure Toepfferus [4]), cui astipulatus est Francottius [5]), nomina τῶν γενῶν eodem modo formata esse dixit. Haud scio tamen an in nominibus Argivis ista similitudo fortuita sit et viros doctos deceperit.

Λυκοφρονίδας aliquis nunc etiam invenitur in inscriptione, quam supra a Waltero in Heraeo repertam esse dixi. Ibi enim vs. 3 legitur Λαχίας Παμφάεος [Λυκ]οφροντί[δας], sed interroganti mihi per litteras editor benigne respondit per merum errorem sic scriptum esse in apographo, cum in ectypo chartaceo legatur: [Λυκ]οφρονίδα[ς].

Μελανιππίδαι hic primum occurrunt. Nec facile dictu esse videtur a quonam heroum vel heroinarum, quibus nomen Melanippus et Melanippa fuit, originem duxerint. Numne ab Amazone Melanippa, Hippolyti matre? Δαμοιτάδαι certe ab heroe Troezenio Δαμοίτα oriundi esse credebantur [6]). Sed nihil pro certo definire possumus.

---

1) L.l. p. 525: Die merkwürdigste Erscheinung ... stellten die nach dem Muster gentilizischer und kultlicher Gebilde in Argos in römischer Zeit verbreiteten vermutlich kleineren Kreise von Handwerksgenossenschaften dar.

2) L.l. p. 125.

3) Cf. Milchhöfer in Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. Daidalidai.

4) Töpfer, Att. Geneal. p. 5.

5) Francotte, La Polis grecque, p. 54, n. 1.

6) Cf. BCH, 1909, p. 192.

De Ὑάδαις hoc addere velim. Horum Φάτρα iis adnumeranda est, quas saltem saeculo V⁰ non recentiores esse demonstrari potest [1]), quoniam, ut dixi BCH, 1913, p. 308, in inscriptione IG IV, 533 olim a Fourmontio exscripta vs. 3 procul dubio legendum est: Κύλαδς Ὑάδ[ας].

Φολυγάς, Φολυγάδαι legendum esse, non, ut antea putaveram Φολ[λ]ιάδαι, nunc constat. Nomen Graecum esse non crediderim. Cf. Φολέγανδρος.

Nominum index, quem supra dedi, fortasse etiam uno nomine augeri potest. In titulo saeculi III[i] IG, IV, 527 legi [2]) vs. 20: ..ον Ὀφελᾶ . ΛΓΙΔΑΙ. Ecquid restituendum est; [Λ]αγίδαι? Comparari possint Attica tribus Πτολεμαίς et pagus Atticus Βερενικίδαι.

De nominibus pagorum. Pagi Argivi in titulis nostris occurrunt hi:

Ἀράχνα	Στιχέλειον
Κοίλα	Ὑσέα ἄνω
Λαγαρία	..καιον (F, 5).
Σελλιγών	

Κοίλα probabiliter est vicus urbis Argorum, cuius mentionem facit Pausanias. Qui postquam sub finem l. II cap. XXII gymnasium Cylarabin descripsit, initio cap. sq. haec habet: ἐντεῦθεν ἐρχομένοις ὁδὸν καλουμένην ναός ἐστιν ἐν δεξιᾷ Διονύσου ..., τοῦ Διονύσου δὲ ἐγγυτάτω οἰκίαν ὄψει τὴν Ἀδράστου καὶ ἀπωτέρω ταύτης ἱερὸν Ἀμφιαράου καὶ τοῦ ἱεροῦ πέραν Ἐριφύλης μνῆμα. ἑξῆς δὲ τούτων ἐστὶν Ἀσκληπιοῦ τέμενος καὶ μετὰ ταῦτα ἱερὸν Βάτωνος ... ἐπανιόντι δὲ ἐκ τῆς Κοίλης Ὑρνηθοῦς τάφον λέγουσιν εἶναι. In primis verbis huius loci lacunam inesse omnes iam diu viderunt. Atque vulgo, praeeunte Kuhnio, scribitur: ἐντεῦθεν ἐρχομένοις ὁδὸν καλουμένην (Κοίλην) κτλ., sed hoc supplementum me iudice prorsus abiciendum est. Nam gymnasium Cylarabis, quod Pausanias modo reliquerat, situm erat in campo planissimo, ubi nunc ecclesia Sancti Constantini est [3]). Inde non magis

1) Cf. ibid. p. 184.
2) BCH, 1913, p. 309.
3) Cf. BCH, 1907, p. 178 sq.

Pausaniae aetate quam hodie via cava vel depressa ordiri potuit. In tota urbe, ut recte vidit Robertus [1]), non nisi unus locus est, cui Κοῖλα nomen fuisse possit, convallem [2]) dico inter Larissam et Aspidem. Minime vero probabilis videtur sententia Curtii et Roberti, qui vocem ἐντεῦθεν non, ut consentaneum est, ad gymnasium, sed ad forum urbis retulerunt. Alia medela adhibenda est. Equidem nisus exemplo cap. XXII, 8: ἐρχομένῳ δὲ ὁδὸν εὐθεῖαν ἐς γυμνάσιον Κυλάραβιν nostro loco restituere suadeo: ἐντεῦθεν ἐρχομένοις ὁδὸν (εὐθεῖαν ἐς τὴν Κοίλην) καλουμένην [3]) κτλ. His demum rite respondent quae sequuntur § 3: ἐπανιόντι δὲ ἐκ τῆς Κοίλης.

Itaque templum Liberi et quinque alia fana vel monumenta, quorum Pausanias meminit, non, ut Robertus censet, in ipsa Κοίλᾳ iacebant, ubi ne area quidem ad aedificandum idonea est, sed iuxta viam, quae a gymnasio ad Κοίλαν ducebat. Iam inferiorem partem viae inter Larissam et Aspidem sitae Κοίλαν, superiorem Δειράδα dictam esse crediderim. Si quis tamen nomen Δειράδος etiam ad viae supercilium, in quo templum Apollinis Δειραδιώτου exstructum erat, pertinuisse dicat, non refragabor. Sed gravor Roberto [4]) concedere vocem quae est δειράς non nisi plurali numero *angustias*, *fauces* significare posse. Quin etiam in Messenia locus aliquis Κοῖλα Δέρα dicebatur [5]). Sunt quidem voces δέρα sive δέρη et δειράς plane diversae originis, ut primus docuit Guilielmus Schulze [6]). Sed locis, quos congessi BCH, 1907, p. 164, ostenditur Graecos iis promiscue et sine ullo discrimine usos esse [7]).

Nomen quod est Σελλιγών Graecum esse non videtur. Cum

---

1) Robert, Pausanias als Schriftsteller, p. 139 sqq.

2) Cf. Paus. VIII, 13, 4: ὕδωρ ... διὰ χαράδρας ῥέον κοίλης.

3) Similem verborum positionem habes Paus. III, 12, 8: πρὸς δὲ τοῖς Φρουρίοις καλουμένοις. IV, 24, 3: ἐς τοὺς Διαγορίδας καλουμένους.

4) L.l. p. 141.

5) Inschr. von Olympia, V, vs. 46; IG, V, 2, p. XXVII, vs. 30, ubi Hillerus iure comparat IG, V, 1, 1429, 2 sq. κατὰ Δέραν ..[κατ]ὰ τὸ Κοῖλον. Apud Paus. IV, 15, 4 hic locus Δέραι audit.

6) Schulze, Quaest. ep. p. 95 sq.

7) Δηράς etiam in insula Creta nominis loci vice fungitur Gortyne (S.G.D.I. 5024, 18 sq.), Itani (ibid. 5060, 63, 66), Lato (ibid. 5075, 62, 72). Δέρα est nomen loci in urbe Cnoso (S.G.D.I. 5149, 13; BCH, 1905, p. 209).

prima parte nominis conferatur Σελλανύς, locus inter fines Epidauri et Corinthi haud procul a promunturio Spiraeo situs [1]), Σελλασία, oppidum Laconiae, Σελλήεις, flumen in Elide, prope Sicyonem, in Troade.

Nomen quod est Στιχέλειον fortasse etiam legebatur in inscriptione ex Heraeo Argivo, cuius exiguum fragmentum exscripsit Walterus Oesterr. Jahresh. 1911, Beibl. p. 142, n. III. Ibi enim initio vs. 4 legitur: . . λειον [2]). Addo quod in eodem fragmento etiam alius pagus Argivus commemoratus esse videtur: initio enim vs. 5 distincte legitur: Σόλυμνα. Hoc quoque nomen Graecum non esse indicat terminatio -υμνα [3]). Cum priore parte nominis fortasse conferri possunt Σόλοι, nomen oppidi in Cypro et in Cilicia, Σόλ(λ)ιον, nomen oppidi in Acarnania.

Si fuit pagus Ὑσέα ἄνω, procul dubio fuit etiam Ὑσέα κάτω. Cf. Ἄνω Λόφος in Euboea [4]), Λ[ύ]ττιοι οἱ ἄν[ω] in Creta [5]), pagi Attici Ἀγγελή, Ἀγρυλή, Λαμπτραί, Παιανιά, Περγασή, Ποταμὸς καθύπερθεν et ὑπένερθεν. Non dubito quin Ὑσέα tituli nostri eadem sit quae apud Pherecydem Ὑσία, apud ceteros scriptores Ὑσίαι vel Ὑσιαί vocatur [6]).

De arbitrio Argivorum inter Melios et Cimolios. Restat ut copiosius agam de arbitrio Argivorum, quod vol. XLIII p. 383 sq. verbo tenus attuli [7]). Merito me iudice post alios Dittenbergerus contendit τὸ συνέδριον τῶν Ἑλλάνων, cuius vs. 4 sq. mentio fit,

---

1) IG, IV, 926,4.

2) Est tamen etiam oppidum Πεντέλειον prope Pheneum (Plut. Cleom. XVII). Hoc eo tempore, cum pagi Argivi constituebantur, procul dubio Arcadicum fuit.

3) Cf. Fick, Vorgriech. Ortsnamen, p. 28 et 62.

4) Dittenberger, Syll. 494,4; Athen. Mitth. 1883, p. 20, vs. 33.

5) IG, XII, 5, 723, 7.

6) Cf. Paus. VIII, 28, 5: Βρενθεάτης, Steph. Byz.: Βρενθιάτης. Paus. VIII, 36, 9, Steph. Byz.: Μακαρέαι, Paus. VIII, 3, 3 et 27, 4: Μακαρία. Paus. VIII, 35, 6, IG, V, 2, D, III, 4: Παρωρία, Steph. Byz. Παρωρεία (l. Παρωρία?)· πόλις Ἀρκαδίας· λέγεται δὲ καὶ Παρωραία (l. Παρωρέα). οἱ πολῖται Παρωρεῖς· Νικόλαος δὲ Παρωρεάτας φησίν. Ptolem. Ἀβέα, Polyb. Paus. Ἀβία, IG, V, 1, 1352—1354: Ἀβεᾶται, Ἀβειᾶται. Oppidum Acarnaniae, quod apud scriptores vocatur Ἀλυζία vel Ἀλύζεια, in titulo Epidaurio saeculi IV¹ a. C. n. (IG, IV, 1504, 19) scribitur Ἀλυζέα.

7) Titulum primus edidit Lebasius (Rev. arch. XI, 1856—57, p. 577 sqq.), deinde repetiverunt multi. Imaginem accurate delineatam litterarum, quae graves iniurias passae sunt, praebet Hillerus IG, XII, 3, 1259. Pleraque quae viri docti de hac inscriptione in medium protulerunt, recenset Dittenbergerus Syll. 428.

nihil esse posse nisi concilium illud, quod a. 338 Corinthi auctore Philippo convocatum est. Necesse igitur est sumere hoc *συνέδριον* Meliis et Cimoliis Argivos arbitros dedisse. Formas litterarum secunda parte saeculi IV[i] vetustiores esse non posse quivis in imagine in Inscr. Graec. vol. XII[0] videre potest. Quae cum hodie vulgo omnibus viris doctis nota sint, tamen in hoc titulo bis *ο* pro *ω* et semel *ε* pro *η* scriptum esse credunt. Etenim vs. 7 ΕΜΜΕΝΕΝ pro infinitivo futuri habent et ΠΟΣΙΔΑΟΝ et ΠΕΔΙΟΝ pro *Ποσιδάων* et *πεδιών* accipiunt, idque cum littera *η* sexies, littera *ω* terdecies in inscriptione occurrat. Constat autem inter omnes litteris *ε* et *ο* Graecos iam inde ab initio saeculi IV[i] pro *η* et *ω* uti desiisse.

Iam ΕΜΜΕΝΕΝ, ut ab hoc initium capiam, manifesto est infinitivus praesentis *ἐμμένεν*. Nam verbum *ὁμολογεῖν* etiam cum infinitivo praesentis construi posse nemo, sat scio, infitias ibit [1]).

ΠΟΣΙΔΑΟΝ illis *Ποσιδάων* est. *Ποσιδάων* scilicet civi Argivo nomen fuit. Nonne vides hoc non a dei nomine derivatum, sed ipsius dei nomen fore? Quis est autem qui credat hominem Argivum saeculi IV[i] a. C. n. alicui ex deorum numero cognominem fuisse [2])? Scribe *Ποσίδαον* et pro nomine pagi accipe. Cf. *Ποτίδαια* in Chalcidice, *Ποτίδαιον* in insula Carpatho [3]).

ΠΕΔΙΟΝ, praeeunte Hoffmanno, esse perhibent *πεδ-ιών* i. e. *μετών*, *qui interest* (in collegio aliquo), *assessor* [4]). Explicatio vocis speciosa est, sed improbabilis, cum in tot milibus inscriptionum Graecarum participium *μετών* numquam tale quid significet. Adde quod participium praesentis verbi *εἶναι* apud Argivos erat *ἐών*, non *ἰών*; v. inscriptionem in honorem Alexandri Sicyonii, vs. 6. Itaque *Πεδίον* quoque sine ulla dubitatione pagum Argivum esse affirmare licet.

---

1) Cf. Madvig, Synt. der griech. Sprache[2], § 171, a, 2; Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 1, p. 196 sq.

2) Cf. quae Bechtelius Geneth. p. 79 ad IG, IV, 727 contra Fraenkelium disputavit.

3) Dittenberger, Syll. 270, 25.

4) Hoffmann, De mixtis ling. Graec. dial. p. 51; Prellwitz, S.G.D.I. III, 3277; Hiller von Gärtringen, IG, XII, 3, ind. alph.; Dittenberger, Syll. 428; Wilhelm, G.G.A. 1898, p. 205; R. Meister, Dorier und Achäer, I (Abh. d. k. sächs. Ges. der Wiss., phil. hist. Kl. XXIV, 1906), p. 59; Buck, Greek Dial. p. 20 et 242; Thumb, Handb. der griech. Dial. p. 106.

Vs. 15 vulgo legitur: [β]ωλ[ᾶ]ς σευτέρας, quae verba aut distinguendo omnino a ceteris seiungunt aut Fraenkelio [1]) auctore cum praecedentibus connectunt. Haec per assimilationem ex βωλᾶς δευτέρας orta esse autumant. Sed eiusmodi assimilationis litterae δ initialis ad σ finale vocabuli antecedentis in lingua Graeca exemplum consimile non exstat. Neque magis Meisterus mihi persuasit peculiarem indolem, quae litterae δ in dialecto Argiva erat, effecisse ut hic in σ commutaretur [2]). Adde quod positio verborum βωλὰ δευτέρα pro δευτέρα βωλά admodum mira foret. Wilhelmus [3]) quidem ostendit in compluribus civitatibus Graecis senatores non in annum, sed in sex menses minusve tempus creatos esse. Sed hoc, si recte video, huc non pertinet. Illud quoque non probabile ducerem consilium τῶν ὀγδοήκοντα Argis interdum βωλὰν δευτέραν vocatum esse [4]). Mihi Εὐτέρας nomen civis Argivi est, qui tunc temporis consilio patriae suae praesidebat. Cf. Εὔφημος, Εὐγνώμων, Ἀρίσημος, Σημάριστος, Εὔσαμος, quod ultimum nomen Bechtelius [5]) apud Graecos in usum receptum fuisse probavit.

Superest ut lectionem meam, quam exemplo titulorum recens inventorum nisus proposui: ἀρήτευε Λέων· βωλᾶς⟨ς⟩ Εὐτέρας Ποσίδαον· γροφεὺς βωλᾶς Πέριλλος Πεδίον, duobus argumentis tuter, si quis forte adhuc de ea dubitat.

Quod primum locum tenet totius reipublicae vel summi magistratuum collegii praeses, cuius Φάτρα non memoratur, secundum praeses consilii, hoc optime convenit cum iis, quae in fine decreti saeculi V[i] leguntur: ἀϝρέτευε Λυκοτάδας Ὑλλεύς .... ἀ(ϝρέτευε) βολᾶς Ἀρχίστρατος Λυκοφρονίδας [6]). Mirum tamen accidit, quod in titulo saeculi IV[i] ante βωλᾶς vocabulum ἀρήτευε

1) Berl. Sitz. Ber. 1898, p. 437 sq.

2) R. Meister, Dorier und Achäer, I, p. 58: „die spirantische Natur des δ, die im spartanischen Dialekt nachgewiesen wurde (s. S. 37 f.), geht für den argivischen Dialekt aus den Schreibungen ϝισζείε (d. i. εἰδείη) ... und βωλᾶς σευτέρας ... hervor" etc.

3) Wilhelm, Reisen in Kilikien, p. 112; G.G.A. 1898, p. 205; 1900, p. 14; Beitr. zur griech. Inschriftenkunde, p. 119; cf. IG, V, 1, 11, vs. 4; Swoboda, Staatsalt. p. 129.

4) Cf. Swoboda, l.l. p. 64.

5) Fick-Bechtel, Griech. Pers. Nam.[2] p. 249 seq.

6) BCH, 1910, p. 331, vs. 23 sq.

non repetitum est. Quod ut per grammaticam defendi possit, tamen ab assidua consuetudine abhorret. Iam vero animadvertendum est apographon tituli in ephemeride, cui inscribitur *Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκη τῆς ἐν Σμύρνῃ εὐαγγελικῆς Σχολῆς* a. 1873, quo tempore lapis integrior erat quam hodie, ante *βωλᾶς* in fine versus praecedentis litteras HΞ exhibere. Quae licet nullum sensum praebeant, tamen inde probabile fit aliquas olim litteras illo loco exaratas fuisse, quarum vestigia postea perierint. Suspicor igitur ibi unum ex usitatis compendiis vocabuli *ἀρήτευε* (A, AP, APH) scriptum fuisse.

Quod in lapide *βωλᾶςς* pro *βωλᾶς* exaratum est, hoc nihil nisi mendum quadratarii esse persuasum habeo. Viri enim, qui in veteribus inscriptionibus noscendis versati sunt, sciunt lapicidas nonnumquam ita peccare ut litteram aliquam per errorem duplicent [1]).

Haec si recte disputata sunt, rursus duo nomina pagorum Argivorum eaque saeculi IV[i] lucrati sumus, *Ποσίδαχον* et *Πεδίον*, quae cum *Σόλυμνα* et *Ἀσίνα* et *Ὑσία κάτω* septem, quae supra recensui, nominibus addenda sunt.

III.

DECRETUM IN HONOREM ALEXANDRI SICYONII.

Die XX° mensis Augusti anni 1906 eodem loco quo lapis, de quo a. 1914 egi [2]), reperta est stela aëtomate ornata ex lapide calcario cano. Desideratur angulus inferior sinister et exigua pars anguli dextri superioris. Altitudo est 0m·52, latitudo 0m·58, crassitudo 0m·12, altitudo litterarum in primo versu est 0m·011, in ceteris 0m·007. Litterae, quae saeculo III° tribuendae sunt, in versibus 4—28 *στοιχηδόν* exaratae sunt. Litterarum iustus numerus in singulis versibus est 46. Cum tamen unumquemque versum in integram syllabam desinere voluerit lapicida, sunt

---

1) Cf. e. g. BCH, 1909, p. 452: [ἄβ]υσσον <ν> οἰκείῃ.
2) V. Mnem. 1914, p. 330 sqq.

etiam versus (11, 15, 17, 19—21), qui 47, alii (12, 16, 25), qui 45 modo litteris constant. Coloris rubri vestigia litteris adhaerebant.

'Αλεξάνδρου Σικυωνίου.

ἐπὶ γροφέος τᾷ βουλᾷ Θιοδέκτα, τοῖς δὲ στραταγοῖς Δαμέα, ἀλιαίᾳ ἔ[δοξε]
τελείᾳ, 'Αρνήου ἕκτᾳ δευτάτᾳ, ἀμβολίμῳ ἐκ τᾶς τελείας. vacat
ἀναγγειλάντων τῶμ πρεζβευτᾶν περὶ ὧν εὐχρήστηἑ 'Αλέ[ξαν]-
δρος τᾷ πόλι, ἔδοξε τῷ δάμῳ· ἐπειδὴ 'Αλέξανδρος 'Αλεξ[άν]-
δρου Σικυώνιος διατελεῖ ἐμ παντὶ καιρῷ εὔνοος ἐὼν τᾷ
πόλι τῶν 'Αργείων ἀξίως τᾶς προϋπαρχόνσας οἰκειότατος
τᾷ πόλι ποῖ τὰν πόλιν τῶν Σικυωνίων, πολίταν ἦμεν αὐτὸν
καὶ ἐκγόνους καὶ θεαροδόκον τοῦ Διὸς τοῦ Νεμέᾳ καὶ τᾶς
"Ηρας τ[ᾶ]ς 'Αργείας, τὸνς δὲ στραταγόνς, οἷς γράφει Δαμέας, ἀ[ν]-
γράψαι ἐνς τὰνς στάλανς τὰνς ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ 'Απόλλωνος
τοῦ Λυκείου, ἶ καὶ τοὶ ἄλλοι πολῖται γεγράβανται, ἐ[ν]ς Φυ-
λὰν καὶ Φάτραν καὶ πεντηκοστύν, ἂν κα αὐτὸς προαιρῆται, ἦ-
μεν δὲ αὐτῷ καὶ προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶνσι ἅπανσι, οἷς ἁ πό-
λις τίθητι, στεφανῶσαι δὲ αὐτὸν καὶ εἰκόνι χαλκέᾳ καταστᾶ-
σαι ἐν τᾷ ἀγορᾷ, ἶ κα αὐτὸς προαιρῆται, τὸνς δὲ ἑλλανοδί-
[κα]νς τῶν Νεμέων καὶ 'Ηραίων τῶν ποτεχεῖ καρῦξαι ἐν τῷ ἀγῶ-
[νι] τῶν 'Ηραίων καὶ Νεμέων. τὸ δὲ ψάφιζμα ἐγδόμεν τὸνς στρα-
[ταγὸν]ς μετὰ τοῦ ἀρχιτέκτονος ἀνγράψαι ἐνς στάλαν καὶ ἐν-
[στᾶσαι ἐν τ]ῷ ἱαρῷ τοῦ 'Απόλλωνος τοῦ Λυκείου ὅπως πᾶσι Φα-
[νερὰ διαμένῃ] ἁ πόλις τοῖς εὐεργετοῦσι αὐτὰν καταξίανς
[τιμὰνς ἀπονέμονσα]· τὸ δὲ ἀνάλωμα διδόμεν τὸνς ταμίανς.
[ἑλέσθαι δὲ τὰν ἀλιαίαν] πέντε ἄνδρας ἐπὶ τὰν εἰκόνα, ὅττι-
[νεσ λαβόντες ΧΧ δραχμὰνς π]ὰρ τῶν ταμιᾶν τῶν μετὰ γροφέα
[Θιοδέκταν ἄριστα ἐπιμελησόν]ται περί τε τᾶς ἐγδόσιος
[τᾶς εἰκόνος καὶ τᾶς καταστάσιος. τοίδε] ᾀρέθεν· 'Ανθιάδας
τα̣ς Πολυκράτε[ος]
Πολλιάδα vac.
vac.

In aetatem huius decreti inquirenti statim tibi apparebit id utique anno 219/8 a. C. n. antiquius esse: praetor enim

foederis Achaici non nominatur. Cum vero Sicyonius sit is qui honoratur et ex vs. 4 pateat Argivos etiam legatos Sicyonem misisse, sequitur ut inscriptio non magis annis 245/4—229/8 tribui possit; tunc enim Argos foederi Achaico, cui Sicyon adiuncta erat, inimicum erat. Praecesserat temporis spatium satis breve, quod supra annis 249 et 244 circumscribere conatus sum, per quod Argivi populari imperio fruebantur et a Ptolemaeis stabant [1]). Sed ne huic quidem decretum tribui potest, quia praescriptio eius tantopere differt a praescriptionibus decretorum II, A, B, C, D, quae huic aetati assignare nos cogit ratio. In illis enim post verba ἁλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ sequuntur nomina praesidis et scribae consilii, hic vero ante eadem verba nominantur scriba senatus et scriba praetorum. Unde etiam magna cum probabilitate efficimus decretum nostrum latum esse cum potestas penes optimates esset; cf. quae infra ad vs. 11 sq. adnotavi. Sed de ratione temporum disputare pergam. Decretum factum esse nequit inter annos 251 et 249, quia tunc Sicyonii ab Achaeis, Argivi a Macedonibus stabant. Restat igitur ut latum sit ante Sicyonem liberatam (a. 251). Conclusioni meae non officiunt litterarum formae, quae quidem potius priorem quam posteriorem partem saeculi III[i] redolere mihi videantur.

Vs. 6 litterae vocabuli Σικυώνιος de industria attritae et paene deletae sunt. Inde quoque apparet decretum factum esse cum Argivis cum Sicyoniis amicitia esset, sed hanc non durasse.

Viri, quorum nomina in titulo nostro occurrunt, paene omnes ignoti sunt. Unus Θιοδέκτας, nisi homonymia nos fallit, commemoratur in nummis Argivis saeculi III[i], qui litteras ΘΙΟΔΕ exhibent [2]).

Alexandrum illum Alexandri filium, cui hic statua ahenea in foro Argivo decernitur, virum honestiore loco natum fuisse consentaneum est. Sed nihil de eo scimus. Forsitan originem traxerit ab Alexandro Polyperchontis filio Sicyonis tyranno, cuius post obitum uxor Cratesipolis oppidum tenuit. Sed vana est suspicio.

---

1) Call. hymn. V annis 249—244 tribuendus esse videtur mihi; sin minus, annis 280—272. Fabulam Boeoticam ei inserere potuit poeta, quia Boeotii quoque tunc temporis Ptolemaei partibus favebant.

2) Cf. Num. Zeitschr. IX, p. 56 sq. ibid. N. F. IV (1911), p. 123.

Vs. 2. De praetoribus Argivorum v. supra p. 50. Cf. IG, IV, 557, 9, ubi Wilhelmus restituit: [στρατ]αγοί· Κρίτω[ν] ...

Vs. 4. Εὐχρηστεῖν τινι est *bene mereri de aliquo*; cf. vol. XLIII, p. 372, D, 4: [ἄ]λλα καὶ εὐχρήστ[ηέ]; sed notandum est inde a saeculo III° a. C. n. officia feneratorum saepe euphemismi causa hoc modo designata esse. Cf. Phrynichus atticista: εὐχρηστεῖν ἀπόρριψον, λέγε δὲ κιχράναι. Dittenberger, *Syll.* 730 (paullo ante a. 170 a. C. n.), 16 sq.: προευχρήστηκεν δὲ καὶ διάφορον πλεονάκις ἄτοκον, ἀποδημοῦντος τοῦ ταμίου. IG, IV, 2, 263 (saec. III[1] aut II[1]): [π]όθοδον ποησαμ[ένου 'Αφρο]δισίου τοῦ Κυδίμο[υ το]ῦ 'Αργείου περ[ὶ τᾶς ἀπ]οδόσεως τῶν Φιλανθρώ[πω]ν καὶ εὐχρήστων, [ἅ ἐ]στιν εὐχρηστηκώς, ... καὶ [ἀπολο]γιξαμένου ὅσα ἦν κατ[ά τε τ]ὰν πόλιν κα[ὶ κατὰ τὸ ἄσ]τυ καὶ καθ' ἰδίαν [πᾶσι τοῖς ἐντυ]γχάνουσιν [πο]λ[ί]ταις ...

Vs. 10. Γράφειν hoc loco idem est quod γροφεύειν, γραμματεύειν.

Vs. 11 sq. Hic videmus tunc temporis in templo Apollinis Lycei κατάλογον omnium civium Argivorum in tabulis lapideis incisum palam propositum fuisse. Non popularis civitatis hic mos est, sed τῆς ὀλιγαρχίας [1]). Ubicumque enim omnes liberi civitatem habebant, superfluum videbatur Graecis eorum nomina recensere et in album referre, ubi vero tantum certus numerus, conducibile et necessarium erat.

Vs. 16 sq. 'Ελλανοδίκαι commemorantur etiam in titulo Argivo aetatis imperatoriae IG, IV, 587.

Vs. 16 sqq.: τὸνς δὲ ἑλλανοδί[κα]νς τῶν Νεμέων καὶ 'Ηραίων ... ἐν τῷ ἀγῶ[νι] τῶν 'Ηραίων καὶ Νεμέων. Per articulos posteriore loco omissos et verborum ordinem variatum manifesto indicatur Nemea et Heraea tunc temporis in unum idemque ludicrum coaluisse. Ergo iam tunc Argivi Nemea in urbem transtulerant. Non semper tamen tam arcte cum Heraeis coniuncta manserunt, ut apparet ex Liv. XXVII, 30, ubi de rebus gestis anni 209 a. C. n. haec habet: „(Philippus) Argos venit. Ibi curatione

---

1) Cf. Swoboda, Staatsalt. III[a], p. 59 sq. — An tantum intelleguntur οἱ πεπολιτογραφημένοι (cf. Dittenberger, Syll. 216, 30)? Dubito. Sed concedo ex inscriptionibus Ephesiis (Dittenberger, O.G.I.S. 9, 5; Syll. 470, 4 sq. 548, 9 sq.) apparere etiam in decretis civitatis imperio populari subiectae tale quid legi posse.

Heraeorum Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata ... Heraeis peractis, ab ipso ludicro extemplo Aegium profectus est ad indictum multo ante sociorum concilium ... ab eo concilio Argos regressus; iam enim Nemeorum appetebat tempus, quae celebrare volebat praesentia sua."

Non inutile erit quaerere hoc loco, quid aliunde de aetate, qua Nemea Argos translata sint, resciscere possimus. Nemea per annos 225—194, ergo postquam civitas Achaica facta esset, Argis acta esse, demonstratur hisce locis:

1°	Liv. XXXIV, 41	a. 194
2°	Paus. VIII, 50, 3. Plut. Philop. 11	a. 200
3°	Liv. XXVII, 30	a. 209
4°	Polyb. V, 101, 5	a. 217
5°	Polyb. II, 70, 4	a. 221
6°	Plut. Cleom. XVII	a. 225 [1]).

Sed iam antea Nemea Argos translata esse cognitum habebamus ex Plut. Arat. XXVIII: (Aratus) *προσηγάγετο τὰς Κλεωνὰς τοῖς Ἀχαιοῖς καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Νεμείων ἤγαγεν ἐν Κλεωναῖς, ὡς πάτριον ὄντα καὶ μᾶλλον προσήκοντα τούτοις. ἤγαγον δὲ καὶ Ἀργεῖοι καὶ συνεχύθη τότε πρῶτον ἡ δεδομένη τοῖς ἀγωνισταῖς ἀσυλία καὶ ἀσφάλεια, πάντας τῶν Ἀχαιῶν, ὅσους ἔλαβον ἠγωνισμένους ἐν Ἄργει, διὰ τῆς χώρας πορευομένους ὡς πολεμίους ἀποδομένων.* Haec facta sunt circa annum 237 [2]). Iam vero e nostro titulo concludere licet ante a. 251 Nemea Argos translata esse. Ceterum ex inscriptione Attica anni 323/2 IG II, 181 (edit. min. 365) efficio ludos tunc temporis adhuc Nemeae editos esse. Quamvis enim iste titulus tam mutilus sit, ut verborum tenor vel per coniecturam restitui non possit, patet tamen in eo agi de cive Atheniensi, qui *ἀρχεθέωρος* ad ludos Nemeaeos missus fuerat, et de proxeno Atheniensium Cleonaeo. Si autem Nemea Argis acta essent, quidnam quaeso *ἀρχεθεώρῳ* Atheniensi cum incola Cleonarum fuisset? Accedit quod, postquam Apollonides, Cassandri vicarius, seditionem Argis restinxit a. 315, ipse

1) Chronologiam illius aetatis examinare nunc non possum. Annos adscripsi eos, qui plerisque viris doctis probabiles videntur, licet quivis videat rationem non plane constare, siquidem Nemea tertio quoque anno agebantur.

2) Cf. Niese, II, p. 270, 2; Beloch, I, p. 654, 1.

Cassander, ut ait Diodorus, *παρελθὼν εἰς τὴν Ἀργείαν καὶ θεὶς τὸν τῶν Νεμείων ἀγῶνα τὴν εἰς Μακεδονίαν ἐπάνοδον ἐποιήσατο* [1]. Ergo inter a. 315 et a. 251 Nemea Argos translata sunt.

Vs. 19. Cf. CIG, 1845, vs. 144 sq.: *τᾶς δὲ ἀναγραφᾶς καὶ ἀναθέσ[ιο]ς προβούλους μετὰ διοικητᾶ καὶ ἀρχιτέκτονος τὰν ἐπιμέλειαν ποιήσασθαι.*

Vs. 23. Supplementum *ἑλέσθαι δὲ τὰν ἁλιαίαν* probabile, quamvis non certum, esse puto.

Vs. 23 sqq. Cf. decretum Troezenium Oesterr. Jahresh. 1908, p. 72, vs. 9 sq.: *ᾁρέθεν οἱ πέντε, ἐπὶ τὰν στάλαν τὰν ἐν Θ[ε]αγγέλοις Ἀριστείδης.*

Vs. 24. Supplementum quod proposui lacunam XXII litterarum apte implet. Cf. IG, II, 251 (edit. min. 555), 12 sqq. (saec. IV^i exeuntis) *στῆσ[αι τὸν δ]ῆμον εἰκόνα χαλκῆν . . . ἀπὸ τρισχιλίων δραχμῶν.* Michel, Recueil, 456, 25 sqq. (saec. II^i a. C. n.): *στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ καὶ εἰκόνι χαλκῇ ἀπὸ δραχμῶν τετρακισχιλίων.*

Vs. 26—28. Unicuique nomini quinque virorum patris nomen (*Πολυκράτε[ος]*, *Πολλιάδα*) adiectum erat. Spatium et numerum litterarum si supputabis, videbis *φατρῶν* nomina hic non adscripta fuisse.

V. 28. Nomen quod est *Πολλιάδας* invenitur etiam Megaris saeculo III° [2].

Nunc seorsum tractabo quae ad Dorida dialecton spectant.

Dialectos est proprie Argiva, sed cui quaedam *τῆς κοινῆς διαλέκτου* admixta sunt:

1° vs. 1: *βΟΥλᾷ*. In ceteris titulis Argivis saec. III^i legitur: *βΩλά*.

2° vs. 4: *ἀνανγΕΙλάντων*. Decretum in honorem Rhodiorum (v. infra) habet: *ἀνανγΗλωντι* (vs. 22 sq.).

3° vs. 11: *ἱερῷ*; cf. vs. 20: *ἰαρῷ*.

4° vs. 21: *εὐεργετοῦσι* pro *εὐεργετέονσι*.

5° vs. 25: *ἐγδόΣιοις* et vs. 26, si supplemento fides est, [*κατστάΣιος*]. Ceteris locis *σ* intervocale excidit; cf. vs. 4: *εὐχρή-*

1) Diod. XIX, 64.

2) IG, IV, 926; Dittenberger, Syll. 452, vs. 36.

στηέ, vs. 15: στεφανῶαἱ, vs. 15 sq.: κατστᾶαἱ, vs. 19 sq.: ἐν[στᾶαἱ]. Etiam in titulis saec. III[i] ubicumque σ inter duas vocales excidit signum aspirationis adhibeo propter notissimum locum Etym. Magn. 391, 12 sqq.: Ἀργεῖοι ... ἔνδειαν τοῦ Σ ποιοῦντες δασεῖαν ἐπιχαράττουσι τοῖς ἐπιφερομένοις φωνήεσιν, ὡς ἐπὶ τοῦ ποιῆσαι ποιῆαἱ ... κέχρηται τούτῳ τῷ εἴδει τῆς δασείας καὶ Δέρκυλλος.

6° vs. 25 Argive: [ἐπιμελησόν]ται scripsi, quamvis possis etiam κοινῶς: [ἐπιμελήσον]ται. Cf. BCH, 1909, p. 452: κοιναvόντι i. e. κοινωνοῦντι; decret. in honorem Rhodiorum, vs. 6: διατελόντι i. e. διατελοῦσι. O pro εο invenitur etiam in dialecto Cretensi [1]).

Vs. 3: Ἀρνήου. Cf. supra p. 50, 1.

Vs. 4: In πρεζβευτᾶν et ψάφιζμα (vs. 18) littera ζ mollem consonam *z* significat. Cf. IG, IV, 583, 1: Πελαζγικόν; Hanisch, De tit. Argol. dial. p. 52.

Vs. 8: ποί. Thumbio [2]) haec praepositio, quae in ceteris regionibus Argolicis frequens est, videbatur „wenig sicher im Inachosgebiet." Mihi casu accidisse videtur ut in ipsis Argis hucusque tam raro inventa sit. Cf. etiam BCH, 1910, p. 331, vs. 26: ποὶ τὰν στάλαν ποιγραψάνσθο.

Vs. 12, 16: ῑ. Cf. BCH, 1913, p. 307. Notandae sunt formae: ἀφαιρῖσθαι, καλῖσθαι, τελίτο, ἱράνα, φάι [3]).

Vs. 12: γεγράβανται. Terminatio -ανται, quae hic conspicitur, confusione quadam populari terminationum -νται et -αται nata esse videtur. Eadem auctore Heraclide Milesio etiam apud nonnullos scriptores Ionicos legebatur. Cf. Eustath. ad Odyss. XX, 106 [4]): τούτοις δὲ ὁ αὐτὸς (Heraclides) ἐπάγει καὶ ὅτι ἔνιοι τῶν Ἰώνων, οἷς ἀκολουθεῖ, φησί, καὶ ὁ τὰ Ναξιακὰ γράψας Φιλήτας ἢ Καλλῖνος, μόνον τὸ η ἐν τοῖς τοιούτοις παρακειμένοις εἰς ε καὶ α τέμνοντες τὸ ἑπόμενον ν φυλάττουσι, πεποιέανται λέγοντες καὶ γεγενέανται. Non mera somnia haec esse, sed termina-

---

1) Cf. Boisacq, Dial. dor. p. 187; Buck, Greek Dial. § 42, 5, d.
2) Thumb, Handb. der Griech. Dial. p. 110.
3) BCH, 1909, p. 452.
4) Cohn, De Heraclide Milesio, Berl. Stud. für Philol. I, 1884, p. 77, fr. 38.

tionem *-αντι* aqud scriptores Graecos hic illic lectam esse demonstratum ivit Bergkius in Poet. lyr. Graec.[4] ad Alc. fr. 94, ubi traditum *κέατ'*, metri ratione habita, mutavit in *κέαντ'*, collata glossa Hesychiana: *σεσύανται· ὡρμήκασιν*. Idem tamen aliam glossam Hesych. *ἀπεσπάδαντο· ἀπέστησαν* et varias lectiones codicum Herodoti *ἀπίκαντο* et *ἀνακέχνται* tamquam corruptas abiecit. Iam titulus noster Bergkio opitulatur; nam terminationem *-αντι* occurrere non posse nemo nunc contendere poterit [1]). Quamquam fatendum est Bergkium misere errasse, cum terminationes *-νται* et *-κται* ex *-αντι* ortas esse diceret.

Quod ad *β* in *γεγράβανται* attinet, ubi *Φ* expectamus, conferas quaeso titulum Epidaurium recentiorem IG, IV, 944, 4: *βεβλαΒότος* [2]), inscr. Andaniae, 75: *κεκλεΒώς* [3]), Hesych. *λέλεΓα· εἴρηκα* et vocabulum *ἀστραΒής* i. e. *ἀ-στραΦής*. Perf. act. *γέγραΦα* (*ὑπογεγράΦαμες*) legitur in titulo Argivo Inscr. Magn. 40, 7.

Vs. 13. Forma *Φάτρα* per dissimilationem regressivam quae dicitur e *Φράτρα* orta est. Quanam aetate Argis usurpari coepta sit, ignoramus. Vox *πάτρα* prorsus alia est.

Vs. 17: *ποτεχεῖ*. Cf. Tab. Heracl. I, 121: *ἀπὸ τῶ ποτεχεῖ Fέτεος*. Adverbium ductum est ab adiectivo *ποτεχής* i. e. *προσεχής, ἐχόμενος* [4]). Cf. titulus Delphicus S.G.D.I. 2642, 47: *ἐν τὸν ἐπεχεῖ* (cf. *ἐΦεξῆς*) *ἐνιαυτόν* et titulus Calauriae in Dittenbergeri Syll. 578, 22 sq.: *εἰς τὸν ἐπεχὲς ἐνιαυτόν*.

Vs. 23: *ὄττινες*. Hanc formam hucusque tantum e dialecto Lesbia noveramus [5]).

(*Continuabuntur*).

---

1) Cf. Wilamowitz, Homer. Unters. p. 315.
2) Cf. Hanisch, l.l. p. 50.
3) Cf. Thumb, l.l. p. 102: „vermutlich eine hellenistische Neubildung."
4) Cf. Buck, l.l. § 132, 2.
5) Cf. ibid. § 129, 2; Thumb, l.l. p. 262.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XLIII pag.* 432).



CVII.

DE NILO CENSITORE.

Pars altera.

Ergo, ut modo dicebam, pactio vel stipulatio a iusto auctore faciebat dominum; ipsa autem pactio vel stipulatio ita [1]) erat rata, si in publica monumenta recepta erat [2]), quod caverunt palam de Aegyptiis contractibus Ptolemaei [3]), quamobrem concedunt Hermiae adversarii [4]) *τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα Αἰγύπτια συναλλάγματα ἄκυρα εἶναι.* Ideo autem de Aegyptiis contractibus Ptolemaei, non, quod Graecis ea solemnitas remitteretur [5]), sed, quia in Graecis pridem, verum incertum quomodo [6]) — quid enim refert, quod apud Graecos, sicut apud hanc gentem [7]), et,

1) Gradenwitz, *Einf.* I p. 105: ita plerumque (*„meistens"*).

2) Ergo obtinebat *„das sogenannte Eintragungsprinzip"* (Mitteis *Berichte* (*Leipzig*) 62 (1910) p. 255 sqq.), etsi conabantur contrahentes hoc evertere fictione solemni ἡ (*συγγραφὴ*) *κυρία ἔστω ὡς ἐν δημοσίῳ κατακειμένη*, qua de fictione dicetur infra.

3) Eo pertinet P. Paris. 65 et *τὸ γραφεῖον*, de quo disputabitur infra.

4) P. Taur. cit. (1) IV 13-15.

5) Non remitti demonstrabitur infra.

6) Cf. Wessely, CPR I pag. 19.

7) Luculentum dedit exemplum Hamaker in: *Weekblad voor Notarisambt* XXVIII (1897) p. 610 col. 1 (no. 1455).

ut mea quidem fert opinio, apud omnes homines, *κυριώτερα ταῦτα* visa sunt *ἔχειν, ὅσα ἂν δημοσίᾳ συμβάλ(οιεν) διὰ τῶν τῆς πόλεως γραμμάτων*[1]) — obtinuerat, ut fierent *διὰ δημοσίου*[2]), id est, vel *ἐπὶ τῆς (συγγραφο)φυλακης*[3]) vel *ἐπὶ τοῦ ἀρχείου*[4]) vel *ἐπ' ἀγορανόμου*[5]) vel certe deponerentur non iam *παρ' ἰδιώταν*[6]), qui mos priscus[7]) in Aegypto Graecorum[8]), sicut Athenis[9]), sicut Delphis[10]), sed *ἐν δημοσίῳ*[11]), quae dicebatur *δημοσίωσις*. Quocirca in contractu privatim scripto Hermopolitano[12]) anni p. Chr. 271 venditor, *εὐδοκῶ*, inquit, *τῇ ἐσομένῃ δημοσιώσει*.

---

1) Mitteis, Herm. XXX p. 596 not. 1 (ex Dione Chrysost. 31 § 51).

2) P. Oxy. 237 IV 6. 13. 18, V 6. Similiter in inscriptione Cretensi (Michel 28 lin. 32/3) fideiussio fit *διὰ τῶ Κνωσοῖ χρεωφυλακίω* = (Michel 1335, 63) *πρὸς τοὺς χρεωφύλακας*.

3) P. Leid. O. Dissentit Gerhard, Philol. 63 (1904) p. 514[2]: „*es handelt sich hier wie im* R e g i s t e r v e r m e r k (Z. 36) *um eine pure Lokalbezeichnung* (*Wache*)." Qui ipse se refellit (vv. *wie im Registervermerk*).

4) Locos dedi in observ. ad papyros (§ 12).

5) Locos adferre ad imperatoriam aetatem pertinentes putidum foret (cf. Mitteis, Herm. XXX p. 596 not. 2). Agoranomicorum instrumentorum sub Ptolemaeis conditorum fastos composuit Gerhard, Philol. 63 (1904) p. 508-513, quum erant numero 78, omnia de Thebaide.

6) Michel no. 24 lin. 69 (Phocensis lapis est).

7) Adversus eum rebellatur P. Elephant. 1 lin. 15/6: *κύριοι δὲ ἔστωσαν ... τὰς συγγραφὰς αὐτοὶ τὰς αὑτῶν φυλάσσοντες*.

8) P. Petrie II 21 (d) (= Chrestom. II 28, 21-26); I 24 (2). Habent e testibus *συγγραφοφύλακα* P. Amh. 43; Elephant. 2; 4; Hibeh 84 (a); 96; Leid. O; Petrie II 47 lin. 33 (cf. lin. 30); Reinachiani plerique (pag. 47); Tebt. 104; 105 et Romanae aetatis P. Tebt. 382 (*Archiv* V p. 240); 386 (ibid. p. 241/2). Videntur quoque P. Petrie cit. (II 47) lin. 37 (cf. Paul Meyer, Klio VI p. 464) et III 104-106 (= II 29) nec minus P. Magdol. 14, 7/8 privati potius *συγγραφοφύλακες* intelligendi esse.

9) De consuetudine Atheniensi diximus in observ. ad papyros (§ 19).

10) Michel 1403 (i. f.); 1406 A; 1408; *Dialekt-inschr.* 1715; 1719; 1760; 1764 etc. (2146: *τὰν ὠνὰν φυλάσσει ὁ δεῖνα* [*βεβαιωτήρ*]). Imperatoria demum aetate libertatibus intervenire coepit *τὸ δημόσιον γραμματοφυλάκιον* (Michel 1417 lin. 14/5; *Bull. de corr. hell.* XXII (1898) p. 1-200 nis. 83; 85; 87; 91; 93-118; *Dialekt-inschr.* 2322 = *Bull.* cit. no. 108), qua de re cf. Colin, *Bull.* cit. (XXII) p. 192/3.

11) In testamento Petrie III 7 (lin. 14-16) legatur *καθ' ὑπογραφὴν* (= *συγγραφὴν* habent similiter Michel 1335, 36 et P. Magd. 19. et P. Tebt. 165) *τὴν ἐν δημοσίῳ (κειμένην) ὀφείλων ὁ δεῖνα* et (Revillout, *Mélanges* p. 405 not. 2) *obaeratus* (cf. Varro, R.R. I 17 § 2).

12) CPR I 9. Accedunt CPR I 10; 155; Argentor. 29; Flor. 47; 50; 96; Goodsp. 13; Lips. 6; Lond. 978; Oxy. 1200; 1208; 1273; 1276 (annorum omnes 213-341). Ter additur *διὰ τοῦ καταλογείου* (P. Oxy. 1200; 1273; 1276).

Ergo omnium Graecorum contractuum, qui quidem iure subsisterent, copia erat penes το(ὺ)ς ἐπὶ τῶν χρειῶν τεταγμένο(υ)ς [1]), id est, magistratus [2]), nam servabant utique eorum hi contractuum exempla, quibus scribendis intervenissent, quod hodie quoque tabellionibus praecipitur [3]). Itaque in P. Grenf. I 21 (lin. 5) adfertur [4]) testamentum — nam testamenta quoque et libelli [5]) sed testamenta ex necessitate [6]), quae necessitas non pervenit ad testamenta Romana [7]), apud agoranomum, vel certe apud aliquod ἀρχεῖον, veluti τὸ τῶν Ἰουδαίων [8]), vel fiebant [9]) vel deponebantur [10]) aut palam [11]) aut ἐπὶ σφραγίδων [12]) — testamentum igitur adfertur παρὰ τοῦ ἐν Διοσπόλει τῇ μικρᾷ ἀρχείου,

---

1) *BGU* 543, 1/2. Apparent οἱ ἐπὶ χρειῶν τεταγμένοι etiam P. Taur. 7, 17/8; Tebt. 5, 114; 5, 162; 35, 2/3; οἱ ἐπὶ τῶν χρειῶν: Arist. epist. § 110; 174; οἱ ἐπὶ ταῖς χρείαις: CIG 4956, 19; οἱ πρὸς χρείαις: P. Amh. 68, 42/3; Tebt. 5, 256; 7, 2; ὁ πρὸς ταῖς χρείαις: *BGU* 915, 9.

2) Cf. Mitteis *Ztschr. der Sav.-St.* XXII p. 160; Peyron, *Memorie* (*Torino*) XXXI p. 105/6 (laudat hic etiam Macchab. I 13 et Iudith. 12). Χρείαν = *officium* habet Or. gr. inscr. sel. 179, 17.

3) *Loi du 25 ventose, an XI* (*cont. organ. du notariat*) art. 20: „*les notaires seront tenus de garder minute de tous les actes qu'ils recevront.*" Licet contrario vocabulo utatur: *recevoir*, tamen intelligit legislator instrumenta a tabellionibus *scripta*.

4) Hoc modo lacunam explendam esse vidit Mahaffy (P. Grenf. II p. 216).

5) Arg. P. Oxy. 68, 4-6.

6) Sicut professiones servorum, de quibus dictum est supra.

7) P. Lond. 171 (b); *BGU* 361 II.

8) *BGU* 1151, 7.

9) Pertinent ad tempora Ptolemaeorum: P. Lond. 219 (b) lin. 1; P. Grenf. I 12 lin. 14; 21 lin. 1; P. Gizeh 10388 (*Archiv* I p. 63) lin. 1; Romanorum: P. Rain. 1517 (*Sitzungsber.* (*Wien.*) 124 (1891) IX p. 17); P. Oxy. 249 lin. 21-24; 636 (*Studien zur Palaeogr. und Papyrusk.* (4) p. 114) lin. 8/9.

10) Etsi ambiguum est vocabulum θέσθαι (*BGU* 1151, 7; P. Oxy. 75, 14/5; 243, 9-10 (ubi pro καταθέσεως ex P. 75 reponendum est καταλείψεως); 482, 28-35) et ambigua est subscriptio μνημονείου (P. Oxy. 489, 31; 491, 26; 492, 25; 634), certum tamen est P. Oxy. 494 privatim esse scriptum (lin. 30/1. Cf. Arangio-Ruiz, *Succes. testam.* (1906) § 49 = p. 142-144).

11) Palam deposuisse Acusilaum (P. Oxy. 494) certum est, qui postulavit ἐκδόσιμον (lin. 25 = 495, 15). Erat nihilominus mox signandum (cf. lin. 33 sqq. et Arangio-Ruiz, *Succ. testam.* § 50 (p. 144-146) ipsius (p. 129: *doveva dunque ... essere aperto il testamento che gli archivarii c o n s e r v a v a n o*) refutandi causa). Cf. (*deutsches*) *B.G.-B.* § 2246.

12) P. Oxy. 106, 12; 107, 6/7. Cf. P. *Class. philol.* I 2, 6/7 (ἀκολούθως τῷ ἐπισταλέντι ἐπὶ σφαγισμῶν χρηματισμῷ).

quod factum erat [1]) *ἐπὶ Διονυσίου ἀγορανόμου ἐν τῷ ἕκτῳ ἔτει τοῦ Φιλομήτορος* (ante Chr. 176 vel 165). Est autem deponendum, si hoc eligitur, apud eundem, qui instrumenta scribit, id est, agoranomum [2]), postea potuit vel apud *τὸν πρὸς τῷ γραφείῳ*, quod institutum quidem est a Ptolemaeis anno, ut videtur, 146 vel 135 ante Chr. [3]), quoad eius quidem ad *τὸν Περιθήβας νομὸν* attinet [4]), primum per singulos *νομοὺς* [5]), deinde vero per singulas *μητροπόλεις* [6]) atque *κώμας* [7]), ubi Aegyptii dumtaxat contractus per indicem transscriberentur [8]) — nam hoc modo etiamnunc non mihi tantum sed etiam Halensibus [9]) vertere placet *εἰκονίζειν* [10]) — sed occupaverunt *οἱ πρὸς τῷ γραφείῳ* perinde atque agoranomi vel suscipere contractus, Graecos etiam [11]), vel scribere [12]), etiam Aegyptios [13]), adeo, ut sub Romanis con-

---

1) Hoc supplendum est.

2) Apud agoranomum deponi, contractus etiam, infra demonstrabo.

3) P. Paris. 65.

4) Cf. *Rev. égyptol.* II p. 127[6].

5) P. Paris. cit. (65); P. Buttmann (*Abh. Berl. Akad.* 1824 p. 93), cum illo qui congruit ad diem.

6) Cf. e. g. P. Lond. 348, 11 (pag. 215) (Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 301 not. 1); P. Fay. 23 I 25 (praef.); P. Rain. sine no. (*Ztschr.* cit. XXVIII p. 299 not. 2). *Τὸ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γραφεῖον* commemoratur P. Lond. 142, 9 (pag. 203). — Proprium habebat *γραφεῖον τὸ ἐν Μέμφει Ἀνουβιεῖον* (*Archiv* III p. 146; *Rev. égyptol.* II p. 121 not. 2).

7) Cf. e. g. *BGU* 135, 5; 350, 25; 514, 14; P. Lond. 289, 11/2 (pag. 185); 341, 7 (pag. 213); Oxy. 808 et quos praeterea laudat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 295, 298. Erant nonnumquam ternae vel binae in unum *γραφεῖον* contributae (Koschaker p. 299). Alioquin in singulis *κώμαις* fuisse *γραφεῖα*, observavit Mitteis, *Archiv* I p. 190[2], idque mature (minimum ante Chr. 113) usu venisse probabile reddit Reinach, *Papyrus grecs* (1905) pag. 44/5 ia. pag. 27.

8) Pertinet ad hoc institutum P. Paris. 65, quem interpretatus est Mitteis, Herm. XXX p. 597, atque mutatis quibusdam, ut mihi videtur, in deterius, ibid. XXXIV p. 97; *Grundzüge* p. 81. Cf. praeterea Peyron, *Memorie* (*Torino*) XXXI p. 157; XXXIII p. 72/3; Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 127[6], id. *Précis* (1903) p. 1339 lin. 5-12 (= *Rev. égyptol.* II p. 122); Wilcken, *Archiv* III p. 528 (ad P. Rein. dem. 7). Ipsius Parisini papyri mendosam versionem protulit Besson, *Livres fonciers* (1891) p. 24[1].

9) Dikaiom. pag. 150[4].

10) P. Paris. 65 lin. 12. Dicitur etiam *ἐκλογίζεσθαι* (P. Oxy. 34 I 8/9).

11) Testimonia dedi in observ. ad papyros (§ 13).

12) Graecos contractus *διὰ τοῦ γραφείου* factos indicavi in observ. ad papyros (§ 13).

13) Veluti *BGU* 580 (p. Chr. 2).

tractus ἐπὶ τῆς ἀρχῆς [1]) factus iam sit intelligendus: διὰ τοῦ γραφείου [2]). Neve quis putet Aegyptiorum contractuum sub Romanis deesse vestigia [3]), docet Wilcken [4]) inter Argentoratenses editos unum certe sub Hadriano factum exstare. Perseverare ad divi Pii tempora ait Wessely [5]), quin immo ad Alexandri Severi Revillout [6]), ad divorum Fratrum certum est [7]). Poterat praeterea imperatoria utique aetate sicuti διὰ τοῦ ἀγορανομείου et διὰ τοῦ γραφείου, ita contrahi διὰ τοῦ καταλογείου [8]), quod videtur institutum, ubi transscriberentur contractus apud nomographos scripti [9]), nec minus διὰ τοῦ κριτηρίου [10]) et συγχρηματίζ(οντος) γραμματέως τῆς πόλεως [11]) quin cuiusvis κώμης [12]) et διὰ τραπέζης [13]) et fortasse δι' ἐπιτηρητοῦ συναλλαγμάτων [14]), poterat denique δι' ὑπομνηματισμῶν [15]), scilicet τοῦ ἀρχιδικαστοῦ, apud hunc enim etiam deponebatur [16]). Qui autem suscipiebant contractus vel privatim scriptos vel a nomographis, susceptos aut conglutinabant aut transscribebant [17]) sive ad verbum sive

---

1) Locos dedi in observ. ad papyros (§ 13).

2) *BGU* 86, 11.

3) Deesse putabat Mitteis, Herm. XXX p. 598.

4) *Archiv* II p. 143.

5) Corp. Rain. I pag. 11.

6) *Précis* (1903) p. 605.

7) *Führer durch die Samml. Rainer* no. 105. Sunt subscriptiones vel versiones Graecae demoticorum contractuum (p. Chr.): Pap. Lond. 262; Specim. Wesselyi (6) 6 (p. Chr. 11); *BGU* 854 (p. Chr. 44/5); Spec. Wesselyi (14) 30 (p. Chr. 47); *BGU* 910 I (p. Chr. 69/70).

8) Locos dedi in observ. ad papyros (§ 17).

9) Dixi in observ. ad papyros (§ 17).

10) *BGU* 1053 II 14/7; 1057, 23/4 etc.; P. Hamb. 1, 14 (p. Chr. 57).

11) P. Lond. 903, 17/8 (pag. 117). Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 81[1]; Mitteis, *Grundzüge* p. 67 ima; Preisigke, *Girowesen* p. 306[2]. Intellegitur ἡ μητρόπολις τοῦ νομοῦ (*Archiv* V p. 246).

12) P. Oxy. 1281, 14/5.

13) Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 220-230. Hae sunt τραπεζῶν διαγραφαί, de quibus dixi in observ. ad pap. (§ 19).

14) Cf. *BGU* 989, 4 (*Archiv* V p. 205 not. 3).

15) P. Oxy. 237 VIII 6.

16) Dixi in observ. ad pap. (§ 17).

17) Prudenter excipit Wessely, *Sitzungsber.* (*Wien.*) 124 (1891) IX p. 17, testamenta ἐπὶ σφραγίδων deposita. Sed addendum erat: antequam aperiantur. Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 63[1].

per indicem [1]) in publica volumina [2]), quae dicebantur *συγκολλησιμὰ* [3]) et *εἰρόμενα* [4]) et *ἐφημερίδες* [5]) et *ἀναγραφαί* [6]), quorum aetatem tulerunt [7]), idque factum esse vel certe, quo minus fieret per privatum non stetisse, testabantur, dum subscribebant exemplari, quod redderetur: *ἀναγέγραπται* vel *πέπτωκεν εἰς ἀναγραφήν*, vel *ἐχρηματίσθη*, vel *κεχρημάτικα*, vel *μετείληφα* (sive *μετεῖχον*) *εἰς ἀναγραφήν*, vel *ἐντέτακται*, vel *μετέγραψα*, vel *κατεχωρίσθη* vel aliquid simile, quod dicebatur *τὸ χάραγμα* [8]). Docebat aliquando Mitteis [9]) proprium hoc esse *τοῦ γραφείου*, nec umquam ab agoranomo *ἐντάσσεσθαι* („*der Agoranom tritt, so weit unsere Urkunden reichen, uns durchaus in der Funktion eines die Urkunde vollziehenden Beamten ..... entgegen*"), quem refutavit Grenfell [10]) demonstratis epistalmatis [11]), quibus iubetur hic *ἀναγράφειν* [12]) — nihil enim, quod pertineret ad praediorum et mancipiorum iura sine censorio epistalmate in monumenta recipere licebat [13]) — superestque praeterea agoranomici charag-

---

1) Mitteis, Herm. XXX p. 599.

2) Similiter Delphis manumissiones transferebantur *εἰς τεῦχος* (*Bull. de corr. hell.* XXII (1898) p. 95 no. 90, 19; p. 114 no. 101, 14; p. 123 no. 107, 13).

3) P. Anson. II 3, 5 (Chrestom. II 184); Flor. 67, 44; Grenf. II 41, 18/9 (Chrestom. II 183); Lips 120, 1 (*Archiv* III p. 569); Oxy, 34 I 13; Hamb. 18.

4) P. Anson. II 3, 9 (*Archiv* V p. 281); Grenf. II 41, 19; Lips. 9, 22 (*Archiv* IV p. 462/3); Monac. inv. 32 (*Archiv* V p. 281 not. 2); Rain. 138 (Lewald, *zur Personalexecution* (1910) p. 15 not. 1).

5) P. Oxy. 268, 10; 271, 8; *BGU* 1168, 9/10. Ubique exstat: *κατὰ τὴν συγχώρησιν τὴν τελειωθεῖσαν διὰ τῆς ἐφημερίδος* (additur bis: *τοῦ καταλογείου*).

6) P. Anson. II 3, 9 (*Archiv* V p. 281); Grenf. II 41, 19/20 (*Archiv* IV p. 462). Inter *συγκολλησιμὰ* et *εἰρόμενα* et *ἀναγραφὰς* quid intersit, statuit Mitteis, *Grundzüge* p. 62/3.

7) Exempla dant Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 288[1]; Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des röm.-aeg. Grundbuchrechts* (1909) p. 18[2]; Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 25[2]. Quibus possunt addi P. Fay. 294; Giss. 36 et unde sumpti sunt P. Petrie I 16 (2); Oxy. 263. Accedunt *τεύχη* trapezitica: P. Flor. 24; 25; Gizeh 10526 (Preis. 31); Hawara 116 Vo. (*Archiv* V p. 385/6); Lond. 1164 (p. 156-167).

8) Cf. observ. ad pap. § 1. — Locos, unde conceptio illustretur, dedi ibid. § 11.

9) Herm. XXX (1895) p. 597, ubi mutatum *τοῦ πρὸς τῷ γραφείῳ* officium exponit, quo de diximus.

10) Ad P. Oxy. 238.

11) P. Oxy. 241, 243; 1105.

12) Est quidem sermo ambiguus, quia concurrit (P. Oxy. 170; 327; 328) vox *καταγράφειν*. Sed permanet sequens argumentum.

13) Dixi in observ. ad pap. (§ 16).

matis exemplum, quod indicavi [1]). Apparet *τὸ χάραγμα* supervacaneum esse in iis instrumentis, quae apud magistratum conficiantur; non, quin possint extra publica monumenta haberi [2]), sed quia, magistratus licet extra publica monumenta ea habeat [3]), privato numquam hoc imputari poterit. Nihilominus in ea specie semel invenitur, id est, in P. Leid. O, qui contractus *ἐπὶ τῆς ὑποκάτω Μέμφεως Φυλακῆς* èt scriptus est èt statim transscriptus [4]). Docet praeterea Mitteis [5]), in voluminibus publicis, quae per Aegyptum [6]) exstiterint, instrumenta omne genus permixta [7]) haberi nec a ceteris cuiuslibet generis instrumentis praediorum emptiones separari [8]), quod molestum fuerit oportet praediorum originem requirentibus atque causae, cur pro publicis monumentis adiri potius consueverint libri censuales [9]), quin immo hi crediti tandem sint instituti esse, *ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύ(ω)νται* [10]); non tamen propterea dici debet nulla fuisse publica transscriptionum volumina, quod videbatur aliquando Ludovico Mitteis [11]) (*„eine officielle Grundbuchführung....*

---

1) Observ. cit. (§ 13).

2) Posse negat Mitteis, *Grundzüge* p. 51: *„Vor .... Notaren , ... errichtet(e) Urkunden .... sind .... notwendig registriert(e)*". Cf. ibid. p. 82².

3) Hoc ne fiat, praescribit rex Galliae Philippus IV (*ordonn.* (1304) *sur les tabellions* art. 1 no. 4), ut ipsas *notas*, quas hodie vocant *„minutes*" in cartulari, id est, in volumino scribat tabellio. Atqui hodie sufficit per indicem transscriptio (*loi du 25 ventose, an XI*, art. 29: *„les notaires tiendront répertoire de tous les actes qu'ils recevront*" (*Recevront* = scribent, cf. infra); *loi du 22 frimaire, an VII*, art. 50: *„chaque article du répertoire contiendra* etc.").

4) Cf. Observ. meae ad pap. (§ 14).

5) Herm. XXX p. 599, 601.

6) Apud Germanos circa 1300 separari coepisse praediorum emptiones ab omne genus instrumentis, auctor est Ermisch, *Literaturztg.* 1897 (nr. 44) p. 1742. Qua de re cf. etiam Stobbe, *Handbuch* I (1871) p. 459/60; Heusler, *Institutionen* II (1886) p. 116; Marez, *Literaturztg.* XX (1899) nr. 27 p. 1077; Ermisch, ib. XXIV (1903) nr. 41 p. 2491/2; Anonymus, *Centralbl.* 1896 nr. 36 p. 1302; 1904 nr. 11 p. 361; Schroeder, *Rechtsgesch.* (1907) p. 721 med., 722.

7) *„im bunten Durcheinander*" (Herm. cit. p. 599).

8) Inveniuntur testamentorum separata volumina (Pap. Petrie I *introd.* pag. 35).

9) Hoc usu venisse docet Wilcken, Ostr. I p. 484/5, et negat agrimensorum apud nos longe doctissimus Boer, *Handel. Nederl. Juristenver.* 1893 I p. 152, usu venire posse, nisi monumenta vitiosa sint vel imperfecta.

10) P. Oxy. 237 VIII 36. Oratio est Mettii Rufi, sapit altius Wilcken, Ostr. I p. 485 media.

11) L l. (Herm. XXX (1895) p. 601).

(bestand) gewiss nicht"), cui tunc adstipulabatur Wilcken [1]). Non tam certa res visa est viro doctissimo Lewald [2]) et fieri posse, ut Mettium Rufum opinio non fefellerit („*wir (müssen) .... immerhin die Möglichkeit anerkennen, dass die Römer .... die διαστρώματα zur Evidenthaltung der Immobiliarrechtsverhältnisse im Interesse des privaten Rechtsverkehrs geschaffen haben*"). Quod nunc iam plane certum videtur Ludovico [3]), nec mirum, quia enim persuasum habet omnia *διαστρώματα* vi ipsa esse monumenta publica („*(dass) Uebersichtsblätter .... das Wesen des Grundbuchs darstellen*"), post reperta *διαστρώματα* non potuit sententiam non mutare. Me quidem iudice multum interest; arbitror enim naturam monumentorum in eo consistere, quod instituta sunt, ut dictum est, *ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύ(ω)νται*, ex diverso *διαστρωμάτων* in eo, ut brevi in conspectu posita sit totius possessionis descriptio. Quae si praeterea instituta sunt, ut putabat Rufus, contrahentes ne decipiantur, erunt monumenta; sin minus, vasaria vel polyptici. Putat praeterea Mitteis, multum interesse, utrum a magistratu suscipiatur contractus an scribatur; nam hoc modo *verum* tabellionis officium praestari docet, illo non aeque [4]). Qua in re sequi videtur Friderici Caroli [5]) tabellionis definitionem („Tabelliones .... *sind das, was wir .... Notare nennen, d. h. Personen, welche sich .... damit beschäftigen, Verträge, Testamente, u. s. w. abzufassen*"). Nihilominus ipsi magistratus in utraque specie subscribunt *κεχρηματικα* [6]); et est officium suscipientis quam scribentis minus plenum sed effectu idem, ubi tabellionibus utrumque permittitur, sicut illis saeculis apud Aegyptios, hoc saeculo aqud Belgas et Transrhenanos [7]), nam apud Gallos et Batavos — idem apud Romanos observabatur [8]) — tabellio

1) Ostr. I p. 484.

2) *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 87.

3) *Berichte* (*Leipzig*) 62 (1910) p. 253. Cf. *Grundzüge* p. 90-92.

4) Distingnit enim (Herm. XXX p. 598) „*wahrhaft notarielle Funktionen*" et „*Registrirung*".

5) *Gesch. des röm. Rechts* I (1834) § 16 (p. 71/2).

6) Dixi in observ. ad pap. (§ 15).

7) Cf. e. g. (*preuss.*) *Grundbuchordn.* (1872) § 33; (*deutsches*) *B.G.-B.* § 129; (*deutsche*) *Grundbuchordn.* (1897) § 29.

8) Atqui in accusationibus permittebatur subscribere vel oblatis libellis vel apud magistratum scriptis (c. 8 C. 9. 2), qua de re diximus cap. LXXXV.

semper scribit, licet Gallorum legibus *suscipiendi* [1]) verbum solemne sit. Sed intelligitur scriptio. Sane non apparet [2]) apud Aegyptios eum effectum fuisse sive τῆς ἀναγραφῆς sive plenioris illius officii, ut propterea instrumentum pro genuino haberetur, quod credebat Mitteis [3]) secundum id quod hodie fieri videmus [4]) et subnectebat [5]) mirificam quaestionem [6]): cuia fide instrumentum pro genuino haberetur („*wer bürgte dafür, dass d(ie) .... Erklaerung aecht war?*"). Nam, apud quos tabellionibus hoc datur, ut instrumenta ab ipsis scripta vel suscepta prima facie genuina videantur, ibi tenentur etiam ad hoc, ut contrahentis personam vel scripturam praecognitam habeant [7]), quocirca, ubi hoc cessat [8]), alterum quoque cessat. Apud Romanos forensibus instrumentis sitne fides habita [9]), videamus. Et quidem anteriores fontes muti sunt, sed iure Theodosiano [10]) et Iustiniano [11]) nulla dubitatio est, quin *scripturae veritas, si res poposcerit* [12]), *per ipsum debe(a)t* et possit *probari auctorem*; ergo falsum haud magis dici potest iure Iustiniano instrumentum, quod tabellionis auctoritate

---

1) *Recevoir.*

2) Contrarium demonstrabitur.

3) Herm. XXX (1895) p. 596 („*öffentliche Beglaubigung*"). Adstipulatur Koschaker, *Ztschr. d. Sav.-St.* XXIX p. 12 de instrumento ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scripto, dubitat (ib. p. 11-14) de oblato, de quo nunc iam negat Mitteis, *Grundzüge* p. 51, de illo dubitat (p. 52).

4) *Loi du 25 ventose, an XI* art. 19); *Code civil* art. 1319, 1323 (cf. Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) no. 781). — Porrigit hoc Germanus legislator, *Civilprozessordn.* § 437 (402), ad subscriptionem ipsius tabellionis: ut vera credatur, donec falsa probetur, quod sine lege defendit Gallicus iurisconsultus (Garsonnet, *Traité de procédure* II (1885) p. 321 not. 19) Batavusque (Faure, *Procesrecht* IV 1 (1893) p. 237).

5) Herm. XXX p. 600¹.

6) Quam tamen solvit ipse, *Grundzüge* p. 52².

7) Vidit hoc Lenel, *Jhering's Jahrb.* 36 (1896) p. 27: „*die Absicht von Gesetzen, die öffentliche Urkundsform vorschreiben,* (*geht zweifellos*) .... *dahin, dass der .... Beamte, vor dem die Urkunde errichtet wird, die Identitaet des Erklaerenden* (addit: *und also auch die Legitimation eines etwaigen Vertreters*) *prüfe.*" Cf. *Loi du 25 ventose, an XI* art. 11.

8) Apud Aegyptios cessare, docet Gradenwitz, *Einf.* I p. 126/7.

9) Negat Saboulard, *Etude sur la forme des actes* (1889) p. 107 (sed cf. etiam ibid. p. 109).

10) c. 1 § 1 C. Th. 9. 19 = c. 21 § 2 (1) C. 9. 22.

11) c. 16 § 1 C. 4. 21. Cf. Nov. 73 c. 7 § 1.

12) Etiam, quum insinuabitur: c. 32 C. 8. 53 (54). Cf. P. Marin. 82 II lin. 7-13.

atque testimonio muniatur [1]), quam apud veteres Francos regium diploma, cui referendarius testimonium dicat [2]). Nam ceterae chartae, quicumque scriptor fuit, si dicuntur falsae, verae faciendae sunt eo modo, quem illustravimus cap. CV, quod ius sub Lothario II et sub Widone, ut tunc diximus, etiam ad Italiam porrectum est, quocirca recte negat Brunner [3]) forensibus instrumentis habitam ibi fidem esse [4]). Quod vero Iustinianus praescribit: ut instrumenta publice confecta etiam a testibus subscribantur [5]), ob hoc fit, ne statim defuncto vel impedito tabellione ad scripturarum collationem decurrere necesse sit [6]). Ergo non ipsa vi, sed facilitate probandi interest inter forensia instrumenta et publica gesta, nam utraque pro veris accipiuntur, forensia, quum auctor praesens testimonio suo ea confirmet [7]), gesta omnimodo [8]), etiamsi is magistratus decesserit [9]) discesseritve, *ἀντὶ πάντων ἀρκ(εῖ)* [10]), *ita videlicet, ut iuri cognitae allegationes absentibus personis,* id est, quae gestis non intervenerint, *si quae competunt, serventur intactae* [11]). Proinde non est falsum, quod putat Karlowa [12]): gestis publicis publicam fidem accom-

1) Itaque interpretatur c. 16 cit. (C. 4.21) Theodorus (Sch. 2 ad Bas. 21.1.33): *ὅτι ἀρκεῖ μόνος ὁ ταβελλίων ὁ γράψας τὸ συμβόλαιον πρὸς μαρτυρίαν .... Κεῖται δὲ ἐν τῇ κβ' διατ. τοῦ αὐτοῦ τίτλου, ὅτι ἐπὶ τῶν τραπεζιτικῶν λόγων ἀρκεῖ ὁμοίως ὁ καταγραφεύς.* In causa quidem falsi, quae criminaliter agetur, tormentis quaestio de tabellione habebitur (c. 1 C. Th. 9.19 = c. 21 C. 9.22).

2) Cf. sup. observ. CV.

3) *zur Rechtsgesch. der Urk.* (1880) p. 24 not. 1 (i. f.).

4) „*die notarielle Urkunde Italiens besass nicht etwa öffentlichen Glauben.*"

5) Nov. 73 c. 5. Olim hoc non ita praescriptum fuisse, demonstratur c. 23 § 1, § 2 C. 4.29.

6) Nov. 73 c. 7 pr.; Nov. 44 praef. et c. 1 pr. — Rem *ad manum collationis perducere,* proprium esse legis Romanae, Longobardica est sententia (*GU* 1139 = Dipl. Ott. III 339; cf. Savigny, *Geschichte* II (1834) § 81 not. b) et vera.

7) Hodie, ut gesta, omnimodo.

8) Hodie, ut forensia instrumenta, donec probentur falsa (*Cod. civ.* art. 45).

9) c. 55 C. Th. 16.5 = c. 6 C. 7.52.

10) c. 15 § 6 C. 4.20. Ergo, qui contrahit gestis intervenientibus, omni molestia liberatur (Nov. 73 c. 7 § 3), modo constet esse gestorum volumen vel ex volumine id, quod in iudicium adfertur. Cf. *Code civ.* art. 45 („*les extraits délivrés conformes aux registres .... feront foi jusqu'à inscription de faux*").

11) c. 23 § 4 C. 2.7. Ex hoc iure explicandae videntur l. 8 D. 1.5; l. 6 § 1 D. 1.18; l. 13, l. 29 § 1 D. 22.3; c. 14 C. 4.19; c. 5 C. 6.23; c. 15 C. 7.16; P. Tebt. 285.

12) *Rechtsgesch.* I p. 1002[1]. Laudat, quam nos supra, c. 55 C. Th. 16.5 = c. 6 C. 7.52.

modari — ibi errat, ubi scribit [1]) forensibus instrumentis fidem publicam denegari, nam accommodatur his quoque sub certa definitione — sed debuerat quum ipse tum in simili specie Brunner [2]) adicere: publicam fidem ad contrahentes pertinere, quia hodiernus lector publicam fidem eam intelligat necesse est, quae adversus omnes, etiam qui gestis non intervenerint, obtineat, nec horum *allegationes .... intacta(s)* esse sinat [3]). Quod fuerit temerarium de Aegyptiis vel Graecoaegyptiis syngraphis adfirmare, sed quaeri potest, utrum hactenus τὴν ἀναγραφὴν fides („*Beglaubigung*") consecuta sit, ut scriptura videretur vera. Quae sententia vel ideo refellitur, quod non tantum autographa, sed interdum antigrapha transscribuntur, velut omnium [4]) antiquissimum [5]) χάραγμα [6]) scriptum est ad calcem antigraphi (ἐχρηματίσθη ἀνενεχθὲν τὸ ἀντίγραφον τοῦτο κτέ.), quum secundum pristinum morem [7]) autographum (ἡ κυρία) in privata esset custodia [8]). Absurde factum, si fidei causa a tabellione subscribebatur, sin solemnitatis testandae causa, nihil intererat. Etsi negabat Mitteis [9]), Graecis contractibus, ut valere possent, τὴν ἀναγραφὴν omnino adhibendam fuisse, quasi hi contractus sine magistratu constiterint depositique sint propter quandam privatorum utilitatem, quae aut nulla fuerit aut fidei adiectio; sed obstat huic Ludovici sententiae fictio vulgaris in contractibus non depositis [10]): ἡ (συγγραφὴ) κυρία ἔστω ὡς ἐν δημοσίῳ κατακειμένη [11]). Erat

---

1) *Rechtsgesch.* I p. 1000. Veram sententiam tuetur Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 155 (III p. 281).

2) *zur Rechtsgesch. der Urk.* (1880) § 24 not. 1 (i. f.).

3) Cf. e. g. *Motive zu dem Entw. eines (deutschen) B.G.-B.* III (1888) p. 209.

4) Eorum quae Graecis contractibus addita sunt.

5) Anni est 210 ante Chr. (*Gött. gel. Anz.* 1895 p. 164).

6) P. Petrie II 47 lin. 34-37.

7) Cf. supra.

8) Unius e testibus (lin. 33 ia. 30).

9) Herm. XXX (1895) p. 600. Hodie vertit stilum (*Grundzüge* p. 83, 79, 51).

10) Locos dedimus et esse fictionem defendimus in observ. ad pap. § 12.

11) Similiter fingi solet (interdum lege: P. Hal. 1 lin. 119/20) condemnatio (καθάπερ ἐκ δίκης): *Inscr. jur. gr.* (I) pag. 333[a]; Mitteis, *Reichsr. und Volksr.* p. 421-426; Gilson, *Droit romain comparé* p. 188 not. 1 (nihil hic quidem novi habet); Wenger, *Archiv für Papyrusf.* II p. 52/3; Brasloff, *Ztschr. der Sav.-St.* XXI p. 374-381; id. *z. Kenntniss des Volksrechtes* (1903) p. 1-22; Reinach, *Papyrus grecs* (1905) pag. 39 (§ 5); Schwarz, *Hyp. und Hyp.* (1911) p. 70[a], 71-76, 91 (cum not. 5); Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 119-124. Fingebatur praeterea intervenisse

igitur ἄκυρος ἡ μὴ κατακειμένη, etsi dubitat Eger [1]) propter P. Giss. 8, 6-8, ubi legitur Πετοσῖριν τινὰ .... ἀπογεγράφθαι εἰς τὴν τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκην ἀντίγραφον χειρογράφου, quum non sit verosimile, εἰς τὴν βιβλιοθήκην ἄκυρόν τι receptum esse [2]). Quod propterea non debet movere, quia potest Petosiris ἀπογεγράφθαι πρὸς παράθεσιν, id est, impetrasse adnotationem iuris conservandi gratia („*Vormerkung*"), quod vidit Ruggiero [3]), sed in eo peccat, quod non putat eam proprie dici παράθεσιν. Videndum tamen, quousque τὸ ἄκυρον τοῦτο porrigatur [4]); apparet enim τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα non tota esse irrita; alioquin ipsa ἀναγραφὴ inutilis futura erat [5]). Itaque deponendum erat solemnitatis causa, interdum intra certum tempus [6]), sed restat, quamobrem ipsa solemnitas desiderata sit [7]). Videtur autem [8]), ne possent evitari τὰ τῶν συγγραφῶν τέλη, quae communia Graecorum contractuum et demoticorum fuisse perhibentur τοῖς πτώμασιν [9]), id est, vectigalium apochis, quae quidem subscripta sint contractibus [10]): exstant enim sicut ipsa charagmata sub utrisque. Quid, quod non omnes συγγραφαὶ vectigales esse videntur, attamen praetermissa solemnitate omnes ἀκυροῦνται? Rationem reddit Mitteis [11]): quod non oportuerit privatorum arbitrio permitti, essetne res vectigalis proinde transscribenda

---

ὑπερημερία: *Inscr. jur. gr.* XV B lin. 15/6, 31/2, 41/2 et in syngraphe Lacritea (Demosth. XXXV § 12).

1) *zum aeg. Grundbuchwesen* (1909) p. 109-113.

2) L.l. p. 111: „*die von den* βιβλιοφύλακες .... *zugrunde gelegten Urkunden (mussten) zweifellos eine hinreichende Verbriefung der fraglichen Rechtsänderung bilden.*"

3) *Bull. dell istit. di dir. rom.* XXI p. 294/5. Cf. ibid. p. 296/7.

4) Quaerit de ea re Mitteis, *Grundzüge* p. 83/4.

5) Mitteis, *Archiv* III p. 177¹; Lewald, *Beitr.* cit. p. 35.

6) P. Oxy. 533, 8-6 (quamquam cf. Mitteis, *Grundzüge*, p. 85³, p. 126). Fit nonnumquam post annos 12: *BGU* 970, 14. 21; post annos 40: P. Grenf. II 70 (cf. P. Oxy. IX pag. 227 not 1); post annos 62: P. Lips. 10 (cf. Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX p. 15 not. 1).

7) Non hoc dicendum est, quam habeat utilitatem depositio, sed, quam habere visa sit deponendi necessitas.

8) Ioanni utique Droysen, *Rh. Mus. f. Philol.* III (1829) p. 496; cf. Gradenwitz, *Festschr. für Koch* (1903) p. 267; Mitteis, *Grundzüge* p. 79.

9) De ptomatis separatim egimus in observ. ad pap. § 1-10. *Registra trapezitica* appellabat ea Peyron. Genuinum nomen indicavit Droysen.

10) Reliqua appellantur σύμβολα ἐκδεδομένα (Obs. cit. § 10).

11) *Grundzüge* p. 79/80.

necne (*„weil man die Entscheidung, ob dies der Fall sei, nicht dem Gutdünken der Parteien überlassen konnte"*). Quidni igitur, ubi depositurus est vel non suo quisque periculo? Rem non expedit Gradenwitz, quum scribit [1]): ideo inventam, ne quis sine magistratu posset contrahere (*„(um) Handscheine .... zu entwerthen"*); nam dicendum erat, cur legislator hoc efficere voluerit. Cui respondet quaestioni Peyron [2]): interfuisse regum omnes omnino subditorum contractus notos habere, quae sententia aliquando mihi ridicula videbatur tunc nondum [3]) edocto, quanta sit ubique fiscalis turbae ad investigandum curiositas. Dispiciendum tamen, sintne ullae re vera *συγγραφαὶ* immunes. Et videntur quidem rerum alienationes *τῷ ἐγκυκλίῳ*, id est, olim vicesimae, postea decimae partis praestationi, *θέσεις* quinquagesimae, ceterum omnia instrumenta alicui stato vectigali subiecta fuisse [4]). Sicut autem privati homines necessitate adstricti erant apud magistratus vel contrahendi vel saltem contractus suos deponendi, ita rursus *ὅπως μηδὲν τῶν παρὰ τὸ προσῆκον πρασσομένων ἀγνοῆται* [5]), iubebantur *οἱ νομικοὶ* [6]), id est, non iurisconsulti [7]), sed *οἱ πραγματευόμενοι* [8]), veluti *οἱ συναλ-*

---

1) *Festschrift für Koch* (1903) p. 273 ima.

2) *Memorie* (*Torino*) XXXI (1827) p. 163.

3) Interim edocuit me tabellio, sui ordinis lumen, Vlug in *Wkbl. v. h. Not.* VIII (1913) p. 466: *„voor zoo ver voor den* fiscus *de gelegenheid open staat om van den inhoud der onderhandsche acten kennis te nemen, mag men die niet laten voorbijgaan."*.

4) Cf. nostrae ad pap. observ. § 6. De hypothecis post cognovimus (ex P. Lond. 1201; 1202) sub nomine *εἰκοστῆς* vel *δεκάτης* exigi solitam *τὴν πεντηκοστήν*.

5) Ea causa adsignatur P. Oxy. 34 III 7-9 exstructioni bibliothecae Hadrianae (*διὰ ταῦτα κατασκευασθείσης μάλιστα ὅπως κτέ.*), ceterum Nanaei diversam nemo, opinor, adsignaverit. — Est similis cautio in lege Gallica (*du 22 frim., an VII*, art. 51, 52), sed non tanta.

6) P. Oxy. 34 III 3. — Reos (*„die Parteien"*) iussos esse, perperam docet Gradenwitz, *Festschrift für Koch* (1903) p. 267.

7) *Νομικὸν* duplicem habere intellectum, demonstrat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX (1908) p. 15/6. *Νομικός* = iurisconsultus legitur *BGU* 326 II 22 (*Ῥωμαϊκός*); P. Cattaoui Ro. III (II) 18 (*Archiv* III p. 59); P. Oxy. 237 VII 14/5; VIII 2 sqq. (*ἀντίγραφον προσφωνήσεως νομικοῦ*); 578; CPR I 18, 5. 24; Strab. XII 2 § 9; *Bull. de corr. hell.* XXIV p. 373 (inscr. Bithyn.) et quos laudat lapides Mommsen *Bull. dell' istit. di dir. rom.* VII (1894) p. 24*. — Alterius generis *νομικούς*, id est, *tabelliones* (cf. Bas. 60. 51. 9 (= l. 9 § 4 D. 48. 19); Suid. in v. *Ταβελλίων*) praeter hunc P. (Oxy. 34 III) habent *BGU* 361 III 2, 15; 388 passim (cf. Mommsen, *Ztschr.* cit. XVI p. 192, qui tamen vertit *„Advokaten"*); P. Oxy. 533, 6 et Byzantini aevi plerique.

8) P. Oxy. 34 II 12/3 (ia. I 2). Vertebat Wilcken (*Archiv* I p. 125): *„die Gaubeamten."*

λαγματογράφοι [1]) vel (οἱ) ἐν τῷ καταλογείῳ ἀπολογισταὶ γραμματεῖς καλούμενοι [2]) nec minus οἱ καλούμενοι ἐπὶ τῆς διαλογῆς [3]) τῶν κατὰ καιρὸν ἀρχιδικαστῶν γραμματεῖς [4]), contractus, quos scripsissent vel suscepissent, deponere (εἰς) βιβλιοθήκη(ν) [5]), non illam censualem τῶν ἐγκτήσεων, ubi professiones accipiebantur, transscribebantur [6]) — eo excepto, quod trapezitis ibi contractuum apud se factorum volumen erat deponendum [7]), etsi diversum sentit Mitteis [8]), qui ceterorum quoque εἰρόμενα docet sine teste [9]) deponenda fuisse apud τοὺς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοφύλακας — sed propriam, cui nomen erat τὸ Ναναῖον, quocum nulla societate coniunctum erat τὸ καταλογεῖον [10]). Quód quum adversus fraudes sufficere non videretur, sub Hadriano bibliotheca duplicata est ad Nanaeum κατασκευασθείσης [11]) τῆς Ἀδριανῆς βιβλιοθήκης iisdem rebus agendis, placuit enim τόπον τῷ εἰς τὸ Ναναῖον εἰωθότι τελεῖσθαι καὶ εἰς τὴν ἑτέραν διδόναι βιβλιοθήκην [12]), id est: iis rebus perficiendis, quae hactenus perficerentur ἐν τῷ Ναναίῳ locum dare etiam ἐν τῇ ἑτέρᾳ βιβλιοθήκῃ. Deponebant autem hactenus εἰς τὸ Ναναῖον magistratus eos contractus, qnos scripsissent vel suscepissent. Ergo posthac hos debuerunt εἰς ἀμφοτέρας τὰς βιβλιοθήκας [13]) καταχωρίζειν [14]). Quin coeperunt mox privatim

---

1) Spec. Wess. (7) 8.

2) De his specialis est clausula (P. Oxy. 34 I 7-12), qua permittitur iis κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος contractuum suorum indicem deponere.

3) Τὴν διαλογὴν esse τῶν κατὰ καιρὸν ἀρχιδικαστῶν gestorum volumen, demonstravi in obs. ad pap. § 17.

4) P. Oxy. 34 II 2-5.

5) Spec. Wess. (7) 8. Anni est p. Chr. 14/5.

6) Vid. nostr. ad papyros obs. § 15.

7) P. Lips. 9, 21/2 (Chrestom. II 211). Exstat volumen inscriptum βιβλιοφύλαξιν ἐγκτήσεων (P. Flor. 24). Cf. praeterea Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 12⁷.

8) *Grundzüge* p. 63.

9) Ibid. not. 3.

10) Idem esse τὸ Ναναῖον et τὸ καταλογεῖον, putabat Mitteis, Herm. 34 (1899) p. 96¹. Obstat ipsa clausula περὶ τῶν ἐν τῷ καταλογείῳ (P. Oxy. 34 I 7-12): οἱ .... ἐν τῷ καταλογείῳ .... καταχωριζέτωσαν ἐν ἀμφοτέραις ταῖς βιβλιοθήκαις. Cui iam accommodavit sententiam suam (*Grundzüge* p. 84).

11) P. Oxy. 34 III 7.

12) P. Oxy. 34 I 3/4.

13) P. Oxy. 34 I 11/2, 15/6, II 10-14; *BGU* 578, 19.

14) Commode hic confert Mitteis, *Grundzüge* p. 85², Priensem διπλῆν .... τὴν τῶν γραμμάτων .... ἀναγραφήν.

quoque contractus scripti per τὴν Ἀδριανὴν βιβλιοθήκην [1]) καὶ τὴν τοῦ Ναναίου [2]) publicari [3]). Quam putat Mitteis [4]) imperatoria aetate unicam fuisse δημοσίωσιν, nec movetur eo, quod ipsa res veri sit dissimilis [5]), postquam certum esse coepit [6]), βιβλιοθήκην, ubi deponendi fuerint perfecti contractus, id est, τὸ Ναναῖον, nusquam fuisse nisi Alexandriae [7]). Quod necessario porrigendum erit ad alterum Nanaeum, τὴν Ἀδριανὴν βιβλιοθήκην. Itaque iam abiecit Mitteis [8]) pristinam opinionem suam [9]): Ναναῖα fuisse per singulas κώμας, Hadrianas autem bibliothecas per singulas μητροπόλεις, et idem esse τὸ Ναναῖον et τὸ γραφεῖον, τὴν Ἀδριανὴν et τὴν δημοσίαν βιβλιοθήκην, quasi parum intersit quum inter τὴν δημοσίαν βιβλιοθήκην, ubi professiones transscribuntur, et τὴν Ἀδριανήν, ubi contractus, tum inter τὸ γραφεῖον, ubi contractus perficiuntur et τὸ Ναναῖον, ubi perfecti deponuntur [10]), etsi ne sensit quidem Ludovicus. Cuius pro sententia prima quidem fronte videtur facere [11]), quod τοῦ χαράγματος, si habet diem [12]), cum ipsius contractus, si is quoque legitur, solet congruere dies, quod cur fiat optime perspicitur, si contractus ἐπὶ

---

1) P. Oxy. 719, 29-35.

2) P. Lips. 10 II 21-27; P. Oxy. 1200, 45-51.

3) Praeter mutilata *BGU* 231; 455; 717; P. Flor. 40 exempla sunt, ubi hoc petitur ab archidicasta, annorum 189 (*BGU* 578, 17-19), 193 (P. Oxy. 719, 29-35), 240 (P. Lips. 10 II 21-27), 266 (P. Oxy. 1200, 45-51). Ex his tria priora habent clausulam κυρία ὡς ἐν δημοσίῳ, quartum ὁπηνίκα ἐὰν αἱρῇ δημοσιώσεις, utramque nullum.

4) *Grundzüge* p. 82⁴, 84/6. Praeiverat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 284/7; XXX p. 4.

5) Mitteis, *Grundzüge* p. 86: „*das eben besprochene Institut hat etwas sehr auffälliges.*"

6) Lecto Spec. Wess. (7) 8.

7) Optime perspexit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 19/20.

8) *Privatrecht* I (1908) p. 313/4; *Grundzüge* p. 84.

9) Herm. XXXIV (1899) p. 93/4 et, postquam obviam itum quum ab editoribus P. Oxy. (II pag. 182) tum ab Udalrico (*Archiv* I p. 124): *Archiv* I p. 186 not. 1.

10) Sequestrari apparet εἰς τὸ Ναναῖον, quod ἐν τῷ καταλογείῳ transscriptum sit (P. Oxy. 34 I 7 sqq) quodve διὰ συναλλαγματογράφων constiterit (Spec. Wess. (7) 8) vel ἐπὶ τῆς διαλογῆς (P. Oxy. 34 II 2-5).

11) Cf. Mitteis, *Privatrecht* I p. 310 not. 71 (i. f.).

12) Romani aevi exempla: *BGU* 153; 987; P. Fay. 89; 91; 97; 98; P. Lond. 154 (II p. 178/80); 289 (II p. 184/5); 277 (II p. 217/8); P. Oxy. 489; 491; CPR I 4; 27; P. Tebt. 383. Add. P. Oxy. 320, si est χάραγμα (cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 6 not. 2).

τῆς ἀρχῆς scribatur, non ex privata custodia adfertur publicandus [1]). Sed in contrariam partem observari potest: etiam Ptolemaeorum aetate diem instrumenti cum charagmatos die congruere solere [2]), nec propterea dubitari, quin sub Ptolemaeis chirographa interventu τοῦ γραφείου publicari potuerint, etsi non supersunt ulla exempla certa [3]); et recte: quia ipsa verba ἀναγέγραπται, ἐντέτακται, κατακεχώρισται, quae sunt charagmatum propria, alio modo in usum venire non potuerunt. Quocirca de imperatoria aetate aliter existimandi iusta causa non est. Praeterea rem plane conficit, quod P. Grenf. II 71 II 26 (τῇ) παρὰ τῷ ἀρχιδικαστῇ (δημοσιώσει) (P. cit. I 6) opponi videtur (ἡ) συνήθ(ης), id est, ἡ ἐπὶ τῶν τόπων [4]), quod pertinet testimonium ad Oasin maiorem, et superest indidem certum rei exemplum [5]).

(*Continuabitur*).

---

1) Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 286.

2) P. Rein. 14; 23; P. Tebt. 104; 105. Excipiendus est P. Rein. 22 propter trium dierum intervallum, sed potest erratum esse. P. Rein. 30; 34 periit contractus dies.

3) Tanquam certa laudat Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 283[1]: P. Rein. 30 et 29; ibid. not. 4: P. Leid. O; Rein. 9 etc.; Tebt. 104; 105; P. Petrie II 47; Grenf. I 36. Ex quibus P. Grenf. I 36 (= Chrestom. II 155) χάραγμα non habet, constat praeterea èt hunc P. et Leid. O; Tebt. 104; 105 ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scriptos esse; de ceteris quominus idem credatur nihil obstat.

4) Wenger, *Stellvertretung im Rechte der Papyri* (1906) p. 107[3]. Dissentit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 4/5 et item Mitteis ad Chrestom. II 190 II 25. Opponi negat ille; ait hic τὴν συνήθη δημοσίωσιν esse δημοσίου χρηματισμοῦ scriptionem („*Aufnahme (eines) Notariatsakts*").

5) P. Grenf. II 70, quem laudat Hunt (ante P. Oxy. 1208). Ex diverso non debent laudari P. Amh. 98; Lips. 31 (Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 6; Mitteis, *Grundzüge* p. 86).

DE CATULLI CARMINE LXVIII.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Ecquid ipsa hac inscriptione tibi bilem moveo, lector, importunusque tibi videor qui immensae ad hoc carmen annotationum copiae novas quasdam addam, denuoque in lucem protraham quaestionem doctrinae mole tam bene obrutam absconditamque? Quis enim non gravi se molestoque perfunctum labore sentit gaudetque qui — ut veterum mittam observationes — commentarios nostra aetate de hocce conscriptos carmine satis accurate perlegerit? Quorum soli Baehrensianus Friedrichianusque literarum implent spatium quod plus triginta eiusdem ambitus carmina continere possit. Pone metum: neque ea sum crudelitate qui dolorem (nam doloris hic vocabulo uti licet) illum infandum renovare audeam, neque ea arrogantia qui me a quoquam lectum iri putem si viros „impense doctos" (sic Aulus Gellius Nigidium Figulum appellat, virum illum tenebrarum quam lucis tanto amantiorem) imitari atque adeo aemulari studuero. Aut novi nihil proponam aut, si tamen, hic illic aliquid quod paucis vocabulis ita possit enunciari ut nullo negotio vel a mediocriter docto et intelligatur et teneatur memoria. Quid quod quidquam a me dictum iri quod apud Baehrensium Friedrichiumque non inveniatur minime asseverare audeam: quid enim ibi *non* invenitur quod ullo modo huc trahi possit? Certe Friedrichii opus illud tam omnibus rebus est refertum ut iam hoc pro certo affirmare liceat neminem unquam exstiturum qui se illas bene perspectas habere, nedum in usum suum conver-

tisse probe sibi sit conscius. Et tamen etiamsi novi nihil protulero — quod cuiusmodi sit mox videbis — tamen non plane operam me perdidisse credam: quaestionem enim unam omnium intricatissimam — nam sic voluerunt nostrae aetatis philologi — denuo ita tractabo ut omnes doctas ambages mittam neque quidquam in consilium adhibeam nisi lectorum, quibus prae placidis iucundisque ambulationibus omne quidquid est labyrinthorum sordet genus, illud quod quotidie suis adhibent negotiis sanum sobriumque iudicium sensumque communem.

Dico ergo et declaro, immo vero quanta maxima possum voce edico clamoque **duo** haec esse carmina et argumento et arte tantopere inter se diversa ut utrumque — id quod tamen in dubium vocare velle iusto sit audacius — ab eodem poeta factum satis mirari non possis. Et tamen ne verbum quidem de tota hac re mandarem chartae, si post Baehrensium nullus de ea in lucem prodiisset commentarius qui aliquo modo idoneis esset probatus iudicibus. Nam Baehrensius ... o quam doleo doluique unquam illum in hanc traductam regionem! In sua si remansisset patria, aliquem ibi fortasse invenisset amicum qui aut in umbraculo aut inter cervisiae pocula eum ne tam multa scriberet moneret sed domi suae clausam teneret multo maiorem coniecturarum partem, quas cum meritissimae suae famae detrimento non manu sparsit sed effudit modiis. Sed neque illum ferre hic quisquam poterat et ipse a moribus ingenioque Batavorum semper fuit quam maxime alienus. Sic in dies fiebat morosior suorumque tenacior inventorum, neque quidquam quod in mentem venisset iam reticere pensi habebat. Quodsi quis e scriptis eius removerit quidquid est absurdum (et quam multa in lucem edidit quae ipsa respuat elegantia!), in nullo non sat multa restabunt quae perpetuam ei duraturamque sint allatura gloriam. Quod nescio an vel maxime in eius de nostro conveniat carmine commentarium. Eo ergo confidenter relegarem lectores ut ipsi inde protraherent quae hanc bene illustrarent quaestionem (et quam multa ea sunt!), nisi post Baehrensium exstitissent et alii qui contrarium docerent et Friedrichius, qui ea usus est ratione, qua ne imperitis omnem adimat contra dicendi fiduciam summopere est metuendum. Non enim solum immensam exstruxit molem undique congestae doctrinae variae

multiplicisque, sed etiam legentibus se eum esse persuadere conatur qui ipsam illam vitam, quam Catullus eiusque amici inter scortula meretriculasque degerint, usu probe habeat cognitam [1]). Spes me tenet inanem hic captasse gloriolam virum doctum, nam si talis esset qualem se videri vult, Germanorum ego magistratibus auctor essem ne adolescentes, quorum non bene essent perspecti probatique mores, sumptu publico in Italiam aliove „ingenii excolendi causa" mitterent, Italosque monerem quantum bonae mulierum virginumque Italarum famae hoc genus hospitum afferat periculi. Nunc tantummodo doleo quod mihi in patria mea librorum censuram agere non liceat: hunc certe commentarium cum Goethiana vita Meisteri, quam in deliciis Friedrichius habere videtur, utpote moribus adolescentium corrumpendis aptissimum condemnarem proscriberemque.

Sed ad rem veniamus!

Alterum carmen est 40 versuum, cui 120 versuum carmen adiectum est (ab editore antiquo, ut opinor, quem falsa decepit species), et oratione et argumento et ipsa rerum quae subiacet conditione ab illo tam diversum ut vix ulla maior vel excogitari possit discrepantia.

Iam hoc satis argumenti, quo totam ad finem perducamus quaestionem, videri possit quod illud scriptum est ad *Manlium* (vel si mavis *Malium* vel *Manium* denique ad virum cuius nomen a litera consonante incipit), hoc agit de *Allio.* Ipsos citemus versus, pauci sunt et omnem statim tibi eximent dubitationem.

In priore carmine (LXVIII, 1—40) bis tantummodo nomen ponitur:

11 Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, *Manli.*
30 Id, *Manli* non est turpe, magis miserumst

at in secundo (LXVIII, 41—160) quater:

41 Non possum reticere, deae, qua *me Allius* in re

(sic enim recte Scaliger correxit *Fallius,* quod nomen tribus aliis versibus refellitur et nobis accusativum *me,* quo minime carere possumus, adimit).

50 In deserto *Alli* (cod. G. *Ali*) nomine opus faciat.
66 Tale fuit nobis *Allius* auxilium.

---

1) Vide praesertim p. 437 l. 5

(hic traditum quidem est *Mannlius* et *Manlius*, sed recte Baehrensius *Allius* reposuit, quod neque metrum respuit et flagitant praecedentia).

150 (Hoc tibi) pro multis *Alli* redditur officiis

(ubi *Alli* certissima est Scaligeri emendatio pro insulso *aliis*).

Ergo ut quam brevissime dicamus: prius carmen scriptum est *ad Manlium*, secundum agit *de Allio*. Neque iam potest unum esse carmen in cuius partibus modo ad hunc, modo ad illum (vel de illo) fiat sermo.

Ad incitas hoc uno argumento redacti *οἱ ἑνωταί* „at, o bone," aiunt „adeone caecutis ut ne hoc quidem videas *nomen* Catulli amico *Allium* fuisse, *praenomen* vero *Manium*? En concidit bella tua disputatio!"

Crederem, si idem ille Catulli amicus *modo* praenomine *modo* nomine suo significaretur. At nunc quid fit? Aliquid quod, si nobis cum *uno* carmine res hic est, incredibile sit et miraculi instar videatur: in priore parte (vs. 1—40) nunquam dicitur *Allius*, in secunda (41—160) nunquam *Manius*.

Hic quoque responderi potest aliquid minimi quidem momenti, quod tamen proponendum videtur ut *quam* leve sit demonstrare possim. „Prior pars" aiunt „est *epistola*, sive, ut ipsius Catulli utamur vocabulo, *epistolium* atque ad epistolium responsum, at altera elegia est dicenda: quis autem non sentit *praenomen* suum sibi habere locum in epistola ad amicum, at nomen, utpote quod maiorem haberet gravitatem, in elegia fuisse ponendum?"

Concedo ita se rem habere ... simulque sentio quam firmum argumentum sic ultro mihi praebeatur. Si enim altera ab altera pars non argumento solum sed etiam ipso sermone atque adeo orationis colore plane discrepat, quid ultra tendimus *τὰ ἀσύγκλωστα συγκλώθειν* et unum consarcinare carmen e duobus quae nihil, nihil prorsus habeant inter se commune? Sed nolo hoc argumento uti, iterumque concedo verissimum esse quod epistolae dicatur praenomen aptius esse at elegiae nomen; quid sequitur? Humano capiti cervicem equinam iunxit noster, epistulae quae tota e vita humana sumpta est elegiam doctrina mythologica refertam, nonne periculum est ne in errorem inducantur legentes putentque sibi cum *duobus* Catulli rem esse amicis? Cum praesertim tam facile eos potuerit in viam reducere poeta. Quid

enim? Inde a versu 41 elegiam habemus, sed ea quoque exit in epistolam ad eum cuius in elegia praedicantur laudes. Fac unam nobis toto carmine LXVIII exhiberi epistolam, miram quidem illam utpote quae e vera constet epistola et elegia, sed tamen unam, nonne res ipsa iubebat totam sic claudere

149 Hoc tibi, qua potui, confectum carmine munus
Pro multis, **Mani**, redditur officiis e. q. s.

ut sub finem admonerentur initii legentes neque iam dubitare ullo modo possent quin *Allius* hic idem esset atque *Manius* ille?

Denique nonne docta illa doctisque argumentis coniecturisque fulcienda de uno carmine commenta longe superat simplex haec, quae iam primo aspectu tantam habeat veri speciem, sententia duo nos hic habere carmina temere inter se iuncta: a responsum ad *Manlii* epistolam certum de rebus certis quas ex ipso responso tam bene cognoscimus ut epistola illa — licet periisse eam vehementer doleamus — opus non sit b laudes Allii epistolae instar ad eam missas?

Iam primo aspectu id apparere dicebam. Quis enim non inde a vs. 41 ad aliud se delapsum argumentum sentit, ad novum orationis genus, ad poetam denique plane mutatum ab illo quem hactenus cognoverit, post versum 40 addi nihil posse versuque 41 verbis *non possum reticere* aptissime novum *inchoari* carmen at ineptissime praecedentibus assui pannum ineptissimum?

Age raptim iam utrumque percurramus carmen! Raptim aio, nam metuere noli, lector, ne tecum tempus operamque sim perditurus explicandis difficultatibus quibus totum istud de Allio carmen satis absurdum premitur obscuraturque: aut a Baehrensio satis iam illae explicatae sunt omnes aut restant quaedam quae nullo modo explicari possint.

a. Quod a me in tua miseria solatium petis, Manli, agnosco humanitatem tuam, sed in eo statu versor ipse ut mihi solatio opus sit: ergo ignosce neganti quod, si ullo modo possem, sponte ad te deferrem.

Unquamne vidisti quidquam quod tam esset epistolae simile? Simile autem? Immo, si fingi posset homo qui quid esset epistola plane ignoraret, hic haberemus exemplum quo ne fingi quidem posset ullum barbaro isti edocendo aptius.

Et quae sunt miseriae quibus uterque est afflictus, quod illud

solatium quod petitur negaturque, quae causa negandi? Omnia haec prius carmen tam clare diserteque demonstrat ut eo quoque nomine egregia possit dici omnibusque absoluta numeris *epistola*: Manlii uxor est demortua, petit ergo a Catullo carmina nova et libros, sed neutrum ei praebere Catullus potest, fratrem modo sibi ademptum lugens et nunc Veronae vitam agens, in angulo isto et librorum et omnis elegantiae experti, quem suo iure Manlius, urbis amator, odisse fastidireque sibi videtur.

Haec omnia ita se habere paucis est demonstrandum, deinde ne ullus hic dubitandi relinquatur locus nonnulla annotanda videntur:

4 sqq. (Petis a me Manli ut te)

Sublevem et a mortis limine restituam
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in *lecto caelibe* perpetitur.

Non agi hic de amatore quem perfida amica reliquerit sed de *marito*, cuius *iusta uxor* est demortua, e verbis *lecto caelibe* tam clare elucet ut nihil addendum videatur. Et quantum video nemo iam vir doctus aliter sentit.

Petit ergo moerens ille maritus *munera et Musarum et Veneris* i. e. carmina qualia a Catullo possunt exspectari, *amatoria et docta*, carmina plena amoris (in quibus de ipsius Catulli eiusque amicorum agitur amoribus) et doctrinae (i. e. artis novae quam colunt cantores Euphorionis). Sed duplici illo *et* in errorem inducti vulgo nunc viri docti opinantur hic *inter se* duas *opponi* carminum species: a *munera Musarum* i. e. carmina aliorum Alexandrina quae Catullus in sermonem transtulerit Latinum b *munera Veneris* i. e. *ipsius* Catulli carmina amatoria. At quominus locum sic accipiamus hi e simillimo „epistolio" (c. LXV) obstant versus:

3 nec potis est dulces *Musarum* expromere *fetus*
mens animi (tantis fluctuat ipsa malis)

et 15 sq. ubi, ne tamen plane inhonoratum amicum dimittat, quid pro illis *Musarum fetibus* ei offerat sic declarat:

Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec *expressa* tibi carmina *Battiadae*.

In epistola ad Ortalum Catullus disertis verbis *Musarum fetus* et *carmina Battiadae* inter se *opponit*; miraculi ergo instar foret

si in nostra de simillima re epistola carmina Alexandrina, latine versa, *munera Musarum* vocaret.

Cur autem amico *munera et Musarum et Veneris* mittere non possit sic declarat:

19 Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit.

cf. 25 sq.:

Cuius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnis delicias animi.

Utrobique amicum, tristissimi illius casus *ignarum* etiam, de morte fratris facit certiorem. Ne dubites, relege hos versus:

11 Sed tibi *ne* mea *sint ignota* incommoda Manli
Neu me odisse putes hospitis officium
Accipe quis merser fortunae fluctibus ipse.

Atque eam ipsam ob causam *ignorat* amicus cur amicus tam diu Veronae moretur, in misello illo angulo qui omni careat amoenitate omnique venere, et quia causam tam longae absentiae cognitam non habet, in ipsum quod poetam detinet oppidulum omnem coniecit culpam, deque eo iis est iocatus verbis quibus homo, in quo ullus est humanitatis sensus, ne *possit* quidem uti adversus amicum quem vel suspicari possit ulla affectum tristitia, nedum adversus eum quem sciat omnium dolorum acerbissimo afflictum planeque deiectum. Nam *nuntium* de fratre sibi adempto haec excipiunt:

27 Quare quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse, quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,
Id, Manli, non est turpe, magis miserumst.

Hic: Veronae, an dubitas etiam, lector, certumque tibi stat consilium in clara luce caecutiendi?

Sed praeter *nova* ipsius Catulli carmina et aliam quandam ab eo petiit rem amicus, cui praebendae minus etiam, si fieri potest, par est poeta:

33 Nam, quod scriptorum non magnast copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.

Huc: Veronam, cf. 28 *hic*.

Neutrum ergo amicus amico praestat, sed paratam sibi fore veniam confidit:

37 Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia factast:
Ultro ego deferrem copia si qua foret.

In quibus una inest difficultas, eaque quam levissima et tamen quam mihi sit molestum de ea disputare probe sentio: non enim non metuere possum ne, quidquid dicam, clamet malignus quispiam me quid *uterque* significet nescire ideoque putare *non uterque* idem esse quod *neuter*. Caute ergo et circumspecte agam si forte vitare scopulum illum possim.

Ultro ego deferrem: quid? Ut opinor *utrumque*. Sed alterum iam negavit vs.

31 Ignosces igitur, si quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.

Nunc alterum item negat idque quam disertissime, et aliis verbis et „praeteritivo" illo *nam* a quo vs. 33 incipit.

Res ergo eo redit ut Catullus *utrumque* recuset, *casuque* factum est ut id in verbis *non utriusque* inesse *videatur*, nam revera inest in totis hisce quatuor versibus:

37 Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia factast:
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.

Utrumque, si possem, deferrem; nunc non possum; ergo tibi *non utriusque* copia facta est sed *neutrius*.

Finita est epistola, clausa, obsignata missaque ad amicum. Putemusne Catullum postea quod eius servavit exemplum e scrinio protraxisse, vel denuo e memoria eam chartae mandasse eique adiunxisse novum carmen de rebus aliis, quod cum epistola nihil haberet commune, neque argumentum neque orationem? *Adiunxisse* autem? Immo vero *adiecisse*, vel si quod aliud est in sermone Latino vocabulum extremam significans incuriam. Quis enim, post illam epistolae clausulam, sic pergere ullo modo potest:

Non possum reticere, deae . . . . . . ?

An subita insania abreptum poetam censeamus? Scio neminem

unquam exstiturum qui id *non* esse factum certis possit demonstrare argumentis indiciisque; sed sunt quaedam tam veri similia ut pro veris possint accipi licet vera *esse* neque constet neque appareat.

Nunc alterum carmen (LXVIII, 41—120) raptim percurramus, et quid quomodo nobis narretur inde efficere conemur.

b. 41—56. Verbose de Allii erga se meritis poeta declamat, nam e poeta rhetor fit, admodum quidem ineptus ille sed tamen quid sibi velit sat bene dispicimus: gratias agit Allio qui sibi fletu tabescenti opem tulerit. Iam ad fletum illum illustrandum, scilicet, vs. 56—65 sequitur longa et implicata comparatio, simulque subobscura, nam quid quocum comparetur haud facile dicas.

66 Tale fuit nobis Allius auxilium.

Iam ergo ad Allium rediit poeta simulque paucis verbis quod ab eo acceperit beneficium nos edocet:

68 Isque domum nobis isque dedit *dominae*

nam sic cum Froehlichio legendum esse optime Baehrensius perspexit, qui, quamvis multa nunc in eo reprehendantur, nunquam tamen ineptissimo illo morbo laboravit certas ingeniosasque prae absurdissimis codicum lectionibus spernendi fastidiendique coniecturas. An quisquam etiam vindicet istud quod est traditum *dominam*? Ergone *leno* fuit Allius? Quid autem lenones hic nomino? Quamvis enim sit illud vituperandum hominum genus, tamen prae isto, quem codices praebent, Allio honesti viri haberi possunt; num illius domus *lupanar* fuit ubi olenti in fornice prostabant meretrices? Huncine ergo tantis exornat laudibus Catullus, ipsique Catullo opus fuit *amico*, qui ei praeberet quod nummis venale est unicuique summum adire dedecus non verenti? Satis fuit turpe istud Allii erga amicum officium, ultro turpius cur reddamus? Domum suam praebuit Catullo Lesbiaeque, ad quam (ait)

69 *Ad quam* communes exerceremus amores.

Latinum id esse negat Baehrensius et *ad quem* reponit; recte fortasse, sed res manet eadem: facultatem poetae amicus praebuit cum amica sua conveniendi, nam *communes amores* quin sint Catulli Lesbiaeque amores quid dubitemus? An utrumque, et Catullum et Allium, in eiusmodi deiiciamus turpitudinis

barathrum ut in alterius aedibus utrumque cum eodem scorto amores exercuisse suspicemur? Mirum id nondum cuiquam eorum, qui istud *dominam* defendunt, venisse in mentem.

Sed mox ab amica, quae tam lubenter facultate ab Allio allata usa sit, aberrat poeta eamque cum Laodamia comparat de cuius tristi sorte duodecim declamat versibus (75—86); neque hoc satis est: totum huc Troianum attrahit bellum cumque eo ... fratris mortem ... nam ille quoque Troiae occubuit, illi quoque Troia fuit sepulcrum! (vs. 87—100). Versu demum 101 ad Troiam redit versuque 105 ad Laodamiam, quam satis inepte in *abruptum* delatam dicit *barathrum* (108). Hoc tamen ineptius etiam quod *baratrum* istud *octo versibus* (109—116) cum alio nescioquo barathro comparat idque perobscure. Versu demum 117 Laodamiae memor fit et decem versibus (119—128) huius amores cum multis aliis comparat rebus, tum cum Laodamia comparat Lesbiam (129) cuius simul amorem et levitatem viginti enarrat versibus (129—148). Denique duodecim versibus (149—160) concludit carmen iterum memorando Allii officio eique optima quaeque precando.

Distinximus duo carmina a LXVIII 1—40 b LXVIII 41—160, nunc amicos a et b inter se opponamus:

I *a* literarum et librorum petivit solatium; hoc se ei praebere posse Catullus negat, simulque cur non possit amicum edocet. Accipit ergo „epistolium" et ipsum, responsum certum de re certa, idque elegantissimum et ipsa luce clarius.

b accipit a Catullo elegiam cui addita est epistola dedicatoria.

Haecine in unum potuerunt coniungi carmen? An Manii Allii moeror ob uxoris mortem lenietur mitigabiturque, si legerit elegiam tam intricatam contortam obscuram atque adeo ineptam ut nullo tempore ulla inde potuerit peti delectatio, admonebiturque turpissimi officii quod olim amico in illius praestiterit amoribus? Et potestne idem vir esse is cuius uxor est demortua

Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur.

atque ille quem sub finem epistolae hoc versu

Sitis felices et tu simul et tua vita

poeta alloquitur?

II *a* est homo cuius nomen incipit a consonante *b* homo cuius nomen incipit a vocali. Nam quam sit incredibile eundem hominem tota parte priore praenomine at tota parte secunda nomine esse designatum accurate iam exposuimus.

III *a* non vivit Romae:

34 Nam quod scriptorum non magnast copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.

An putemus hominem Romae viventem libros petere ab amico quem scit Veronae morari, in tristi illo angulo quem ipse tamquam omnis humanitatis expertem notavit? v. vs.

27 Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse, quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili
Id, Manli, non est turpe, magis miserumst.

b. Romae cum maxime est et hoc certum eius est perpetuumque domicilium. Nam quod legimus

155 Sitis felices et tu simul et tua vita
Et domus, ipsi in qua lusimus et domina

eandem hic significari domum et vs.

68 Isque domum nobis isque dedit dominae

manifestum est. An dubitemus quin Catullus suos cum Lesbia Romae „exercuerit amores"?

IV *a* ignorat Catulli fratrem esse mortuum. Hoc ita esse supra accurate demonstravimus. Nunc hoc addimus: petivissetne amicus ab amico, quem tristissimo afflictum casu sciret, carmina amatoria plena lasciviae et hilaritatis?

b id dudum novit. Nam quod poeta postquam Troiam vs.

89 commune sepulcrum Asiae Europaeque

dixit, lamentationem adiungit de fratre ibidem mortuo sepultoque, eum aberrare ad vulnus ut nondum plane sanatum ita neque recens et aliis apparet verbis et uno illo *detinet* vs.

99 Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.

Ne longus sim de re tam certa nostro demum tempore satis

absurde — nam sic mihi videtur — in dubium revocata, nihil iam praeter pauca haec addo:

23 Omnia tecum (frater!) una perierunt gaudia nostra
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.

Prorsus eadem recurrunt vs. 95 sq. In novum carmen a poeta e priore versiculos quosdam repeti quis miretur improbetve? Sed quis aequo ferat animo in *eodem* illud fieri carmine?

Vs. 29 solus sine amica Veronae vivens poeta describitur, at

135 Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo
Rara verecundae furta feremus erae

et 160 Lux mea, qua viva vivere dulce mihist
suam sibi Lesbiam si non assidue tamen plerumque secum habet.

Integrum esse carmen quod sic incipiat

41 Non possum reticere, deae, qua me *Allius* in re
Iuverit aut quantis iuverit *officiis*

(quo nullum potest aptius cogitari exordium) iustissimaque haec claudatur peroratione:

149 Hoc tibi, qua potui, confectum carmine munus
Pro multis, *Alli*, redditur *officiis* e. q. s.

vel oculis cernitur.

Denique cui literae Latinae cordi sunt is omnibus mortalibus quam maxime commendet prius carmen (LXVIII, 1—40), venustum perspicuum in se teres atque rotundum; contra, si possit, alterum (LXVIII, 41—160) e manibus eorum eripiat, ne, si illud quoque perlegerint, cum Catullo omnes cantores Euphorionis, cumque his quidcunque est carminum latinorum spernere, fastidire, odisse et ludibrio habere incipiant [1]).

---

1) Per integrum annum haec in scriniis meis iacuerunt: spatium erat reservandum multis multorum, quibus Mnemosyne nostra cordi est, ad me allatis commentationibus variis. Sed nunc hoc opusculum publici iuris facere festino: in manus enim meas venit novus fasciculus ATHENAEI Italici (Ottobre 1915) in quo FRANCISCUS GUGLIELMINUS (p. 426 sqq.) docte et acute idem illud quod ego demonstrat: utique c. 68 in duas partes (1—40 et 41—160) esse dividendum, quae nihil inter se habeant commune. Nam quod ille vs. 29 aliter atque ego interpretatur id, quod ad totam hanc *ἀπορίαν* cum sua *λύσει* pertinet, parvi est momenti. Lepidissima enim mihi ea videtur *συνέμπτωσις* quod in utrisque renatae antiquitatis incunabulis (Hollandiam dico Italiamque) eodem tempore renata est haec de varie tractato optimi poetae carmine antiqua et me iudice unice vera sententia.

Ceterum acuminis sui et alia dedit ille Italus splendidissima documenta et Manlium eundem esse intellexit cui Catullus, Viniam uxorem ducenti, praeclarum illud composuerit epithalamium.

DE COD. TURONENSI 890 MONOSTICHORUM CATONIANORUM (716 R.).

SCRIPSIT

M. BOAS.



Quod nunc melius de cod. Turon. 890 (164) s. XII iudicare possum quam nuper (v. Mnem. XLIII, 315), debeo insigni benevolentiae v[i]. d[i]. G. Collon, civ. Tur. bibl. praef. Qui ne hisce quidem temporibus se retineri passus est, quin meum in usum imaginem phototypicam faciendam curaret fragmenti Monost. Cat. (cod. p. 52 sq.), quod vidit nemo post Hildeb. et Marb. editionem Bened. a. 1708 p. 1634, qua usi sunt Fabricius Migne Meyer Baehrens Riese. Omiserunt Benedictini vs. 17 et 19 R.; ambitus seriei Turon. igitur fere prorsus convenit cum fragm. Reg. 300 s. XI (= v. 1—43 ser. Paris.; v. 1—14, 17—45 R.), nisi quod in illo v.[um] 43 R. librarius vocabulorum finalium v[uum] 42 et 43 R. similitudine peccans neglexit (— mane*bit*, — lice*bit*), in hoc v. 8, 9, 45 R. manu 2[a] additi sunt (neque deest v. 40 R. = 67 B., ut est ap. B. p. 212). At textus Turonensis iam pluribus quam Reg. locis depravatus est. Lectiones — quas Baehrens admodum neglegenter, Riese diligenter sed consulto paucas ex impresso libro excerpserunt — ne a Benedictinis quidem omnes ex cod. integras nunc apparet esse receptas. V. 31: *Terra hominis patria est*, ut in ed. *princ.* Pithoeana, non *omnis*, ut libri mss. Titulus seriei insignis: *Prouerbia catonis phylosophi*, in rubr. a m. 1[a]. Haec in praesentia sufficiant.

DE ATHENA SCIRADE.

SCRIPSIT

A. RUTGERS VAN DER LOEFF.



Pausanias in Atticorum primo capite postquam Phaleri portum nominavit, sic pergit: ἐνταῦθα καὶ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ναός ἐστι, in capite XXXVI idem templum hisce verbis commemorat: τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἐπὶ Φαλήρῳ τὸ ἀρχαῖον ἱερόν.

Sed quamvis antiquum Sciradis Athenae templum Phalericum fuerit, deae nomen certe e Salamine oriundum est, quae insula Σκιρὰς olim nuncupabatur [1]) et Σκῖρον habebat ἐπώνυμον [2]). Itaque verisimile est iam ante aedem Phalericam templum Salaminium exstitisse, quod apud Herodotum VIII 94 τὸ ἱρὸν Ἀθηναίης Σκιράδος, apud Plutarchum in Solonis vita c. IX τὸ Σκιράδιον [3]) nominatur.

Templi Salaminii locum, quem mari proximum fuisse ex Herodoto et Plutarcho constat, Lolling [4]) repperisse sibi videbatur in Arapi monte, cuius radices ad insulam se proiciunt, cui Nera nomen. Aedificii fundamenta adhuc exstant et deam quandam ibi cultam esse litterae rupi incisae testantur, quibus duo Piraeenses, tribus Hippothoontidis prytanes, nomina sua

1) Strabo IX c. 9. Locum exscripsi p. 105.

2) Videatur p. 107.

3) Σκιράδιον promontorii nomen esse vulgo dicunt. Cuius rei Plutarchus testis esset, si scripsisset τὸ Σκιράδιον ἄκρον. Sed quoniam ἄκρον τὸ Σκιράδιον scripsit, ipsum sciradis templum aptissimo illo nomine indicari puto. Plutarcho teste Salamis ab Atheniensibus capta quotannis ibi acta esse videtur.

4) Ath. Mitt. I p. 127 ss.

oblivioni eripuerunt *εὐσεβήσαντες τὴν θεόν*. Atheniensibus enim *ἡ θεὸς* Athena ipsa erat neque probabile est praeter Sciradem aliam Athenam in Salaminis litore cultam esse.

Dea Salaminia autem, solo Sciradis nomine primo nuncupata, ad Athenarum portum Phalericum iam remotissimis temporibus Oschophoriorum religionem [1]) et Athenae nomen assumpsisse, deinde etiam in insula ipsa Athena Sciras nominata esse videtur.

Tertium Athenae Sciradis templum non procul ab urbe in via, quae Eleusinem ducit, exstitisse dicitur loco quodam cui nomen Σκῖρον [2]). De quo loco Pausanias I 36, 4 haec habet:

Ἰοῦσι δὲ ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱεράν, Ἀνθεμοκρίτου πεποίηται μνῆμα. . . . . Μετὰ δὲ τοῦ Ἀνθεμοκρίτου τὴν στήλην Μολοττοῦ τε τάφος ἐστὶν . . . . καὶ χωρίον Σκῖρον ἐπὶ τοιῷδε καλούμενον. Ἐλευσινίοις πολεμοῦσι πρὸς Ἐρεχθέα ἀνὴρ μάντις ἦλθεν ἐκ Δωδώνης ὄνομα Σκῖρος, ὃς καὶ τῆς Σκιράδος ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς ἐπὶ Φαλήρῳ τὸ ἀρχαῖον ἱερόν· πεσόντα δὲ αὐτὸν ἐν τῇ μάχῃ θάπτουσιν Ἐλευσίνιοι πλησίον ποταμοῦ χειμάρρου, καὶ τῷ τε χωρίῳ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἥρωός ἐστι καὶ τῷ ποταμῷ [3]).

Pausanias ita scribere vix potuisset, si etiam loco ipso, cui Scirum nomen, Sciradis templum exstitisset, neque mirum est hoc praesertim indicio fretus Robertum [4]) omnibus auctoribus, qui tertium illud Sciradis templum commemorent, fidem denegare. Cum vero argumentum e silentio semper debile, apud Pausaniam periculosissimum sit, operae pretium videtur Roberti sententiam novis partim argumentis defendere contra viros doctos Rohde [5]), A. Mommsen [6]), Heeg [7]).

Initium faciam ab inscriptione I. G. II 597 d, in clivo meridionali arcis Athenarum reperta, quae Roberto nondum nota erat. Gentis Atticae Salaminiorum decretum est, quo duobus homini-

---

1) De Oschophoriis egi in proximo huius bibliothecae volumine p. 404—415.

2) Stephano Byzantino (Meineke p. 575) teste praeter hoc nomen sic scribendum Σκῖρος et Σκίριον loci, Σκιρεύς et Σκιριεύς incolarum nomina sunt. Sed contextus suspicionem movet. Conferatur p. 111.

3) Σκῖρος vel Σκίρος, ut opinor. Videatur p. 111, n. 3.

4) Hermes 1885 p. 349 ss.

5) Hermes 1886 p. 116.

6) Philologus 1891 p. 110 et Feste der Stadt Athen, Leipzig 1898, p. 505.

7) In Roscheri lexico mythologico IV 997.

bus bene de gente meritis inter alios honores ius attribuitur nescioquid ἀναθεῖναι ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀ[θηνᾶς τῆς Σκι]ράδος et inscriptionis exemplum alterum ἐν τῷ Εὐρυσακείῳ [1]) poni iubetur, alterum ἐν τῷ [περιβόλῳ [2]) τοῦ] νεὼ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σκιράδος.

Athenienses, quibus Sciradis aedes Phalerica, Oschophoriorum religione insignis, notissima erat, haec scribentes et legentes de aede Salaminia longinqua et deserta cogitare eo minus potuerunt, quod alter locus, ubi inscriptio collocatur, in media urbe situs est. Sin vero ante portam sacram, Scirorum loco sollemni, tertium Sciradis templum exstitisset, neque hoc neque Phalericum illud ita indicari potuisset, ut factum est in inscriptione nostra [3]).

Maiore igitur fiducia locum adoriamur, qui de Sciradis ἐπὶ Σκίρῳ [4]) templo testimonium ferre videtur clarissimum.

Eustathius enim ad α 107, p. 1397 v. 24, e libro quodam περὶ Ἑλληνικῆς παιδιᾶς, cuius auctorem Suetonium fuisse iam dudum inter viros doctos constat [5]), haec affert:

Ἐσπουδάζετο ἡ κυβεία οὐ μόνον παρὰ Σικελοῖς ἀλλὰ καὶ Ἀθηναίοις, οἳ καὶ ἐν ἱεροῖς ἀθροιζόμενοι ἐκύβευον καὶ μάλιστα ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς τῷ ἐπὶ Σκίρῳ· ἀφ᾽ οὗ καὶ τὰ ἄλλα κυβευτήρια σκιράφεια ὠνομάζετο, ἐξ ὧν καὶ πάντα τὰ πανουργήματα διὰ τὴν ἐν σκιραφείοις ῥᾳδουργίαν σκίραφοι ἐκαλοῦντο. Ἱππῶναξ· „τί με σκιράφοις ἀτιτάλλεις;"

Eadem fere, ex ipso Suetonii libro [6]) fortasse desumpta, Pollux habet IX 96:

Σκιραφεῖα δὲ τὰ κυβευτήρια ὠνομάσθη, διότι μάλιστα Ἀθήνησιν ἐκύβευον ἐπὶ Σκίρῳ ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς νεῴ.

Non prorsus idem est sed tamen partim certe aut e Suetonio aut e Suetonii fonte quodam fluxisse videtur, quod legitur in

---

1) Eurysaces, Aiacis Salaminii filius, sacrum habebat ἐν Μελίτῃ, pago urbano, prope a colle, cui nomen Κολωνὸς Ἀγοραῖος.

2) Supplevit Milchhoefer, Schriftquellen zur Topographie von Athen XLVIII.

3) Aliter res se habet, ubi in auctoribus, non in decretis publicis, de Oschophoriis agitur.. Quam ob rem locis illis, in huius bibliothecae volumine proximo collectis, in hac re uti nolui.

4) Ut ἐπὶ Φαλήρῳ apud Pausaniam l.l. Alibi ἐν Σκίρῳ. Robertus l.l. p. 363 praepositioni ἐπὶ nimium valorem tribuit. Conferatur Rohde l.l. p. 117.

5) Fresenius, De λέξεων Aristophanearum et Suetoniarum excerptis Byzantinis, Wiesbaden 1875, p. 32.

6) Conferatur Fresenius l.l.

lexico Segueriano (in Bekkeri anecdotis I 300, 23) et paucillum tantum mutatum in Etymologico magno et apud Photium:

Σκ(ε)ιραφεῖα ἐστὶ τὰ κυβεῖα, ἐπεὶ σκ(ε)ίραφός τις ἐστὶν ὄργανον κυβευτικόν, ἢ ἀπὸ Σκ(ε)ιράφου τινὸς κυβευτοῦ, ἢ ὅτι ἐν τῷ τῆς Σκ(ε)ιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ οἱ κυβευταὶ ἔπαιζον, ἔξω τῆς πόλεως ὄντι.

Contra Suetonium (vel contra Suetonii fontem) Robertus locos attulit, ubi *κυβεύοντες* [1]), *μάντεις* [2]), *πόρναι* [3]), *ἐξώλέστατοι* [4]), nulla de Sciradis templo mentione facta *ἐν Σκίρῳ* versari dicuntur, quorum longe gravissimus apud Harpocrationem [5]) legitur:

σκιράφια· Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Προξένου. σκιράφια ἔλεγον τὰ κυβευτήρια, ἐπειδὴ διέτριβον ἐν Σκίρῳ οἱ κυβεύοντες, ὡς Θεόπομπος ἐν τῇ ν′ (Philippicorum sc.) *ὑποσημαίνει.*

Hic enim ipsam originem tenere videmur, unde scirapheorum etymologia grassata sit, historicum scilicet aleatores *ἐν Σκίρῳ* (non in Sciradis templo) versari obiter indicantem!

At Suetonium vel potius Suetonii fontem Sciradis templum inserentem erroris arguere vix licebit, nisi erroris causam cognoverimus. Quod ut tentemus Hesychium inspiciamus:

Σκ(ε)ίρα· ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀρείονος [6])*· ἢ χωρία ὕλην ἔχοντα εὔθετοῦσαν εἰς φρύγανα* [7]).

Σκ(ε)ιράφιον· τὸ κυβευτήριον ἴσως διὰ τὸ ἐν Σκίρῳ τὴν διατριβὴν ἔχειν;

Σκ(ε)ιράς· Ἀθηνᾶ· Σκῖρόν φασι τὸν Ποσειδῶνος υἱὸν γήμαντα Σαλαμῖνα τὴν Ἀσωποῦ — (— deae Salaminiae nomen dedisse, ut opinor).

Ubi Sciradem quidem cum aleatoribus *ἐν Σκίρῳ* versantibus coniunctam videmus, sed vinculo mere alphabethico, non geographico. Etiam Strabo geographus IX c. 9, p. 393, deam Sciradem et locum Scirum ratione mere etymoloca coniunxit:

---

1) Stephanus Byz. s. v. *Σκίρος*, Hesychius s. v. *σκείρατες* et s. v. *σκιράφιον*.

2) Hesychius s. v. *σκειρόμαντις*, conferatur Photius s. v. *σκιραφεῖον*, quem locum mox citabo.

3) Stephanus Byzantinus s. v. *Σκίρος*. Conferatur Hesychius s. v. *σκείρατες*.

4) Alciphron III 25.

5) Idem brevius Suidas habet s. v. *σκιραφεῖον*.

6) Pro obscuro *Ἀρείονος* nomine alii alia proposuerunt. Equidem legere malim: *Ἀριστοφάνης* Comicum enim Eccl. 18 et Thesm. 834 Scirorum testem habemus.

7) De hac significatione conferatur p. 111, n. 2.

ἀφ' οὗ (sc. a Sciro Salaminio) *'Αθηνᾶ τε λέγεται Σκιρὰς καὶ τόπος Σκῖρον* [1]) *ἐν τῇ 'Αττικῇ καὶ Σκίρα ἐπὶ Σκίρῳ ἱεροποιία τις καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών.*

Apud Photium denique eius auctoris vestigia invenimus, qui (pravae me iudice) etymologiae causa Athenae Sciradis templum cum aleatorum locis ita coniunxit, ut Suetonii vel Suetonii fontis errorem facile iam intellegamus:

σκιραφεῖον· κυβευτήριον. Σκίρον [2]) *τόπος 'Αθήνησιν, ἐφ' οὗ οἱ μάντεις ἐκαθέζοντο* [3])*· καὶ Σκιράδος 'Αθηνᾶς ἱερόν· καὶ ἡ ἑορτὴ Σκίρα· οὕτω Φερεκράτης.*

Pherecrates ille quisnam fuerit, et quid praeter ludum etymologicum sibi voluerit, nescire me confiteor. Comici certe nomen notissimum erroris origini quam veri praesidio aptius videtur.

Quid quod praeter etymologiam aliam quoque causam cognovimus, cur Athena Sciras cum loco illo, cui nomen *Σκῖρον*, falso coniungi potuerit! In Scirorum enim caerimoniis ibi celebratis Athenam partes habuisse non parvas Lysimachides nobis testis est apud Harpocrationem (et Suidam) s. v. *σκίρον*:

τὸ σκίρον σκιάδειόν ἐστι μέγα, ὑφ' ᾧ φερομένῳ ἐξ ἀκροπόλεως εἴς τινα τόπον καλούμενον Σκίρον πορεύονται ἥ τε τῆς 'Αθηνᾶς ἱέρεια καὶ ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς καὶ ὁ τοῦ 'Ηλίου· κομίζουσι δὲ τοῦτο 'Ετεοβουτάδαι· σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν.

In quibus Solis sacerdos quam suspectissimus est; nihil enim de Sole ab Atheniensibus publice culto nobis innotuit [4]). Athenae

1) Vel *Σκίρον*. Videatur p. 111, n. 3. Codices *Σκίρα*, quod vocabulum hinc inter *καὶ* et *ἐπὶ* transposui. Textus traditus manifeste corruptus est. Duo codices deteriores pro *ἐπι Σκίρῳ* habent *ἐπὶ Σκίρωσι* (cf. Hes. s. v. *σκειρόμαντις*), quorum alter manu secunda et editio Aldina *ἐπισκίρωσις* habent, quam lectionem A. Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 506 n. 4, ut boni codicis, commendat! Rohde, Hermes 1886 p. 119, dubitanter: *ἐπὶ Σκίροις*, Koraes: *ἔτι Σκίρα*.

2) De accentu conferatur p. 111.

3) Conferatur Hesychius: *Σκ(ε)ιρόμαντις· ὁ ἐπὶ Σκείρωσι* (Schmidt optime: *Σκίρῳ*) *μαντευόμενος· τόπος δὲ ἦν οὗτος, ὅθεν τοὺς οἰωνοὺς ἔβλεπον.* Quo testimonio Robertus l.l. p. 360 n. 2 omnia redarguit, quae olim viri docti de alearum oraculis in Sciradis templo consultis nugari solebant.

4) Conferatur Mommsen, Feste der Stadt Athen, p. 507 et huius disputationis p. 106.

autem sacerdotem illam non Sciradis sed Poliadis fuisse ex Eteobutadarum nomine manifestum est, quae gens in ipsa arce, unde Scirorum pompa proficiscebatur, Athenae Poliadis et Neptuni sacerdotium habebat.

Stephano Byzantino [1]) et scholiasta ad Aristoph. Thesm. 834 testibus fuerunt etiam, qui ab Athena die illo *ἐπὶ Σκίρῳ* culta Scira nomen habere putarent, cum alii diem festum ita nominari dicerent a sacrificiis quibusdam Cereri et Filiae factis.

Quae cum ita sint, haudquaquam miramur, quod scholiasta ad Aristoph. Eccl. 18 Athenae (Poliadi), Scirorum deae, Sciradis nomen indidit:

Σκίρα ἑορτή ἐστι τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, Σκιροφοριῶνος ιβ', οἱ δὲ Δήμητρος καὶ Κόρης, ἐν ᾗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδειον λευκόν, ὃ λέγεται σκίρον [2]).

Cuius notae auctor, qui praeter Stephani et scholiastae ad Thesm. 834 fontem communem ipsum Lysimachidem vel alium *τῶν γραψάντων περὶ ἑορτῶν καὶ μηνῶν Ἀθήνησιν* adhibuisse videtur, haec nova nos edocet: Scirorum diem Scrirophorionis fuisse duodecimum et magnum illud umbraculum fuisse album. Erechthei autem sacerdotem in Lysimachidis fragmento iam invenimus. Neptunus enim ille, cuius sacerdotium Eteobutadae habebant, *Ποσειδῶν Ἐρεχθεὺς* erat [3]). Quoniam vero in Lysimachidis fragmento Erechthei nomen deest et Solis nomen difficultates magnas movet, equidem non iam dubito, quin pro „*ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς καὶ ὁ τοῦ Ἡλίου*" ibi restituendum sit „*ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως*".

Post Lysimachidis fragmentum apud Harpocrationem (et Suidam) haec leguntur:

καὶ Ἀθηνᾶν δὲ Σκιράδα τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἣν Φιλόχορος μὲν ἐν β' Ἀτθίδος ἀπὸ Σκίρου τινὸς Ἐλευσινίου μάντεως κεκλῆσθαι (φησί), Πραξίων δὲ ἐν β' Μεγαρικῶν ἀπὸ Σκίρωνος.

Eadem fere apud Photium et apud Suidam leguntur s. v. *σκίρος*:

---

1) In Meinekii editione p. 575, s. v. *Σκίρος*.

2) Textus traditus: *σκῖρον*. Accentum mutavi propter Lysimachidis fragmentum, quod ex Harpocratione citavi, et Scirorum nomen.

3) Apollodorus III 15, 1; conferatur Pausanias I 26, 5 et quae ibi annotaverunt Iahn et Michaëlis.

Οἱ δέ φασιν ἀπὸ Σκίρου τοῦ Ἐλευσινίου μάντεως γενέσθαι τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην· ἄλλοι δὲ ἀπὸ Σκίρου τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα.

De Sciro Salaminio conferantur Hesychii et Strabonis loci p. 104 citati et Plutarchi locus mox citandus. Atthidographos vatem Eleusinium, ut Megarenses ipsum Scironem, ei praetulisse non mirum est. Re vera Salaminius longe aptissimus est, a quo Sciradis, deae Salaminiae, nomen deducatur, Megarensi *Σκιρωνίδες πέτραι* propriae sunt, vates Eleusinius cum loco in via sacra, ubi *σκιρομάντεις* sedebant [1]), coniungendus est, quamquam Strabo loco p. 104 citato loci illius nomen a Sciro Salaminio derivare videtur [2]). Loci certe illius eponymus cum Athena Scirade coniunctus haudquaquam nos cogit, ut deam illam ibi cultam esse sumamus. Immo Pausanias [3]) eponymum illum, quem Dodona Eleusinem venisse dicit, cum Scirade P h a l e r i culta expressis verbis coniunxit.

Quid enim? Deae Phalericae origo Salaminia atque Megarensis (nam Salamis Megarensium fuerat et Scirus, Sciradis insulae eponymus cum Scirone, montis Megarensis eponymo artissime cohaerere videbatur) Atthidographis patriae amantibus vehementer displicebat. Itaque cum Sciradem a Sciro divellere non possent, magnopere gaudebant, quod alter Scirus praesto erat, non Atheniensis quidem, sed tamen Atticus, quem a Megarensibus odiosis alienum putabant.

Eodem patriae amore ducti Atthidographi Theseum, qui Scironem vicerat, variis modis Sciradi Phaleri cultae adnectebant [4]), ut Philochorus Plutarcho teste (Vita Thesei c. XVII) Nausithoum et Phaeacem, gubernatores Salaminios, quibus Phaleri

---

1) Videatur p. 104 et 105.

2) Locum Atticum cum monte Megarensi vinculo etymologico coniunctum videmus apud Stephanum Byzantinum, in editione Meinekiana p. 575: *Ἔστι καὶ ἕτερον Σκίρον τόπος Ἀττικὸς καὶ Σκιρωνίδες πέτραι ἀπὸ Σκίρωνος· ἢ οὗτος μὲν ἀπὸ τόπου* (a monte sc.), *ὁ τόπος δὲ ἀπὸ Σκίρου ἥρωος.*

Ultima verba Robertus l.l. p. 354 n. 2 ad montem Megarensem et Scirum, quem eundem atque Scironem putat, rettulit, Rohde l.l. p. 118 n. 1 ad locum Atticum et Scirum Eleusinium; quem ita sequi possem, ut verba *καὶ Σιρωνίδες πέτραι* e nota marginali ad *τόπου* in textum irrepsisse atque eum, qui Scirum in via sacra a Scirone deduceret, Praxionem Megarensem fuisse putarem.

3) Videatur p. 102.

4) Conferatur quae anno proximo de Oschophoriis proposui et huius disputationis p. 109.

κυβερνήσια celebrabantur, Thesei navem rexisse finxit, *μαρτυρεῖ δὲ τούτοις*, inquit *ἡρῷα Ναυσιθόου καὶ Φαίακος, εἰσαμένου Θησέως Φαληροῖ πρὸς τῷ τοῦ Σκίρου ἱερῷ*. In quibus Sciri regis Salaminii, qui Theseo gubernatores illos misisse dicitur, templum Phalericum nusquam alibi commemoratum tam graviter me offendit, ut libenter „*πρὸς τῷ τῆς Σκιράδος ἱερῷ*" restituerim [1]). Prope enim a Sciradis templo Theseus navem appulisse dicitur, ubicumque agitur de Oschophoriis.

Aliunde quam a Sciro quodam Sciradis nomen deductum videmus in Bekkeri anecdotis I p. 304 (idem brevius in Etymologico magno):

Σκιρὰς Ἀθηνᾶ· εἶδος ἀγάλματος Ἀθηνᾶς ὀνομασθέντος οὕτως ἤτοι ἀπὸ τόπου τινὸς οὕτως ὠνομασμένου ἐν ᾧ γῆ ὑπάρχει λευκή, ἢ ἀπὸ τοῦ σκιαδίου· πρώτη γὰρ Ἀθηνᾶ σκιάδιον ἐπενόησε πρὸς ἀποστροφὴν τοῦ ἡλιακοῦ καύματος.

Quarum rationum etymologicarum altera, quae Athenam propter Sciradis nomen et Scirorum umbraculum umbellae inventricem nuncupat, summo iure a viris doctis hodiernis abicitur. Altera autem Sciradis nomen a terra alba petit, quae *γῆ σκιρὰς* nominatur in inscriptione Eleusinia I. G. II 834 b, v. 50 = D. S.[2] 587 v. 197, ubi *γῆς σκιράδος ἀγωγαὶ τρεῖς* ad Eleusinium urbanum reficiendum emptae referuntur, et in scholiis ad Aristophanis Vespas, ubi ad versum 296, quo Sosiae de cane reo dicenti „*τὸν σκῖρον ἐξεδήδοκεν*" Philocleon „*ἐμοὶ δὲ γ' οὐκ ἔστ' οὐδὲ τὴν ὑδρίαν πλάσαι*" respondet, haec annotantur:

ἐμοὶ δὲ γ' οὐκ ἔστ'· ὅτι λέγεται καὶ γῆ σκιρὰς λευκή τις ὡς γύψος [καὶ Ἀθηνᾶ Σκιράς, ὅτι τῇ [2]) *λευκῇ χρίεται, πρὸς τὴν ὁμωνυμίαν οὖν]. Ἄλλως· ἐμοὶ δὲ γε οὐκ ἔστιν· οἷον οὐκέτι ἔχω οὐδὲ ἐκπλάσαι τὴν ὑδρίαν ἐκ τῆς λατύπης ἀλλὰ πᾶσα ἀνάλωται.*

Cuius notae pars prior ineptissime litteram *γ* cum elisionis signo pro substantivo, quod est *γῆ*, habere videtur. Neque minus ineptum

---

1) E virorum doctorum numero, quibus iam *Σκίρου ἱερὸν* suspicionem moverat, C. Sintenis mihi nominandus est. Textum traditum tuetur Robertus, Hermes 1885 p. 355.

2) Wilamowitzii *γῇ* legentis coniectura vulgo accepta non necessaria mihi videtur. Substantivi vice enim *λευκή* etiam in praecedentibus fungitur, ut album in lingua Latina.

est, quod legitur in verbis, quae utpote ad Aristophanis textum non pertinentia uncinis inclusi, Athenam Sciradem nomen habuisse ab albo, quo deae simulacrum illineretur. In scholii parte posteriore *σκῖρος* idem, fere dicitur atque *γῆ σκιράς*, gypsus, calx.

A simulacro ex eadem materie facto Athena Sciras nomen habere dicitur in Etymologico magno:

Σκιροφοριών· ὄνομα μηνὸς παρὰ Ἀθηναίοις· λέγεται δὲ παρὰ τὸ φέρειν σκίραν (nihil obstat, quominus *σκῖρος* etiam *σκίρα* recte dici potuerit) *ἐν αὐτῷ Θησέα ἤγουν γύψον· ὁ γὰρ Θησεὺς ἀπερχόμενος* (in duobus codicibus *ἀπαγόμενος*) *μετὰ Μινωταύρου τὴν Ἀθηνᾶν ποιήσας ἀπὸ γύψου ἐβάσταζεν· ἐπεὶ οὖν τῷ μηνὶ τούτῳ ἐποίησε λέγεται Σκιροφοριών.*

In verbis *μετὰ Μινωταύρου* duplicis lectionis *κατὰ Μινωταύρου* et *μετὰ Μινώταυρον* vestigia latere iam Sylburgius et Gaisfordus viderunt. Scholia ad Pausaniam I 1, 4, quae postea innotuerunt, in eodem fere contextu *ἀπερχόμενος* (in aliis codicibus *ἀνερχόμενος*) *κατὰ τοῦ Μινωταύρου* habent. Apud Photium et Suidam s. v. *σκίρος* Theseus Athenam e gypso finxisse dicitur, *ὅτε ἐπανῄει ἀποκτείνας τὸν Μινώταυρον.*

Sed sive proficiscens sive revertens Theseus simulacrum illud calcarium portabat, Athena Sciras illa, quae a simulacro nomen habere dicitur Phalerica est. Phalero enim Theseus profectus est, Phalerum rediit, Sciradi Phalericae Oschophoria celebrabantur, quae cum Theseo Minotauri victore artissime coniuncta sunt.

Mense Scirophorione igitur Theseum profectum aut reversum et Athenae Sciradis diem festum celebratum esse lexicographorum opinio videtur [1]). Ipsa autem Scira sive Scirophoria, Scirophorionis duodecimo celebrata, inde a saeculo secundo certe Oschophoria, Thesei reducis et Athenae Sciradis diem festum, ad se traxerunt [2]). Itaque non miramur, quod apud Photium, quem Suidas exscripsit, et in scholiis ad Pausaniam I 1, 14, quae Etymologicon magnum fere sequuntur, Sciradis simulacrum non iam ad mensem Scirophorionem sed ad ipsa Scira sive Scirophoria refertur.

---

1) Conferantur etiam scholia ad Platonis Leges VIII 828c et Photii haec: *Σκιροφοριών· μὴν Ἀθηναίων ιβ'· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς.*

2) Videatur huius bibliothecae volumen proximum p. 413.

At quamvis arto vinculo Sciradis et Sciroram nomina cohaerere videantur, restat gravissimum hoc, quod diei festi nomen litteram ι correptam habet [1]), cum Sciradis insulae et deae Salaminiae nomen, Σκειρὰς et Σκιρρὰς saepe scriptum, a Scironis, montis et herois Megarensis, nomine divelli nequeat, in quo littera ι sine ullo dubio longa est. Quae quantitatis discrepantia parum sane valeret, si nomina unam originem habere aliunde constaret, sed magnam vim habere videtur, quoniam ipsa sonorum similitudo nominum vinculum firmissimum est [2]).

Quae cum ita sint, Scīrorum sive Scirophoriorum nulla ratione habita quaeramus, quomodo deae Scīradis nomen cum calce vel gypso cohaerere possit, cui nomen σκῖρος [3]) sive σκίρα [4]).

Simulacrum (Phalericum) gypso illitum vel e gypso factum etiam si non virorum doctorum imaginationi debeatur, minus in hac re valere videtur quam ultima verba prioris partis notae illius, quam e Bekkeri anecdotis p. 108 citavimus, ubi Athena Sciras nominari dicitur ἀπὸ τόπου τινὸς οὕτως ὠνομασμένου, ἐν ᾧ γῆ ὑπάρχει λευκή. Locus enim, qui propter calcem sive gypsum Σκιρὰς nominatur, Salamis insula est, ubi iam p. 101 Athenae Sciradis originem quaesivimus.

Propter σκῖρον insula et dea Salaminia Σκιράς, montis Megarensis eponymus Σκίρων nominari facile potuit. Sed locum illum in via sacra, cui nomen Scirum, eo minus a calce sive gypso [5]),

---

1) Aristoph. Eccl. 18 et Thesm. 834.

2) Aliter iudicavit C. Robert, Hermes 1885 p. 350, quem Rohde, A. Mommsen, Heeg in hac re sequuntur. Prellwitz autem in lexico etymologico Sciradem a Sciris prorsus separavit.

3) Prima syllaba longa est testibus Aristophane in Vespis v. 922, Eupoli in fragmento, quod scholia ad Aristophanis locum afferunt, Aristarcho in lectione versus Ψ 331, quae in scholiis Townleyanis tradita est, ubi tamen substantivum perperam explicatur. Terminum enim significat, qui in ludis puerilibus cretae sive σκίρου lineamento saepe indicatur. Conferatur Pollux IX 104.

4) Apud Photium et Suidam necnon in Etymologico magno. In scholiis ad Pausaniam I 1,4, ubi codices accusativum σκίριν habent, Spiro σκίρα proposuit, σκίραν aut σκῖρον reponendum puto.

5) Potius conieceris γῆν σκιράδα a loco illo nominatam esse. Quo facto tamen et deae Salaminiae nomen et appellativum σκῖρος ab eodem loco originem habere putandum est, quod vix cuiquam placebit.

nedum ab heroe vel vate quodam [1]) nominatum puto, quod aliud substantivum σκιρος sive σκιρον e lexicis et inscriptionibus notum est, qaod arboretum significat [2]).

Substantivum illud, utrum primam syllabam longam an brevem habeat, non constat. Loci in via sacra nomen syllabam priorem longam habere Stephanus Byzantinus testis est [3]). Sin brevis fuerit, melius intellegam Scĭra ibi celebrata et σκĭράφοις [4]) lusum esse.

At de aleatoribus satis iam dictum est, Scira nunc non fuse tractaturus sum, neque pertinaciter negare volo loci nomen Σκῖρον scribendum syllabam priorem longam et cum deae nomine, quod est Σκιράς, eandem originem habere potuisse, quamquam minime credo.

Pertractatis enim omnibus argumentis, quae opinioni contrariae favere videantur, inconcussum manet, quod demonstrasse

---

1) Scirum heroem ibi cultum esse in fontibus bene intellectis non legitur, ut iam E. Rohde in Herme anno 1886 p. 117 contra Robertum demonstravit. Si in ipsa Eleusine heroem Scirum nomine adoratum esse constaret, a Megarensi et Salaminio vix distinguendus esset. Sed Scirus, vates Eleusinius, quem Dodona venisse Pausanias dicit, ex ipso loci nomine fictus esse videtur, ut Scirum, σκιρομάντεων locus in via sacra, cum cultu Eleusinio et cum auspiciis iam remotissimis temporibus coniungeretur

2) In tabulis Heracleensibus I. G. XIV 645 v. 23 et ss., v. 65, 71, 144, 147. Apud Hesychium s.v. Σκίρα (videatur huius disputationis p. 104) et s. v. σκ(ε)ῖρος· ῥύπος καὶ ὁ δριμὺς τυρὸς (cf. Aristoph. Vesp. 922 cum scholiis et Etym. magn. s. v. σκιρωθῆναι) καὶ ἄλσος καὶ δρυμός. Φιλητᾶς δὲ τὴν πυρρώδη (Schmidt vix recte ῥυπώδη) γῆν. In Aristarchi lectione de qua videatur p. 110, n. 3, secundum Robertum in Herme anno 1885 p. 351, quem non sequor.

Unum idemque vocabulum modo gypsum, modo arbustum significare neque Robertus l.l. neque Wilamowitz (Aus Kydathen p. 211) „le macchie" vertens neque alii (Ath. Mitt. 1876 p. 130) de calce arboribus utili et de Scirade olivarum dea fabulantes mihi persuaserunt.

3) Meineke p. 576, ubi in annotatione bene dicitur cur Stephani testimonium suspectum sit. Etiam aliae nominis formae, quas Stephanus afferre videtur, ὁ Σκῖρος (apud Pausaniam fluminis propinqui nomen) et τὸ Σκίριον necnon τὸ ἐθνικὸν Σκιρεὺς sive Σκιριεὺς suspectum est. Locus enim noster in via sacra neque pagus neque vicus fuisse videtur atque Stephani contextus sine ullo dubio vitiosus est.

In codicibus saepe Σκίρον scriptum est, ut Photii et Harpocrationis locis p. 105 citatis necnon apud ipsum Stephanum. Sed codicibus in hisce rebus parva fides est. Ego Strabonis locum p. 105 emendans Σκῖρον scripsi, ne brevitatis indicia improbe augere viderer.

4) Prima syllaba manifeste brevis est in Hipponactis fragmento, quod p. 103 ex Eustathio citavi.

satis habeo, Athenam Sciradem, deam Salaminiam Phaleri cultam, templum in via sacra non habuisse. De ea quaestione autem et de Oschophoriis anno proximo tractatis primo mihi agendum putabam, ut postea tantis molestiis summotis ipsa Scira sive Scirophoria liberiore iam animo adorirer.

AD TERTULLIANI APOLOGETICUM.

In oratione, quam Tertullianus anno 197 p. Chr. n. exeunte apud „Romani imperii antistites" habuit vel potius habuisse se fingit, saepius queritur Christianos causa non cognita a Romanis damnari. Neque gentiles, inquit, Christianorum in dies crescens numerus impellit, ut quaerant, quid sit boni in eorum religione, sed doctrinam Christianam nihil curantes in hanc sectam alia ratione animadvertere solent atque in ceteros reos. Haec sententia a Tertulliano hisce verbis expressa est (I § 8):

nec tamen hoc ipso (sc. magno Christianorum numero) *ad aestimationem alicuius latentis boni promovent animos. non licet rectius suspicari, non libet propius experiri. hic tantum curiositas humana torpescit. amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse.*

Haereo in vocabulo *alii*, nam non a Tertulliano ipsi Romani alii aliis opponuntur in Christianis tractandis, sed omnes Romani acerbo odio incensi, nolle causam Christianorum explorare dicuntur, cum satis curiosi sint in a l i i s c a u s i s cognoscendis. Itaque pro *alii* mihi videtur legendum esse *alibi*, quod adverbium optime opponitur antecedenti *hic* (cf. Ter. Heaut. 279).

J. VAN WAGENINGEN.

QUIS HIC LOQUITUR.

(Ad nonnullos Eunuchi Terentiani locos)

SCRIPSIT

L. RANK.



I. 1. 11.

Eunuchi Terentianarum fabularum praestantissimae iam ipsum initium impetu suo ferventi admiratione tacita atque laeta devinctos tenuisse Romanos spectatores nullus equidem dubito. Ecce ingressu eheu sat instabili in scenam prodit Phaedria adolescens et ante Thaidis suae ostium occlusissimum consistit. Placide Parmeno servus heri latus tegit vultuque sapienti verbis eius aures applicat:

PH. Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem,
Quom accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit; revocat: redeam? non, si me obsecret.
PAR. Siquidem hercle possis, nil prius neque fortius.
Verum si incipias neque pertendes gnaviter
Atque ubi pati non poteris, quom nemo expetet,
Infecta pace ultro ad eam venies indicans
Te amare et ferre non posse: actumst, ilicet,
Peristi: eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Ere: quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes. e. q. s.

Quaeritur, quomodo versus laudati distribuendi sint inter Phaedriam et Parmenonem. Dubiumne id est? Fortasse. Utcumque

res se nunc habet [1]), diversae super hac re fuerunt sententiae virorum haud spernendorum. Donatus magister ad versum quintum haec annotat: „διαλογισμός quasi ad alterum, ut „nescis heu perdita" e. q. s." Donatus igitur Phaedriae tribuit hunc versum [2]). Sed hoc iam statim manifestum est, Donateae illi auctoritati multum tribuendum non esse. Vix enim credibile videtur, magistrum veterem hic deliberasse reque sedulo perpensa potiori alicui lectioni suffragatum esse. Res huc redit: Donatus sui codicis lectionem secutus est. Suo iure ergo iam Bentleius scripsit: „contra omnes, quos viderim codices", atque nunc, siquidem in crisi Terentiana sat constat, Donati codicem vel codices fluxisse e Callopiana recensione istamque recensionem prae Bembini codicis auctoritate sordere, iis, quibus talia, qualia nunc sum tractaturus, unica stant codicis cuiusdam optimi auctoritate, res iamdudum acta videbitur. Mihi non ita videtur, neque ego, dum Terentianae venustati consulere me posse puto, in re palaeographica tam vili, qualis est versuum singulorum inter singulas personas distributio, reformidarim codicis vel optimi militiam detrectare. Audiamus igitur Bentleium, Faernum, Muretum, bonarum literarum decora, in quaestiuncula paene obsoleta disputantes. Fortasse novum et utile aliquid e tantorum virorum dissensione vel nunc elici potest.

Donato astipulati sunt Muretus atque Faernus [3]). Eorum ratiocinationes impugnavit Bentleius partim recte, partim si quid video minus recte [4]).

„Vel ex solo vocativo „ere" Muretus" inquit „manifestum est a versu duodecimo demum Parmenonis orationem ordiri". Pergit autem: „si ab hoc versu incipit Parmeno, tum prior versus est Phaedriae et si prior iste Phaedriae est tum et ei proximus est eiusdem donec paulatim ad primum perveneris". Conclusionem non negat Bentleius, sed totam ratiocinationem

---

1) Textum exhibui sicut post Bentleium vulgo editur.

2) Ergo et versus sequentes usque ad initium versus duodecimi Phaedriae dat magister, ut ex eius annotatione ad versum duodecimum lucide insuper apparet. Donatum sequitur Eugraphius (Wesn. III p. 94 sq.).

3) Ad versum nonum annotavit Ruhnkenius: „ilicet desperantis formula est". Ergo et ille Donateam lectionem secutus esse videtur, sed dubia res manet.

4) Vide Bentlei annotationem ad versum quintum.

propter πρῶτον ψεῦδος gravissimum damnat. Negat enim pernegatque e vocativo „ere" liquere, hic demum Parmenonis orationem incipere et optimo iure negat. Vel uno loco Andriae (III. 2. 26) allato satis nos docuit, etiam media in servili oratione vocativum „ere" inveniri. Hactenus igitur viri illi summi. At opinor ne ipse quidem Bentleius si adhuc viveret obloqueretur mihi autumanti, ab ipso illo vocativo servilem orationem optime proficisci *posse*. Tum Mureti conclusionem, quam admisit Bentleius, reicere ausim. Nam ex eo quod versus: Proin tu e. q. s. Phaedriae tribuitur minime sequitur, ut versus praecedentes eidem Phaedriae dandi sint. Ut breviter absolvam: Ego Parmenonem loquentem induco a versu quinto usque ad versum decimum, tum Phaedriae tribuo unicum versum undecimum, iterumque Parmenonem induco versu duodecimo docere incipientem: Ere, quae res e. q. s. Itaque cum Bentleio a versu quinto servum loquentem facio, cum Donato, Mureto, Faerno eundem servum (sed iterum) orationem suam ordientem mihi fingo a versu duodecimo, neutrorum sic opinioni astipulatus.

Atque de versu quinto admodum levis est quaestio. Eiusmodi enim huius versus est color (notandum inprimis illud „hercle") ut vix dubitandum sit, quin eum cum omnibus codicibus tribuamus servo, filium herilem εἰρωνικῶς laudanti.

Iam facile apparet cardinem quaestiunculae in versus undecimi signicatione, vi, colore totum esse. Nihil Donatus ad versum istum, quod vehementer est dolendum [1]). Quid vero dicamus de ignoti cuiusdam scholiastae explicatione: „proinde, o Parmeno, antequam me superet amor"? [2]) Non nimis magnifice equidem de hac interpretatione censeo, sed alii viderint. Hoc certe inde apparet de versiculi colore atque vi dubitatum esse.

Bentleius quique cum eo faciunt hodierni, versum Parmenoni tribuentes, verba artissime cum sequentibus coniungunt. Id ipsum dum facit, optime sensit Bentleius undecimum duodecimumque versus iusto laxius sic inter se cohaerere. Ita confidenter et more suo „hoc" vocula inserta legit:

---

1) Donati opinionem fortasse expressit Eugraphius l.l.: consideratis partibus adulescens concludit ad ipsam rursus deliberationem.

2) Vide Schlee: Scholia Terentiana p. 96.

Proinde tu, dum est tempus etiam atque etiam ⟨hoc⟩ cogita,
Ere, quae res e. q. s.

Sed accurate nunc verborum sensum examinemus. Suadet servus aestuanti adolescenti, ut etiam etiamque cogitet ..... omnia, quae deinde proferet usque ad versum vicesimum quintum. Sat multa illa opinor. Atque haec cogitanda ei erunt dum est tempus. Quid si iam tempus non erit? Si Thais exierit, utrum tunc omnia illa abicienda erunt, an porro etiam atque etiam cogitanda? Procul a me absit, ut cum ingenioso poeta caviller, sed in Parmenonis ore illud „dum est tempus" non languere mihi non potest.

Ut tandem proferam, quid ipse sentiam: *ego versum nostrum Phaedriae tribuo, alta voce secum cogitanti atque exclamatione sua Parmenonis verba sapientia interrumpenti* [1]). Sic demum suum sibi habere colorem versiculus mihi videtur. Nam primum Phaedriae ἦθος iam ab ipso fabulae initio clara in luce ponitur. Quam apte artifex poeta Phaedriae et Chaereae fratrum mores atque indolem inter se opposuit. Fervidus, temerarius, de propria pariter atque de aliena sorte securus per omnia transit frater minor natu, at ille maior illic etiam, ubi iniuriis afficitur dubitans et cogitabundus adstat. Audiamus bonum adolescentem ante diem amore aegrum rure in urbem reversum: (IV. 2)

Dum rus eo coepi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animost molestiae,
Aliam rem ex alia cogitare et ea omnia
Peiorem in partem. quid opust verbis? dum haec puto,
Praeterii imprudens villam [2]). longe iam abieram,
Quom sensi: redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum veni devorticulum, constiti:
Occepi mecum cogitare e. q. s.

---

1) Sic fortasse priscorum editorum (Stephani aliorumque) opinionem in sequentibus sum defensurus.

2) Mox in fine soliloquii: villam praetereo *sciens*! Cum ratione igitur insanire *vult* bonus amator! Quam apte cum hisce componi possunt adolescentis verba, quae sub finem scenae nostrae profert: et *prudens sciens* vivus vidensque pereo! Nimia ergo subtilitate, opinor, bonus Donatus ad haec verba annotavit: prudens est, qui intellegentia sua aliquid sentit, sciens, qui alicuius indicio rem cognoscit.

Nonne ponderis aliquid haec habent ad opinionem meam stabiliendam? Id perhibere ausim.

Nunc etiam illud „dum est tempus" suam habet vim. Penitus enim sentit bonus amator, quantillam mox Thaide semel conspecta, vim cogitandi habiturus sit.

Lepide et apte porro, mea quidem sententia, Parmenonis verba:

> et quod nunc tute tecum iratus *cogitas*:
> egone illam e. q. s. [1]).

ad solemne illud cogitandi propositum Phaedriae respiciunt.

Haud spernendum denique illud est, quod versu nostro Phaedriae tributo feliciter interrumpitur praelongus Parmenonis sermo. Bentleius atque hodierni editores strenuum servum per viginti deinceps versus ratiocinantem inducunt. Haud sane desunt loci, ubi senes placide *narrantes* totidem versus sermone suo occupant, sed omnibus locis, qui huc faciunt sedulo examinatis [2]), nullum repperi, quo collato nostrum locum sat defensum putem. At versu undecimo Phaedriae dato, Parmenonis oratio modum Terentianum non excedit.

Probe scio singula argumenta, quae protulerim, impugnari posse neque is sum, qui perhibeam, scenam nostram, sicut nunc vulgo legatur ferri non posse, sed fortasse remedio meo et explicatione mea tenuis submovetur nubecula, ita ut sol Terentianus melius niteat.

---

1) Operae pretium videtur in lepido versiculo examinando paulisper relationem egredi. Quattuor *ἀποσιωπήσεις* ita supplet Donatus: egone illam <non ulciscar>, quae illum <recepit>, quae me <exclusit> quae non <*admisit*>. Simili modo scholiasta Bembinus (vide Schlee p. 96). Sed quartae reticentiae supplemento nihil languidius atque ineptius, neque eiusmodi explicationem repetere debuerat Ruhnkenius (in „Dictatis" suis p. 91). Num igitur textus traditus Terentii est sollicitandus? Ingeniose sane id conati sunt Lachmannus et Hartmanus, quorum ille diastole sublata, leni voculae transpositione hic versum emendare studuit (cf. Hartm. de Ter. et Don. p. 6). Ego contendere ausim versiculum sanum salvumque esse, dummodo probabiliter et eleganter suppleatur ultima *ἀποσιώπησις*. Gradatione hic utique opus est et rem acu tetigisse hic saltem mihi videtur .... Eugraphius, qui Donatum superans supplet „quae non <aut *veretur* aut metuit">. Optime addit: sic enim iram exprimimus. (Haud abs re erit conferre locum Lucretianum: D. R. N. II 16, a Donato allegatum ad Phorm. II 1, 2).

2) Quaestiunculae rationibus minutis sedulo exponendis lectoris taedium movere nolo.

III. 1. 19 sq. et 28 sq.

Thraso miles cum Gnathone suo, stolida iactantia ille, hic assentatione festiva spectatores delectant. Parmeno servus Phaedriae, seorsus adstans gestu saepius opinor, interdum voce quoque adversariorum contemptum suum cum spectatoribus communicat. Narrat miles de rege amico suo:

17 Thr. Tum me convivam solum abducebat sibi. Gn. Hui,
Regem elegantem narras. Thr. Immo sic homo est:
Perpaucorum hominum. Gn. *Immo nullorum arbitror,*
Si tecum vivit.

Quis hic loquatur nunc vix cuiquam dubium videtur. Iam Donatus verba Gnathoni tribuit procul dubio codicem suum secutus, nec post Stephanum ullus editor aliter fecit. At priscae editiones verba dant Parmenoni atque Eugraphius haec ad locum annotavit: Immo sic homo est perpaucorum hominum: hoc est: talis inquit, ut cum paucis esse velit; denique hoc intellexit et *Parmeno* cum dixit: immo nullorum arbitror si tecum vivit [1]). Oblivione paene obruta sunt, qua protuli, sed inepta non sunt. Nam et in Parmenonis ore belle sonant verba atque interruptionem praebent sat elegantem. Attamen cum lectio tradita placere possit, prudenti critico vix dignum videtur quicquam mutare. Gnathoni igitur tribuamus verba, spreta Eugraphii ac deteriorum quorundam codicum auctoritate. Nunc altera se offert quaestiuncula. Quonam modo, quonam cum gestu haec verba pronuntiavit parasitus noster? Hic iam optimus Donatus haesit. Haec annotavit magister: hoc aversus ne miles audiat. Potest tamen et aliter intellegi: *maxime stolidos milites* [2]). Equidem „aliter intellegere" pervelim. Nimirum facetius in os militis proferetur laudatio ambigua, quam ille, ut est stolidus, in honorem suum dictam accipiat, dum spectatores lepidam sentiant irrisionem. Quin ipsa illa verborum amphibolia id flagitare mihi videtur [3]).

1) Wessn. III p. 115 sq.

2) Ita scholium in fine mutilatum ex optimis codicibus edidit Wessnerus (I p. 360). Sanum simplicemque sensum ex ultimis verbis elicere non possum. Ecquid legendum est: *maxime a stolido milite*?

3) Aliter iudicavit Hartmanus, egregius harum rerum iudex (de Terentio et Donato p. 33). Prorsus eodem modo in scholiis ad vocem: mirum (in huius scenae versu tertio decimo) explicatio altera omnino est praeferenda.

Iam prostratus iacet miser ille beluarum Indicarum rector a milite coram rege suo splendido confectus ioco:

27 Gn. Iugularas hominem. quid ille? Thr. Mutus ilico.
Gn. Quid ni esset? Par. *Di vostram fidem, hominem perditum*
Miserumque et illum sacrilegum! [1])

Nimium quantum sincerae commiserationis inesse videtur in interruptionis parte priore. Itane decet servum fidum atque strenuum heri sui adversarium commiserari? Profecto decet. Luculentissimum, ni fallor, hic deprendimus exemplum, ex quo iterum discamus, quam subtilibus semper curis fabularum suarum „oeconomiae" consuluerit artifex ille, Maurus genere, ingenio Atticus. Rivalium enim „neuter in fine fabulae contristandus est" ut optime observat Donatus. Recipiendus ergo iste Thraso in gratiam. Sed quis id ferre posset, si re vera ingenio malo pravoque esset miser iste ἀλαζών? Ergo non tantum propriis dictis factisque stolidi sed non mali militis servatur persona sed primo hoc Parmenonis iudicio quasi praemonere videtur artifex poeta, ne quis durioris hebetiorisve ingenii spectator vero odio dignum putet, qui tantummodo deridendus est. Hoc ideo praesertim scripsi, quod Hartmanus olim de loco dubitavit atque ingeniosa partium immutatione lectionem traditam emendare studuit [2]). Sed fortasse iamdudum sententiam suam mutavit ille Terentii amator. Nunc autem si mecum hic quoque Terentium suum admirari potuerit, vehementer gaudebo.

IV. 3.2 et 13.

Ante Thaidis domum adstat Dorias ancilla, quae modo spectatores certiores fecit de rixa in convivio Thaidem inter et Thrasonem orta. Quanto gravius malum domi Thaidis acciderit adhuc nescit. Ab altera parte cernitur Phaedria, reversus a villa sua atque breve suum soliloquium iam iam finiturus. Subito e domo meretricis prorumpit Pythias. Eunuchi factum comperit

---

1) Annotat Eugraphius (Wessn. III p. 116): miserum dixit militem, sacrilegum parasitum, quia *eius* laudabat militem „me hercule, quod utique falso iuravit. Miseram voculam *eius*, quam corruptam putant viri docti variisque modis tentaverunt, sanam esse credo. Lenissima transpositione legendum censeo: sacrilegum parasitum *eius*, quia e. q. s. (Vide annot. ad vs. 454: quoniam praesens est miles et *eius* parasitus).

2) De Ter. et Don. p. 84.

ipsumque hominem furiosa quaerit. Atque eiusmodi iam prima sunt ancillae verba, ut graviter commoveatur Phaedria. Doriadem contra mutam adstantem usque ad scenae versum quartum decimum nobis inducunt codices omnesque quas novi editiones praeter Fleckeiseniauam alteram. Singula videamus:

PYTH. Ubi ego illum scelerosum misera atque inpium inveniam? aut ubi quaeram?
Hocine tam audax facinus facere esse ausum! *Perii.*
PH. Hoc quid sit vereor.

Ita edidit Bentleius, qui annotavit: „cum libris fere omnibus et Edd. vett. *perii* Pythiae donandum est. Vide Andr. III, 5, 1". At quae ad illum Andriae locum annotavit probanda quidem sunt, sed nihil opinor ad locum nostrum valent, nihil etiam ad Eunuchi locum (II, 3, 34) quem ibidem allegavit et temere vir summus: „sic passim" addidit. Ad tales enim quaestiunculas dirimendas singulorum locorum ἦθος ante omnia spectandum est. Stephanus et inter recentiores Fleckeisenus (in priore editione) *perii* Phaedriae dant. Sed utraque lectio mihi displicet et verum vidisse puto eundem Fleckeisenum [1]), in altera editione sic edentem:

PYTH. Hocine tam audax facinus facere esse ausum! DOR. *Perii.*
PH. Hoc quid sit vereor.

Phaedria adhuc nihil scit, sed infortunium aliquod imminere sentit potius, quam intellegit, nam decrepitum suum eunuchum mali aliquid facere potuisse id ne somniat quidem bonus amator. Doriadem contra, quippe quae modo pulchrum illum eunuchum Chaeream introductum oculis suis aspexerit, subito magnum aliquod malum olfacientem statim hic *perii* exclamare, id mihi ἠθικώτατον videtur.

Mox audacissimum et pessimum facinus eunuchi apertis verbis proponit Pythias:

..... virginem vitiavit.
PH. Quid ais?
PYTH. *Perii.* PH. Temulenta es. e. q. s.

Et hoc loco illud *perii* Doriadi tribuere ausim, ita ut iterum

1) Fortasse secutus est Dziatskoum, qui iam olim in critico apparatu annotaverat: haud scio an verbum *perii*, quod codices Pythiadi continuant Doriadi tribuendum sit.

ambo terribili nuntio commoti simul fere in exclamationem erumpant. An verisimile est eandem illam Doriadem nunc foeda veritate comperta mutam adstare? [1])

IV. 4. 36 et 42.

Nunc e totius fabulae scena lepidissima et actuosissima protraham nonnulla, quibus illustrandis poetae fortasse prodero, sin minus at optimi eius interpretis verba uno certe, si quid sapio, loco sum emendaturus. Cum Pythiade et Doriade iratis ancillis et pavido fatuoque suo eunucho in scena adstat bonus Phaedria. Sat superque confessione sua miser Dorus patefecit, quid domi Thaïdis acciderit. Sequuntur:

PYTH. Iam satis credis sobriam esse me et nil mentitam tibi?
Iam satis certum est virginem vitiatam esse? PH. *Age nunc*
Credis huic quod dicat? *belua,*

De verbis, quae literis inclinatis dedi iam olim dubitatum est et adhuc dubitari videtur. Nam et Dziatzko in apparatu critico eunuchum his verbis a Phaedria corripi putat et Fleckeisenus in recentissima editione in textum recepit coniecturam (sive suam sive alienam): age nunc *beluae* e. q. s. Utrumque sanandi conamen inde ortum esse opinor, quod nimis aspera et agresti voce: *belua* corripi videatur Pythias. Quanto rectius et placidius de hoc loco iudicavit Hartmanus [2]): „vox ergo *belua* non tam agrestis est quam primo aspectu videtur". Sed vellem plura attulisset ille Terentii amator ad corroborandam hanc suam opinionem, cui ex asse adstipulor. Nam peropportune evenit, quod non ex hoc unico loco Terentiano efficiendum est, convicio *belua* nil nisi meram stultitiam interdum corripi. Audiamus modo Phormionem (IV. 2. 10 sq.) exclamantem: „at at, Phaedriae pater venit!" statim autem se ipsum increpantem: „sed quid pertimui autem *belua*!" Iam apud Plautum convicium

---

1) Mox Phaedria rogat: qui istuc facere eunuchus potuit? Annotat Donatus: „istu fcacere" honestius apud puellam, quam si vitiare dixisset. Et potest videri aliquid *nutu* significare. Equidem si Phaedriae partes mihi agendae essent *nictu* oculorum potius quam *nutu* capitis hic verba mea adiuvarem. At personati, inquies, sunt histriones. Audi tamen Donatum ad Phorm. I. 4. 7 et 33.

2) De Ter. et Don. p. 54.

ita adhibetur [1]). Quid amplius in vulgata lectione displicere possit, sagaciores viderint.

Mox Phaedria, quippe qui convinci nolit, eunuchum secum paululum seorsum abducit et suppressa voce denuo interrogat hominem. Repetit Dorus confessionem. Phaedriae iam nullus relinquitur dubitandi locus. Sequuntur:

41 Ph. Iuppiter magne, o scelestum atque audacem hominem!
Pyth. *Vae mihi*:
Etiam non credes indignis nos esse irrisas modis?

Mira et obscura ad hunc locum annotavit Donatus. Mira me iudice priora haec sunt: o scelestum atque audacem hominem: Chaeream vel Parmenonem, *sed sic pronuntiandum est ut putet ancilla de eunucho dici*, hoc ipso qui praesto est; *ideo* illa „vae mihi e. q. s.". Nam etsi profecto haud deërunt, qui cum Hartmano [2]) rectissime haec monere scholiastam putent, equidem nimiam hanc subtilitatem poetae obtrudere nolim. Quid enim? Concedendum quidem est, Phaedriam omnibus modis conari eunuchum suum mendacii convincere, quo honestius ipse abeat. Exitus ipse totius scenae id demonstrat. Num inde efficiendum est, adolescentem ad veram desperationem adductum iterata illa eunuchi confessione, vel in media illa desperatione simulata quadam et callida pronuntiatione etiam conari ancillas in errorem inducere? Non opinor. Alterutrum, si quid sapio, hic eligendum est. Aut simulat Phaedria aut desperat. Optio mihi admodum facilis est, nam amatorem vere desperantem hic audio. Quin ipsa magistri annotatio sagacitate sua quasi ruit. Nam verba: etiam non credes indignis nos esse irrisas modis, sive Dorum istum scelestum credit ancilla sive Chaeream, pariter quadrant vocisque *ideo* [3]) vis conclusiva prorsus nulla est. Hunc igitur Donati locum illis adnumerandum censeo, in quibus nimia cura et subtilitate iudicii errat sedulus magister [4]).

---

1) Luculentissimum invenimus exemplum in Trinummo (IV. 2. 110 sq.)
Ch. Norisne hominem? Syc. Ne tu me edepol arbitrare *beluam*,
Qui quidem non novisse possim, quicum aetatem exegerim.
An illo tam esset *stultus* e. q. s.

2) De Ter. et Don. p. 54.

3) In duobus codicibus teste Wessnero legitur *adeo*.

4) Bonum exemplum attulit Hartmanus: de Ter. et Don. p. 102. Nec non huc faciunt opinor nugae, quae nobis offeruntur ad Eun. V. 2. 69.

Nunc alterum scholium sat obscurum cognoscamus: „Vae mihi: quidam hoc totum „vae mihi" usque ad „irrisas modis" a Pythia dici existimant." Fuere igitur Donati temporibus aut codices aut magistri, qui verba illa partim Pythiadi partim alii tribuebant. Siquidem omnes, quod sciam, codices soli Pythiadi dant verba, quid olim aut voluerint aut legerint homines non nisi coniectando assequi possumus. Et fortasse utile erit hic coniecturis indulgere. Quid, si Phaedriae tribuamus alteram exclamationem: *„vae mihi"*? Ecquid lucrabimur ea lectione? Opinor. Primum illud: *vae mihi* in Pythiadis (vel etiam Doriadis) ore sat languet. Quid factum sit et quis fecerit, certo certius ancillis constat post primam eunuchi confessionem, solus Phaedria dubitare *vult*. Novi atque inauditi nihil cognoscunt e Phaedriae exsecratione (nisi quis fortasse prius scholium secutus simulata illa pronuntiatione in errorem novum inductas ancillas credere malit, cui rei et illa, quae iam protuli et scenae exitus vehementer obloquuntur). Sed haec fortasse leviora sunt. Graviore argumento opinionem meam stabilire conabor. Fortasse mihi continget ut Terentio et Donato lucem affundam e Terentio et Donato: Audiamus Andriae fabulae actus secundi initium:

CH. Quid ais Byrria? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? BYRR. Sic est.
CH. Qui scis? BYRR. Apud forum modo e Davo audivi. CH. *Vae misero mihi!*

Haec annotat Donatus: Quid ais: e verbis Charini apparet Byrriam nuntiasse futuras nuptias Pamphilo; *nec adducitur tamen, ut statim credat et accommodet animum; saepius ergo repetit rogando.* Mox: Qui scis: *non vult enim verum esse.* Denique: Vae misero mihi: *tandem aliquando perductus est ut crederet.* Nonne hic mutato nomine de Phaedria fabula narratur? Opinor. Quam apte leni nostra medela inducitur adolescens per unum versum ira et maerore prorsus abreptus praesentisque status sui immemor, quam amare Pythiadis verba: „etiam non credes" miserum revocant amatorem ad unicum quod restat simulandi munus!

Restat, ut corollarii instar haec addam, quibus optimam Donati annotationem, sive socordia sive scioli cuiusdam arrogantia depravatam pro virili emendem. Strenue perfungitur simulandi

munere Phaedria, quamvis ad desperationem fere adductus. Suppressa sed minaci voce eunuchum iubet: „heus negato rursum". Negat miser ille. Tum adulescens alta voce: „non potest sine malo fateri" e. q. s., mox iterum submisse sed minaciter: *ora me* et Dorus caeco obsequio: „Obsecro te vero Phaedria!" Tum vero „terribiliter" (ut optime monet Donatus) amator noster exclamat: „I intro nunciam!" Adhuc quod sciam ad illud *ora me* legitur explicatio absurda: hoc lentius ut sit causa *non* saeviendi. Immo: *ut sit causa saeviendi.*

IV. 6. 27.

Conspecto militis exercitu Chremes fugam capessere nimis cupit, sed sapienti ut fit consilio proposito metum dissimulat. Thais strenuum suum defensorem retinet:

CHR. Tu abi atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum:
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. TH. Mane.

Sequuntur:

CHR. Melius est. TH. omitte. CHR. Iam adero. TH. Nil opus est istis Chremes.

Ita e codice Bembino iam edidit Dziatsko, ita et Fleckeisenus in recentissima editione. Spreta iacere videtur lectio altera, quam ceteri libri exhibent omnes, illustravit Donatus, praetulit Bentleius:

CHR. Melius est. TH. *Mane.* CHR. *Omitte* iam adero. TH. Nil opus est istis Chremes.

Repetitum illud *mane* sequente imperativo *omitte* i. e. manum aufer mihi adhuc perplacet. Prorsus eodem modo iam Plautus (Casina III. 6. 22): *Mane* atque adsta! *Omitte*! Nec non huc faciunt duo Phormionis loci. In priore loco (V. 6. 9 sq.) Antipho adulescens currentem Getam retinens exclamat: *Non manes*? Servus iratus: „Vapula!" clamat id est: omitte me aut vapulabis. In altero loco [1]) haec inter se dicunt et agunt Phaedria et Dorio:

---

1) Phorm. III. 2. 1 sqq. Totum locum exscripsi, siquidem et hic Donato succurrere gestio. Haec annotat magister ad locum: sunt, qui sic legant, ut „Dorio" dicat Phaedria, „*audi*" leno, „obsecro" iterum Phaedria". Mirum hercle istud genus lectorum, nam quis tandem sanum sensum extundet ex hisce:

PH. Dorio,

Audi obsecro. DOR. Non audio. PH. Parumper. DOR. *Qnin omitte me.*

IV. 7. 10.

In scenam prodit miles cum seviris suis meretriculae castra iam iam oppugnaturus. Copias suas instruit. Sangam coquum cum peniculo in aciem progredientem increpat. Respondet ille lepido dicto. Nihil nimirum habet stolidus imperator, quod ad iocum respondeat. Pergit igitur rogando: „Ubi alii?" Respondetur: „Qui *malum* „alii"? solus Sannio servat domi." Num dubium est, quis hic loquatur? Non opinor. Cuius in ore magis belle sonet illud *malum* quam in coqui superbientis recenti ioco suo, quis melius scire possit, Sannionem solum e servis domi remansisse, quam ipse ille coquus modo e culina ad bellum profectus? Rectissime igitur vulgo Sangae verba tribuuntur neque quicquam de hac re scripsissem, nisi viderem Fleckeisenum in recentissima editione Gnathoni parasito illud responsum tribuisse. Quare? [1])

IV. 7. 33 sq.

Nuperrime vir doctus Albert Mueller in commentariolo de conviciis apud comicos Latinos obviis [2]) haec scripsit: „Von

---

PH. Dorio! DOR. *Audi.* PH. Obsecro. DOR Non audio.

Suspicari ausim olim fuisse, qui scenae initium aut reppererunt aut sibi informaverunt hoc:

PH. Dorio! DOR. *Audio.* PH. Obsecro. DOR. Non audio.

Quid igitur faciendum? Utrum *audi* in *audio* mutato sensum aliquem verbis Donateis praebebimus, an lectionem traditam tuentes hominum quorundam male sanorum nugas a magistro discamus? Illud censeo.

1) Annotat Donatus: malum *κατὰ παρένθεσιν suaviter* infertur e. q. s. Quid malum illud *suaviter*? Num inde protrahamus argumentum, quo nisi contendamus Gnathonis esse illa verba secundum Donatum parasitumque *suaviter* ausum esse increpare stultum militem? Vix crediderim. Utique tum opinor voculam *hic* vel *nunc* additam legeremus. Locus porro Plautinus, quam allegat magister plane obloquitur eiusmodi suspicioni et vereor ne nusquam notissimam illam interiectionem suaviter prolatam invenias. Nonne praestat alii suspicioni indulgere, qua coniciamus *κατὰ παρένθεσιν suaviter* per *ἀπλογραφίαν* ortum esse e *κατὰ παρένθεσιν insuaviter*? Graeca vocabula in manuscriptis vulgo literis Latinis exarata inveniuntur.

2) Philologus LXXII: 4 p. 498.

Parasiten gebrauchte Schimpfwörter sind selten". Cunctos tres allegat locos: duos Plautinos unicum Terentianum, de quo iam pauca non nova verba sum dicturus. Ingenti ira inter se rixantur Thraso et Chremes. Bis iam Gnatho placare studuit rusticum adolescentem. Iam cum gestu obsecrantis exclamavit: „Ah, quid agis? tace!" Iam graviter et tristi capitis quassatione, opinor, locutus est: „Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi". Sed, ut fit, monitis suis igni materiem praebuit parasitus et magis aestuat comicorum heroüm ira. Sequuntur:

33 CHR. Diminuam ego tibi caput hodie, nisi abis. GN. *ain vero, canis?*

Sicine agis? THR. Quis tu homo es? e. q. s.

Adhuc omnes editiones, usque ad recentissimam Fleckeisenianam sic edunt.

Sed aut ego nihil iam in hisce rebus intellego, aut prorsus sic loci ἦθος pessumdatur. An credamus necesse est, nunc ipsum monitorem quasi proprii muneris pertaesum taetro iam convicio exagitare eundem, quem hucusque sedare atque mollire sit conatus? Tum insuper credamus censeo, parasitum statim propriae iracundiae poenitere, quippe qui statim pergat: „sicine agis?" quae locutio leniter corripientis est. Frustrane igitur annotavit Donatus: „militare dictum est in hostem canis", frustrane id ipsum, quod nunc verbis meis repeto, iamdudum exposuit Hartmanus? [1]) Quoniam πιθανώτερον aliquid hisce addere nequeo satis habebo locum sic commendare:

CHR. (ferociter):

Diminuam ego tibi caput hodie nisi abis.

THR. (stolida iracundia):

Ain vero canis!

GN. (cum obsecrantis gestu ad Chr.)

Sicine agis? [2]).

---

1) De Ter. et Don. p. 63.

2) De formula loquendi: *sicine agis* bene meriti sunt Ruhnkenius Hartmanus alii fortasse. Nec non optime, ut hoc unum addam, locutionis vim illustrant verba et ipsa Terentiana: heia, haud sic decet, quibus verbis Gnatho sub finem fabulae nostrae iratum Phaedriam placare conatur. Denique quam necessarium sit omnibus, qui Terentio interpretando aut vertendo operam navent, in huiuscemodi loqnendi formularum vim atque colorem quam accuratissime investigare *et quidem Donato nusquam neglecto,*

V. 1. 22 sq.

Improba fraude cognita ira saevit Thais in miseram Pythiadem. Acerbissima sanna repetit ancillae balbutientis excusationes:

scio, nescio, abiit, audivi, ego non adfui,

scelestam, veneficam, sacrilegam vocat puellam. Sed in eum, qui re vera sceleste egit, in Chaeream audacem ne uno verbo quidem invehitur. Subito maleficus ipse apparet et Pythias gaudii simul iraeque plena exclamat: „comprehendi iube", sed statim Thais: „quid illo faciemus stulta" respondet. Obstupet ancilla, non item opinor attentus spectator. Probe enim scit ille penitusque sentit, qui sit meretricis animi status et insequentis scenae subtiles elegantias, lepidissimum illud: „bone vir Dore salve!" mente quasi praeoccupat. Inficetis conviciis onerare liberum adulescentulum ancillulae esse potest, non callidae meretricis, de summo suo bono cogitantis. Quin etiam servae nimiam iracundiam retundere parata est Thais nostra. Omnia haec, ut est peritissimus harum rerum artifex, praestruit Terentius.

Nunc ultimos scenae nostrae versiculos cognoscamus:

TH. Quid illo faciemus stulta? PYTH. Quid facias rogas?
Vide amabo, si non quom aspicias, os impudens
Videtur. *non est. tum* quae eius confidentia est!

In personarum distributione variant codices, dissentiunt viri docti [1]). Sed quamqnam optimus liber Bembinus omnia verba Pythiadi uni continuat, haud difficilis mihi videtur optio. Spretis omnibus coniecturis e libris „deterioribus" aut cum Bentleio scribamus:

Videtur? TH. *non.* PYTH. Tum quae eius confidentia est!

aut cum Fleckeiseno (in editione altera):

Videtur? TH. *Non est.* PYTH. Tum quae͡ eius confidentia est! [2])

---

id uno exemplo docere mihi liceat. Verba Thaidis: „sicine agis Parmeno? *age*" (I. 2. 19) in versione Francogallica, quam sub Nisardi auspiciis edidit Alfred Magin sic reddita invenimus: C'est ainsi que tu en uses Parmenon? *courage*! (sic!) Si Donatum suum melius consuluisset vir doctus ille et strenuus, loci ἦθος non tam ridicule corrupisset.

1) Vide Dziatzkoi apparatum criticum.

2) De synizeseos ratione paulo insolentiore, quam Doppelverschleifung vocant Germani, conferantur quae scripsit Haulerus in nova et praestantissima editione Phormionis (Leipz. Teubn. 1913 p. 64).

Rectissime Bentleius annotat: „Et hoc clemens Thaidis responsum praeparatio est ad scenam sequentem, ubi reconciliatio fit et familiaritas nascitur.

Sed de tota quaestiuncula verbum non hiscerem nisi cognovissem nuperrime locum nostrum denuo sagaci sed prorsus inutili coniectura tentatum esse a viro docto J. S. Phillimore [1]). Proposuit v. d.:

Pyth. Vide amabo, si non, quom aspicias os impudens,
Videtur *monstrum,* quae eius confidentia est.

Displicet mihi coniectura, sed de illa disputare a proposito alienum puto [2]).

Sed operae pretium visum est pauca disserere de lectione tradita, quibus optionem Bentleianam et Fleckeisenianam defendam, optimo scholiastarum adiutore: Quam grave sit istud convicium *impudens* in liberum adolescentulum ingestum, haud uno loco nos monet Donatus. Ad Davi verba in fabula Andria (IV. 4. 16):

Mirum vero, *impudenter* mulier si facit
Meretrix!

haec annotat magister: bono ordine locutus est: primo enim causa impudentiae *natura* est *deinde condicio.*

Ad Antiphontis verba in nostra fabula (III. 5. 49): Tum equidem istuc os tuum *impudens* videre nimium vellem observat: licet iocanti et amico convicium iucunde facere. Collato priore loco et hic apparet convicium istud *impudens* eiusmodi esse iudice scholiasta, ut in liberum vix sit permissum [3]). Nec

---

1) Classical Review. Febr. 1915 p. 18 sqq.

2) Quam egregie mihi displicet anticlimax!

3) Ad convicium „asinum tantum", quod statim sequitur excusationem nullam addit magister rectissime (cf. Adelph. V. 8. 12 cum scholio!).

Simillimus est locus Andriae (IV. 2. 27) ubi Davus Charino adulescenti: „eho tu *impudens*" dicit. Ad ipsa verba sane nihil aliud annotat magister quam haec: proprie Charino „impudens" dixit quasi et insolita et multa poscenti e. q. s. Subtilissima vero observatiuncula praecedit haec ad Charini verba: „quid me fiet" adscripta: Ab eo hoc quasi ab iocante pronuntiandum est, *nam sic ille „impudens" respondet.* En iterum convicium „excusatum"! Quam penitus ἦθος Terentianum intellexit vetus ille scholiasta. „Nullum equidem novi opus, ex quo plura discere possit histrio tiro, quam ex hoc Donati commentario Terentiano". Sic olim Lessingius iudicavit. Sed haec prius fuere —.

non huc faciunt verba, quibus illustravit magister Gnathonis nostri illud:

Dolet dictum imprudenti adulescenti et libero:

(nostrae fabulae III. 1. 40)

cuius rei imprudenti? scilicet qui minime crederet *tali* se percuti posse *conuicio* (scil.: quid ais *impudens* v. 35).

Ecquis hisce sedulo perpensis ob librum Bembinum credat Terentium voluisse Pythiadem suam tam grave convicium ingerere in Chaeream adstante et silente Thaide?

Nunc pauca addamus de scholiis, quae cum lemmatis ita edidit Wessnerus:

22. Vide amabo e. q. s.] mire ab eo, quod respondere coeperat, ad aliud transit mirata confidentiam Chaereae: *is est an non est* [1]).

23. Tum quae eius c. e.] non est impudens inquit, non est nisi similis impudenti. sic alibi (Andr. V. 2. 16) „veritas [2]) inest i. u. a. ⟨i⟩ v. f.".

Ultimae voculae prioris scholii cum lemmate insequentis in priscis editionibus aut omnes aut magna ex parte desunt. Praepropere vel sic atque prave putavit Faërnus, et Donatum omnia verba, de quibus nunc totus fuit sermo, Pythiadi soli tribuisse [3]). Quid vero nobis de hac re cogitandum est, quibus plura exhibuerunt Wessneri curae sagaces atque indefessae? Mox videbimus. Sed prius perpendamus nova ista vocabula: *is est an non est.* Quid tandem voculis istis lucramur? Si sanae sunt, erravit quisquis eas scripsit; nam utrum is, qui advenit, re vera sit Chaerea necne prorsus opinor non dubitat Pythias. Emendandi hic quidem locus nullus videtur, sed in audacula hypothesi parumper nunc immorari mihi liceat. Nam in uno codice pro *is est* legimus: *non rus est.* Monstri instar istud *rus* videtur atque id silentio premere procul dubio tutius videtur. Attamen unde veniat mira vocula non rogare nosmet ipsos non possumus. Quid si acutae et lepidae observationis ultimum hic deprendamus vestigium? Gaudii plena modo exclamavit Pythias „habemus hominem" (vs. 19). Annotavit scholiasta: „mire hominem dixit

1) Voculas literis inclinatis exarandas curavi ego.

2) *Severitas* proposuit Studemundus, edidit iam Stephanus.

3) Vide praestantis viri annotationem ad locum in editione Bentleii.

ut *reum*". „Iube comprehendi" pergit puella sed Thais rogat: „quid illo faciemus?" Sequuntur lemma et scholium quae dedi. De persona omnino non dubitat puella sed aliud, opinor, indignabunda et mirabunda cogitare potest: num talis est *rei* vultus? Et fortasse id ipsum addidit magister, *num reus is est* vel *reus is est an non est* vel eiusmodi aliquid scribens. Sed iam suspiciones istas mittamus, quae prudentioribus procul dubio plena ruri: et inficetiarum videbuntur. Restat, ut de altero lemmate et de ultimi scholii parte priore pauca dicam. Et ut breviter absolvam: numquam credam verba: non est impudens, non est nisi similis impudenti *a Donato* ad id lemma adscripta esse, ad quod nunc scripta leguntur. Me si audis candide lector restitue brevissimum lemma: *non est,* quod profecto per haplographiam intercidit, sic ut ad hoc pertineat ultimi scholii pars prior, iamque mecum puta subiectum *τοῦ* inquit Thaidem esse. Ita optimus magister nobiscum defendet optimam lectionem contra optimi codicis auctoritatem.

V, 8. 42 sqq.

Pauca denique ad ultimam fabulae scenam proferamus. Nam et hic multum olim ambigebant atque adhuc ambigunt viri docti, Terentianae iustitiae ergo suum cuique tribuere conantes.

Adstant in scena adolescentes et Gnathoni pro patrono suo verba facienti aures praebent. Phaedria adhuc irae in militem plenus est, Chaerea contra, quippe cuius minus intersit cuique iam omnia in tuto sint hilariore vultu adstat. Recte igitur Dziatzko primum illud: Audiamus (vs. 38) Chaereae dedit. Fastidiose admodum summovet parasitus miserum militem [1]). Mox haec sequuntur:

42 . . . . GN. Militem ego rivalem recipiundum censeo.
PH. *Hem.*
Recipiundum? GN. Cogita modo e. q. s.

Ita libri manuscripti et omnes recentiores editores recte. Faernus

---

1) De statu militis haec annotat Donatus ad vs 32: sine gratia et sine *timore,* modo inimicus et infestus. In libris est: *imore.* Westerhovius coniecit *honore.* Vulgata lectio ferenda videtur collato scholio ad 5. 1. 7: . . . . . omnia expertus et nec muneribus gratus nec *terroribus* metuendus. Vel sic tamen admodum displicet insolitum illud *timore.* Ecquid: *sine tumore*?

et Bentleius [1]) *recipiundum* Chaereae dant sed perperam, nam ex imperativo singulari *cogita* sat apparet, Phaedriam solum exclamasse, parasitumque ad eum solum per breve tempus et vultum et vocem convertisse. (Mox parasitus voti compos ad ambos: „*recte facitis*" dicit).

Iam callida oratione labefactat parasitus adolescentes, inprimis bonum Phaedriam ut opinor:

Neque istum metuas ne amet mulier, facile pellas ubi velis.

Sequitur exclamatio:

Quid agimus? Annotavit Bentleius: „Omnino hoc Chaereae tribuendum, qui cum sponsam haberet Pamphilam, nec Thaidis amore teneretur, prior ad consentiendum erat quam frater". Sed Donatus nos monet: „Initium consensionis dubitatio est eius, qui negaverit". Quid agimus? Mihi quidem optio admodum facilis est, quamquam recentiores vulgo Bentleium secuti sunt. Nonne irasci primo, tum dubitare, cedere denique boni Phaedriae est? Verbis Chaereae tributis Phaedria post suum: „hem! recipiundum"? silet donec repente illud: „idem ego arbitror" profert. Relegamus primi actus scenam secundam, ubi maioribus sane intervallis seiuncta haec ad Thaidem dicit amator iratus, dubitans, victus: „Pessuma! egone quicquam tibi respondeam?" ..... „Utinam istuc vere diceres!" ..... „Faciendum est quod vis". Nonne ponderis aliquid haec verba habere debent apud cautum criticum, de nostro loco ambigentem?

Iam rogat parasitus ut ipse quoque in gregem recipiatur. Optime hic Phaedria placidum suum „recipimus" loquitur, Chaerea „ac libenter" vividius pro indole sua addit. Sed adhuc post sollemne simulque festivum illud Gnathonis:

At ego pro istoc, Phaedria et tu Chaerea, hunc comedendum vobis propino et deridendum [2]) omnes editores Chaereae permit-

1) Quibus adstipulatus est Alfred Magin et alii fortasse.

2) Ultimum hoc corollarium Donateum mihi liceat addere. Ad verba: „atque ego pro istoc" nobis offertur haec desperanda verborum series: *subaudimus et sum hic aliter non ut parasitus* („*et sum hic*" Wessnerus, sed quid lucramur?). Sententiae incorruptum cardinem deprendo equidem in ultimis verbis: *non ut parasitus* et re sedulo perpensa hanc mihi super ea informavi opinionem: Gaudio abundat pectus nobili nostro parasito. Iam in gregem accipitur, omnibusque iam posthac epulis

tunt: „Placet", Phaedriae „Dignus est". Immo placidum illud: „Placet" Phaedriae convenit, verba: „Dignus est" altiore voce prolata multo gratius in Chaereae ore sonant.

Denique post ultimam militis irrisionem responsum illud: „nil praeter promissum est" utique Chaereae tribuendum esse cum Hartmano [1]) censeo. Ita utriusque adolescentis ἦθος usque ad finem recte servatur.

---

lautis conviviisque hilarissimis sodalis intererit. Lepido munere suo maximum illud beneficium rependere properat. More parasitico asymbolus quidem omnibus futuris cenis interesse potest (cf. Scholium ad Phorm. II. 2. 25) sed ecce *munus* suum affert, *sumptu suo ali* cupit, miserum militem quasi symbolam suam perennem in futura convivia offert. In Donati honorem huic ergo coniecturae indulgeamus: atque ego pro istoc] subaudi *munus*, et sum<*ptu suo*> hic *alitur* non ut parasitus. Tantum abest, ut putem me hisce Donati manum restituisse, ut statim cuivis lectionis traditae explicationi potiori cum commento meo cessurus sim.

1) De Ter. et Don. p. 81.

AD AESCHYLI PROM. 354.

Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς.

Versus manifesto corruptus, quem recte emendabit nemo qui aut praepositionem ἀντί aut sententiam *relativam* loco movebit. Utraque enim res hic prorsus est necessaria. Quae observatio sponte ad veram ducit lectionem:

Τυφῶνα θοῦρον ὅστις ἀντέστη θεοῖς.

In qua vel maxime placet omissum istud πᾶσι. Multo enim disertius est ἀντέστη θεοῖς quam ἀντέστη πᾶσι θεοῖς, multoque huic loco aptius: qui parem se diis putaverat

νῦν ἀχρεῖον καὶ παρήορον δέμας
κεῖται (vs. 363).

J. J. H.

OBSERVATIONES CRITICAE
IN
PLATONIS REMPUBLICAM.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF.

(*Continuantur e Tom. XLIV pag.* 17).



Platonis Res Publica recognovit Ioannes Burnet, Oxonii, 1902.

AD LIBRUM TERTIUM.

p. 389 B.

*εἰ γὰρ ὀρθῶς ἐλέγομεν ἄρτι, καὶ τῷ ὄντι θεοῖσι μὲν ἄχρηστον ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον * ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, δῆλον ὅτι τό γε τοιοῦτον ἰατροῖς δοτέον, ἰδιώταις δὲ οὐχ ἁπτέον.*

Nemo, credo, facile in dubium vocabit quin supplendum sit: *ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον ⟨μόνον⟩ ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει.*

Verba habemus consimili haplographia mutilata illius quam supra (L. I. p. 331 E) indicavimus: *εἰ πρὸς τὰ ἄχρηστα χρήσιμον ⟨μόνον⟩ ὂν τυγχάνει.*

p. 395 B.

*καὶ ἔτι γε τούτων ..... φαίνεταί μοι εἰς σμικρότητα κατακεκερματίσθαι ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις, ὥστε * ἀδύνατος εἶναι πολλὰ καλῶς μιμεῖσθαι ἢ αὐτὰ ἐκεῖνα πράττειν ὧν δὴ καὶ τὰ μιμήματά ἐστιν ἀφομοιώματα.*

In lacuna manifesta non video quid aptius inserere possis quam: *ὥστε ⟨οὐχ ἧττον⟩ ἀδύνατος εἶναι.*

p. 395 C.

..... *οὐδὲν δὴ δέοι ἂν αὐτοὺς ἄλλο πράττειν οὐδὲ μιμεῖσθαι· ἐὰν δὲ μιμῶνται, μιμεῖσθαι τὰ τούτοις προσήκοντα εὐθὺς ἐκ παίδων ἀνδρείους, σώφρονας, ὁσίους, ἐλευθέρους καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα* *, *τὰ δὲ ἀνελεύθερα μήτε ποιεῖν μήτε δεινοὺς εἶναι μιμήσασθαι.*

Vide ne forsitan post *τὰ τοιαῦτα πάντα* casu exciderit participium quod est ⟨*γιγνομένους*⟩.

p. 395 D.

οὐ δὴ ἐπιτρέψομεν, ἦν δ' ἐγώ, ὧν φαμὲν κήδεσθαι, [*καὶ δεῖν αὐτοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι*] *γυναῖκα μιμεῖσθαι ἄνδρας ὄντας ἢ νέαν ἢ πρεσβυτέραν κτέ.*

Si genuina essent ipsius divini scriptoris verba quae proscripsimus, requireremus certe: *ἄνδρας ἀγαθοὺς γίγνεσθαι.* Sed quis non sentit puerilem hance esse lectoris alicuius annotationem a contextu alienissimam, temere in ordinem receptam?

p. 399 A.

ἀλλὰ κατάλειπε ἐκείνην τὴν ἁρμονίαν, ἣ ἔν τε πολεμικῇ πράξει * *ὄντΟΣ ἀνδρείου καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ πρεπόντως ἂν μιμήσαιτο φθόγγους τε καὶ προσῳδίας κτέ.*

Locum leviter turbatum et corruptum sic correxisse mihi videor: ..... *ἁρμονίαν, ἣ ἔν τε πολεμικῇ πράξει καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ* ⟨*ἀνδρὸς*⟩ *ὄντΩΣ ἀνδρείου πρεπόντως ἂν μιμ. φθογγ. τε καὶ προσῳδ.*

ἀνδρὸς ὄντως ἀνδρείου intellege: „viri *viribus virtute dignitate* maxime excellentis".

p. 399 B.

..... *ἢ τοὐναντίον ἄλλῳ δεομένῳ ἢ διδάσκοντι ἢ μεταπείθοντι ἑαυτὸν* 'Ε*πέχοντα.*

Imo 'Υ*πέχοντα*, quae lectio est pulcherrimi codicis Veneti 184 a Ioanne Rhoso in usum Bessarionis exarati. Quid notius quam *οὖς ὑπέχειν τινί?* „*εἰ δέ τοι δεινὸν τό γε δεινὸν ἦν, καί κεν ἐμῶν ῥημάτων λεπτὸν ὑπεῖχες οὖας*" cecinit Simonides (fr. 50) et „*σωφρονοῦντι λόγῳ τὰς ἀκοὰς ὑπέχοντες*" scripsit Dio Chrysostomus ad Alexandrinos XXXII. 661 R.

ὑπέχειν τινὶ ἑαυτὸν Xenophon in *Cyri disciplina* VII 5. 44.

p. 402 D.

οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ὅΤου ἂν συμπίπτῃ ἔν τε τῇ ψυχῇ καλὰ ἤθη ἐνόντα καὶ ἐν τῷ εἴδει ὁμολογοῦντα ἐκείνοις καὶ συμφωνοῦντα [τοῦ αὐτοῦ μετέχοντα τύπου], τοῦτ' ἂν εἴη κάλλιστον θέαμα τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι;

Perplacet mihi Naberi emendatio: *ὅΠου ἂν συμπίπτῃ* reponentis. Ceterum miror criticorum neminemdum hoc loco notasse verba *τοῦ αὐτοῦ μετέχοντα τύπου*, inanem sine dubio male seduli interpretis explanationem.

p. 409 C.

*ὁ δὲ δεινὸς ἐκεῖνος καὶ καχύποπτος, ὁ πόλλ' αὐτὸς ἠδικηκὼς καὶ πανοῦργός τε καὶ σοφὸς οἰόμενος εἶναι, ὅταν μὲν ὁμοίοις ὁμιλῇ, δεινὸς ΦαίνεταΙ * ἐξευλαβούμενος, πρὸς τὰ ἐν αὑτῷ παραδείγματα ἀποσκοπῶν·*

Periit post *Φαίνεται* necessaria coniunctio *καί*.

ἐξευλαβούμενος intellege: *μάλα εὐλαβής*. Participium *εὐλαβούμενος* tam apud Platonem quam apud alios haud ita raro adiectivi vim habet. Confer, si tanti est, Plat. Protag. 333 E; Conv. 187 E.

p. 409 D.

οὐ τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, τοιοῦτον χρὴ τὸν δικαστὴν ζητεῖν [τὸν ἀγαθόν τε καὶ σοφόν], ἀλλὰ τὸν πρότερον· πονηρία μὲν γὰρ ἀρετήν [τε καὶ αὑτὴν] οὔποτ' ἂν γνοίη, ἀρετὴ δὲ Φύσεως παιδευομένης χρόνῳ ἅμ' αὑτῆς τε καὶ πονηρίας ἐπιστήμην λήψεται.

Primum (409 B) a Socrate qualem iudicem bonum esse oporteat describitur: non admodum iuvenem, sed aetate progressum; virum integrum, sanctum, nulla per totam vitam improbitatis labe contaminatum; qui iniustitiae naturam non quidem conscientia sed longo hominum usu ex diuturna humanae pravitatis consideratione penitus cognitam habeat: „*τὴν ἀδικίαν οὐκ οἰκείαν ἐν τῇ αὑτοῦ ψυχῇ ἐνοῦσαν ᾐσθημένος ἀλλ' ἀλλοτρίαν ἐν ἀλλοτρίαις μεμελετηκώς, ... ἐπιστήμῃ οὐκ ἐμπειρίᾳ οἰκείᾳ κεχρημένος*". Huic opponitur mali iudicis contraria imago: hominis corrupti, iniqui, conscio animo suspiciosi nimirum: *πόλλ' αὐτοῦ ἠδικηκότος, πανούργου, καχυπόπτου*. „Non hercle talis iudex nobis quaerendus est, inquit, *ἀλλὰ τὸν πρότερον*".

Fugit vv. dd. diligentiam inutile additamentum quod est [*τὸν ἀγαθόν τε καὶ σοφόν*], primum textui sive adscriptum sive superscriptum, manifesto referri ad *τὸν πρότερον*, deinde vero postea a scriba non hoc agente in alienam sedem invectum esse.

Praeterea induxerim quoque post *ἀρετὴν* vv. [*τε καὶ αὐτήν*]. Qui, cedo, vitiositas numquam sui cognitionem adipisci posset? Istiusmodi quid certe nec Socratem nec Platonem discipulos docuisse probabile est.

AD LIBRUM QUARTUM.

p. 420 B (cf. 465 D)

..... *ἐροῦμεν γὰρ ὅτι θαυμαστὸν μὲν ἂν οὐδὲν εἴη, εἰ καὶ* [*οὗτοι*] *οὕτως εὐδαιμονέστατοί εἰσιν κτἑ.*

Ut commoda procedat sententia, aut transponendum erit: *εἰ οὗτοι* (sc. *reip. custodes*) *καὶ οὕτως* (*vel sic*), aut, quod praetulerim, eliminandum pronomen demonstrativum plane superfluum, utpote natum e dittographia.

p. 421 A.

*ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάττων λόγος· νευρορράφοι γὰρ φαῦλοι γενόμενοι καὶ διαφθαρέντες καὶ προσποιησάμενοι εἶναι * μὴ ὄντες πόλει οὐδὲν δεινόν, φύλακες δὲ * νόμων τε καὶ πόλεως μὴ ὄντες ὁρᾷς δὴ ὅτι πᾶσαν ἄρδην πόλιν ἀπολλύασιν κτἑ.*

Nonne permirum est editores cunctos quod sciam, in tam prava praeposteraque scriptura acquievisse? Primum enim, nisi me fallit, utique necesse est ut suppleamus: *προσποιησάμενοι εἶναί* [TI] *μὴ ὄντες*. *Εἶναί τι* ut et *εἶναί τινα* significat — idque ipsum sententia flagitat — *magnum aliquod, aliquid magni ponderis et momenti esse.*

Eadem medicina olim collato Act. Apostol. V, 36 (*Θευδᾶς λέγων εἶναί τινα ἑαυτόν*) a theologo in paucis literato, Valckenaerii amico, sanatus est locus in Ep. Pauli ad Romanos XII, 2: „*λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι παντὶ τῷ ὄντι* ⟨TI⟩ *ἐν ὑμῖν μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν*". Apud ipsum Platonem quoque huius locutionis exemplorum affatim est. Veluti Gorg. 472 A: *ὑπὸ πολλῶν καὶ δοκούντων εἶναί τι.*

Tum perturbatus orationis ordo una copula expuncta probabiliter in integrum restitui potest scribendo:

νευρορράφοι γὰρ φαῦλοι γενόμενοι καὶ προσποιησάμενοι εἶναί τι μὴ ὄντες, [καὶ] διαφθαρέντες πόλει οὐδὲν δεινόν.

Hoc unum restat ut nomen quoddam ex fuga retrahamus, nempe *φύλακες*. Platonis manus procul dubio est:

φύλακες δὲ ⟨φύλακες⟩ νόμων τε καὶ πόλεως μὴ ὄντες κτέ.

p. 421 A.

ᾗ [a]) *μὲν οὖν ἡμεῖς* MEN *, *φύλακας ὡς ἀληθῶς ποιοῦμεν ἥκιστα κακούργους τῆς πόλεως, ὁ δ' ἐκεῖνο λέγων γεωργούς* [b]) *τινας καὶ ὥσπερ ἐν πανηγύρει ἀλλ' οὐκ ἐν πόλει ἑστιάτορας εὐδαίμονας [ἄλλο τι ἢ πόλιν λέγοι]* [c]).

a) em. Herwerdenus: *εἰ* libri. b) *ἀργοὺς* cit. H. Richards. c) exp. I. L. V. Hartman.

Locus multifariam depravatus adque expediendum difficillimus, de quo vere olim Herwerdenus (Mnem. 1883 p. 344) „nemini adhuc cessit emendatio". Quamquam ipse duce contextu acute animadvertit initio sententiae HI (*ᾗ*) pro EI (*εἰ*) requiri. Quod vero suspicatus est pro mutilo monstro lectionis MEN reponendum esse: *⟨λέγο⟩μεν*, id mihi non plane persuasit. *Verbo* quodam opus esse et quidem verbi praesentis temporis prima persona pluralis haud negaverim. At nuper diligenter cum discipulis Thucydidem retractans incidi in moestam illam epistolam, quam in extremo discrimine belli animo et corpore fractus Nicias Athenas misit ad populum (VII. 11 seqq.). Cuius epistolae sub finem legitur: „*ὅ,τι δὲ μέλλετε, ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς καὶ μὴ ἐς ἀναβολὰς πράσσετε κτέ.* Subito in mentem venit ad hoc exemplum vitiata Platonis verba certa ratione emendari posse, si pro MEN * rescribimus ΜΕΛΛ(ΟΜΕΝ).

„*ᾗ μὲν ἡμεῖς μέλλομεν, φύλακες ὡς ἀληθῶς ποιοῦμεν ἥκιστα κακούργους τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἐκεῖνο λέγων*" ..... verto:

„quo modo nos iuventutem ad reip. custodiam informaturi sumus, veros custodes faciemus civitati minime noxios; quam vero educationem ille probat" ..... hic iterum haereo in:

γεωργούς τινας καὶ ὥσπερ ἐν πανηγύρει, ἀλλ' οὐκ ἐν πόλει ἑστιάτορας εὐδαίμονας. Quinam, quaeso, sunt isti coloni tam mirabiliter in sententia oppositi *τοῖς ἥκιστα κακούργοις*? Namque

admodum ridicule mihi certe — sit venia verbo! — nuper Francogallulus quidam et liberius mehercle quam verius transtulisse visus est: „Nous autres, nous formons en verité des gardiens „nuisant le moins possible à l'état; mon contradicteur au con„traire en fait des agriculteurs quelconques et, comme „s'ils se trouvaient à une fête nationale (ou à une kermesse) „et non dans un état, d'heureux festoyeurs". Qui temere profecto genti rusticanae sanctissimae frugalissimae nil tale commeritae insignitam facit iniuriam. Infortunatos nimium, sua si mala norint, agricolas!

Primus aliquid fraudis odoratus est Richardsius: valde suspectos habet istos rusticos eosque suo arbitratu satis perfunctorie audaci coniectura in ignavos et cessatores (*ἀργούς*) mutat. At aut egregie fallor aut lectioni perobscurae lumen haud incertum affulget ex Xenophontis Memorabilibus (I. 3. 9), ubi Socrates Xenophontem de Critonis filio percontatur: „*οὐ σὺ τὸν Κριτόβουλον*, rogat, *ἐνόμιζες εἶναι τῶν σωφρονικῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἢ τῶν θρασέων καὶ τῶν προνοητικῶν μᾶλλον ἢ τῶν ἀνοήτων καὶ ῥιψοκινδύνων*; „nunc igitur velim eum existimes *θερμουργότατόν τε εἶναι καὶ λεωργότατον*". E diametro opponitur, ut vides, idque apud probatum scriptorem: *σωφρονικῷ τινι καὶ προνοητικῷ* — qualis *κατ' ἐξοχὴν* debet esse *φύλαξ ὡς ἀληθῶς φύλαξ* — *θερμουργὸς καὶ λεωργός τις*. Platonem autem hoc eodem vocabulo usum esse quo quod ad sensum aptius et convenientius usurpare non potuit, mihi quidem est persuasissimum. Adde quod, praesertim in proxima aliorum agricolarum vicinitate (421 A in.), nullum aliud nomen dormitantis scribae *ἀναισθησίᾳ* facilius in *γεωργοὺς* abire potuit.

Apud utrumque auctorem aequalem Atheniensem hic illic voces quaedam occurrunt Athenis in sermone pedestri parum usitatae ac tritae: Ionicae magnam partem ac poeticae originis. Mirandumne in Platone cuius orationem ex Homero et Archilocho et Tragicis potissimum illum granditatis colorem contraxisse apparet? Quidve mirum si in temperatiore scribendi genere Xenophon, utpote diutissime peregre, in Ionia et Asia maxime commoratus, licet raro supra soccum assurgat, *ἔνια ξενίζει* et subinde consuetudini vernaculae aliquid alienum admiscet?

Vetera Lexica: λ ε ω ρ γ ό ς· κακοῦργος, πανοῦργος, ῥᾳδιουργός, ἀνόσιος. Recte. Cui non statim in mentem venit AESCHYLEI (Prometh. 5 sqq.):

> Ἥφαιστε, σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς
> ἅς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, τόνδε πρὸς πέτραις
> ὑψηλοκρήμνοις τὸν λ ε ω ρ γ ὸ ν ὀχμάσαι
> ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις

vel nobilissimae epodi ARCHILOCHI:

> ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
> σὺ δ' ἔργ' ἐπ' ἀνθρώπων ὁρᾷς
> λ ε ω ρ γ ὰ καὶ θεμιστά, σοὶ δὲ θηρίων
> ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει.

Scriptores autem serioris aetatis, Themistius Aelianus alii vocabulum obsoletum recoquere amant iunguntque λεωργὸς καὶ ὑπερόπτης τῶν πατρίων ἐθῶν, ἄνδρες ἐκδικώτατοι καὶ λεωργότατοι sim.

Eadem literarum Γ et Λ in scriptura unciali interdum non multum dissimilium permutatio (cf. Bast p. 802) in Iliade (Φ 172), ut hoc utar, lectionis varietatem peperit: μεσσοπαΓές, μεσσοπαΛές et in Sophoclis fragmento incerto apud Porphyrium de antro nympharum 18 (693 D): ἄΓη, ἄΛη. Neque in Lexicis insignita exempla desunt.

Nominum quae sunt Γεωργὸς et Λεωργὸς confusio criticorum acumen haud minus lepide tenuit atque ludificata est quam portenta Hesychiana Λ ω σ τ ο ν (L. λῷστον), Λ ω ρ ὸ ς (L. ἄωρος), πικρός [1]) nec non Photianum ΛΕΜΦ α ς (L. λέλαφας· πέπωκας), Hemsterhusii Cobetique εὐστοχίᾳ dudum feliciter procurata.

p. 421 C.

..... καὶ οὕτω συμπάσης τ ῆ ς π ό λ ε ω ς α ὐ ξ α ν ο μ έ ν η ς κ α ὶ κ α λ ῶ ς ο ἰ κ ι ζ ο μ έ ν η ς κτέ.

Potior utpote naturalis ordo erit:

τῆς πόλεως καλῶς οἰκιζομένης καὶ αὐξανομένης.

p. 421 E.

Ὑπ' ἀμφοτέρων δή, πενίας τε καὶ πλούτου, χείρω μὲν τὰ τῶν τ ε χ ν ῶ ν ἔργα, χείρους δὲ αὐτοί.

---

1) ἄωρος i. e. immaturus. ὄμφακες ἄωροι, πικροὶ sunt uvae immaturae saporem acerbum habentes.

Vera lectio profecto est:
τὰ τῶν τεχνιτῶν ἔργα.

p. 422 C.

Οὐδ' εἰ ἐξείη ..... ὑποφεύγοντι τὸν πρότερον ἀεὶ (sc. pugilem) προσφερόμενον ἀναστρέφοντα κρούειν, καὶ τοῦτο ποιοῖ πολλάκις ἐν ἡλίῳ τε καὶ πνίγει; ἆρά γε οὐ καὶ πλείους χειρώσαιτ' ἂν τοιούτους [ὁ τοιοῦτος];

Liberata inutili pronomine, casu orto e dittographia, nihil detrimenti capit sententia atque clauditur aliquanto numerosius.

p. 423 E.

..... καὶ ἄλλα γε ὅσα νῦν ἡμεῖς παραλείπομεν, τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν καὶ γάμων καὶ * παιδοποιΐας [a]), ὅτι δεῖ ταῦτα κατὰ τὴν παροιμίαν πάντα ὅτι μάλιστα κοινὰ ΤΑ φίλων ποιεῖσθαι.

a) καὶ γάμων del. J. L. V. Hartman: γάμον exhibet cod. Vat. 1029: γάμους cit. Richards.

Vitiose sane sine controversia in libris MSS. traditur: τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν καὶ γάμων καὶ παιδοποιΐας. Quapropter aliis vv. dd. corrigere placuit γάμον (quod dudum in recentiore codice Vaticano 1029 a Graeculo tentatum esse comperi), aliis totum vocabulum eicere. Quidni et παιδοποιΐας damnant? Nam κτῆσις παιδοποιΐας ..... quid necopinato et mire dictum est nisi hoc est? At vide ne Plato de more satis habuerit dicere: τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν καὶ παίδων? Veluti 451 C: οὐκ ἔστιν ἄλλη παίδων τε καὶ γυναικῶν κτῆσις; 449 C: καὶ ὅλην ταύτην ἣν λέγεις κοινωνίαν γυναικῶν τε καὶ παίδων et passim. Interpolationi ac corruptelae forsitan ansam dederit inconsiderata comparatio cum V 459 A, ubi scriptum extat: ἆρ' οὖν, ὦ πρὸς Διός, προσέσχηκάς τι τοῖς τούτων γάμοις τε καὶ παιδοποιΐαις;

In fine cum libro aliquo deteriore praeferendum videtur:
ΤΩΝ φίλων ποιεῖσθαι.

p. 424 B.

τὴν ⟨γὰρ⟩ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπιφρονέουσ' [a]) ἄνθρωποι,
ἥ τις ἀειδόντεσσι [b]) νεωτάτη ἀμφιπέληται.

a) ἐπιφρονέουσ' codd. et Stobaeus: ἐπικλείουσ' Homerus. b) ἀκουόντεσσι Homerus.

„Est quoque cunctarum novitas carissima rerum".
(Ovid. Pont. L. III Ep. IV, 51.)

Quam turpe mendum ad hunc usque diem obsidet participii formam, in quo codd. Platonici universi consentiunt, *ἀειΔόντεσσι*! Demta litera Δ extemplo emergit varia lectio minime spernenda: *ἀειόντεσσι* i. e. *ἀϊόντεσσι*. In antiquissimis enim libris et inscriptionibus satis constanter pro Ι *longo* ΕΙ scriptum invenimus. Correxit olim Lobeckius coll. Hesiodi Opp. 211, ubi eadem occurrit scripturae varietas:

ὦ Πέρση, σὺ δ' ἄϊε[1]) *δίκης μηδ' ὕβριν ὄφελλε.*

Cf. etiam van Leeuwen in calce editionis Odysseae.

p. 425 C s. f.

Τί δέ, ὦ πρὸς θεῶν, ἔφην, τάδε[a]); *τὰ [ἀγοραῖα] συμβολαίων τε πέρι * κατ' ἀγορὰν ἕκαστοι [ἃ] πρὸς ἀλλήλους συμβάλλουσιν, εἰ δὲ βούλει, καὶ χειροτεχνικῶν κτέ.*

a) sic melius distinxit Herwerdenus. Idem merito *ἀγοραῖα* delevit.

Structura autem aliquanto minus impedita erit, si transposueris: *ἃ κατ' ἀγορὰν ἕκαστοι πρὸς ἀλλήλους συμβάλλουσιν.*

p. 426 C.

ὃς δ' ἂν σφᾶς οὕτω πολιτευομένους ἥδιστα θεραπεύῃ [καὶ χαρίζηται] ὑποτρέχων καὶ προγιγνώσκων τὰς σφετέρας βουλήσεις ταύτας καὶ δεινὸς ᾖ ἀποπληροῦν, οὗτος ἄρα ἀγαθός τε ἔσται ἀνὴρ καὶ σοφὸς τὰ μεγάλα καὶ τιμήσεται ὑπὸ σφῶν;

Num vocabulis quae uncinis saepsimus ulla sententiae vis additur? Nonne verba quae sunt *θεραπεύειν* et *ὑποτρέχειν* (idem quod *ὑπέρχεσθαι*) arctissime cohaerent?

p. 432 D.

Πάλαι, ὦ μακάριε, φαίνεται πρὸ ποδῶν ἡμῖν [ἐξ ἀρχῆς] κυλινδεῖσθαι καὶ οὐχ ἑωρῶμεν ἄρ' αὐτό, ἀλλ' ἦμεν καταγελαστότατοι.

πάλαι et *ἐξ ἀρχῆς* in una eademque sententia vix et ne vix quidem stare possunt. Alterum omnino abundat. Verisimile videtur *ἐξ ἀρχῆς* interpreti reddendum esse. Inspice e. gr. Hesychium (M. Schmidt) in voce *πάλαι*, ubi Cyrillus 63 supplevit *ἀρχῆθεν*.

1) *ἄκουε* libri nonnulli. Hic quoque iota verbi *ἀΐειν* producitur.

p. 434 A.

Ἰδὲ δὴ ἐὰν σοὶ ὅπερ ἐμοὶ συνδοκῇ. τέκτων σκυτοτόμου ἐπιχειρῶν ἔργα ἐργάζεσθαι ἢ σκυτοτόμος τέκτονος, ἢ τὰ ὄργανα μεταλαμβάνοντες τἀλλήλων [ἢ τιμάς], ἢ καὶ ὁ αὐτὸς ἐπιχειρῶν ἀμφότερα πράττειν κτἑ.

Operarii homines, quos honoris causa nomino, „in vultus sudore panem edentes" parvaque manuum mercedula sutrinam, textrinam, fulloniam aliam quamlibet artem illiberalem ac sordidam exercitantes, cum in laudatissima huius saeculi praestantia iam omnium fere consensu eximia prae ceteris in rep. civibus cura et veneratione digni habeantur, ut hodieque sic vulgo apud Veteres maiorem partem quidem, sicuti par erat, probi, frugi, sane h o n e s t i existimabantur. At aliud est honestum, aliud clarum esse et h o n o r a t u m. Honore affectis sive honoratis (Graece: *τοῖς τιμὰς ἔχουσι* vel *τοῖς ἐν τιμαῖς οὖσιν*) diserte significantur qui nobili genere orti magistratus, imperia aliave magna reip. munera gerunt gesseruntve atque dignitate sunt senatoria. Rectissime igitur sine ulla controversia sese habet quod paulo inferius legimus (p. 434 B) ..... *καὶ τὰ ἀλλήλων οὗτοι ὄργανα μεταλαμβάνουσι καὶ τὰς τιμάς*, siquidem hoc loco *αἱ τιμαὶ* unice spectant *εἰς τὸ τοῦ πολεμικοῦ καὶ βουλευτικοῦ καὶ φύλακος εἶδος*. Neutiquam contra referri potest ad opifices puta sutores tignariosque. „Neque enim quicquam ingenuum potest habere officina" (Cic. de Off. I. 42).

Quae si recte disputata sunt, nostro certe loco emblema quod est [*ἢ τιμάς*] sine mora reddamus inconsulto *παραδιορθωτῇ* dissimillima inepte exaequanti.

Eadem opera ibidem in fine paragraphi iustum orationis ordinem in hunc modum restitue:

ἀλλ' ὅταν γε οἶμαι δημιουργὸς τις ὢν ἢ ἄλλος χρηματιστὴς φύσει ..... εἰς τὸ τοῦ πολεμικοῦ εἶδος ἐπιχειρῇ ἰέναι κτἑ.

p. 434 D.

*Μηδέν, ἦν δ' ἐγώ, πω πάνυ παγίως αὐτὸ λέγωμεν, ἀλλ' ἐὰν μὲν ἡμῖν καὶ εἰς ἕνα ἕκαστον τῶν ἀνθρώπων [ἰὸν] τὸ εἶδος τοῦτο ὁμολογῆται [καὶ ἐκεῖ δικαιοσύνη εἶναι], συγχωρησόμεθα ἤδη — τί γὰρ καὶ * ἐροῦμεν; — εἰ δὲ μή,* ΤΟΤΕ ΑΛΛΟ ΤΙ *σκεψόμεθα.*

En locum incredibili librariorum socordia male mulcatum et obscuratum quique aliquamdiu me tenuit, de cuius tamen enodatione hoc agenti et contextae orationis rationem habenti non desperandum est.

Primum correxerim pro *μηδὲ*N ultima litera deleta *μηδὲ*. Quamquam si quis contendat traditam lectionem aliquatenus excusari et ferri posse, equidem non praefracte negaverim. Intellege: *μηδέπω παγίως αὐτὸ λέγωμεν*. Tum post *ἀνθρώπων* fidenter expellamus otiosum participium *ἰὸν* quod genuit duarum praecedentium literarum similitudo.

Εἰς ἕνα ἕκαστον τῶν ἀνθρώπων = *quod ad unumquemque hominem singularem*. Tum liquido patet e proxime antecedentibus prorsus superflua alienaque manu inepte adiecta esse vocabula: [*καὶ ἐκεῖ δικαιοσύνη εἶναι*]. Deinde pro *τί γάρ καὶ ἐροῦμεν*, quod sic sane sensu cassum videtur, unice verum duco: *τί γὰρ καὶ* ΠΕΡΑ *ἐροῦμεν*; [1])

In fine denique sententiae me quidem iudice nulla potest esse dubitatio quin reponendum sit: *εἰ δὲ μή, τοῦτο ἄλλοθι σκεψόμεθα*: sin minus, alio loco hac de re considerabimus.

In continuo subsequentibus editur:

*νῦν δ' ἐκτελέσωμεν τὴν σκέψιν * ἣν ᾠήθημεν, εἰ ἐν μείζονί τινι τῶν ἐχόντων δικαιοσύνην πρότερον ἐκεῖ ἐπιχειρήσαιμεν θεάσασθαι, ῥᾷον ἂν ἐν ἑνὶ ἀνθρώπῳ κατιδεῖν οἷόν ἐστιν.*

Compone p. 368 D.

Ante pronomen *ἣν* ex fuga retrahe necessariam praepositionem ac supple: *τὴν σκέψιν* ⟨*καθ'*⟩ *ἣν ᾠήθημεν*. Post *πρότερον* Burnetio *ἢ* omissum videtur. Alia, si me audis, medicina opus est: videlicet pro *ἐκεῖ* contextus postulat *ἐκεί*⟨*νην*⟩: illam nempe iustitiam.

p. 436 D E.

Οὐκοῦν καὶ εἰ ἔτι μᾶλλον χαριεντίζοιτο ὁ ταῦτα λέγων, κομψευόμενος ὡς οἵ γε στρόβιλοι ὅλοι ἑστᾶσί τε ἅμα καὶ κινοῦνται, ὅταν ἐν τῷ αὐτῷ πήξαντες τὸ κέντρον περιφέρωνται [*ἢ καὶ ἄλλο*

1) Ecquid usitatius quam *πέρα λέγειν* et *πέρα ζητεῖν*; ut ELECTRAE Soph. 632:
μηδ' ἐπαιτιῶ
τοὐμὸν στόμ' ὡς οὐκ ἂν πέρα λέξαιμ' ἔτι.

τι κύκλῳ περιϊὸν ἐν τῇ αὐτῇ ἕδρᾳ τοῦτο δρᾷ], οὐκ ἂν ἀποδεχΩμεθα, ὡς οὐ κατὰ ταὐτὰ ἑαυτῶν [τὰ τοιαῦτα] [a]) *τότε μενόντων τε καὶ Φερομένων, ἀλλὰ Φαῖμεν ἂν ἔχειν αὐτὰ εὐθύ* ΤΕ *καὶ περιφερὲς ἐν αὐτοῖς, καί, κατὰ μὲν τὸ εὐθύ, ἑστάναι ..... κατὰ δὲ τὸ περιφερές, κύκλῳ κινεῖσθαι, καὶ ὅταν δὲ τὴν εὐθυωρίαν ἢ εἰς δεξιὰν ἢ εἰς ἀριστερὰν ἢ εἰς τὸ πρόσθεν ἢ εἰς τὸ ὄπισθεν ἐγκλίνῃ ἅμα περιφερόμεν*ΟΝ, *τότε οὐδαμῇ [ἔστιν]* [b]) *ἑστάναι.*

a) *τὰ τοιαῦτα* del. Stallbaum; b) *ἔστιν* om. Galenus.

Quam mendose exarati sint vel vetustissimi atque optimi qui aetatem tulerunt codices Rempublicam continentes Parisinus A et Venetus 185 — ut omittam emblemata sexcenta omnibus membranis longe antiquiora, de quibus operae pretium est audire imprimis Martinum Schanzium, *τὸν τούτων πέρι ἐπαΐοντα εἴ γε τις καὶ ἄλλος* [1]), — incredulis documento esto Galenus, qui secundo saeculo p. Chr. n. multo meliore libro usus et alios locos complures excerpsit et sententiam, quam supra fideliter secundum codices nostros descripsimus. In hac una sententia scilicet luculenter ostendit cum Galeno comparatio *tria* inesse manifesto vitiosa, quae omnia apud doctum medicum leguntur emendate.

Codd. Plat. perperam:	Galenus recte:
οὐκ ἂν ἀποδεχώμεθα	*οὐκ ἂν ἀποδεχοίμεθα*
*ἢ εἰς δεξιὰ*N *ἢ εἰς ἀριστερὰ*N	*ἢ εἰς δεξιὰ ἢ εἰς ἀριστερὰ*
τότε οὐδαμῇ ἔστιν ἑστάναι	*τότε οὐδαμῇ ἑστάναι*

Facilis inde coniectura quantum vel nobis sero natis adhuc in Platone perpoliendo supersit agendum.

Ceterum noli arbitrari sublatis istis maculis iam totam periodum omni labe liberatam esse. Primum enim vv. *ἢ καὶ ἄλλο τι κύκλῳ περιϊὸν ἐν τῇ αὐτῇ ἕδρᾳ τοῦτο δρᾷ* antecedentibus male adhaerescunt. Quare Bekkerus ex libris recentioribus *ἢ ⟨εἰ⟩ καὶ*

---

1) Vide *Commentt. Platon.* p. 53: „libros Platonicos interpolatos esse nemo non novit: vel optimi hoc vitio laborant: Animadvertendum autem bonos libros saepius quam deteriores interpolatorum manus nobis prodere" nec non *Stud. Plat.* p. 30 quem locum laudat J. J. Hartman: „*de emblematis in Platonis textu obviis*, p. 144:

„Hauptaufgabe der Platokritik wird immer die sein, die vielen unächten Zusätze auszuscheiden".

ἄλλο τι protraxit. Vide ne aliquanto aptius pro ἢ substituisset ὡς; nam quis ignorat ἢ et ὡς frequenter confundi? Verum quid censes? Totum istud additamentum, quo sine ullo damno optime carere possumus, nonne stolidi magistelli bene sibi fidentis annotatio tibi videtur festivam Socratis orationem mediam divellens? Equidem observationem aliquando margini in hunce modum adscriptam:

ἢ καὶ ἄλλο τι ..... τοῦτο δρᾷ

posthac contextui agglutinatam esse quovis pignore contenderim.

Tum paulo inferius, ut animadvertit Richards, pro τὰ τοιαῦτα rescribendum est τῶν τοιούτων et εὐθύ τε ⟨Τι⟩ καὶ περιφερὲς legere praetulerim. Sub finem denique periodi emenda: περιφερόμενΑ.

p. 439 B.

Ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, τὸ ἐπινεύειν τῷ ἀνανεύειν καὶ τὸ ἐφίεσθαί τινος [λαβεῖν] a) τῷ ἀπαρνεῖσθαι καὶ τὸ προσάγεσθαι τῷ ἀπωθεῖσθαι, πάντα * τὰ τοιαῦτα τῶν ἐναντίων * ἀλλήλοις θείης εἴτε ποιημάτων εἴτε παθημάτων;

a) λαβεῖν del. Herwerdenus.

Quae perincommode intercidit particula ἂν, cum ad optativum θείης maxime sit necessaria, sedem suam recuperabit, ut opinor, inter πάντα et τὰ τοιαῦτα. Praeterea in extremis mancam orationem nullo negotio redintegrabimus revocando ante ἀλλήλοις vocabulum quo nullum aliud eo loco per haplographiam facilius perire potuisse incurrit in oculos: nempe ἐναντίον.

p. 437 C.

οἷον ἀεὶ τὴν τοῦ ἐπιθυμοῦντος ψυχὴν οὐχὶ ἤτοι ἐφίεσθαι φήσεις ἐκείνου οὗ ἂν ἐπιθυμῇ, ἢ προσάγεσθαι τοῦτο ὃ ἂν βούληταί οἱ γενέσθαι, ἢ αὖ, καθ' ὅσον ἐθέλει τί οἱ πορισθῆναι ἐπινεύειν τοῦτο πρὸς αὑτὴν ὥσπερ τινὸς ἐρωτῶντος a) ἐπορεγομένην αὐτοῦ τῆς γενέσεως;

a) ἐρωτῶντος codd. A F D: ἐρῶντος A².

Ultima pars sententiae sine ullo dubio corrupta ideoque sensu cassa est. Interpretes aut frustra se torquent aut cum Stallbaumio faciunt malasque cruces gravi silentio praetereunt. Equidem candide fateor me diu frustra quaesivisse quid tandem

esset: *ἐπινεύειν τοῦτο πρὸς αὐτήν.* Qui quidem error primo aspectu saltem inextricabilis videbatur. Quamquam, ut semel fraudem huiusmodi odoratus es, quantillum saepe est transponendo sanare quae transcribentium incuria prave traiecta esse apparet! Velut nostro loco, ut lux luceat in tenebris, suffecerit inverso ordine et spiritu mutato duntaxat reposuisse: *αὐτὴν* (i. e. *τὴν ψυχὴν*) *πρὸς τοῦτο*, quod nemo non intelleget.

In continuo sequentibus tamen alter nodus nobis restat expediendus paulo difficilior. „Quid, dixerit quispiam, *ἐν τοῖς συμΦρχζομένοις* sibi vult: *ὥσπερ τινὸς ἐρωτῶντος*: *quasi alicuius rogatu?*" Verba pessime adulterata, credo, quae mens sana respuit. Operae pretium est igitur diligenter scrutari quid in isto monstro scripturae delitescat. Atqui, ut fit, quod 'st ante pedes nemo spectat.

ЄΡΩΤΩΝΤΟC exhibet optimus codex Parisinus A, quem accuratissime descripsit [1]) et cum pulvisculo excussit Cobetus, iuxta cum ceteris. A secunda manu tamen, ut in calce editionis annotat Burnetius, ibi facta est mutatio in ЄΡΩΝΤΟC. Idem Burnetius (in Praefatione) statuit eandem scripturam etiam inveniri in libro vetusto M, cum Parisino et praecipue cum diorthosi eius (A²) arctiore quodam vinculo connexo, quem servat celeberrima Bibliotheca anno 1452 Caesenae condita a Dominico Malatesta, cui libro tamquam fundamento superstructas esse constat editiones Aldinas. „At ne *ἐρῶντος* quidem ullum fundit sensum idoneum", merito dicat aliquis. Concedo, sed temperi video, quod minime neglegendum videtur, non omnes philologos in libro M distincte *'Єρῶντος* legisse. Annotat certe Stallbaum in calce editionis p. 365: „in Ald. Basil. I Stephani est *'Ορῶντος*. Euge! Nunc demum veritas pellucet. Tantasne turbas dedisse unam literulam praetermissam! Luculenter apparet orationis contextui nihil melius convenire quam verbum quod vim habeat *impellendi* et *incitandi*. Itaque, ut integram habeamus sententiam, quantocyus corrige: *ὁρΜῶντος*.

---

1) Cf. Mnemos. 1875 p. 157 seqq.
In codice Parisino, teste Cobeto, opera et manus multorum correctorum apparent recentium: alios plures tamen multo antiquiores esse monet.

Compara, si tanti est: p. 439 B: ἄγοντος et p. 466 s. f. ὁρμήσει.

In extremis paragraphi C emenda: εἰς τὸ ἀπωθεῖν καὶ ἀπελαύνειν 'ΑΦ' αὑτῆς.

p. 438 C.

τί δὲ τὰ περὶ τὰς ἐπιστήμας; οὐχ ὁ αὐτὸς τρόπος; ἐπιστήμη μὲν αὐτὴ μαθήματος αὐτοῦ [ἐπιστήμη] ἐστὶν [ἢ] ὅτου δεῖ θεῖναι τὴν ἐπιστήμην, ἐπιστήμη δέ τις καὶ ποιά τις ποιοῦ τινος καὶ τινός.

Cf. infra D s. f.: τοῦτο τοίνυν ..... Φάθι με τότε βούλεσθαι λέγειν, εἰ ἄρα νῦν ἔμαθες, ὅτι ὅσα ἐστὶν οἷα εἶναί του, αὐτὰ μὲν μόνα αὐτῶν μόνων ἐστίν, τῶν δὲ ποιῶν τινων ποιὰ ἄττα.

Rationibus subductis inclusa eicienda esse apparebit. Pro [θ]εῖναι autem verum videtur: εἶναι.

p. 439 C.

τί οὖν, ἔφην ἐγώ, φαίη τις ἂν τούτων πέρι; οὐκ ἐνεῖναι μὲν * ἐν τῇ ψυχῇ αὐτῶν τὸ κελεῦον, ἐνεῖναι δὲ * τὸ κωλῦον πιεῖν, ἄλλο ὂν καὶ κρατοῦν τοῦ κελεύοντος;

Utique inserendum est: οὐκ ἐνεῖναι μὲν ⟨μόνον⟩ ἐν τῇ ψυχῇ.
Quoties librariis literarum apices neglegenter depingentibus vocis vel syllabae similitudine vox vel syllaba finitima expellitur!

Praeterea commendaverim: ἐνεῖναι δὲ ⟨καὶ⟩ τὸ κωλῦον.

p. 439 D.

Ἆρ' οὖν οὐ τὸ μὲν κωλῦον τὰ τοιαῦτα ἐγγίγνεται, ὅταν ἐγγένηται, ἐκ λογισμοῦ κτέ.

Noli dubitare quin contra librorum MSS. et Stobaei auctoritatem cum Schneidero emendandum sit; ἐγγίγνηται.

p. 439 E.

'Αλλ', ἦν δ' ἐγώ, ποτὲ ἀκούσας [τι] πιστεύω τούτῳ κτέ.

Verba multis modis male habita.

Fidenter expunge pronomen ΤΙ post ἀκούσας, cui pronomini hic nullus prorsus locus est. Quis non videt in culpa esse primam sequentis verbi literam Π lapsu calami geminatam?

Tum cum Galeno, Stobaeo et codice Caesenate Malatestiano restituas velim: πιστεύω τοῦτο. Ceterum, ut dicam quid sentiam, vereor ne traiecisse praestiterit:

ἀλλὰ ..... πιστεύω τοῦτό ποτε ἀκούσας ὡς ἄρα Λεόντιος ὁ Ἀγλαΐωνος κτἑ.

p. 440 C s. f.

διὰ τὸ πεινῆν καὶ διὰ τὸ ῥιγοῦν, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα πάσχειν.

ῥιγΟΥν soloecum est. Athenienses, Platonis saltem aequales, ῥιγΩν dicebant.

DE VOCE „FATUM".

In Mnemosynes volumine quadragesimo secundo, paginis 371 sequentibusque demonstrare conatus sum vocabulum „fatum" nonnullis locis *manes* interpretandum esse. Locis, quos in illa disputatione citavi, nunc addere possum duos, qui meam de versu illo Propertiano sententiam tam fortiter defendunt, ut dubitari non iam posse credam, quin revera *fatum* interdum vim habeat vocis *manes*. Nam Avieni Aratea legens incidi in hosce versus:

209 iamque per imas
210 Cocyti tenebras et stagna nigrantia Ditis
211 portitor ille Charon Thesidae (= Hippolyti) *fata* vehebat.

Alter locus exstat apud Buechelerum, carmina Epigraphica 965:

Quandocumque levis tellus mea conteget ossa
incisum et duro nomen erit lapide,
quod si forte tibi fuerit *fatorum* cura *meorum*:
ne grave sit tumulum visere saepe meum.

Inscriptio insculpta est anno post Chr. nat. *decimo*.

P. J. Enk.

QUAESTIUNCULAE ANNAEANAE.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.



L. Annaei Senecae ad Lucilium Epistularum Moralium quae supersunt iterum edidit Otto Hense.
Lipsiae apud Teubnerum MCMXIV.

Epist. 7. 5.

Notissimae huius epistulae, in qua Seneca de ludis gladiatoriis deque horum munerum incredibili crudelitate fusius agit, paragraphum quintam ita incipientem facit v. d. Hense: *'sed latrocinium fecit aliquis, occidit hominem'. quid ergo? quia occidit ille, meruit ut hoc pateretur: tu quid meruisti miser, ut hoc spectes?* Codices autem secus verba nobis tradiderunt; ad unum omnes praebent: *sed latrocinium fecit aliquis quid ergo occidit hominem quia* e. q. s., praeterquam quod Laurentiani prima manus dederat *occidet*, quod manus tertia in *occidit* mutavit.

Sane verbis illis transpositis contextus exstitit bono sensu minime carens; attamen nescio an fugerit egregium editorem, lectioni ita ortae quaedam opponi posse. In Senecae Dialogorum editione p. 81 (ad Dial. IV. 5. 3) Gertzius haec adnotavit: 'Ubicumque *quid ergo?* scribitur, semper altera interrogatio sequitur'. Recte id quidem, et addere poterat, huic interrogationi usque quaque negativam inesse vim, ita ut *quid ergo?* velut particulae q. e. *num* vice fungatur, semperque artissimo quodam vinculo cum altera interrogatione coniunctum sit. (E. g. Ep. 5. 6; 9. 11, 22; 14. 12; passim). Quod vinculum ne in verbis ab Hensio editis nimis laxum sit iure mihi videor vereri. Scilicet

facile est explere sententiam: quid ergo *est*? (vide Gertzium ibid.); facilius autem et procul dubio rectius erit traditam lectionem retinere, modo primam illam manum cod. Laurentiani sequamur atque hoc modo interpungamus: *'Sed latrocinium fecit aliquis'. quid ergo? occidet hominem, quia occidit? 'ille meruit, ut hoc pateretur' tu quid meruisti miser, ut hoc spectes?*

Epist. 12. 5.

In epistula duodecima Seneca nobis narrat, quemadmodum villam suam suburbanam perambulanti perpetuo in mentem sibi venerit annorum nimis fugacium; nempe domus, quam ipse quondam curavit aedificandam, caduca est; platani, quas suapte manu posuit, tenues fiunt et situ squalent, quique olim erat rhombi pilae talorum socius eius atque administer, hodie senex est decrepitus, membris curvatis, cuius ἕρκοσ ὀδόντων ingentes contraxit ruinas.

'Debeo hoc suburbano meo' — ita pergit paragrapho quinta — 'quod mihi senectus mea, quocumque adverteram, apparuit. complectamur illam et amemus: plena est voluptatis, si illa scias uti'. Paulo post haec sequuntur: 'et illam quoque *in extrema tegula* stantem iudico habere suas voluptates'. Ita in ceteris quidem codicibus legimus; Parisinus autem praebet: *in extrema regula*. Quam lectionem et alii in textum receperunt et P. Thomas, qui gallice vertit: 'la période où l'on touche au terme de l'existence', et procul dubio hic fere sensus quoquomodo sub verbis depravatis latet. Ipse autem vir clarissimus haec addit: 'On n'a pas réussi jusqu'à présent à expliquer cette expression d'une manière satisfaisante'. Quod fieri posse pro certo affirmare ego non ausim, nempe voci *regulae* apud Senecam nulla umquam alia inest vis nisi *normae*: cf. praecedentis epistulae verba ultima: 'nisi ad regulam prava non corrigas'; porro 20. 3; 71. 19; 76. 14; 95. 39 cetera. Otto Hense v. d., qui nuper Senecae epistulas iterum edidit, et antea eandem lectionem receperat, nunc vero sententiam mutavit et viri docti Lebèque secutus partes legi iubet *in extrema tegula*, spectans verba q. s. *devexa* et *praeceps*. Hoc quoque conamen satis artificiosum ne in irritum ceciderit mirum quantum vereor; nec magis mihi arridet quod Madvigius haesitans coniecit: *in extrema specula*.

Mihi autem aliud quid in mentem venit, et nescio an scripserit philosophus noster: 'et illam quoque *in extremo articulo* stantem iudico habere suas voluptates'. De ratione palaeographica infra videbimus: de sensu verborum quaedam praemittere liceat.

Non solum aetate imperatoria, in lingua praesertim ecclesiastica, vox q. e *articulus* significare solet momentum vel punctum temporis, sed etiam Terentius hoc sensu vocem adhibet, e. g. Andr. 532 'in ipso tempore, in ipsa opportunitate, in ipso articulo', nec non Cicero, ut ceteros praetermittam, ita loquitur: 'in ipso articulo temporis', 'in ipso articulo mortis', talia. Ipse quoque noster exemplum praebet: 'aliud est enim dignitates et pretia rerum nosse, aliud articulos' (Ep. 89. 15).

Nec est quod mihi obicias, aliud esse Ciceronianum illud 'in *ipso* articulo mortis', aliud 'in *extremo* articulo', neque ergo hanc locutionem illa constabiliri. In Claudii vita, c. 4, Suetonius voces q. s. *articulus* et *gradus* copulavit velut synonyma [1]), unde luculentissime apparet a mente uere Romana non alienum esse loqui de articulorum serie inter se excipientium, neque igitur de articulo *extremo*.

Quod nisi haec lectio proposita omnino videtur abicienda, res palaeographica haudquaquam eam condemnat, immo probat potius. Fac enim in codice archetypo verborum *extremo articulo* ultimam litteram *o* compendii causa vel propter spatium supra lineam scriptam fuisse, et inde factum esse, ut neglegeretur [2]). Tum nil mirum est, scribam primam litteram vocis *articulo* pro adiectivi exitu habuisse, et per analogiam sequens substantivum femininum accepisse. Quo facto legebatur: *in extrema rticula*, itaque fit perspicuum, quomodo non solum lectio *regula*, sed etiam *tegula* orta sit. Permutatio enim litterarum *c* et *g*, praesertim in fine vocum in *-ulus, -ula, -ulum* exeuntium, vitium est saepissime occurrens in unciali scriptura, cuius rei Gertzius in Dialogorum editione p. 433 multa exempla congessit, quorum id tantum laudaverim, quod invenitur V. B. 15. 4, ubi cod. Ambrosianus pro deminutivo q. e. *punctiunculas* prae-

---

1) 'Quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater eius productus fuit'.

2) Quod saepius accidisse mihi videtur, e. g. Ep. 21. 5 (aevo); 39. 4 (nimio).

bet: *puncti ungulas*; eundem autem errorem etiam in epistula 53. 6 habemus. Praeterea in mentem revoco De Ira III. 33. 2, ubi ipse Gertzius pro eo q. e. *in angulo* legendum proposuit '*in arculo*', et Tac. Dial. 21, ubi codices habent '*sordes regule verborum*', neque dubito equidem quin cum v. d. Mähly restituendum sit '*sordes reiculae verborum*'.

Epist. 20. 11.

In fine epistulae vicesimae Seneca, ut initio semper se facturum pollicitus est, ea verba laudat, quae ipsi sapientium litteris dedito prae ceteris eo die placuerunt. Ut plerumque ita et hodie Epicuri sententia est, edicentis: 'magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur et in panno. non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur'. 'quid ergo?' — ita pergit noster — 'non licet divitias in sinu positas contemnere?' Redduntur et alia et haec: 'quidni liceat? magnus ille, qui in divitiis pauper est'. Dicet vero quispiam: 'nescio quomodo paupertatem iste laturus sit, si in illam inciderit'. 'Sane' — ita fere Seneca respondet, nam summa quidem eius sententiae satis perspicua est et lucida — 'sed ego quoque pro certo affirmare non ausim, pauperem istum contempturum esse divitias, si in illas inciderit'. Quae verbis sequentibus etiam clariora fiunt: 'itaque in utroque mens aestimanda est inspiciendumque, an ille paupertati indulgeat, an hic divitiis non indulgeat'.

Tamen tradita lectio aliquo vitio laborat. Uterque codex haec praebet: 'nec ego, epicur*i* (*i* in *e* correxit Madvig), *angulus siiste pauper* contempturus sit divitias, si in illas inciderit'. Haud pauca excogitata sunt ad hunc locum sanandum; Madvig proposuit: *an vetus iste pauper*; P. Thomas: *an tuus iste pauper*; Hense: *an pullatus iste pauper*; Haase: *an aemulus iste pauper*; Buecheler denique sagaciter: *an gulossi iste pauper*, unde Hauck: *an gulosus iste pauper*.

Vereor autem ut omnes hae medelae plane sustulerint vitium, nec dubito quin haec quaestio aliter solvenda sit. Ita rem se habere ut crederem me adduxit locus qui est De Tranquillitate Animi, VIII. 2, ubi Ambrosianus haec praebet: 'discamus continentiam augere, luxuriam coërcere, *gloriam* temperare', e. q. s. Vocem *gloriam* librarius proprio compendio ita reddidit: *glam*.

Non iniuria me quidem iudice Gertzius hanc lectionem defendit contra codices deteriores, quorum alii quoque et Gemzoë v. d. in textum recipiendam putarunt lectionem hanc: *gulam*. Quippe hic error idcirco prae manu erat neque quicquam habet quod mirum videatur, quoniam praeter unam vocem *gloriam* compendium *ł* semper indicat *ol*, *el* et imprimis *ul* (ut in *procł*, *młlo*, *popłus* cett.). Quod si nil impedit quominus accipiamus, vocem q. e. *gula* a librario positam esse pro *gloria*, loco nostro aequa probabilitate gaudere mihi videtur adiectivum *gulosus* pro eo q. e. *gloriosus* substitutum per compendium male intellectum.

Iam vide, quam egregia adhibito hoc remedio exeat sententia: 'nec ego, Epicure, (scio), an *gloriosus iste pauper* contempturus sit divitias, si in illas inciderit', vel ut aliis utamur verbis: nescio an uvae acidae sint quia altius pendent. Apposite haec sententia sequentibus illustratur: 'alioqui leve argumentum est bonae voluntatis grabatus aut pannus, nisi apparuit aliquem illa non necessitate pati, sed malle'.

Praeterea haudquaquam obliviscendum est, a Seneca non ita raro derideri Epicurum pauperis partes agentem. Paulo ante declaravit, Epicurum non esse testem veri, sicut 'Demetrium nostrum', sed tantum praeceptorem. Et ubi pauper ille gloriosus in scenam producitur, ipsius Epicuri personam animo philosophi nostri obversatam esse censeo. Etenim in epistula duodevicesima, cui cum vicesima consensio intervenit non fortuita, de voluptatis magistro haec nobis narrat: 'certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem extingueret, visurus an aliquid deësset ex plena et consummata voluptate, vel quantum deësset et an dignum quod quis magno labore pensaret, et quidem gloriatur non toto asse se pasci, Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto'.

Epist. 22. 17.

'Quid est turpius' — en quaestio quam Seneca ponit in fine epistulae vicesimae secundae — 'quam in ipso limine securitatis esse sollicitum?' Pergit autem ita: 'causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum *sumus, vitae* laboramus'. Quae verba sic corrigenda esse Madvig putavit: '*sumus, usu vitae* laboramus', sed Hense recte adnotasse mihi videtur: 'non apte, vitam frustra

actam respici monet Buecheler, scripserim: *'vitae iactura* laboramus'.

Nescio an alia quaedam emendatio eadem fidelia duos parietes dealbet: non solum enim hoc loco deesse aliquid, sed etiam supervacaneum esse illud *sumus* mihi persuasi. Itaque legere velim: 'causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum *in summa vitae* laboramus', id est: quod vita nostra non intra se composita neque omnibus numeris completa perfecta absoluta est. Eandem igitur hic videmus sententiam expressam atque e. g. Ep. 101. 8, ubi legimus 'maximum vitae vitium est, quod *imperfecta* semper est', et paulo infra, § 10: 'cui vita sua cotidie fuit *tota*, securus est'. [1])

De *vitae summa* philosophus noster passim loquitur, sed ne longus sim in enumerandis huius rei exemplis, id potius admonere velim, nostro loco haec verba sequi: 'non enim apud nos *pars eius ulla* subsedit', qui verborum contextus ideo argumento esse potest ad confirmandam lectionem a me propositam, quoniam Seneca rerum *summam* et *partes* inter se opponere solet, velut Ep. 17. 2: 'et *summam* quidem rei pervides, quantum philosophia prosit, *partes* autem nondum satis subtiliter dispicis'; et praesertim Ep. 94. 1, ubi etiam de vitae summa sermo est: 'tamquam quis posset de *parte* suadere, nisi qui *summam* prius *totius vitae* complexus est'.

Epist. 26. 3.

Epistula vicesima sexta, sicut duodecima, agit de senectute. 'Non solum gravis sum annis' — ita fere Seneca dicit — 'quod non tantopere lugeo, sed vitae muneribus officiisque non iam par sum: inter decrepitos sum numerandus et extrema tangentis'. Licet autem corporis vires eum defecerint, mens eius summa fruitur sanitate: 'viget animus et gaudet non multum sibi esse cum corpore'. Tum sequitur § 3: 'ire in cogitationem iubet (sc. animus) et dispicere, quid ex hac tranquillitate ac modestia morum sapientiae debeam, quid aetati, et diligenter excutere, quae non possim facere, quae nolim'. Haec plane perspicua sunt: sibi quaerendum et bene distinguendum esse philosophus pro-

1) Vide etiam ep. 1. 1: 'maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, *tota vita* aliud agentibus'.

nuntiat utrum aliquid posse se senectus prohibeat an sapientia vetet. Hucusque nil mutandum esse videtur, neque quicquam obstare iam hic monere volo, quominus post verba q. s. *quae nolim* interpungatur, — quod neque in Hensii editione, neque in ulla emendatione proposita factum videmus. Quippe omnem lucem in se trahunt verba inter se opposita *sapientia* et *aetas*, *quae non possim* et *quae nolim*, quae obstare videntur ne quidquid sequitur vim suam comminuant.

Quae sequuntur, omni sensu carent. Legimus: '*prodesse habiturus. adqui si nolim quidquid non posse me gaudeo*'. In codice Laurentiano tertia manus litteram *d* vocis *adqui* in *t* mutavit et *gaudeo* in *gaudebo*; in Parisino traditur: *quidquid nou posse e me gaudeo*, quod verbum prima manus emendavit ex infinitivo: *gaudere*. Non defuere, qui ad sanandum hunc locum correctionis conamina protulerint in medium, quibus meam quoque additurus tantum non horreo. Madvig proposuit: 'quae nolim, pro peste habiturus aequi, si nolim quicquam non posse me gaudere'. P. Thomas: 'quae nolim, pro eo habiturus ac si nolim, quidquid non posse me gaudeo'. Kronenberg: 'proinde habiturus atque si nolim, quidquid non posse me gaudeo'. Quae coniecturae quam ob rem displiceant si fusius exponere vellem, iusto longior mea fieret disputatio; unum tantum argumentum non praetermittere liceat, quod in omnes valet. Particula enim *atqui* apud Senecam saepius occurrit; in Parisino plerumque, interdum in Laurentiano depravatur, velut in *atque*, *aut qui*, talia. Raro factum est ut in ambobus codicibus recte traderetur, quod hoc loco evenisse videmus (nam quod littera *d* scriptum est, nil habet momenti). Qua de causa hanc voculam, modo fieri possit, retinendam esse opinor; vitium autem potius quaeram in verbo q. e. *habiturus*. Nemo ignorat, quam crebro formae verbi *habendi* cum formis verbi *abeundi* commutentur; e. g. Tertull. de testim. 4: '*abiit* iam et reverti debet'; codices praebent: *habet*; apud ipsum Senecam Ep. 27. 2: 'sollicitudo non cum ipsis *abiit*'; Laurentianus in margine: 'vel *habet*'. Aptissimus autem quem cum nostro conferamus locus est Ep. 23. 6: 'voluptates ..... in contrarium *abituras*', ubi et Parisinus et Laurentiani prima manus tradiderunt: *habituras*. Fac ergo idem mendum in nostrum textum irrepsisse, et legendum esse '*prodesse*

abiturus': invenimus sententiam contextui si quae alia concinnam [1]), verba in eum quadrantia qui licet extrema aetatis attigerit tamen omnino inutilis esse nolit. Ergo non iam verba sunt animi loquentis et hominis partes sibi accomodantis, sed ipsius Senecae, animo respondentis.

Quam ob rem mihi legendum videtur: '*velim prodesse et abiturus*'. Postquam igitur animus monuit, bene distinguendum esse quatenus aetas, quousque sapientia aliquid facere nos prohibeat, haec ei responderi Seneca fingit: tamen, quamquam abiturus, paululum saltem usui esse velim! Post *nolim velim* facile neglegebatur; accedit quod alterum eiusmodi responsum paulo infra sequitur: 'incommodum summum est' inquis, 'minui et deperire et ut proprie dicam, liquescere', e. q. s. [2]). Cuius responsi refutatio apposite introducitur — ita enim apud nostrum introduci solet — particula *atqui*, ut et aliis locis [3]) et Ep. 17. 5, ubi post hanc obiectionem: 'nondum habeo, quantum satis est; si ad illam summam pervenero, tunc me totum philosophiae dabo', opponuntur haec: '*atqui* nihil prius quam hoc parandum est, quod tu differs'.

Cetera ita emendanda esse mihi videntur: '*atqui, si nolim, quidquid non possum, gaudeo*'. Ecce enim vera quae philosophi animum subit cogitatio quaeque eum consolatur de senili imbecillitate: quae non possumus velle non licet; quod si nolumus, non est quod doleamus. Optime hic locus illustratur illis verbis (Ep. 67. 2), quae eundem praebent sententiarum nexum: 'ago gratias senectuti, quod me lectulo adfixit. quidni gratias illi hoc nomine agam? *quicquid debebam nolle, non possum*' [4]).

Itaque hunc in modum sententiam restituendam esse arbitror: ''*velim prodesse et abiturus*'. *atqui si nolim, quidquid non possum, gaudeo*'.

---

1) *Prodesse* aeque absolute positum occurrit e. g. Dial. III. 6. 4: 'quia vivi noluerunt prodesse, morte certe eorum res publica utatur'.

2) Vide quemadmodum in aliam formam redacta eadem obiectio recurrat Ep. 77. 19: 'sed ego', inquit, 'vivere volo, qui multa honeste facio. invitus relinquo officia vitae, quibus fideliter et industrie fungor'.

3) Cf. Dial. 4. 12. 3; 5. 3. 1; 7. 10. 2; de benef. 6. 15. 1.

4) Porro cf. tota ep. 61, quae ita incipit: 'Desinamus, quod voluimus, velle', et in fine paragraphi 4ae haec habet; 'itaque sic animum componamus, ut quicquid res exiget, id velimus'. Denique 49. 2: 'modo desii velle agere, modo desii posse'.

Epist. 33. 7.

Antequam de hoc loco quid sentiam in medium proferam, pauca praemonenda sunt de iis verbis, quae inveniuntur Ep. 29. 11: ''numquam volui populo placere. nam quae ego scio, non probat populus: quae probat populus, ego nescio'. 'quis hoc?' inquis, tamquam nescias, *cui imperem*: Epicurus'. Frustra enim mea quidem opinione verba illa *cui imperem* a viris doctis nonnullis in dubium vocata sunt [1]. Quippe usitatissima locutio est *imperare alicui aliquid*; porro autem ita adhiberi solet etiam sine obiecto, ut significet: exigere ut reddantur debitae res velut fructus agrorum, aes alienum debitoris, talia; quin etiam plus quam debitas res postulari verbum imperandi nonnumquam indicat, ut *imperare rei* eandem fere habeat vim atque *rem exhaurire*. Exempla sumam ex ipso Seneca; de fructibus, dial. IX. 17. 5: 'ut fertilibus agris non est imperandum — cito enim illos exhauriet numquam intermissa fecunditas —, ita animorum impetus adsiduus labor franget'. De pecunia, ibid. 6. 2: 'alius patrimonio suo plus imperavit quam ferre posset'.

Quid ergo mirum si is, qui cum alibi semper tum hoc loco quoque [2]) sententias egregias ab aliquo auctore mutuas sumptas cum aere alieno confert, se ei imperare dicit, quo etiam atque etiam utitur feneratore?

Itaque haec quidem sententia omni mendo caret; aliter vero res se habere videtur Ep. 33. 7 ubi legimus: 'turpe est enim seni aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. 'hoc Zenon dixit': tu quid? 'hoc Cleanthes': tu quid? quousque sub alio moveris? *impera* et dic, quod memoriae tradatur'. Profecto neminem latet, sermonem hic esse de eadem re ac superiore loco: de praeclaris sententiis dico ab alio sumptis; ii scilicet reprehenduntur, qui iam adulti in verbis suis et scriptis alienis sumptibus liberales sunt. Quid autem sibi vult illud *impera et dic*, e. q. s.? Mihi quidem pellucidum non esse fateor. Clarissimus vir nostras Van der Vliet quondam legendum proposuit: '*sub alio merebis? et ipse impera*', qua coniectura quamvis spe-

---

1) *imputem* Rossbach; *tamquam nescias, aes cui imperem* Buecheler.

2) § 10: 'sed ne ego quidem me sordide geram in finem aeris alieni et tibi qnod debeo inpingam'.

ciosa vereor ut acu rem tetigerit, quoniam huius enuntiati cum sequentibus in obscuro manet nexus.

Nescio an leve admodum vitiolum hoc loco nobis obstet, quod tollas quaeso addendo — sit venia ὀξυμώρῳ — praenomine q. e. *tibi*; ergo: *tibi impera*, i. e.: noli diutius aliorum inniti ingenio, sed a te ipso exige, quae tibi opus sunt. Cf. quae supra dicit philosophus: 'certi profectus viro captare flosculos turpe est et fulcire se notissimis ac paucissimis vocibus et memoria stare: sibi iam innitatur'. Atque operae pretium est animadvertere, in duobus codicibus Parisinis addita copula scriptum esse *et impera*, quod quin ex pronominis compendio ortum sit (*t[i] impera*) vix dubito.

Non tantum ...., sed .....

Postremo nonnulla in medium mihi proferenda sunt de sententiis vel sententiae partibus haud raro apud nostrum occurrentibus, quae ita compositae sunt, ut altera pars a verbis q. s. *non tantum*, altera a coniunctione q. e. *sed* incipiat. Ostendere enim conabor, stetisse per hanc copulationem quod ad vim eius coloremque attinet non satis intellectam, quominus compluribus locis aut verus sensus perspiceretur aut simplex medela adhiberetur.

Notatu dignum est, in Senecae epistulis multo plures inveniri sententias per *non tantum, sed* quam per *non tantum, sed etiam* inter se coniunctas. Haec autem ratio duo enuntiata inter se conectendi semper et ubique eandem vim habet: utrique parti ita coniunctae idem momentum inesse indicat, quarum posterior graviore quidem emphasi gaudeat, ita tamen ut prior inter pares habenda sit. Idem igitur fere valet atque coniunctio *cum* ....., *tum* ....., vel *et* ....., *et* ....., dummodo in hac vertenda partem posteriorem priore loco ponamus, ne sententiae momentum suo loco cedat. Primum quod in epistulis occurrit exemplum hoc est, Ep. 9. 6: 'habet autem *non tantum* usus amicitiae veteris et certae magnam voluptatem, *sed etiam* initium et comparatio novae'.

Prorsus autem aliter res se habet in copulatione quae est *non tantum, sed*. Nescio enim an non semper viri docti rationem sibi dederint, quae vis deinceps his particulis attributa sit. Equidem puto, tres praesertim coniunctionis q. e. *non tantum, sed* adhibendae rationes discerni posse, quarum — ut sit saltem cuique quo distinguatur nomen — primam *copulativam*, secundam *correc-*

tivam, *adversativam* tertiam *rationem* vocare velim. Cumque alia scilicet ex alia creverit, haec tantum puncta determinantia sunt lineae mutatam notionem indicantis, nec raro difficile factu est, certam speciem certo generi tribuere; quin etiam nonnumquam fieri non potest, ut singuli casus in singula loculamenta cogantur.

Primo igitur *non tantum, sed* vim habet *copulativam*, id est: prorsus idem significat atque *non tantum, sed etiam*. Veluti Ep. 24. 13: 'non hominibus tantum, sed rebus persona demenda est'; Ep. 52. 7: 'adiuvare nos possunt non tantum qui sunt, sed qui fuerunt'. Utroque loco addita vocula *etiam* sententia non mutatur. Haud crebri autem loci occurrunt, ubi haec significatio invenitur.

Ceteris locis ita vertere possumus: *non tam* ....., *quam* ....., sed accentu nimirum satis diverso. Ubi rationem *correctivam* discernere mihi videor, auctor haesitans ut ita dicam nec sui satis certus sic pronuntiat: '*non* ..... *tantum* ..... *hoc* ....., *sed* ..... *illud* ....., id est: *hoc* ....., *vel potius illud*, *immo illud*, *quin etiam illud*. Ergo arte sua rhetorica usus quasi se ipse corrigit non alio proposito nisi ut sententia emendata in plena luce collocetur neve quicquam eius momenti irritum pereat. E. g. ep. 120. 4: 'utar ego illo (verbo) ..... non tantum tamquam recepto, sed tamquam usitato' (i. e. utar illo tamquam recepto, vel potius tamquam usitato; ep. 46. 2: 'exhausi totum (librum tuum). non tantum delectatus, sed gavisus sum' (i. e.: delectatus, vel potius gavisus sum).

Ipsa ratio docet, his locis duas imprimis res animadverti posse, primo, verba emendata saepe ea esse quae ut usitatissima in periculum veniant propriae notionis perdendae, quam ob rem hoc modo auctor iis succurrere conetur; secundo, duo illa enuntiata per *non tantum sed* coniuncta non multum differre significatione, immo tantum non synonyma esse (ut supra: receptus — usitatus; delectatus sum — gavisus sum) [1]).

1) Quod Gertzius non videtur perspexisse, quippe qui in libro cui titulus 'Studia critica in L. Annaei Senecae Dialogos', p. 50, ubi sermo est de loco Dial. lib. I. 3. 7 ('revocatus tantum non retro cessit sed longius fugit'), ita disseruerit: 'corrector aliquis verba *tantum non* transponenda esse significavit, quod omnes editores probaverunt. Sed in hac scriptura primum *non tantum* pro *non tantum non* accipi debet, cuius usus ante *sed* (*sed etiam*) nullum exemplum vidi (nam quod in *non modo* fit, id non statim ad *non tantum* (*solum*) transferri posse puto); deinde ferri non potest, quod *retro cessit* ita enarrare cogimur, quasi significet *Romam rediit*, quum prorsus

Venio ad tertiam rationem qua Seneca coniunctione nostra utitur, cui vis inest *adversativa.* His quoque locis eam vertere possumus: *non tam, quam*; iam vero omnis dubitatio sublata est, pro certo auctor affirmat: *non tam hoc, quam illud,* id est: *non hoc, sed illud.* Quod Ep. 24. 8 factum esse videmus, ubi de Catone Seneca hoc dicit: 'non tantum Caesari sed sibi iratus nudas in vulnus manus egit'. Profecto non hoc voluit, Catonem quo Stoica doctrina vix ullum novit exemplum illustrius, 'Caesari iratum' fuisse: immo non tam Caesari quam sibi fuit iratus, *nonCaesari sed sibi.* Itidem epistulae octogesimae initio legimus: 'Hodierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos ad sphaeromachian avocavit'; i. e. non tam meo quam spectaculi beneficio vaco: *non meo beneficio sed spectaculi.*

Quae si recte disputata sunt, primo commemorare velim locum qui est **Epist. 124. 1.** Huius epistulae initio duos versus e Vergilii Georgicis laudatos invenimus (I 176 sq.):

'Possum multa tibi veterum praecepta referre,
ni refugis, tenuisque piget cognoscere curas'.

Deinde haec sequuntur: 'non refugis autem nec ulla te subtilitas abigit. non est elegantiae tuae *tam magna sectari sicuti illud probo,* quod omnia ad aliquem profectum redigis, et tunc tantum offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur'. Pro *tam magna* cod. Pincianus habet: *tantum magna.* Porro alii editores alia proposuerunt legenda; Hensius Buecheleri coniecturam optimam esse iudicat: 'non est elegantiae tuae *tam magna sectari secure.* illud probo', e. q. s.

Nonne autem verisimile est, Senecam scripsisse: 'non est elegantiae tuae *tantum magna sectari, sed utilia.* illud probo', e. q. s. Quod attinet ad rem palaeographicam, nil molestiae

---

contrarium sit; denique, quod ad historiam pertinet, nemo umquam Rutilium longius fugisse narravit, sed Smyrnae eum constanter habitasse dicunt. Quare hanc correctionem abiiciendam esse credo, retinendam vero A scripturam ita adiutam, ut scribatur: *revocatus tantum non retro cessit et longius fugit*; sic optima sententia efficitur'.

At nil opus est in scriptura a ceteris scriptoribus probata, *non tantum* pro *non tantum non* accipi, neque *retro cessit* ita enarrare cogimur, quasi significet *Romam rediit. Retro cedere* hic ut ubique idem est atque: retro redire, retro referre pedem (s. vestigia), talia, et sensus est: quamquam revocatus tamen retro cessit, immo longius fugit. Qua re ipsa quaestio sane non soluta est, et Gertzii quoque emendatio habet quod placere possit, sed haec eius argumenta multum valere non opinor.

haec coniectura praebet: *tantum* revera in uno codice invenimus [1]), quo accedit quod compendia vocularum *tam tamen tantum* semper fons iugis fuit errorum. Pro *sicuti* lego *sed utilia,* neque haec correctio temeraria esse videtur, quippe cum vocis q. e. *utilia* exitus inter *uti* et *illud* facile potuerit excidere, et nostri quoque opera plura nobis suppeditent exempla permutationis vocularum *sed* et *sic* (e. g. Dial. IX. 1. 3).

Hoc vero esse mihi videtur quod Seneca in Lucilio laudat: non tantum *magna,* sed *utilia* appetit, ergo: *non magna cupit, sed utilia.* Iam demum apparet, quare ita pergat: 'illud probo, quod omnia ad aliquem *profectum* redigis, et tunc tantum offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur'. Ergo Lucilius etiam quae parvi videntur momenti res studio suo dignas censet neque ab ulla subtilitate abhorret, modo aliquid utilitatis, aliquid profectus sibi referat.

Hoc ergo loco aliud exemplum habemus *adversativae* quam dixi significationis; alibi editores rationem non habuisse puto sensus *correctivi,* quo factum est ut verba omni fere vitio carentia immerito temptarent. Locum dico q. e. **Ep. 123, 5.** Seneca ibi monuit, animum semper corroborandum esse nec non interdum periculum eius faciendum, et quidem de improviso potissimum: *subito.* 'Nam', ita pergit, 'illa sunt certissima argumenta, quae ex tempore dedit, si *non tum aecus* molestias, sed placidus aspexit'. Gertzius legendum putat: 'si modo tum aecus molestias et placidus aspexit'; Buecheler: 'si non stomachosus'.

Quidni autem cum deterioribus codicibus legamus *tantum* pro *tum,* et ceteroquin sententiam integram manere sinamus? Suspicor hoc ne fieret verba illa synonyma deinceps sequentia, q. s. *aequus* et *placidus,* prohibuisse, sed vide quae ea de re supra disserui. Verba Senecae ita accipienda esse credo, ut voluerit: si non tantum aequus, sed placidus molestias aspexit, i. e.: *aequus, vel potius placidus.* Atque hoc modo philosophus mihi locutus esse videtur, quoniam cavere cupiebat ne voci q. e. *placidus* quicquam coloris sui detraheretur vel abalienaretur. Quo colore ut non semper eam distinxit, ita luculenter non-

1) Rossbach quoque *tantum* restituere voluit, legendo: 'tantum magna sectari. scilicet illud', e. q. s.

numquam ornavit, e. g. Ep. 56. 6, ubi Varro Atacinus reprehenditur qui scripserit: 'omnia noctis erant placida composta quiete', quae verba Seneca ita vituperat: 'falsum est. nulla placida est quies, nisi qua ratio composuit'. Itaque nemo nisi *ratione compositus* dignus est qui *placidus* dicatur. Quodsi loco supra citato (Ep. 46. 2) dici poterat: 'non tantum delectatus, sed gavisus sum', nihil obstare arbitror quominus hic legamus: 'non tantum aequus, sed placidus'.

Postremo huc pertinere videtur locus q. e. **Ep. 121, 24.** Huius epistulae in fine Seneca de sui servandi studio agit omnibus animalibus ingenito, et dicit: 'primum hoc instrumentum in illa natura contulit ad permanendum, conciliationem et caritatem sui. non poterant salva esse, nisi vellent'. Tum haec sequuntur: 'nec *non* hoc per se profuturum erat, sed sine hoc nulla res profuisset'. Pro *nulla res* Haasius emendationem non necessariam quidem, attamen speciosam proposuit: *nulla ars*. Praeterea vero negationem illam in sententiae initio necesse est vitio deberi, qua de causa uncinis includi solet. Quod si fecimus, melius quidem sententia me iudice intellegi potest; sed tamen valde metuo ut auctoris menti revera respondeat. Voluitne pronuntiare, caritatem sui *per se ipsam* nondum profuturam esse? Non credo. Nempe paragrapho 19 haec legimus: 'apparet illis (animalibus sc. ratione carentibus) inesse nocituri scientiam non experimento collectam: '*nam antequam possint experisci, cavent*'. Quod nulli rei nisi sui caritati debent, etenim paulo infra (§ 20) additur: 'ex quo apparet, non usu illa in hoc pervenire, *sed naturali amore salutis suae*'.

Nonne ergo veri similius est, compendio male intellecto *non* scriptum esse pro *tantum*, ut legendum sit: 'nec *tantum* hoc per se profuturum erat, sed sine hoc nulla res profuisset'? Ergo servari non possent, nisi vellent. Nec tantum hoc per se iis prodest, sed sublato hoc sui amore (i. e. si nollent) nulla alia res iis prodesse posset.

Ecce etiam exemplum tertiae — vel potius primae — quam supra distinximus rationis adhibendae coniunctionis nostrae, *copulativam* dico, ut *non tantum, sed* idem valeat atque *non tantum, sed etiam*.

DE PLATONIS, QUI DICITUR, PRIORE ALCIBIADE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN,



Quamdiu sit ex quo certa mihi stat sententia abiudicandum Platoni atque, si fieri potest, Platone etiam indigniorem hunc esse habendum dialogum quam alterum illum, quem nemo iam ei vindicat, Alcibiadem haud facile dixerim neque scire magni interest legentium.

Neque nunc narrare attinet qui me his diebus casus denuo ad eum detulerit.

Sed denuo delatus eo sum, et, quod non sine magno confiteor pudore, tum demum in mentem mihi venit iam ante plus quadraginta annos a Cobeto [1]) de eo scriptam disputationem brevem

---

1) Post Cobetum eandem quaestionem tractarunt:

R. Adam cuius venustissima, doctissima, humanissima disputatio legitur in *Archiv für Geschichte der Philosophie* a. 1901 p. 40 sqq. Quem cur data opera refellere conatus non sim satis inde apparet quod *Adamo* Alcibiades noster est „ein nach wohldurchdachtem Plane angelegtes *vollendetes Kunstwerk*". Quid enim attinet cum viro quamvis egregio disputare, cuius iudicium a tuo tantopere discrepet ut ne intellectum quidem iri alterum ab altero ulla spes sit? Et meam et *Adami* disputationem inter se comparet aequus et idoneus iudex et ab utris partibus stare malit ipse declaret. Certe ad exitum non est in Germania res ab Adamo perducta: paucis enim post annis duo exstiterunt docti iuvenes qui singulari industria dialogum nostrum Platoni abiudicare studuerunt:

I. Paulu Vindob. 1905.

H. Arbs Bonnae 1906.

Quorum prior summa industria, mira sagacitate, egregia subtilitate non solum Alcibiadem Platoni abiudicat sed etiam demonstrat e quibus potissimum Platonis locis et quo fere tempore sit consarcinatus. Haud uno nomine maxima hic libellus laude

quidem illam (17 est paginarum et legitur in Mnemosyne anni 1874) sed in suo genere omnibus absolutam perfectamque numeris. Eam ergo primum relegi et — quid opus dicere? — eodem sum effectus modo quo semper, quamcunque a Cobeto scriptam paginam pervolvo, affici soleo.

Quid tandem illud est quod Cobetiana omnia me semper adeo sibi tenuerunt devinctum atque — nam hoc quoque vere possum profiteri — in dies tenent magis? An putas quadam me hic decipi vanitate meique amore? Omnem mihi vanitatem — si qua in me est — ipsa Cobeti adimit recordatio; nam delectatum esse summum virum industria mea et indefesso discendi amore scio, sed non me pluris ab eo factum quam aequales meos, quos ille, leniter quidem et urbane, sed tamen ridebat (an *contemnebat* dicam?) omnes, hoc quoque probe scio.

---

dignus videtur: sermo est purus elegansque, nam 67 illis paginis unum tantum inveni quod parum latinum videretur p. 48 n. 1: „videmus Platonem Agathoni tragoedo in Conviv. optime Gorgiae sermonem *mutuatum esse*" quod hic noto ut appareat quam diligenter totum libellum cum pulvisculo excusserim. Sagacitatem doctissimi iuvenis praesertim in disputatione de Peparethiis p. 66 admiror. Quod „statisticae" rationi nimis indulsit aequi bonique consulo; certa enim spes est posthac eum missam illam facturum; iam nunc eum usus docere potuit neminem unquam sanum hominem statistica ratione adductum eam esse amplexurum opinionem quam non multo antea veram esse persenserit. Quid ergo *numerando* perdamus tempus, cum iam *ratiocinando* ipsam assecuti veritatem nobis videmur? Plura in eandem sententiam mox dicam.

Minus eleganter scripta est *Arbsii* dissertatio sed est, si recte video, etiam bonae frugis plenior. Omissa enim subtili de rebus minoribus (de particulis earumque frequentia et quae sunt praeterea ex eo genere) disputatione, e *sententiis* et tota libri indole efficit qualis homo iste imitator fuerit, quam pusilli animi, quid sibi proposuerit, quo modo e variis Platonis et Xenophontis locis libellum consarcinaverit .... quo denique tempore scripserit. Atque hic evenit aliquid quod mirum et incredibile videri possit sed tamen sit verissimum simulque maximi momenti. Eodem tempore scripserunt *Arbsius Paulusque* et, quod admodum est verisimile, alter alterius ignarus, praeterea disputandi rationibus argumentisque plane diversis utuntur et tamen utriusque disputatio eo competit ut fere anno 340 Alcibiadem nostrum conscriptum statuant (Arbs p. 64, Paulus p. 66). Ingenii vero acumine minime Paulo cedere Arbsium hi prae ceteris loci testantur: p. 50 (*οἱ παῖδες*), p. 49 (*ἄρα*), p. 58 (*ἠρέμα*).

Sed prudentissime omnium, ut solet, Christius haec pronuntiat: „die *Personal-Charakteristik, der Ton* und die Sprache lassen doch die Feinheit Platons vermissen". Aurea haec mihi videntur verba, praesertim eam ob causam quod sic Christius declarat non tam *demonstrari* quam *sentiri* talia et posse et debere. Et fortasse mea quoque disputatiuncula efficietur ut unus et alter quid de Alcibiadis nostri scriptore statuendum sit paulo melius quam antea *sentiat*.

Commune mihi illud esse cum permultis aliis persuasissimum mihi est. Pleraque omnia quae vel a summis sunt conscripta viris prae Cobetianis languere et emortua esse videntur. At in his vivi hominis audimus vocem, vivum contemplamur vultum, non nos soli qui magistro eo usi sumus sed omnes qui quid intersit inter ea quae improbo sint congesta et composita labore et ea quae sponte ex ipsa profluxerint mente viri, qui cum vetustis de quibus agit scriptoribus atque poetis vivat vixeritque semper, aliquo modo intelligere possumus. Solus qui cum Cobeto hoc nomine comparari possit Bentleius est; sed quanto lenior Cobetus urbaniorque, quanto mordacior Bentleius! Profligat hic adversarium et saepe urget iacentem, at ille ut libentissime in castra sua transeat prudenti suavique efficit alloquio.

Hoc certe nemo est qui non statim mihi, utpote saepe expertus, assentiatur, quaecunque a Cobeto scripta sint statim a legente intelligi, cum tanta autem ab eo legi voluptate ut continuo sua faciat omnia et nullo suo labore fideli retineat memoria.

Semper quae de argumento quamvis intricato Cobetus scripsit tribus possunt referri verbis. Alcibiadem Platoni abiudicat quod pro leni derisione facetaque urbanitate, qua verus Plato perstringit eos quos notat, hic scriptor aperta in adversarios inimicosque coniicit maledicta et convicia, et quod hic accuratissimus esse *solet* in ea re quam huius non facit Plato: *temporum* dico rationem. Quamquam hic — atque novum ea mihi praebet res argumentum — utique addita illa voce *solet* opus est, nam unum committit errorem imitator quem ipse Plato committere non potuit: Periclem enim facit anno 433 utentem consuetudine Damonis, qui diu ante in exilium ierat.

Esto, Alcibiadem Platoni abiudicat Cobetus. Quid me eandem causam defendente opus est? Ut libere dicam, simul assentior Cobeto ab eoque discrepo. Neque hic laesae metuo reverentiae crimen. Eiusmodi enim vir est Cobetus ut utrum rem acu tetigisse an a scopo aberrasse tibi videatur parum referat. „E Bentlei" olim dictum est „erroribus plus discis quam e ceterorum omnium veris inventis": idem illud, atque adeo maius aliquid, in Cobetum convenit.

Quid ergo illud est quod Cobetus mihi parum probavit?

Imitatorem esse Platonis qui Alcibiadem scripsit statuit ille. Quid mihi volo amplius? Indignum equidem eum laudibus iudico quibus imitatorem illum afficit tamen Cobetus. Quid enim? „Scitus et venustus homo est" ait „et plenus iocorum quibus te oblectat exhilaratque". At mihi scitum istum et venustum hominem taedium movere, bilem, indignationem palam declaro.

Compara mihi homines quos in scenam inducit cum iis quos veri Platonis dialogi nobis exhibent et alii et praesertim Laches, Euthydemus, Protagoras; exsangues esse umbras, quas e suis scriniis protrahit doctus imitator, statim senties, quarum ut perferas odium ineptiasque sat multum tibi taedii est devorandum.

Quod autem dicebam bilem eum movere atque adeo indignationem, huiuscemodi est. Sedulo das operam ut cum dramatis personis aliquam quaestionem dissolvas enucleesque et aliquamdiu dedisti: ecce subito inde abstraheris abducerisque ad aliam quaestiunculam nullius momenti, quae neque huius sit loci neque ullo modo sponte nunc tibi in mentem venire possit.

Insigne exemplum hic praebet locus:

112E—113C. Rogat Socrates „an ergo verisimile est te iusta et iniusta bene cognita habere, de quibus adeo in incerto versaris, quaeque apparet te neque unquam a quoquam didicisse neque ipsum invenisse? respondetque Alcibiades: *ἐκ μὲν ὧν σὺ λέγεις οὐκ εἰκός.*

Ad finem est perductum hoc disputationis caput et audire gestis quid inde sequatur neque quidquam obstare intelligis quominus statim eo transeatur. Non ita visum imitatori nostro, qui interserat altercationem qua Socrates demonstret non se id dicere sed ipsum Alcibiadem, quandoquidem nunc non is qui roget sed is qui respondeat sit *ὁ λέγων.*

Quis, obsecro, nunc talia hic requirit? Cui non satis est exploratum esse ipsum Alcibiadem earum rerum esse ignarum de quibus iamiam sit ad populum verba facturus?

Imitatorem hic quoque deprehendi dicebam, neque difficile intellectu est quosnam fere ipsius Platonis locos ante oculos habeat. Sponte enim tibi et aliorum venit in mentem et illius in *Menone* (82C—85B), ubi interrogando Socrates docet Menonis pedissequum probe scire ipsum quo modo quadratum sit duplicandum neque se sed illum hoc dicere et demonstrare; at

quam sunt plena hic vitae omnia, quam intermortua illic!

Alium indicabo locum disertiorem etiam atque eiusmodi ut vix te contineas quin totum e manibus eiicias librum scriptoremque facessere hinc iubeas. Est 113E—114B. Haec rogat Socrates: „quid si quam maxime inter se differant iusta et utilia, nonne putas te scire quae sint hominibus utilia et quare?" Tum Alcibiades stomachabundus:

τί γὰρ κωλύει, ὦ Σώκρατες; εἰ μή με αὖ ἐρήσει παρ' ὅτου ἔμαθον ἢ ὅπως αὐτὸς εὗρον.

Hic scriptor decoris et elegantiae memor Socratem induxisset *tribus verbis* significantem se nunc quoque eadem interrogandi usurum ratione quam semel sit expertus tam aptam esse proposito. At noster omnino in disceptationibus sic esse agendum, ut quod hactenus tibi apparuerit idoneum esse argumentum eo uti pergas, *docte* et *copiose* Socratem facit demonstrantem. Sic ille Socratem *εἴρωνα* illum urbanissimum putidum suique similem reddit magistellum.

Quodsi quaeris unde ista habeat noster atque adeo quid eum moverit ut eiusmodi dialogum fingeret, respondendum videtur id quod nescio an „mutatis" aiunt „mutandis" in omnes illos conveniat Socraticos de quibus Cobetus paucis verbis eadem dicit quae post eum spissis voluminibus sunt demonstrata. Et illis et nostro *τὸ ἐνδόσιμον ἔδωκε* Xenophon Memorabilibus suis, e quibus nunc unum protraho colloquium quod huic tam sit simile quam esse potest exemplum imitationi.

Colloquium volo illud Socratis cum Glaucone fratre Platonis. Quam salse hic adolescentulus levis et arrogans ridetur, quam multa ibi leguntur quae nobis *Alcibiadem* legentibus sponte redeant in memoriam. Pauca ex utroque dialogo protraham:

Xenophon simpliciter dicit (III, 6, 1): Glauco rempublicam capessere cupiebat *οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονώς*. Noster *verbose computando* rem eodem deducit:

Σ. ἔχεις οὖν εἰπεῖν τοῦτον τὸν χρόνον, ὅτε οὐκ ᾤου εἰδέναι τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα; Φέρε πέρυσιν ἐζήτεις τε καὶ οὐκ ᾤου εἰδέναι; ἢ ᾤου; καὶ τἀληθῆ ἀποκρίνου, ἵνα μὴ μάτην οἱ διάλογοι γίγνωνται.

Α. ἀλλ' ᾤμην εἰδέναι.

Σ. τρίτον δὲ ἔτος καὶ τέταρτον καὶ πέμπτον οὐχ οὕτως;

Α. ἔγωγε.

Σ. ἀλλὰ μὴν τό γε πρὸ τούτου παῖς ἦσθα. ἢ γάρ;

A. ναί.

Nonne audire tibi hic videaris adolescentulum, qui iubente magistro examplificet exornetque quod alibi breviter atque inornate dictum reperiatur?

Simile aliquid, sed multo etiam disertius, tibi praebent hi loci inter se comparati: Xen. III, 6, 2, Alc. 105 C.

Apud Xenophontem sic iocatur Socrates „si semel te cives sibi praefecerint et alia multa obtinebis ὀνόμαστος δ' ἔσει πρῶτον μὲν ἐν τῇ πόλει, ἔπειτα ἐν τῇ Ἑλλάδι, ἴσως δὲ ὥσπερ Θεμιστοκλῆς καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις.

Quam lepida, faceta, urbana haec omnia, praesertim vero ultima ἴσως δὲ ὥσπερ Θεμιστοκλῆς καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις! „*Fortasse* etiam apud barbaros inclaresces ut Themistocles". Quid noster? Socratem *asseverantem* facit *emori* malle Alcibiadem quam Graeciae esse contentum finibus: καὶ εἰ αὖ σοι εἴποι ὁ αὐτὸς θεὸς ὅτι αὐτοῦ σε δεῖ δυναστεύειν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, διαβῆναι δ' εἰς τὴν Ἀσίαν οὐκ ἐξέσται σοι οὐδ' ἐπιθέσθαι τοῖς ἐκεῖ πράγμασιν, οὐκ ἂν αὖ μοι δοκεῖς ἐθέλειν οὐδ' ἐπὶ τούτοις μόνοις ζῆν, εἰ μὴ ἐμπλήσεις τοῦ σοῦ ὀνόματος πάντας, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀνθρώπους.

„Ohe, iam satis est" exclamet quicunque fucatis praeferat sua sibi splendentia simplicitate. At non satis visum nostro, addit enim:

καὶ οἶμαί σε πλὴν Κύρου καὶ Ξέρξου ἡγεῖσθαι οὐδένα ἄξιον λόγου γεγονέναι

et nunc cum Cyro, fortunae filio, cui nihil non quod inciperet praeclare cesserit, quique omnium regum felicissimus vixerit decesseritque, comparatur miserrimus mortalium Xerxes, quem nihil deceat magis quam tragicum illud ὀτοτοῖ!

Neque omittenda haec:

Xen. § 8 quid scire oporteat τὸν βουλευσόμενον πρὸς οὕστινας δεῖ πολεμεῖν breviter exponit, at noster 107 D primum de eadem re verbose nugari incipit, deinde varia annectit tam multa ut huc illuc te trahentem sequi pigeat.

Apud Xenophontem § 12 tandem aliquando σκώπτομαι exclamat Glauco, apud nostrum σκώπτεις ὦ Σώκρατες Alcibiades. Putare noli leviusculam hanc esse observationem: unum enim illud verbum totum utriusque colloquii continet argumentum.

A Socrate *σκωπτόμενον* adolescentulum depingere longo dialogo imitator studuit, a Xenophonte sumens argumentum.

Lepidissime Xenophon hoc uno exemplo vanum confutat adolescentulum § 15: *τὸν θεῖον οὐ δυνάμενος πείθειν, Ἀθηναίους πάντας μετὰ τοῦ θείου νομίζεις δυνήσεσθαι ποιῆσαι πείθεσθαί σοι.* Noster vero multis ambagibus (114 B) demonstrat: *τοῦ αὐτοῦ ἕνα τε οἷόν τε εἶναι κατὰ μόνας πείθειν καὶ ξυμπόλλους περὶ ὧν ἂν εἰδῇ.*

Xenophon venuste paucis hisce verbis Socratem fingit totius colloquii hanc quasi summam facientem § 17: *εὑρήσεις ἐν πᾶσιν ἔργοις τοὺς μὲν εὐδοκιμοῦντάς τε καὶ θαυμαζομένους ἐκ τῶν μάλιστα ἐπισταμένων ὄντας, τοὺς δὲ κακοδοξοῦντάς τε καὶ καταφρονουμένους ἐκ τῶν ἀμαθεστάτων,* at noster eundem inducit per plus quinquaginta paginas vix ferenda verbositate de una hac re nugantem.

Sed et aliud Xenophontis colloquium huic pseudo-Platonico subiacet, illud Periclis et Alcibiadis dico I 2, 40—46, ubi Pericles ab Alcibiade adolescentulo (et minime negligendum quod et illic istud „nondum viginti annos natus", *πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι* legitur!) discit se nescire quid sit *νόμος* et *νόμιμον.* Nullus unquam locus magis sponte se obtulit imitatori quam hic, qui et hoc habet, quod nunc quoque maximi est momenti, quod, si ex ullo alio, certe ex hoc cognoscitur qualia illa *Ἀπομνημονεύματα Σωκράτους* ab initio fuerint: vera *ἀπομνημονεύματα* nullo ordine, nullo certo consilio, nisi illo ut quam maxime vivam sibi conservaret summi magistri imaginem, ab amantissimo Socratis discipulo chartae commissa; nam nunc quidem partem hoc colloquium efficit sat longae disputationis qua demonstratur verum non esse quod contendat *ὁ κατήγορος* a Socrate corruptos esse Critiam et Alcibiadem. Sed neque quidquam ipsum hoc colloquium affert quo adversarius ille refutetur et ineptissimum in modum praecedentibus (*οἷα μὲν οὖν — πράττουσι τὰ πολιτικά* § 38 sq.) et sequentibus (*ἐπεὶ τοίνυν τάχιστα . . . οὔτ' αἰτίαν ἔσχιν* § 47 sq.) est agglutinatum. Sedulo lectitatam esse eiusmodi Socraticorum colloquiorum collectionem res ipsa fert, simulque intelligitur omnes qui longiores dialogos Socraticos componere vellent iisque Platonem aemulari ex uberrimo hoc fonte sua sibi hausisse argumenta. Quid autem magis

in promptu erat quam incundissimum illud Xenophonteum colloquium sic in suum convertere usum ut quid esset *τὸ δίκαιον* non senior ab adolescentulo sed adolescentulus a seniore disceret?

Esto: imitatur noster aliquod Xenophonteum colloquium, aliudve Xenophonteis colloquiis simile, idque extrahit amplificatve et flosculis exornat qui aut ineptissimi sunt aut aliunde desumpti.

Iam statim in initio quam absurdum ridiculumque cum semet ipso Socratem nobis exhibet! Sic enim Alcibiadem ille alloquitur:

ὦ παῖ Κλεινίου, οἶμαί σε θαυμάζειν, ὅτι πρῶτος ἐραστής σου γενόμενος τῶν ἄλλων πεπαυμένων μόνος οὐκ ἀπαλλάττομαι, καὶ ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι δι' ὄχλου ἐγένοντό σοι διαλεγόμενοι, ἐγὼ δὲ τοσούτων ἐτῶν οὐδὲ προσεῖπον.

Ain vero? Ipsene ergo Socrates fatetur non philosophico se adversus Alcibiadem fuisse affectum amore sed unum fuisse ex isto verorum *παιδεραστῶν* abominando genere, qui non mentes puerorum sed corpora habent in deliciis? Quid enim aliud statuendum de viro qui formosum puerum alloqui quidem non audeat (quia *τὸ δαιμόνιον* vetat scilicet) et tamen tacitus eum usquequaque sequatur, oculos pascens immo ipsam mentem idque spurcissimis cogitationibus et praeterea nihil?

Inepte ergo colloquium orditur Socrates, ineptius etiam, si fieri potest, excipit Alcibiades:

καὶ ἴσως γε, ὦ Σώκρατες, οὐκ οἶσθ' ὅτι σμικρόν με ἔφθης. ἐγὼ γάρ τοι ἐν νῷ εἶχον πρότερός σοι προσελθὼν αὐτὰ ταῦτα ἐρέσθαι, τί ποτε βούλει κτέ.

tamquam si dicat aliquid quod Socrati mirum et inexspectatum sit futurum. At ille nihil aliud exspectaverat idque quotidie per annos haud paucos, quod ipsis illis verbis *οἶμαί σε θαυμάζειν* quam disertissime declarat. Poterat et heri et nudius tertius atque adeo ante unum duos pluresve annos eodem modo Alcibiadem alloqui; at nunc miraculo quodam vix credibili evenit ut eo ipso tempore narrandi capiat consilium quo Alcibiades iamiam est rogaturus id ipsum quod cum maxime narraturus est Socrates.

p. 121 C ineptissimum habes flosculum quo civium Atheniensium sortem cum Regis Persarum illa comparet. „In regia

aula" ait „cum puer natus est, tota Asia et tunc et quotannis eodem die feriae celebrantur":

ἡμῶν δὲ γενομένων, τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ, οὐδ' οἱ γείτονες σφόδρα αἰσθάνονται (*ὁρᾷς τὸν ἐνεστῶτα τοῦτον χρόνον*; tamquam si plus semel singuli cives nascantur!).

Et falsissimum illud est: quo enim humilior quisque est, eo magis, si in eius aedibus infans nasciturus natusve est, ea res cordi esse vicinis solet. Neque aliter se eam rem apud antiquos Athenienses habuisse persuarum nobis esse potest: *homines* enim et illi fuerunt.

Neque latet unde flosculus iste huc sit translatus. Notius enim nihil est quam praeclarus ille in Theaeteto locus (174 B), ubi et alia leguntur et haec: *τὸν τοιοῦτον* (philosophum) *ὁ μὲν πλησίον καὶ ὁ γείτων λέληθεν κτέ.* Quod et ipsum ad eundem eiusdem comici referendum versum, sed quam apte hic adhibitum et quam absurde noster pro *γαμοῦντος* (Plut. Phoc. 30) *γενομένων* reposuit!

Salse iam risit haec Cobetus de Spartanorum regum uxoribus (p. 121 C):

δημοσίᾳ φυλάττονται ὑπὸ τῶν ἐφόρων, ὅπως εἰς δύναμιν μὴ λάθῃ ἐξ ἄλλου γενόμενος ὁ βασιλεὺς ἢ ἐξ Ἡρακλειδῶν

sed suntne minus inepta quae de futuri Persarum regis educatione paulo post leguntur (121 E). „Ad grave hoc negotium e toto populo eliguntur: *ὁ σοφώτατος* qui puerum quatuordecim annorum doceat divinationem, *ὁ δικαιότατος* qui veracitatem, *ὁ σωφρονέστατος* qui continentiam, *ὁ ἀνδρειότατος* qui virtutem"?

Sic hic quoque Xenophonte abusus est noster, qui suavissimum Cyropaediae locum (I, 2, 5—88) in hasce ineptias detorserit, Persarumque educatores commentus sit deorum, quos Romanis colendos dabant indigitamenta, similes. Alio loco absurdissime fabulam Aesopeam lepidissimam in suum scilicet usum convertit (123 A), eam dico ad quam facetissime alludit Horatius Epl. I, 1, 74 sqq.):

Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: „quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum".

Nam monere voluit fabulae auctor homines ne illecebras seque-

retur eo ducturas unde nullus daretur exitus. Nunc nostrum audi:

χρυσίον δὲ καὶ ἀργύριον οὐκ ἔστιν ἐν πᾶσιν Ἕλλησιν ὅσον ἐν Λακεδαίμονι ἰδίᾳ.

Iam hoc satis mirum ob eam rem Spartanorum laudari rempublicam quae (si vera est: nam quando plus auri argentique Spartae fuit quam in reliqua Graecia?) *corruptae* eiusdem reipublicae certum fuit indicium. Sed quid illo auro argentoque fit? Iterum audi eundem:

πολλὰς μὲν ἤδη γενεὰς εἰσέρχεται μὲν αὐτόσε ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, πολλάκις δὲ καὶ ἐκ τῶν βαρβάρων (quo tempore scripta haec censeamus? Certe non Platonis aetate: probe enim Plato eiusque aequales sciebant Spartae potentiam fere 30 annis fuisse circumscriptam 404—371), *ἐξέρχεται δὲ οὐδαμόσε* ....

Miram hanc dixeris „oeconomiam politicam": quantum enim lucrum facere populus potest cui tanta sit auri argentique copia! Et quomodo nunc Spartani mercaturam facere sunt censendi? Vetustone more merces mercibus commutant, ut heroes Homerici, et aurum argentumque anxie ad nullum usum domi servant? Digna tamen haec prudentia videtur nostro quam sic exornet:

ἀλλ' ἀτεχνῶς κατὰ τὸν Αἰσώπου μῦθον, ὃν ἡ ἀλώπηξ πρὸς τὸν λέοντα εἶπε, καὶ τοῦ εἰς Λακεδαίμονα νομίσματος εἰσιόντος μὲν τὰ ἴχνη τὰ ἐκεῖσε τετραμμένα δῆλα, ἐξιόντος δ' οὐδαμῇ ἄν τις ἴδοι.

Haeccine a praeclaro profecta censeamus imaginum pictore? Quid enim commune habent Spartanorum nummi cum vestigiis animalium quae in suo antro devorat aegrotans leo? Et quae sunt nummorum *vestigia*?

Sic ille imitator quaecunque tangit corrumpit, vel mutando vel inepte adhibendo sed praesertim absurde amplificando. Atque huius quidem vitii hic materiem ei prae ceteris Xenophon praebet. Quaedam iam vidimus notavimusque exempla, sed disertissimum omnium nunc addam.

Quis non memoria tenet ex Anabasi haec (I, 4, 9):

αἱ δὲ κῶμαι ... Παρυσάτιδος ἦσαν εἰς ζώνην δεδομέναι,

quis non puer statim intellexit, seu sponte seu verbo a magistro admonitus, formulam esse illud *εἰς ζώνην* qua reginae comptus ornatusque et aliae impensae minores significarentur? Sic apud

nos uxori maritus dare dicitur pecuniam *fibulariam*, sed quis non rideret stultum scriptorem qui de alicuius reginae loqueretur pecunia *fibularia, acuaria, pectinaria, unguentaria*? Quanto etiam ineptior noster, apud quem Socrates capitibus 17 et 18 et alia multa nugatur (ipsa illorum capitum verbositas magis senem decrepitum delirantemque decet quam Socratem Platonicum) et haec:

ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθήν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδόν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός· εἶναι δὲ καὶ ἄλλην ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν, καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τοῦ γυναικός, καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων.

Sic fatuus iste homuncio Xenophontem legit, sic eum suae gloriolae causa depravavit inquinavitque. Aliquo modo hinc computari potest quo fere tempore fetus natus hic sit. Prorsus inutile est hic sero natum istum Olympiodorum citare testem, nam Aristidis tempore sine ulla fraudis suspicione dialogus vulgo tamquam Platonis opus genuinum lectitabatur [1]). Sed simul apparet, ut minimum dicam, saeculo post Xenophontis Anabasin in lucem prodiisse, cum iam de regno Persarum tamquam de fabulosa aliqua regione loquebantur homines. Omnia eo ducunt ut Galeni potissimum utamur testimonio quod p. 373 (Mnem. 1874) citat Cobetus. Cuius Ptolemaei vel Attali tempore in bibliothecam aliquam regiam illatus sit dialogus definiri iam non potest.

Denique et hic flosculus Platonicus sub finem libri satis inepte est adhibitus. Novimus omnes praeclarum illum locum e *Rep.* p. 600 E:

ἀλλὰ Πρωταγόρας μὲν ἄρα ὁ Ἀβδηρίτης καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος καὶ ἄλλοι πάμπολλοι δύνανται τοῖς ἐφ' ἑαυτῶν παριστάναι ἰδίᾳ συγγιγνόμενοι, ὡς οὔτε οἰκίαν οὔτε πόλιν τὴν αὑτῶν διοικεῖν οἷοί τ' ἔσονται, ἐὰν μὴ σφεῖς αὐτῶν ἐπιστατήσωσι τῆς παιδείας, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ σοφίᾳ οὕτω σφόδρα φιλοῦνται, ὥστε μόνον οὐκ ἐπὶ

---

1) Et fortasse iam a Cicerone lectus est. Vide acutissimam de hac re Adami disputationem, praesertim de loco in *de Off.* I § 87.

ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτοὺς οἱ ἑταῖροι [1]), *Ὅμηρον δ' ἄρα οἱ ἐπ' ἐκείνου, εἴπερ οἷός τ' ἦν πρὸς ἀρετὴν ὀνινάναι ἀνθρώπους, ἢ Ἡσίοδον ῥαψῳδεῖν ἂν περιιόντας εἴων, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἂν αὐτῶν ἀντείχοντο ἢ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἠνάγκαζον παρὰ σφίσιν οἴκοι εἶναι* (ecquid *μεῖναι*, quod egregie *τῷ περιιέναι* opponatur?), *ἢ εἰ μὴ ἔπειθον, αὐτοὶ ἂν ἐπαιδαγώγουν ὅπῃ ᾖσαν, ἕως ἱκανῶς παιδείας μεταλάβοιεν;*

Audi nunc nostrum Alcibiadem, qui postquam iubente Socrate dixit *ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ* fore ut effugiat *τὸ δουλοπρεπές* quo laboret, hunc etiam late splendentem assuat pannum:

καὶ πρὸς τούτοις μέντοι τόδε, ὅτι κινδυνεύσομεν μεταλαβεῖν (Cob. pro *μεταβαλεῖν*) *τὸ σχῆμα, ὦ Σώκρατες, τὸ μὲν σὸν ἐγώ, σὺ δὲ τοὐμόν· οὐ γὰρ ἔστιν ὅπως οὐ παιδαγωγήσω σε ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, σὺ δ' ὑπ' ἐμοῦ παιδαγωγήσει.*

Quae a praecedentibus sunt quam alienissima. Vide enim quam inter se sint diversa haec: *λέγω δή* (*ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ*) et „insuper dico *παιδαγωγήσω σε*", et, tamquam si nondum satis ornamenti esset additum, praeterea *σὺ δ' ὑπ' ἐμοῦ παιδαγωγήσει* ait, tum demum omnia recte se habitura ratus si *παιδαγωγήσω σε, σὺ δ' ὑπ' ἐμοῦ παιδαγωγήσει* dixerit. Facessat hinc verbositas ista. Si pulchra clausula ineptus dialogus bonus fieri posset, verbis *λέγω δή* finis ei erat imponendus, sic:

S. Nostine quo modo istud vitium (*δουλοπρεπείας*) effugias?

A. *ἔγωγε.*

S. *πῶς;*

A. *ἐὰν βούλῃ σύ, ὦ Σώκρατες.*

S. *οὐ καλῶς λέγεις, ὦ Ἀλκιβιάδη.*

A. *ἀλλὰ πῶς χρὴ λέγειν;*

S. *ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ.*

A. *λέγω δή.*

Ne hoc quidem sensit noster, sed intempestive lepidissimi illius in Republica memor ornamenti, ne illius quoque addendi facultatem omitteret, satis absurdum dialogum suum ultro corrupit.

Satis absurdum dicebam, et nunc ea verba repeto simulque ex huiusce disputatiunculae initio illa: „indignationem movet".

---

1) Virgula, non semicolo hic opus est!

Nam indignor ista omnia legens mihique pro Platonicis venditari reputans. Sed nusquam magis quam p. 126 E—127 C ubi sophismate vix tolerando demonstratur scilicet eorum qui *τὰ δίκαια πράττουσι* nullam *Φιλίαν* esse posse!

Vocabulorum usus (id quod et Cobetus observavit) et omnino sermo purus. Ergo primum neque olim ut scirem dedi operam neque nunc ut sciam operam dare volo quoties quot paginis et hic et in genuinis Platonis libris singulae ponantur particulae. Nam ex quo strenui illius Poloni pervolvi tabulas, mira — immo vero dira atque horribili — compositas industria, certa mihi stat sententia ea, quamdiu vivere mihi dabitur, amplexandi quae ante triginta fere annos disputavi in *Analectis Xenophonteis* de particulae *μήν* apud Xenophontem usu, et tum non Herwerdeno Naberoque solis sed et plerisque apud exteros probavi viris doctis. Quodsi, id quod abominor, unquam eo meae fortunae redeunt ut noviciae isti pauperum scientiae manus dare cogar, non quidem cum iuvene Terentiano emori cupiam, sed omnem missam faciam philologiam ut rem sanae menti funestissimam.

Sed ne conquirenda quidem alia censeo vocabula insolite vel prave hic adhibita, velut:

p. 104 B *τῶν βαρβάρων ἐν πολλοῖς καὶ μεγάλοις γένεσιν.* Quamquam hic fortasse *ἔθνεσιν* legendum; facile enim *μεγάλοι*C ЄΘνεσιν corrumpi potuit in *μεγάλοι*C Єνεσιν idque prave suppleri litera *γ*. Nam vide p. 120 E ubi recte *γένεσιν* adhibetur: *ἐν γενναίοις γένεσιν.*

p. 119 C *ὡς ἀνάξιον τῆς ἰδέας καὶ τῶν ἄλλων τῶν σοι ὑπαρχόντων.* Ubi quomodo vox *ἰδέα* sit accipienda non video.

p. 124 A Mirabitur, o Alcibiades, Spartani regis mater *εἰ σὺ ἐν νῷ ἔχεις τῷ υἱεῖ αὐτῆς διαγωνίζεσθαι οὕτω κακῶς ἠγμένος.* Ultima vocabula non intelligo.

p. 124 C *ἡ ἐπιΦάνεια famae celebritas*, quo sensu nusquam ea vox apud Platonem invenitur.

p. 127 B *ταύτῃ ... ὅταν* pro *τότε ... ὅταν.*

p. 130 C *μηδὲν ἄλλο τὸν ἄνθρωπον συμβαίνειν ἢ ψυχήν* pro simplici *εἶναι.*

p. 131 D *λήγοντος τοῦ σώματος* hoc sensu: „iam deflorescente

iuventute". Recte vero paulo post (E): τὰ δὲ σὰ λήγει ὥρας.

Sed haec omnia parvi sunt in nostra disceptatione momenti; maximi vero istud κρήγυοι διδάσκαλοι eo loco (111 E) ubi nulla causa est cur adiectivo ἀγαθός ullum aliud quod magis sit reconditum praeferatur. Hic hic manifesto tenetur, hoc uno laqueo haeret sciolus multo post Platonem natus. Sic Graece loquentem Socratem inducere Plato ne somnians quidem potuit.

AD OVID. EX P. III 1, 21.

Non avis obloquitur, silvis nisi si qua remotis
Aequoreas rauco gutture potat aquas.

Pro voce importuna *silvis* reponendum esse *fluviis* èt ratio palaeographica mihi persuasit èt ipsa loci sententia. Poeta videlicet dicere voluit: Nulla avis hic auditur, nisi si qua gavia, rauco gutture stridens, aquas marinas haurit, quandoquidem fluvii hic inveniuntur nulli.

Iam supra (vs. 17) regionem Tomitanam compellans conquestus erat:

Nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini:
Qui potus dubium sistat alatne sitim.

Itaque regionis incommoditatem, quam primum pleno disticho lamentatus est, deinde obiter iterum tangit ubi avium orbitatem, novam eorum locorum molestiam, deplorat.

P. H. D.

PSYCHE ANCILLA.

SCRIPSIT

JACOBUS VAN WAGENINGEN.



Quae Helmius [1]) nuper egregie exposuit de Amoris et Psychae narratiuncula Apuleiana, nimirum effecerunt, ut multi dubitare inciperent, essetne revera fabula illa apologus vel id quod Germani 'Märchen' nos 'sprookje' vocamus, vel saltem narratio e pluribus apologis vulgatis constructa, ut Friedlaender [2]) aliique voluerunt. Nec minus Helmi verbis eorum sententia labefactata est, qui cum Iahnio et Reitzensteinio [3]) putarent totam fabulam vel magnam partem eius allegorice esse intellegendam. Helmius autem proxime ad Dietzi [4]) et Scholleri [5]) opinionem accedens narrationem Apulei statuit esse neque apologum neque allegoriam, sed Graecum mythum deorum — in quo sine dubio vestigia apologi inesse possent — non antiquissimis temporibus, sed aetate Alexandrina, ut aiunt, compositum, quem Apuleius imitatus esset et additamentis suis auxisset. Verum origo mythi illius Graeci mihi videtur ad tempora etiam recentiora pertinere neque multum distantia ab Apulei ipsius aetate. Nam si nobiscum reputamus apud Meleagrum epigrammatum

1) Neue Jahrb. 1914 p. 170—209.

2) S. R. I p. 522 sqq.

3) Das Märchen von Amor und Psyche bei Apuleius, 1912, p. 9, 10; Eros und Psyche in der ägyptisch-griechischen Kleinkunst, 1914.

4) Philol. LIX (1900) p. 136 sqq.

5) De fabula Apuleiana cet. diss. Lipsiensis (1911) p. 67.

poetam [1]) saeculi primi ante Christum natum Psychen illam cum Amore iunctam nondum formam habere comprehensibilem, sed animantem quandam pennatam esse, adumbratam sine certis lineamentis, neque Ovidium hanc fabulam cognosse et in usum suum convertisse, necesse est in litteris Graecis satis multum temporis praeterisse, antequam ad id perventum est, ut fingere mens poetae auderet Psychen puellam mortalem, quae multis magnisque laboribus exanclatis, a Iove immortalitate aucta, uxor Amoris fieret. Neque hanc conclusionem effugere possumus statuentes Apulei temporibus vocem 'Psyche' iam vulgare nomen ancillae factum esse [2]) (quod per se negari non potest), nam simulatque Psyche iuxta Amorem posita est, èt Graecus èt Romanus unusquisque eruditus non poterat non cogitare de Psyche illa, humana specie induta, quam satis ex artis monumentis nosset [3]).

Verum in Helmi interpretatione etiam aliae sunt difficultates solvendae. Etsi concedas Apuleianae narrationi similia inveniri argumenta in Herculis et Ius fabulis, in poesi Alexandrina, in narrationibus eroticis aetatis imperatoriae, quae non pauca ex poesi illa hauserunt, tamen nemo negare possit in priore parte fabulae Apuleianae esse indolem illam quam in apologis vetustioribus admiramur, neque apologi vestigia in posteriore deesse, neque ibi nomina qualia sunt *Sobrietas, Consuetudo, Sollicitudo, Tristities, Voluptas* omnino allegoriae notionem tollere posse. Accedit alia quaestio, nondum ab ullo interprete enodata. Cur Psyche regis filia subito in altera narrationis parte evadit *ancilla* Veneris? [4]) An quia in utero gestat infantem ab Amore procreatum et Venus futuram nurum spernit et odit? At hae causae vix sufficiunt, ut scriptor regis filiam induxerit ad servitutis condicionem abiectam et quasi Veneris fugitivam per Mercurium praeconem quaerendam [5]). Quin etiam regis filiam, cum diu quaesita ultro se offert, Veneris domum intrantem ita alloquitur *Consuetudo*:

1) Anth. Pal. V 57, 179; XII 80, 132 (*ψυχὴ δυσδάκρυτε*).
2) Helm l.l. p. 208.
3) Beck, praef. ed. p. XIV sqq.
4) Ap. Met. Helm p. 133, 19; 134, 2, 24; 138, 2; Helm l.l. p. 195.
5) Aliter res se habet in carmine illo Moschi, quod inscribitur Ἔρως *δραπέτης*, ubi filius iure dici potest: *δραπετίδας ἐμός ἐστιν.*

'tandem, *ancilla* nequissima, *dominam* habere te scire coepisti'? Oblitusne est Apuleius hoc loco, id quod initio narratiunculae scripsit: 'erant in quadam civitate rex et regina'?

Sed ipsum exordium viam monstrare mihi videtur, qua hoc aenigma solvere possimus. Ibi enim certa sunt vestigia contaminationis duarum fabularum. Altera autem docebat Psychen, regis filiam, quamvis pulcherrimam, non potuisse procum invenire, ut sorores minus pulchrae invenissent. Tum parentes oraculum Apollinis adisse atque iis responsum esse: filiam in altissima rupe collocarent et monstro cuidam uxorem traderent. Parentes tristes imperio oboedisse filiamque in saxo destituisse, Psychen vero a Zephyro in vallem profundam delatam ad dei cuiusdam palatium pervenisse, cuius mox uxor fieret, sed ea condicione ne umquam in personam vel nomen mariti inquirere vellet. Mox tamen Psychen, quam interdiu a marito relictam vitae solitudinis taederet, vix concedente illo sorores suas ad se recepisse, a quibus miserae uxoris curiositatem tantopere esse stimulatam, ut nocte quadam sibi temperare non posset, quin lucerna ad lectum allata exploraret, quis et qualis maritus dormiens esset. Tum a deo stilla olei ardentis e somno suscitato divortium factum esse, quia deus a puella mortali coram conspectus esset. Quod Apuleius hisce verbis expressit, quae facit Amorem dicentem: 'conciliatrices egregiae tuae tam perniciosi magisterii dabunt actutum mihi poenas, te vero tantum fuga mea puniveroʼ (p. 122, 10 Helm). Hic finis prioris fabulae fuisse mihi videtur.

Altera docebat Venerem iratam Psychae ancillae suae, quod pulchritudine sua deae longe praestaret, Amorem filium suum cohortatam esse, ut aemulae amorem inspiraret hominis infimi et miserrimi. Tum Amorem Psychen conspicatum ipsum eam amare coepisse et puellam in silvam quandam abduxisse, ut una cum ea esset. Hanc rem a gavia Veneri esse enuntiatam, deamque ira incensam per Mercurium praeconem curasse ancillam suam quaerendam et investigandam. Deinde Psychen sponte sua, cum frustra opem in terra quaesivisset, ad Veneris aulam venisse ibique fugitivam gravissimas poenas dedisse pulchritudinis suae et amoris furtivi. Interea Amorem non stilla lucernae ardentis, ut Apuleius voluit, sed ipsum sua face adustum aegrum

iacuisse in matris aedibus, severe ab ea custoditum, ne puellam cerneret. Denique Iovem ab Amore exoratum, Venere placata, Psychen immortalem et Amoris uxorem reddidisse.

Hae duae fabulae in unam confusae sunt: regis filia cum ancilla Veneris, monstrum ab Apolline indicatum cum Amore coaluit. Illius confusionis vestigia non omnino oblitterata sunt sed remanserunt, praesertim in oraculo (p. 100, 21 Helm), cuius verba non minus in monstrum quoddam quam in Amorem cadere possunt. Manet porro inaequalitas haec in tota narratione, ut quae Psyche in priore fabula fuerit regis filia, in altera Veneris ancilla fiat. Fortasse etiam in verbis, quibus gavia Venerem alloquitur, latent quaedam, quae ad pristinam formam fabulae posterioris spectant. Nempe ibi sermo est de 'montano scortatu' (p. 125, 15 Helm), quae verba sane possunt referri ad consuetudinem, quae Cupidini cum Psyche in palatio subterraneo fuit, sed multo magis quadrant in eius cum matris ancilla fugitiva amores.

Quam ob causam Psyche, si regis filia esset, Mercurii praeconio obsecuta, aditum ad Venerem petitura fuerit, difficile est dictu. Respondeat quispiam: ut amatorem reperiret. Sed unde sciebat Amorem matris domi latere? Deinde non facile intellegas, quam ob causam Venus, si regis filiam nurum spreverit, summa opera eam quaerendam curaverit. Melius sui et filii animi tranquillitati consuluisset, si Psyche in terra mansisset. Etiam Cupido, cum ab ea avolaret, hoc unum dixit: 'te tantum fuga mea punivero'. Ibi igitur nullam cum puella reconciliationem esse cupit, cum illa imperio suo non audiens fuerit.

Sed quaecumque convicia Venerem in Psychen facientem audimus, quasi dea non sit, sed matrona Romana qualem Iuvenalis Sat. VI 485 sqq. depinxit, explicari et intellegi possunt, si tenemus eam in ancillam suam fugitivam invehi, quae animum filii in errorem induxit et corrupit, non in regis filiam, quam ipse Cupido iam deseruerat.

STUDIA HORATIANA.

SCRIPSIT

C. P. BURGER Jr.

(*Continuantur ex Vol. XLII pag.* 72).



Carm. III 14.

Iam breviter exposui, carmina Horatiana, quamquam lyricis metris scripta, non omnia illius poeseos quam lyricam appellare solemus specimina praebere. Nonnulla eorum cum satiris potius affinitatem produnt; non enim versibus reddunt quae ipse poeta sentit, sed alios loquentes et agentes depingunt ita ut poeta eos observavit. Hoc ab interpretibus non recte perspectum pravas explicationes peperit et causa facta est cur multi viri critici pessime de iis poematis iudicarint, nonnulli autem praeeunte Peerlkampio ea Horatio abiudicarint. Ad haec carmina nunc animum advertamus, et quidem ante omnia ad illam oden de Augusti ex Hispania reditu quam Peerlkampius totam delendam esse censebat.

Vix ullum vocabulum in toto carmine ei probabatur, et quamquam hoc iudicio minime assentiri possumus, concedendum tamen est; eum permulta recte observasse, et interpretationem huius carminis etiamnunc totam fere ab eo pendere. Lehrs qui quatuor strophas servat, et Schütz qui totum carmen improbat, Peerlkampii argumenta repetunt; neque ii qui oden Horatio vindicant, ea refellere potuerunt.

Excipio primam stropham quam Peerlkampius non recte legit:

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit penates
  Victor ab ora.

Ad haec annotavit: „*O plebs.* Non credo simile in omni Latinitate reperiri exemplum. Iam inusitatum accidisset *o popule.* Quanto magis *o plebs.* — *Morte venalem petiisse laurum.* Laurum multi petunt, non omnes consequuntur. Augustus certe consecutus est, qui victor redierit. Ergo Augustus *mortuus rediit.* Nam qui consequitur laurum morte venalem, is non consequitur nisi pretio mortis."

Qui stropham bene legit, videt haec falsa esse; diserte enim quae plebs modo dixisset ex ipsius loquentis sententia reditu Caesaris esse refutata. Quanto melius Bosscha in *Vindiciis Horatianis* verba poetae interpretatus est: „O levis plebecula, quem modo credebas Herculis ritu venalem morte laurum petivisse et in perniciem properare suam, ecce salvus et victor ex Hispania redit."

Sed ne hoc quidem recte. Verba *Herculis ritu* non ad illum falsum rumorem referenda sunt, sed ad ipsum reditum, nam et Hercules victor ex Hispania redierat. Neque allocutionem ad plebem, nedum ad populum Romanum hic habemus, sed exclamationem in parenthesi positam:

„Caesar, quem modo narrabant laurum morte venalem petere — o quam stulti sunt illi de plebe homines qui talia dicunt! —, ecce salvus et victor, alter Hercules, ex Hispania redit." Ita fere orator noster; nam dubito eum qui haec dicit poëtam appellare. Neque hic gravius exordium agnoscere possum; inde ab initio omnia lyrico poeta vix digna, imo paene ridicula sunt.

Sed in sequentibus strophis gravius offendimur:

Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata divis,
Et soror clari ducis et decorae
  Supplice vitta
Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Iam virum expertae, male ominatis
  Parcite verbis.

Ad haec Peerlkampius multa rectissime observavit:

„*Unico gaudens mulier marito.* Rustica laudatio pudicitiae. *Contenta uno marito*: diversa scilicet a Phryne libertina quae *non uno erat contenta.* Si auctor *unico* posuit pro *egregio*, et ambigue posuit neque satis ad laudem Augusti dixit.

Decorae supplice vitta. Quaenam hic sint matres virginum, quis hic locus sit virginibus, quinam mox iuvenes nuper sospites, nemo interpretum ita expediit ut, si verum dicere velis, te intelligere dixeris.

Vos, o pueri et puellae. Merae tenebrae, in quibus micare operae pretium non est.

Male ominatis parcite verbis. Error in re metrica, vix probabili coniectura tollendus. Atque hactenus auctor versatus est in depingenda communi et publica laetitia. In qua omnia videntur tam frigida et ieiuna, tam obscura et male cohaerentia, ut quicunque hos versus fecerit, ne mediocris quidem poetae nomen tueri possit."

Silentio praeterit seriam difficultatem quam verba *iam virum expertae* praebent, quae a nemine adhuc bene explicata sunt. Alii pro *iam* posuerunt *non* vel *haud*, alii *expertae* in *expertes* mutaverunt, Kellerus proposuit: et puellae *ac* Iam virum expertae. Omnia male. Poetice bene coniunguntur *pueri et puellae*, sed minime credi potest, poetam *feminas nuptas* vel cum *pueris* solis copulasse vel *pueris et puellis* tanquam tertiam cohortem addidisse. Neque credendum est Beckio [1]), Horatium necessitate metri coactum vocabulum *expertae* posuisse pro *experturae*; non tantum qui talia faceret poetae nomine vix dignus esset, sed et ipsum additamentum ad puellarum mentionem non minus ridiculum esset quam id quod nunc legimus.

Praeter omnia ea igitur quae Peerlkampius indicavit, haec verba *iam virum expertae* quae nullum sanum sensum praebent et risum movent, explicatione egent.

Nunc transeamus ad sequentes strophas quae „privati hominis laetitiam" describunt:

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas. Ego nec tumultum

1) J. W. Beck, *Horazstudien*, Haag 1907, p. 26.

Nec mori per vim metuam tenente
  Caesare terras.
I, pete unguentum puer et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
  Fallere testa.
Dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem.
Si per invisum mora ianitorem
  Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae.
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
  Consule Planco.

Non melius quam in praecedentibus poetam in hac descriptione rem gessisse Peerlkampius iudicat. „Quibus cachinnis hodiernum poetam exciperemus, si talia scriberet!" Inprimis reprehendit duo illa praecepta puero data, quae statim dubitatione quadam interiecta quasi revocantur. „Quis puerum iubeat petere cadum vini tam rari ut ipse dubites an forte aliquis tanquam miraculo quodam Spartacum evaserit?" — „*Dic properet* certe nuntiabatur mulieri quae statim esset parata. Tali nemo sanus dederit ianitorem." — „Neque haec ullo modo pertinent ad rem propositam."

Ad ultimos autem versus annotat: „*Non ego hoc ferrem.* Et nondum sciebat an mora per ianitorem esset iniecta. Sic est totum carmen. Alia aliis contraria."

Haec omnia rectissime animadversa nemo adhuc refutare potuit. Quae recentiores interpretes scripserunt, nullius pretii sunt. Kiesslingius serio lectoribus exponit, cur Livia *mulier unico marito gaudens* appelletur, quid *virginum matres* et *puellae virum expertes* sibi velint; de illo *cado Marsi duelli memore* disputat, item de Neaera et eius ianitore, et de Horatio qui consule Planco non dubitasset fictum illum ianitorem sine ambagibus interficere, sed nunc lenior factus omnia aequo animo ferre paratus sit.

Quanto rectius Peerlkampius qui tamen conclusione omnino perversa propter ea quae non probabiliter explanare poterat, carmen Horatio abiudicavit et imperito grammatico attribuit.

Recte Bosscha rogat, „qua ratione tandem grammaticus in

animum inducere potuerit, tractare argumentum quod vix alius sibi celebrandum sumere potuit, nisi qui iisdem ad quae pertinet temporibus vixerit."

Addendum erat, grammaticum talem in versificatione Horatiana versatissimum nunquam certe exstitisse. Relege ultimam strophen, quae senem irascentem ita egregie depingit, ut non grammaticum sed verum poetam Horatio haud inferiorem prodat. Duos autem Horatios fuisse quis credat? Ipsum potius poetam nostrum suo in loco reponamus, sed accuratius quam antea quaeramus, quid hoc carmine significarit.

Manifestum est, senem illum irascentem vivam esse effigiem, sed leviter ridiculam. Non hoc modo aliquis semet ipsum depingit; unde sequitur, in carmine nostro non ipsum Horatium loqui, sed aliam personam sive veram sive fictam verba facere. Nec dubium quin Horatius de industria eum ita loquentem fecerit, ut inde a principio risum moveret. Poetam scilicet mediocrem habemus, die festo verba facientem; neque id impune, nam saepius impetus orationis ex improviso interrumpitur ab auditore iocoso et parum urbano, donec orator omnium cachinnis victus finem facit et ira incenditur. Hoc ut melius perspiciatur, carmen denuo hic describam cum accurata distinctione harum interruptionum.

Herculis ritu modo dictus — o plebs! —
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit penates
    Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata divis,
Et soror clari ducis et decorae
    Supplice vitta
Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae....
Iam virum expertae — Male ominatis
    Parcite verbis ...
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas. Ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
    Caesare terras.

I, pete unguentum puer et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli...
Spartacum siqua potuit vagantem
Fallere testa. —
Dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem...
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito. —
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae.
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

Iam vide versificatorem istum grandiloque incipientem a comparatione Herculea et verbis suis exclamationem *o plebs* leviter ridiculam immiscentem; deinde plane insulsis versibus Liviam et Octaviam evocantem, et matres vitta decoras iis iungentem, ut deinde puerorum et puellarum choros carmen dicturos alloquatur. Tunc ex improviso unus ex auditoribus malignum iocum inicit de puellis *iam virum expertis*; orator subito terrore perculsus malum omen balbutiens deprecatur. In quarta strophe thema suum resumit; aeque inepte privatum suum gaudium depingit et puero imperat ut unguentum et coronas et cadum vini fabulosae aetatis petat. Tum vero homo ille importunus denuo rem turbat dubitatione an talis cadus existere possit interiecta. Ceteri auditores vix risum tenent, orator autem pergit et Neaeram vocari iubet, sed nova interruptio de ianitore omnia perturbat. Cuncti in cachinnos effunduntur et orator finem facere coactus iram vix continere potest.

Ecce egregiam parvam satiram de vivo sumptam, quam nemo nisi Horatius facere potuit.

Recte lecta nos de Horatiana poesi multo melius edocet quam Peerlkampius et alii interpretes. Luce clarius monstrat, canonem illum qui postulat ut in quovis carmine omnia „tam apta et rotunda sint ut nihil demere possis quin elegantiam minuas" falsum esse. Saepius, ut in hac ode, poeta lyrico metro non animi motum effundit, sed aliorum sermones reddit. Qui de his carminibus recte iudicare vult, normam illam Peerlkampianam abicere debet; tum demum videbit, quam egregie poeta homines

observet, quam bene sermones in strophas redigat, et etiam in his humilioribus poëmatis verum poeseos magistrum agnoscet.

Inter argumenta quae poeta hoc modo tractavit, convivia praecipuum locum obtinent; transeundum igitur est ad haec carmina convivalia.

Carm. I 27.

Hoc carmen in medium convivium nos transfert. Convivae ad rixam proni monentur ne barbaro more scyphis abutantur ad pugnam.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est. Tollite barbarum
  Morem, verecundumque Bacchum
    Sanguineis prohibete rixis!
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat. Impium
  Lenite clamorem, sodales,
    Et cubito remanete presso!
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiae
  Frater Megillae, quo beatus
    Vulnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cumque domat Venus
  Non erubescendis adurit
    Ignibus, ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes age
Depone tutis auribus. A miser
  Quanta laborabas Charybdi,
    Digne puer meliore flamma!
Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
  Vix illigatum te triformi
    Pegasus expediet Chimaera.

Si recenti interpreti credendum est, poeta in hoc carmine et

in aliis eiusdem generis res a se ipso in convivio praeclare gestas cecinit. Kiesslingius nobis depingit convivas scyphis et cultris armatos in pugnam ituros! Vates intrat, quietem et silentium imperat, et legibus bibendi institutis sermones a rixis apte ad amores fratris Megillae derivat.

Vehementer vereor ne talis vates imperiosus tanquam importunus et intolerabilis homo omnes scyphos in suum caput fuerit attracturus. Melius Peerlkampius et Hartmanus, qui cultros removent et poëtam inde ab initio inter convivas accumbentem faciunt, quamquam plane perversa methodo secundam stropham de medo acinace exsecant.

Hic Peerlkampium, ut antea optime observantem sed male concludentem agnoscimus. „*Vino et lucernis Medus acinaces*. Variatio sententiae praecedentis: si res et verba spectes, coloris non Horatiani."

Hoc rectissime dictum est. Neque est dubitandum, quin poëta his duabus strophis duos convivas nobis depinxerit, suo quemque modo inter sodales ad rixam pronos verba facientes. Primam stropham eleganter stilo Anacreontico factam, ab ipso Horatio dictam accipere licet. Post eum alius sodalis minus eleganter, sed maiore cum vigore in eandem sententiam loquitur. Qui autem in eius oratione mentionem medi acinacis ad veros cultros refert, is ne in rebus convivalibus plane rudis sit vereor; eiusmodi voces improprie positae inter convivas turbulentos frequenter usurpari et animos fortiter commovere solent; modo dicantur a conviva et facundia et auctoritate inter sodales aliquantum valente.

Neque dubito ad eundem oratorem et ea quae sequuntur referre. Nonne eandem orationem hic agnoscimus? Charybdis et chimaera, et magus ille cum Thessalis venenis nonne affinitatem cum medo acinace produnt? Si autem quaerimus, quis orator ille fuerit qui res mythologicas et orientales et magicas sermonibus inserere soleret, mens sponte ad Maecenatem reportatur. Quid, si ille amico suo poëtice sed frustra rixantes sedare conanti auxilium tulit; si verbis magis idoneis ad leniendos animos iam vino calidos, contentionem exstinguere, et deinde ioco mentibus convivarum apto risum movere et laetitiam resuscitare valuit?

Ipse etiam hic iocus convivalis de fratre Megillae, erubescente illo adulescentulo, qui nomen amoris sui pudore suffusus eloqui recusat, multo melius cum Maecenatis quam cum Horatii ingenio convenire videtur. Hilare certe iocandi genus, et in tali convivio valde opportunum, sed tamen vix ipsius poetae proprium. Eius iocum aliquanto urbaniorem in simili materie notum habemus ex eleganti illo carmine ad Xanthiam Phoceum: „ne sit ancillae tibi amor pudori."

Maiorem igitur nostri carminis partem non ipsius Horatii dicta reddere persuasum mihi habeo. Certe male interpretantur qui putant eum depingere, quantum ipse auctoritate inter sodales valeat. Neque puto, eum in hoc vel in aliis eiusdem generis carminibus res fictas depingere. Imo pro certo habeo, post hilare convivium quae ibi memoratu digna facta essent ab eo in has pulchras strophas esse redacta; neque dubito quin haec parva et viva descriptio poëtica postridie ad sodales missa vel inter eos recitata nemini eorum non magnopere probata fuerit.

Carm. II 11.

De nulla fortasse ode Horatiana magis diversa iudicia a viris criticis emissa sunt, quam de illo potatorio carmine quod editores „ad Quinctium Hirpinum" scriptum esse vulgo contendunt.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Divisus obiecto remittas
Quaerere, nec trepides in usum
Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis, neque uno luna rubens nitet
Voltu. Quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa

Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti? Dissipat Euhius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna dic age cum lyra
Maturet, in comptum Lacaenae
More comam religata nodum.

„Carmen Horatio indignum" Peerlkampius iudicat. „Voluit aliquis experiri, quid in imitando argumento valeret quod Graeci Romanique poëtae, Horatius praecipue, diversis modis tractaverunt. Sed tam ieiunum, tam a suavitate et urbana illa hilaritate remotum nihil apud Horatium legimus. Et universum male cohaeret. Sunt laciniae hinc inde consarcinatae."

Meineke ex contrario scribit: „Carmen hoc non diffiteor me in iis semper habuisse quae orationis castitate, imaginum venustate sensuumque veritate prae ceteris commendantur", et addit: „vide quam diversa sint hominum palata."

Peerlkampio suffragatur Hanow — a Gruppeo citatus —, qui carmen „Horatio indignissimum" putat, et Hartman qui nuperrime eandem sententiam probavit. Lehrsius carmen tuetur, sed ad suum arbitrium textum Horatianum mutat. Gruppeus non uno „grammatico" Peerlkampiano contentus est, sed quinque strophis ab imitatore Horatii conflatis unam ab alio versificatore aliquanto posterioris aetatis additam esse affirmat: carmina scilicet quae sub Horatii nomine servata sunt, non unius lyrici poetae opera esse, sed complurium, eorumque Horatiano ingenio haud plane destitutorum!

Quaerendum igitur est, quomodo fieri potuerit, ut alii et ante et post Peerlkampium idem carmen tanquam Horatianum vel tolerarint vel etiam laudibus extulerint.

Argumentum carminis iam a Doeringio eleganter latine redditum est his verbis:

„Quinctio Hirpino, variis ut videtur curis se maceranti eandem quam saepe aliis amicis, consilii sui medicinam poeta affert. Monet enim eum, ut vanas tam de bellis externis quam de rebus

in futurum usum necessariis curas ex animo eiciat, vitaeque potius brevitate ante oculos sibi posita una secum, dum licet, hilaritati et potationi indulgeat. Quod quidem ut eo magis fiat, ipse statim consilio quod dedit perficiendo manum admovet. Locus amoenus, quo potent, deligitur; vinum Falernum affertur; et psaltria Lyde, facilitate sua in amore satis nota, arcessitur. Audimus igitur Horatium non solum inter ambulandum cum Quinctio in loco amoeno canentem, sed eundem inter canendum quoque videmus agentem; quod quidem totius rei scenam ita ante oculos ponit, ut suaviter delusi ei interesse videamur."

Si haec — neque recentiores, quantum scio, rem melius tractaverunt — obiter legimus, facile intelligimus, lectores vulgo contentos fuisse et omnia bene explicata credidisse. Sed si attento animo relegimus, Peerlkampio concedendum est, carmen, nisi meliorem explicationem invenerit, sano sensu carere.

Non certe vixit ille Horatii sodalis qui curis macerabatur propter pericula a Cantabris vel Scythis imminentia, neque credibile est, serio Horatium argumento illo de Hadria hostibus obiecto amicum consolatum esse. Non certe ipse senex — vel, ut vulgo rem explicant, praecanus — aequalem monuit de iuventate retro fugiente. Neque quae sequuntur quadrant in nostrum poetam. Eum delegisse locum amoenum quo potetur, credi potest; sed praecepta illa puero data de ardente Falerno praetereunte lympha restinguendo, et imprimis de devio scorto arcessendo non profecta esse possunt a viro Horatianae urbanitatis.

Quid igitur? Num cogimur, aut cum Peerlkampio totum poema stigmate notare, aut cum Gruppeo alterum Horatium ingenii paulo inferioris, et tertium qui versus inurbanos addiderit invenire, aut cum Lehrsio hic atque illic versus et verba temere immutare?

Qui poetam amat, a tali iniuria abstinebit, et praeclaras strophas Horatianas corrigere nefas putabit. Ipsa verba pulcherrima sunt, et ad argumentum aptissima. Modo abiciamus pravam opinionem interpretum, qui ipsum Horatium per totum carmen verba facere putant. Non per hasce sex strophas Horatius loquitur, non ipse poeta canit inter ambulandum cum Quinctio, sed audimus aliquot invenes hilares, qui argumentis ineptis sed tamen rei et tempori idoneis amicum haesitantem

incitant ut negotia sua linquat et secum potationi in amoeno loco sub umbra arborum indulgeat.

Una res ad rectam carminis intelligentiam necessaria est, scilicet iuventutis viva memoria, cognitio integra eorum quae iuvenes hilares et alacres cogitare et dicere solent. Virorum criticorum animi ad unum omnes nimis serii sunt et ad iuveniles sermones et exclamationes intellegendas minime idonei. Vide Peerlkampium qui ad verba *Hadria divisus obiecto* haec annotat: „Sive *divisus* referas ad Quinctium sive ad Cantabrum et Scythen, non commode dictum est. Nam Hispani Romanis oppositi sunt in occidente, mare Hadriaticum est in Oriente. Quod ad Scythas, hos totae regiones, Illyricum et Pannonia a mari Hadriatico separabant."

Quanto melius poeta noster sodales suos noverat, quam egregie eorum dicendi genus observavit et versibus reddidit.

Ecce aliquot iuvenes aestatis tempore consilium comissationis sub umbra capientes. Unus ex sodalibus, Quinctius ille, Benevento oriundus ideoque inter amicos Hirpinus appellatus, deest. Eum adeunt et argumentis propriis impellunt ut occupationes serias in praesens abiciat, seque ipsorum consilio adiungat. Quid agat nesciunt, sed temere fictas occupationes ei ascribunt, et idonea argumenta ad eius animum mutandum admovent: „Quaerisne tu, quid Cantabri et Scythae cogitent? Remittas haec in posterum; scis enim, eos longissime a nobis divisos esse et totum Hadriaticum mare iis esse obiectum!" — „Curasne", ita alius amicus non minus facundus interloquitur, „ne perdas quae ad vitam necessaria sunt? Cogita quam pauca aevum nostrum poscat, quam cito iuventas et quae eam ornent a senectute pellantur." — Tum tertius orator de brevitate omnium rerum terrestrium et de naturae humanae exiguitate poëtice agit. Credi potest, iuvenem iam diu his pulchris simulque ineptis argumentis inductum esse ut negotia sua relinquat et amicis se adiungat. Iam eos videmus locum eligentes ubi sub umbra sic temere iacentes potationem ineant. Capillos suos — quos ioco inter iuvenes usitatissimo, sed a viris criticis non intellecto *canos* dicunt — rosis coronant, nunc quoque brevitatis rerum humanarum memores. Unguntur Assyria nardo vel unguento aliquo viliore sed pulchra hac denominatione adornato. Unus ex

iuvenibus philosophice exclamat, curas edaces a Baccho pelli, alius puero imperat ut vinum temperet, alius Lyden cum eburna lyra arcessi iubet. Et nunc vide haec tria dicta inter se diversa, quam apte conveniant ad iuvenum alacrium et hilari potui deditorum ingenia, quam egregie a poeta reddita sint!

Vix necesse erit, refutare quae viri critici ad singulos versus annotaverunt. Praeterire licet quae Peerlkampius scripsit de latinitate singulorum verborum vel locutionum; ridiculum enim est poetam reprehendi a viro docto, quem potius ab illo latine discere oportebat. Omittenda sunt quae viri docti disputaverunt de Quinctio Hirpino et de Lyde meretrice, allatis epistola ad alium Quinctium scripta et duobus carminibus, ubi Lydes alicuius plane diversae mentio fit. Reicienda quoque sunt virorum doctorum variae opiniones de *devii scorti* denominatione [1]). Talia convicia frequenter a iuvenibus inter vina usurpari solent; psaltriam autem, pecuniae causa inter comissantes prodire solitam iis offensam fuisse vix probabile est.

Plane autem evanescunt quae viri docti de ipso Horatio ex hoc carmine deduci posse putaverunt. Argumenta inepta primae et secundae strophae non ipsius poetae sunt; ex canis capillis nihil de Horatii aetate concludi potest, neque quae in ultima strophe dicuntur poetam inurbanum indicant. Omnia ad iuvenum sodalium mentes accommodata sunt. Imo omnia de vivo a poeta observata et in strophas redacta sunt. Nam in hoc carmine, ut in iis de quibus supra egi, non res fictas poëtice describi certum est. Ipse Horatius sine ullo dubio potationis sub platano vel pinu particeps fuit, praeclarae illae argumentationes memoriae eius se insculpsere, rudes illas sed hilares exclamationes avidis auribus excepit, et mox haec omnia summa arte strophis reddidit.

---

1) Peerlkampius rogat, cur Horatius Lyden hic appellet *scortum* et quod etiam turpius, *devium*, et addit, hanc esse consuetudinem interpretum christianorum, ut omnes feminas liberius viventes appellent scorta et meretrices! Contra Nauckius: „*devium* bezeichnet in Uebereinstimmung mit *eliciet* eine nicht ganz gemeine Person." Et Rosenberg: „*devium* vielleicht vom Charakter „schwärmerisch". Der Dichter wähnt leben zu können, indem er nur den Augenblick froh geniesst; aber dieses „froh" ist, wie der Schluss zeigt, schon damals bei ihm ein „künstlerisch und edel"." — Risum teneatis amici.

CARM. III 19.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori
Narras, et genus Aeaci
Et pugnata sacro bella sub Ilio.
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
Paelignis caream frigoribus taces.
Da lunae propere novae,
Da noctis mediae, da puer auguris
Murenae. Tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat. Cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi. Sparge rosas. Audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
Puro te similem Telephe Vespero
Tempestiva petit Rhode.
Me lentus Glycerae torret amor meae.

Hoc carmen omnibus explanatoribus graves molestias peperit. Et, ut Peerlkampii verbis utar, „librum implere possis enarrandis variorum interpretum sententiis de eius argumento et significatione." Unius Doeringii explicationem hic describam, minime probandam quidem, sed tamen iis quae posteriores protulerunt haud deteriorem.

Instat poeta maturando, quod in novi Auguris Murenae honorem cum sodalibus suis instituturus est, convivio. Pars huius

sodalitii est Telephus, doctrinae imprimis, ut videtur, laude conspicuus, et eo ipso forte tempore in ordinanda et enarranda historia graeca occupatus. Hunc igitur poeta iam mittere rerum doctarum et abstrusarum disquisitionem, et id potius quod ad convivium apparandum spectet, agere iubet, Mox quasi in medio convivio iam versetur, et in eo symposiarchi partes agat, leges bibendi proponit, et quot quisque pocula in Lunae, Noctis et auguris Murenae honorem sumat, edicit. Tum morae impatiens, ut tibia statim, fistula et lyra canatur, rosae spargantur, et strepitus, quem non sine invidia morosus quidem senex Lydus cum coniuge sua adolescentula in vicinia audiat, ab insanientibus convivis excitetur, vehementius imperat. Denique, ut amorum quoque in hilari convivio celebrando fiat mentio, Telephi felicitatem, quod ille sponte a Rhode petatur, praedicat, de suo autem infortunio, quod Glycerae sibi in amore paret asperitas, queritur."

Peerlkampius illis praedecessorum suorum explicationibus non contentus aliam viam ingressus est. Octo tantum versus a quibus carmen incipit, Horatii esse putat, eosque scriptos esse ad amicum cuius nomen poeta reticet. „Amicus iste videtur homo fuisse sua eruditione superbus, semper Inachos et Codros et antiquos heroes crepans. Horatius non amabat hominem molestum, qui putabat alios tam libentes ipsum audire quam se audiret et admiraretur loquentem. Itaque eum monet ut potius de coena narraret, ubi et quando essent habituri."

Mirandum est, ei qui talia protulit, ab aequalibus et posteris tantam auctoritatem in rebus literariis esse tributam. Fragmentum illud quod servat, a reliquo contextu avulsum nullius pretii est: „carmen inficetum et nullo acumine se commendans" [1]). Hoc autem dum *poetae* Horatio vindicat, totam illam convivii descriptionem vivam et vere poëticam quae sequitur, *grammatici* opus esse nobis persuadere vult. Et tamen huic pessimo duci pedissequi et imitatores non defuerunt [2]); eorum opiniones nec reddere nec refellere iuvat.

Rectius sine dubio ceteri interpretes integrum carmen servant,

---

1) Bosscha in *Vindiciis Horatianis.*

2) Lehrs, Schütz, Gruppe, alii.

sed longe abest quin eas difficultates quae Peerlkampium vexabant, bene solverint. Sufficit Kiesslingium citare, qui hic quoque ut in carmine supra tractato (I 27) Horatium vatem summum imperium in symposio sibi vindicantem, alios monentem et reprehendentem nobis ante oculos ponit [1]). Quantum discrepat talis Horatius a poeta nostro verecundo et urbano!

Revertamur igitur ad ipsius poetae verba, singulos versus perlustremus et, ut Bosschae verbis utar, „videamus an lyrici carminis nexum, quem *ἔνθεος* poeta sequitur, prehendere possimus."

Ante omnia falsa illa Peerlkampii et Kieslingii et aliorum opinio reicienda est, Horatium in illis de Inacho et Codro versibus sermones de antiqua historia tanquam importunos et molestos notare velle. Nonne ex contrario ipsa illa mentio Codri „non timidi pro patria mori" admirationem prodit? Bella autem „sacro sub Ilio pugnata", quae et omnibus poetis et ipsi Horatio semper in ore sunt, hic quoque aperte cum animi quodam fervore memorantur.

Nec rectius ab interpretibus intellecta sunt quae sequuntur. Verba „Quo Chium pretio cadum mercemur" certo non scripta sunt ad virum doctum investigationibus de antiqua historia intentum, ut Doeringius et Peerlkampius putant. Sed nihilo melius Bosscha et Kiessling aliique haec in medio convivio dici volunt ut argumentum sermonibus convivalibus magis aptum suppeditetur. Credat qui volet, disputationem de cadi vini pretio ab Horatio illis argumentis poëticis et historicis praeferri et convivis commendari! Ceterum hoc quoque minime credibile est, his verbis inter convivas iam accumbentes aut de epulis iterum celebrandis aut de ipso praesenti convivio agi. Ipsi versus rem plane diversam indicant; nobis ante oculos ponunt convivium nondum initum. Is qui loquitur frigore vexatur, adhuc incertus est utrum vinum iam emptum sit necne, et ne id quidem scit, ubinam epulaturi sint.

Tres libationes in honorem novae lunae, mediae noctis et auguris Murenae subito nos transportant in ipsum convivium.

---

1) „Da erhebt sich der Dichter (*vates*) und bringt energisch das Symposion in Gang", etc.

„Iam est in convivio quod nondum erat constitutum" rectissime a Peerlkampio annotatur, qui tamen mira caecitate de tota hac descriptione convivii nihil intellexit. Rogat: „cur statim sine spiramento simul nocti lunae Murenae?" Nihilne igitur vir criticus a poeta discere potest? Ex ipsis versibus luce clarius apparet, a tribus libationibus convivium incipere oportere, easque a magistro bibendi iuberi secundum tempus et locum; nova luna nimirum erat, et iam non longe a media nocte, et illa domus de qua is qui in versibus praecedentibus verba faciebat adhuc incertus erat sine dubio ab augure Murena praebita erat. Reicienda igitur est opinio a nonnullis interpretibus emissa, hic agi de convivio in novi auguris Murenae honorem.

Sequitur expositio legum de miscendo vino, ubi ante omnia ea lectio *miscentor* removenda, et cum codicibus *miscentur* reponendum est. Modus imperativus recte stat, ubi puer pocula ad libationes dare iubetur; in hac expositione suum locum non habet. Non hic iubetur, sed diligenter demonstratur, quot cyathis *commodis* pocula misceantur. Reicienda quoque sunt quae Peerlkampius his versibus obiecit. Iterum hic apparet eum rerum convivalium nimis imperitum fuisse. Qui iuvenis talium comissationum particeps fuit et earum rerum memoriam servavit, hic agnoscet leges ineptissimas sed eo ipso splendidas, neque ullas molestias interpretationis inveniet. Vates scilicet novem cyathos vini sumet secundum musarum numerum, qui autem non „attonitus" est sed modum servare cupit, gratiarum numerum sequetur; nec ipsae locutiones „musae impares" pro „novem musis" et „gratia nudis iuncta sororibus" pro „tribus gratiis" serias difficultates pariunt.

Imperitia illa rerum convivalium magis etiam elucet in hac annotatione Peerlkampii: „*Insanire iuvat.* Insanire, bacchari, furere sunt Horatiana, sed non nisi iusta tantae laetitiae causa, quae hic nulla traditur." Qui haec scripsit, aut iuvenis vino et sodalibus misere caruerit, aut cum ipsa iuventute etiam eius aetatis memoriam abiecerit necesse est. Egregie Horatius his paucis verbis convivium iam aliquanto provectum depingit: vivos aspicimus sodalem illum quem iuvat insanire, qui vehementer indignatur quod instrumenta musica silent, convivam qui rosas spargi iubet, alium qui maligne iocatur de vicino

sene et de vicina ei non habili. Qua in re describi meretur annotatio Peerkampii: „Aliquid nobis *non habile* dicitur, quo apte uti non possumus." Egregia explicatio! — et tamen ipsi viro critico res obscura mansit: „cur *non habilis seni* appelletur, difficile, credo, narratu esset ipsi poetae"!

Ceterum reicienda sunt quae de his vicinis et de personis deinde memoratis ab interpretibus dicuntur. Illam vicinam ipsius Lyci uxorem esse nonnulli autumant; Bosscha et Lycum et vicinam, nec non Rhoden et Glyceram convivio accumbentes facit. Haec omnia falsa sunt; de his personis nihil scire possumus nisi quae ex ipsis versibus discimus.

Ultimi quatuor versus egregie depingunt finem convivii. Insania iam sedata est, strepitus ad finem venit. Duo tantum convivae de amoribus suis colloquuntur. Neque hic quicquam de Horatio et eius amoribus discimus. De Telepho nobis ceteroqui plane ignoto id tantum accipimus, eum spissa nitidum coma fuisse et a bella puella peti. Quae hic inter duos convivas vino deditos dicuntur, in quovis convivio iuvenili Romano vel hodierno locum habere possunt.

Iam singulis versibus perlustratis ad totius carminis contextum revertamur. Convivium lautum et hilare nobis inde ab initio usque ad finem depingitur. Videmus convivas adhuc incertos de epulis nondum initis colloquentes; mox accumbentibus magistrum bibendi tres sollemnes libationes iubentem audimus; regulae de vino miscendo proponuntur; iam convivae vino calidi flamina tibiae et rosas large sparsas poscunt; maligne iocantur de vicinis; tandem colloquiis amatoriis deditos eos linquimus.

Hae transitiones crebrae et subitae in lyrico carmine criticos offenderunt, idque haud immerito, nam recta interpretatio deerat. Eratne credendum Doeringio, poetam haec omnia tam minute descripta temere fingere „quasi in medio convivio iam versetur"? An potius cum Kiesslingio putandum erat, in convivio taedii pleno hanc descriptionem epularum turbulentiorum a poeta cum vigore proponi ut animos excitaret?

Nullo modo rectam carminis interpretationem dare poterimus, nisi hic quoque ut in iis carminibus, quae modo tractavimus rem ita accipiamus, ut descriptionem veram et de vivo sumptam

esse credamus: poetam scilicet epulas quarum particeps fuerat, ita depingere ut omnia quae festive et hilariter dicta essent in versus redigeret. Igitur hic quoque non habemus lyricum carmen secundum canonem Peerlkampianum. Potius aliqua similitudo est inter satiras Horatianas et haec carmina, quae tamen propter metrum inter lyrica locum nacta sunt.

Si haec recte perspicimus, si revera omnia quae hic a poeta narrantur, de ipsa vita sumpta sunt, iam novum officium nobis imponitur, nec licet cum vetere interprete dicere: „de argumento non loquor, habemus et alia eiusdem incudis". Quanta enim est diversitas in his carminibus convivalibus! Si animo attentiore ea legimus, egregie nos edocent de Horatio et eius sodalibus, et de hilari eorum vivendi ratione.

Modo (in carm. II 11) vidimus aliquot iuvenes aestivo tempore comissationem sub arborum umbra instituentes. Hic convivarum ingenium haud dissimile, sed locum et tempus convivii plane diversum cognoscimus. Neque carminis interpretationem rectam et integram existimare licet, nisi perspexerimus huius convivii naturam peculiarem. Non usitatum certe est, convivas vesperi et iam instante convivio adhuc colloqui de pretio vini emendi, necdum scire in cuius domo epulaturi sint. Neque hae difficultates solvuntur, si cum nonnullis interpretibus ex cadi emendi mentione intelligimus sodales „communi sumptu sive de symbolis convivari" voluisse [1]). Cur enim hanc emptionem ipso vespero iam provecto fieri necesse erat; cur etiamtum de domo ubi convivarentur dubitabatur; cur necesse erat ut alius quis domum praeberet?

Ipsa haec verba *quo praebente domum* difficultatis solutionem dant. Redeunt enim alio loco, scilicet in satira Horatiana. In notissima illa itineris Brundisini descriptione (Sat. I 5, 38) legimus, viatores Formiis, „in Mamurrarum urbe", lassos mansisse

Murena praebente domum, Capitone culinam.

Facile intelligimus, in itinere non semper statim omnia inveniri quae complurium viatorum usus postulet. Ibi domus aliena benevole praebita locum habet, neque dubito quin etiam

1) Hanc viam antea et ipse ingressus eram: *Aanteekeningen sectie Letterkunde Prov. Utr. Gen.* 1914, p. 13.

in nostro carmine convivium in itinere celebratum, ad quod Murena domum praebuerat, describatur.

Ecce autem iterum Murenam domum praebentem! Hoc vix fortuito factum esse potest. Credendumne est, Horatium bis cum sodalibus in itinere in loco quodam aliquantum dissito in Murenae domum devertisse? An ipso nostro carmine convivium describitur quod Horatius in illo itinere Brundisino cum Maecenate, Cocceio, Fonteio Capitone et Heliodoro Formiis in Murenae domo celebravit?

Si qua dubitatio restat, attendamus ad rem minutam sed minime negligendam quae utrique loco communis est. Qui ita viatoribus vel sibi familiaribus vel ab amico sibi commendatis domum praebet, etiam culinam utendam dabit. Sed in satira illa Murena domum praebet, Capito culinam; unde sequitur, domum illam ceteris rebus bene instructam fuisse, sed culinam non ad usum fuisse accommodatam, cui rei igitur Capito providit.

Quid autem in carmine nostro? Ibi rogatur „quis aquam temperet ignibus, quo praebente domum". De aqua ignibus temperanda variae virorum doctorum interpretationes occurrunt, „exponunt vel de aqua ad vinum miscendum calefacienda, vel de calidis balneis". Utrumque Peerlkampius reicit, ut *aquam* potius accipiat pro *pluvia.* Si autem attendimus ad illum satirae locum, hic eandem rem plane inusitatam deprehendimus; is qui domum suppeditat, non etiam ignem ad aquam calefaciendam praebet. Hoc ita accurate consentit, ut nihil restet, cur dubitemus convivium carminis nostri in ipso Brundisino itinere in Murenae domo Formiana collocare, ubi Capito aquam ignibus temperandam curavit. Nam hoc nunc manifestum est: Peerlkampii hypothesis de pluvia reicienda est, neque de vino tantum vel de balneis est cogitandum, sed de culinae usu ad convivium maxime necessario.

Nunc carmen nostrum relegamus et omnia suo loco reponere conemur. Horatius cum rhetore Heliodoro „Graecorum longe doctissimo" Roma Tarracinam iter fecerat. Ibi Maecenas et Cocceius „magnis de rebus legati" cum Fonteio Capitone advenerant, omnesque iter continuaverant Fundos, inde Formias.

Ante omnia igitur quaeritur, cuinam illi versus, a quibus carmen nostrum incipit, attribuendi sint. Quis est qui rogat

„quo pretio cadum vini Chii mercentur, quis aquam calefaciat, quis domum praebeat et quota hora ipse frigore careat"? Manifestum est, non ab eo ipso vinum emi, sed tamen hanc emptionem eius rem esse; apparet etiam, eum de aqua calefacienda et de domo suppeditanda non ipsum cum domus et culinae custodibus agere, et tamen hoc quoque eius interesse; id etiam apertum est, eum sero advenire — nam in itinere frigore vespertino vexatus est — et alium de his rebus interrogare. Quae omnia ad unum illum conveniunt qui itineris dux et auspex erat, ad Maecenatem.

Is autem quem alloquitur manifeste ab eo praemissus est cum ipso hoc mandato, ut omnibus his rebus necessariis in tempore provideat. Quis igitur est hic mandatarius? Vel potius quinam sunt hi mandatarii vel antecursores Maecenatis? Nam duos fuisse apparet ex ipsis illis colloquiis de rebus historicis quibus occupati a Maecenate interpellantur. De responso nulla dubitatio esse potest: Heliodorus nimirum et Horatius.

Iam perspicuum fit, eos non inutiles itineris comites fuisse, sed officium proprium iis fuisse impositum. Non sine iusta causa aliquantum ante ipsum Maecenatem et Cocceium Tarracinam profecti erant, et inde etiam mane iter Fundos et Formias iis faciendum erat. Murena sine dubio domum suam utendam obtulerat, omnibus rebus necessariis instructam praeter culinam, sed necesse erat aedium custodem non nimis sero adire, ut omnia ad hospites recipiendos pararet. Credere licet Fonteium eodem modo mandata necessaria ad culinae magistrum dedisse.

Haud dubie viatores nostri toto hoc officio iam recte functi erant et vinum quoque emerant; tum adventum Maecenatis et comitum eius exspectantes — in caupona fortasse vel deversorio — colloquiis tempus terebant. Audimus eos colloquentes de Inacho et Codro, et de bello Troiano, quae res eos tantopere occupatos tenent, ut ne tunc quidem oculos tollant, cum Maecenas et Cocceius cum Fonteio post iter vespertinum longum et frigidum intrant. Hi paulisper aures praebent, sed mox Maecenas iocans interloquitur: „Narras de Inacho et Aeaco et de bellis sub Ilio pugnatis, sed taces de iis rebus quae in praesens maioris momenti sunt."

Quae sequuntur ipse lector animo sibi effingere potest; Heliodorum et Horatium laete experrectos paucis verbis rem omnem enarrare: vinum iam emptum esse, Murenae domum esse paratam ad viatores recipiendos, aquam in Fontei culina iam calefieri.

Ecce brevi post omnibus accumbentibus magistrum bibendi sorte institutum libationes paucis verbis iubentem audimus. Quisnam hoc honore functus sit, nescimus; neque id apparet, an ea quae sequuntur de vini cyathis aut Musarum aut Gratiarum numero exaequandis ab ipso bibendi magistro dicantur. Veri similius est, aliquem ex convivis talium rerum peritum eius rogatu has leges exponere. Id tamen certum est, iocum illum de attonito vate in Musarum honorem novem cyathos sumente, aperte in poetam nostrum directum, non ipsius Horatii esse.


Versus sequentes iam vini Chii effectum nobis ante oculos ponunt; audimus, et paene videmus hilarem illum convivam quem iuvat insanire; deinde alius rosas poscit, alius de vicinis edoctus cavillatur de Lyco sene invido et de pulchra vicina. Sub finem duos convivas de amoribus suis confabulantes deprehendimus.

Multa demum nocte omnes cubitum iisse pro certo habere licet; nihilominus credendum est, Horatium et Heliodorum postridie mane surrexisse, ut iter continuarent. In itinere sine dubio omnia quae pridie evenerant poetae in memoriam redibant; quae lepide dicta erant inde a Maecenatis adventu usque ad illos sermones amatorias, dum mulo vehebatur mente repetebat et sponte in numeros redigebat; neque dubitandum videtur quin hoc carmen convivale deinde vel Sinuessae vel in villula Campano ponti proxima sodalibus omnibus, etiam Plotio et Vario Virgilioque qui nuper advenerant, multam hilaritatem praebuerit et plausum nactum sit.

LUCIANEA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Lucianus ed. Nils Nilén. Vol, I Fasc. 1
Libelli I—XIV. Lipsiae MCMVII.

Phalaris A. C. 10: *ὅταν δὲ βουληθῆτε τοὐμὸν εἰδέναι, τοὺς εἰσφοιτῶντας εἰς Ἀκράγαντα ξένους ἐρωτήσατε ὁποῖος ἐγὼ περὶ αὐτούς εἰμι καὶ εἰ φιλανθρώπως προσφέρομαι τοῖς καταίρουσιν.*

Restituendum est: *ὅταν δὲ βουληθῆτε τοὐμὸν ⟨εἶδος⟩ εἰδέναι.* Cf. c. 8: *ὁρᾶτε δὲ καὶ τοὺς νομοθέτας τῷ κολαστικῷ εἴδει τὸ πλέον νέμοντας.*

Phalaris B. C. 9: *καὶ διὰ τοῦτ', οἶμαι, καὶ αὐτὸ εἰς ὑπερβολὴν ηὔξηται τὸ ἱερὸν καὶ ὑπερπλουτεῖ ἐν τοῖς ἀναθήμασιν.*

Legendum est: *καὶ ὑπερπλουτεῖ ὁ θεὸς ἀναθήμασιν.* Cf. c. 10: *ἐστὶν ἡ σκέψις πρῶτον μὲν ὑπὲρ τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἱερου,* c. 11: *πολλάκις ἀνατεθησόμενα τῷ θεῷ,* c. 12 i. f.: *ὁρᾶτε ὅσων ἀγαθῶν ἐμπέπλησται τὸ ἱερόν, ἁπάντων ἀνατιθέντων καὶ ὑπὲρ τὴν ὑπάρχουσαν δύναμιν ἐνίων δωρουμένων τὸν θεόν.*

Hippias s. Balneum. C. 2: *ὁπόσοι ἐν τῇ θεωρίᾳ λαμπροὶ γενόμενοι καὶ μνημόσυνα ὅμως τῆς τέχνης καὶ παραδείγματα τοῖς μετ' αὐτοὺς κατέλιπον.*

Rothsteinio auctore editor *παραδείγματα* posuit pro librorum mss. scriptura *πράγματα.* Equidem *δείγματα* maluerim cl. c. 8: *τὸ γὰρ ἐν τοῖς κοινοῖς καινὰ ἐπινοῆσαι κάλλους δείγματα, οὐ μικρᾶς σοφίας ἔγωγε τίθεμαι.*

ibid. C. 4: *κρηπῖδα μὲν βεβαιοτάτην ἅπαντι τῷ ἔργῳ βαλόμενος καὶ θεμελίων θέσει τὴν τῶν ἐπιτιθεμένων ἀσφάλειαν ἐμπεδωσάμενος.*

Loci contextus pro *βαλόμενος* flagitat compositum *ὑποβαλόμενος.*

ibid. C. 8: *τί δ' ἂν σοι τὸ ἐπὶ τούτῳ λέγοιμι παλαίστρας καὶ τὰς κοινὰς τῶν ἱματιοφυλακούντων κατασκευὰς ταχεῖαν [τὴν] ἐπὶ τὸ λουτρὸν καὶ μὴ διὰ μακροῦ τὴν ὁδὸν ἐχούσας τοῦ χρησίμου τε καὶ ἀβλαβοῦς ἕνεκα;*

Ed. Schwartzio obsecutus editor *τὴν* delevit, ipse *τινα* coniciens. Voculam bene se habere opinor, in sequentibus vero corrigendum esse: *καὶ μὴ διὰ μακροῦ τινα ὁδὸν ἐχούσας.* Cf. Hercules c. 4: *οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα [τὴν λειριόεσσαν] ἀφιᾶσιν εὐανθῆ τινα.*

Bacchus. C. 1: *ἀσπίσι γὰρ εἴκαζον [καὶ] τὰ τύμπανα.*

Hartmanno aliis auctoribus editor *καὶ* delevit, Rothsteinium *οἶμαι* coniecisse, ipsum *καὶ ⟨δόρασι τοὺς θύρσους καὶ⟩* temptasse addens. Mihi quoque persuasum est aliquid excidisse, cum aliter explicari nequeat *καί*, sed potius credo ita verba supplenda esse: *ἀσπίσι γὰρ εἴκαζον καὶ ⟨τὰ κύμβαλα καὶ⟩ τὰ τύμπανα.* Cf. c. 4: *εὐθὺς δὲ τὰ τύμπανα ἐπαταγεῖτο καὶ τὰ κύμβαλα τὸ πολεμικὸν ἐσήμαινε.*

Utrumque instrumentum aeque simile erat parmulae.

ibid. C. 3: *σφίσι δὲ καὶ νικᾶν αἰσχρὸν ἐδόκει καὶ φονεύειν γύναια μεμηνότα καὶ θηλυμίτρην ἄρχοντα καὶ μεθύον σμικρὸν γερόντιον καὶ ἡμισυν τραγοειδῆ ἄνθρωπον καὶ γυμνήτας ὀρχηστάς, πάντα γελοίους.*

Sub librorum mss. scriptura *πάντας γελοίους* latere suspicor *πάντως γ.* — non *πάντα γ.*, quod e Schwartzii coniectura editor reposuit. Cf. Domus c. 20 i. f.: *ἡ δὲ τῶν ὁρωμένων τέρψις ... πάντως τὸν θεατὴν ὑπάγεται.*

ibid.: *ὅπλον γάρ τι* (*alt. lect.* *τοι*) *Διονυσιακὸν τὸ πῦρ, πατρῷον αὐτῷ κἀκ τοῦ κεραυνοῦ.*

Emenda: *ὅπλον γὰρ δὴ Δ.* Cf. Hercules C. 3: *ὁ γὰρ δὴ γέ-*

ρων Ἡρακλῆς ἐκεῖνος ἀνθρώπων πάμπολύ τι πλῆθος ἕλκει ἐκ τῶν ὤτων ἅπαντας δεδεμένους.

ibid. C. 5: *ὅτι μοι δοκοῦσι ... ὅμοιόν τι πάσχειν οἱ πολλοὶ πρὸς τοὺς καινοὺς τῶν λόγων τοῖς Ἰνδοῖς ἐκείνοις οἷον καὶ πρὸς τοὺς ἐμούς.*

Post *ἐκείνοις* interpungendum est, nam postrema significant: neque aliter meis afficiuntur sermonibus.

ibid. *οἱ δὲ ὡς ἐπὶ τοιοῦτό τι ἥκοντες ἀντὶ τοῦ κιττοῦ σίδηρον· εὑρόντες οὐδ' οὕτως ἐπαινεῖν τολμῶσι τῷ παραδόξῳ τοῦ πράγματος τεθορυβημένοι.*

Pro *ἐπαινεῖν* sententia postulat: *ἐπιμένειν*. Nempe *οἱ μὲν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἀφικνοῦνται ... οἱ δὲ .. ἥκοντες ... οὐδ' οὕτως ἐπιμένειν τολμῶσι.* Ita quoque demum comparatio iusta evadit, quam inter auditores suos instituit et Indos qui Dionysi agmine conspecto *αὐτίκα ἐγκλίναντες σὺν οὐδενὶ κόσμῳ ἔφευγον οὐδ' ἐντὸς βέλους γενέσθαι ὑπομείναντες*, neque promissa facit Lucianus ea condicione ut se laudent sed *ἣν καὶ νῦν ὡς πρότερόν ποτε τὴν τελετὴν ἐθελήσωσιν ἐπιδεῖν πολλάκις.*

Hercules. C. 4: *ταῦτ' ἐγὼ μὲν ἐπὶ πολὺ εἱστήκειν ὁρῶν καὶ θαυμάζων καὶ ἀπορῶν καὶ ἀγανακτῶν.*

Pro *ὁρῶν* Herwerdenus maluit *⟨θε⟩ωρῶν*. Praetulerim *⟨ἐσ⟩ορῶν* cl. c. 8: *καὶ ὁ Ἔρως ὁ σός, ὦ Τήϊε ποιητά, ἐσιδών με ὑποπόλιον* cet. et Xenoph. Cyrop. V 1, 16: *ὅμως δ' ἔγωγε οὔτε πυρὸς ἑκὼν εἶναι ἅπτομαι οὔτε τοὺς καλοὺς εἰσορῶ.*

ibid. C. 7: *ἐμοὶ δὲ ἡνίκα περὶ τῆς δεῦρο παρόδου ταύτης ἐσκοπούμην πρὸς ἐμαυτόν, εἴ μοι καλῶς ἔχει κ.τ.λ.*

Pro *ταύτης*, quod ad *τῆς δεῦρο παρόδου* moleste abundat, reponendum est: *ταῦτα*. In sequentibus enim idem pronomen idem denotat: *τέως μὲν γὰρ ἐδεδίειν, μή τινι ὑμῶν δόξαιμι κομιδῇ μειρακιώδη ταῦτα ποιεῖν.*

ibid. C. 8: *καὶ ὁ Ἔρως ὁ σός ... χρυσοφαέννων εἰ βούλεται πτερύγων ἢ ἀετοῖς παραπετέσθω, καὶ ὁ Ἱπποκλείδης οὐ φροντιεῖ.*

Ascripsit editor: *ἢ ἀετοῖς* corruptum *ταρσοῖς* probabiliter

coniecit Schwartzius. Non credo. Scripsit Lucianus: *πτερύγων ἐρετμοῖς παραπετέσθω*. Cf. Aeschyl. Ag. 52: *πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι* et Lucian. Musca 2: *ἡ δὲ πτῆσις οὔτε κατὰ τὰς νυκτερίδας εἰρεσίᾳ συνεχεῖ τῶν πτερῶν κ.τ.λ.*

Musca. C. 2: *καὶ μὴν κἀκεῖνο πρόσεστιν αὐτῇ, τὸ μὴ καθ' ἡσυχίαν, ἀλλὰ μετ' ᾠδῆς πέτεσθαι οὐκ ἀπηνοῦς οἷα κωνώπων καὶ ἐμπίδων, οὐδὲ τὸ βαρύβρομον τῶν μελιττῶν ἢ τῶν σφηκῶν τὸ φοβερὸν καὶ ἀπειλητικὸν ἐνδεικνυμένης, ἀλλὰ κ.τ.λ.*

Libri mss. *ἀπηνῶς* praebent, quod in *ἀπηνοῦς* Du Soul primus mutavit. Legendum esse suspicor: *ἀπηχοῦς*, quoniam de sono sermo est, neque scio an pro *φοβερὸν* vera sit lectio *σοβαρὸν*, qua importuna *ταπείνωσις* tollitur sive perversa *αὔξησις*, a maioribus descendens ad minora, ut Donati verba sunt ad Ter. Andr. 1, 1, 112.

ibid. C. 9: *ὑπὸ σκότῳ μέντοι, ὡς ἔφην, οὐδὲν ἐργάζεται οὐδὲ ἀξιοῖ λανθάνειν τι πράττουσα, οὐδὲ ἡγεῖταί τι αἰσχρὸν ποιεῖν, ὃ ἐν φωτὶ δρώμενον αἰσχυνεῖ αὐτήν.*

Nonne verba *οὐδὲ ἡγεῖταί τι αἰσχρὸν ποιεῖν* expungenda sunt tamquam languida praecedentium repetitio? In librorum mss. ad unum omnium scriptura *οὔτε ἀξιοῖ*, pro qua Halmio suadente nunc *οὐδὲ ἀξιοῖ* legi solet, indicium priscae lectionis servatum esse mihi videtur.

Nigrinus. C. 21 i. f.: *ὁ δ' ἕστηκεν παρέχων ἑαυτὸν εἰς πλείω χρόνον ἐξαπατώμενον.*

Dicitur vir opulentus, cuius pectus vel dextram pauperes in publico osculantur. Verbum autem *ἐξαπατώμενον* ab hoc loco alienum est, scriptor cum adhuc totus sit in servili salutandi ratione describenda, de qua etiam exponere pergit ita: *ἐπαινῶ δέ γε ταύτης αὐτοὺς τῆς ἀπανθρωπίας, ὅτι μὴ καὶ τοῖς στόμασιν ἡμᾶς προσίενται.* Quae cum ita sint, scribendum puto: *ἐξηρτημένον.* Est enim *ἐξηρτημένος* qui aliquem e collo, *παιδίον τοῦ τραχήλου* puta, habet suspensum.

ibid. 22: [*ἢ μεμφόμενοι*] *τὸ τελευταῖον ἢ δυσφοροῦντες ἀπίασιν ἢ διαβάλλοντες τὸ δεῖπνον ἢ ὕβριν ἢ μικρολογίαν ἐγκαλοῦντες.*

Schwartzio praeeunte editor verba *ἢ μεμφόμενοι* inclusit. Si qua interpolatione locus laborat, verba ultima magis suspicionem movent, quandoquidem verba *διαβάλλοντες τὸ δεῖπνον* ad verbum *μεμφόμενοι* — verba autem *ὕβριν ἢ μικρολογίαν ἐγκαλοῦντες* ad verbum *δυσφοροῦντες* illustrandum a nescio quo ascribi ac deinde in contextam orationem recipi facile potuerunt.

ibid. 23: *εἰ δέ γε κοινῷ δόγματι κἂν πρὸς ὀλίγον ἀπέσχοντο τῆσδε τῆς ἐθελοδουλείας, οὐκ ἂν οἴει τοὐναντίον αὐτοὺς ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας τῶν πτωχῶν δεομένους τοὺς πλουσίους, μὴ ἀθέατον αὐτῶν κ.τ.λ.*

Emblema *τοὺς πλουσίους* quantocius eliminandum est, quod locus ipse arguit.

ibid. 27: *οἳ ταύτην ἄσκησιν ἀρετῆς ὑπελάμβανον, ἣν πολλαῖς ἀνάγκαις καὶ πόνοις τοὺς νέους ἀντέχειν καταγυμνάσωσιν, τοῦτο μὲν θυραυλεῖν οἱ πολλοὶ κελεύοντες, ἄλλοι δὲ μαστιγοῦντες, οἱ δὲ χαριέστεροι καὶ σιδήρῳ τὰς ἐπιφανείας αὐτῶν καταξύοντες.*

Rursus Ed. Schwartzius editori persuasit ut *θυραυλεῖν* scriberet pro corrupta codicum mss. lectione *οὐδεῖν* vel *οὐ δεῖν* vel *ᾄδειν*, cum plerique editores *δεῖν* scripserint, Madvigius dubitanter *νηστεύειν* — ipse Nilenius aeque dubitanter *οὐ δειν⟨όν⟩* coniecerit.

Lucianum scripsisse aio: *τοῦτο μὲν ἰδίειν οἱ πολλοὶ κελεύοντες.*

ibid. 29: *ἤδη δὲ τούτων ἀποστὰς τῶν ἄλλων αὖθις ἀνθρώπων ἐμέμνητο κ.τ.λ.*

Particula *τῶν* deleatur.

Demonax. C. 8: *τοὺς μὲν ... ὑπεμίμνησκεν ὡς ἐπ' ὀλιγοχρονίοις τοῖς δοκοῦσιν ἀγαθοῖς ἐπαιρομένους, τοὺς δὲ ... παρεμυθεῖτο, οὐχ ὁρῶντας ὅτι κ.τ.λ.*

Emenda: *⟨ὡς⟩ οὐχ ὁρῶντας.*

ibid. C. 18: *τῶν δὲ ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς τις Ἀθήνησιν υἱὸν αὐτῷ δείξας πάνυ ὡραῖον, θηλυδρίαν δὲ καὶ διακεκλασμένον Προσαγορεύει σε, ἔφη, ὁ ἐμὸς υἱὸς οὑτοσί, καὶ ὁ Δημῶναξ, Καλῶς, ἔφη, καὶ σοῦ ἄξιος καὶ τῇ μητρὶ ὅμοιος.*

Ex Ed. Schwartzii coniectura rursus *καλῶς* scriptum est. Ego

vero nullus dubito quin lectio librorum mss. omnium *καλὸς* corrupta sit e voce haud aeque frequenti: *κλάδος*.

ibid. C. 56: *εἰδὼς γὰρ αὐτὸν* (sc. *Ἑρμῖνον τὸν Ἀριστοτελικόν*) *παγκάκιστον μὲν ὄντα καὶ μυρία κακὰ ἐργαζόμενον τὸν Ἀριστοτέλη, καὶ διὰ στόματος αὐτοῦ τὰς δέκα κατηγορίας ἔχοντα, Ἑρμῖνε, ἔφη, ἀληθῶς ἄξιος εἶ δέκα κατηγοριῶν.*

Huic loco ut mederentur alii alia inserere voluerunt. Potius credo, eum sanandum esse uno nomine *τὸν Ἀριστοτέλη* deleto, quod interpretatorem aliquem supra voc. *τὰς δέκα κατηγορίας* primum appinxisse suspicor. Ceterum *αὐτοῦ* tam propter praecedens *τὸν Ἀριστοτελικόν* quam propter notissimum illud *αὐτὸς ἔφα* interpretatione non eget.

Domus. C. 3: *τοῦτο μὲν γὰρ ἴσως ἐκείνῳ τῷ νησιώτῃ μειρακίῳ ἔπρεπε, τὴν Μενελάου οἰκίαν ὑπερεκπεπλῆχθαι καὶ πρὸς τὰ ἐν οὐρανῷ καλὰ τὸν ἐλέφαντα καὶ τὸν χρυσὸν αὐτῆς ἀπεικάζειν, ἅτε μηδὲν ἐν γῇ καλόν τι ἄλλο ἑωρακότι.*

Voc. *καλά* a Luciani manu profectum esse nemo umquam mihi persuadebit neque persuadent Hom. Od. IV vss. 74 sq.:

Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή,
ὅσσα τάδ' ἄσπετα πολλά· σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα.

ibid. C. 9: *πλὴν παρ' ὅσον ἐκεῖνα μὲν ἀπανθεῖ καὶ μαραίνεται καὶ ἀλλάττεται καὶ ἀποβάλλει τὸ κάλλος, τουτὶ δὲ τὸ ἔαρ ἀΐδιον κ.τ.λ.*

Pro *ἐκεῖνα* legendum puto: *ἐκεῖνο*, sc. *ἔαρ* quod aeterno aedium veri opponitur.

ibid. C. 12: *ὅτι μὲν γὰρ καὶ ἡ θάλαττα ἱκανὴ προκαλέσασθαι καὶ εἰς ἐπιθυμίαν ἐπισπάσασθαι ἐν γαλήνῃ φανεῖσα, ἴστε.*

Post *ἐπιθυμίαν* voc. *αὐτῆς* excidisse pro certo habeo.

ibid. C. 15: *ὅσῳ γὰρ ἂν ὑμῖν καλλίων φαίνηται, τοσῷδε ὑπεναντίος τῇ τοῦ λέγοντος χρείᾳ δειχθήσεται.*

Scribendum est *ὑπεναντιώτερος*, cuius scripturae lectio codicum *ὑπεναντίως* servavit vestigium.

ibid. C. 22: (Andromeda) ἐπισκοπεῖ γὰρ μάχην ἄνωθεν ἐκ τῆς πέτρας καὶ νεανίου τόλμαν ἐρωτικὴν καὶ θηρίου ὄψιν ἀπρόσμαχον.

Immo τόλμαν ἡρωικήν.

ibid. C. 25: ὁ δὲ (Perseus sc.) τὴν μὲν τόλμαν εἴργασται, τὸ δὲ ἔργον οὐχ ἑώρακεν πλὴν ἐπὶ τῆς ἀσπίδος τῆς Γοργόνος τὴν εἰκόνα· οἶδε γὰρ τὸ πρόστιμον τῆς ἀληθοῦς ὄψεως.

Verba τῆς Γοργόνος τὴν εἰκόνα insiticia sunt.

PATRIAE ENCOMIUM. C. 2: ὅπου δ' αἵρεσίς ἐστι πόλεων, οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο τὴν λαμπροτέραν ἐάσας τὴν πατρίδα, ἀλλ' εὔξαιτο μὲν ἂν εἶναι καὶ τὴν πατρίδα ταῖς εὐδαίμοσι παραπλησίαν, ἕλοιτο δ' ἂν τὴν ὁποιανοῦν.

Emenda: ἕλοιτο δ' ἂν α ὐ τ ὴ ν ὁποιανοῦν.

Paulo inferius in c. 3 haec leguntur:

τοσοῦτόν γε οἱ πατέρες νικώμενοι προσνέμουσι τοῖς παισίν, ὥστε cet.

Ad quae editor annotavit: νικώμενοι vix sanum, τῇ στοργῇ subaudiri iubet Guyet, νικώμενοι ⟨πρὸς τῆς στοργῆς⟩ vel tale quid supplet Schwartz. At in mentem iis non venit notio quae verbo passivo νικᾶσθαι etiam inest, indulgendi scilicet. Lectio igitur νικώμενοι haud dubie sana est, cogitatione autem supplendum est τῶν παίδων = indulgentes liberis.

ibid. C. 5: χαίρουσι καὶ θεοὶ πατρίσι καὶ πάντα μέν, ὡς εἰκός, ἐφορῶσι τὰ τῶν ἀνθρώπων, αὑτῶν ἡγούμενοι κτήματα πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν, ἐφ' ἧς δὲ ἕκαστος αὐτῶν ἐγένετο, προτιμᾷ τῶν ἄλλων ἁπασῶν πόλεων.

In hisce duo vocabula Luciano ab interpretatore obtrusa esse arbitror, voc. κτήματα dico, quod frigide additum videtur, et πόλεων, quod ad ἁπασῶν male adiectum est; hoc enim referendum est ad πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν.

ibid. C. 6: καὶ γὰρ εἶδε τὸν ἥλιον πρῶτον ἕκαστος ἀπὸ τῆς πατρίδος, ὡς καὶ τοῦτον τὸν θεόν, εἰ καὶ κοινός ἐστιν, ἀλλ' οὖν ἑκάστῳ νομίζεσθαι πατρῷον διὰ τὴν πρώτην ἀπὸ τοῦ τόπου θέαν.

Corrigas quaeso ἀπὸ ⟨τούτου⟩ τοῦ τόπου θέαν.

LONGAEVI. C. 6: τῶν ἐθνῶν, ἅτινά φασιν ὡς ἐπὶ πλεῖστον διαγίγνεσθαι χρόνον.

Non ὡς ἐπὶ πλεῖστον, sed ἐπὶ πλεῖστον hoc loco requiritur, cf. c. 9: τοὺς κατὰ τὴν λοιπὴν Ἰταλίαν ἐπὶ πλεῖστον βιώσαντας, c. 13: ἐδυνήθη δὲ ἴσως καὶ ἐπὶ πλέον διαγενέσθαι.

ibid. C. 17: ὡς δὲ ἑώρα τούς ὑπὸ τῇ μάχῃ Σκριβωνίῳ προστιθεμένους ἀποσχόμενος σιτίων ἐτελεύτησεν (Ἄσανδρος sc.).

Coniecturis, quibus viri docti hunc locum in integrum restituere conati sunt, meam adicio: ὡς δὲ ἑώρα τοὺς ὑπο⟨μίσθους ἐν⟩ τῇ μάχῃ Σκριβωνίῳ προστιθεμένους.

ibid. C. 22 extr.: Πολύβιος ... ἀπέθανεν ἐτῶν δύο καὶ ὀγδοήκοντα, Ὑψικράτης δὲ ὁ Ἀσιμηνὸς συγγραφεὺς διὰ πολλῶν μαθημάτων γενόμενος ἔτη δύο καὶ ἐνενήκοντα.

Noli dubitare pro μαθημάτων reponere: παθημάτων. Probabile non est, Luciano in mentem venisse Herodoteum illud (I 207): τὰ παθήματα ἐόντα ἀχάριτα μαθήματα γέγονέ μοι atque hunc verborum lusum imitari voluisse; sin minus, pluribus id significasset.

VERAE HISTORIAE I. C. 2: οἷόν τι καὶ περὶ τῶνδε τῶν συγγραμμάτων φρονήσειν ὑπολαμβάνω.

Editor ascripsit, Schwartzium συγγραμμάτων ⟨αὐτοὺς⟩, Bekkerum φρονήσειν ⟨σε⟩ proposuisse. Hoc autem unice verum esse locus, qui in hoc capite paulo inferius legitur, comprobat: εἰ μὴ καὶ αὐτῷ σοι ἐκ τῆς ἀναγνώσεως φανεῖσθαι ἔμελλον.

ibid. C. 3 i. f.: οἷα πολλὰ ἐκεῖνος (Ὀδυσσεύς sc.) πρὸς ἰδιώτας ἀνθρώπους τοὺς Φαίακας ἐτερατεύσατο.

In Iacobitzii editione de Halmii coniectura ὡς post ἐκεῖνος insertum est et praeterea verba postrema sic leguntur: ἐτερατεύσατο τοὺς Φαίακας, cuius ordinis inversi rationem datam nullam video. Mihi quidem verba τοὺς Φαίακας insiticia videntur, quibus inductis nulla iam coniectura opus erit, ut Mehlero pridem visum esse postea cognovi.

ibid. C. 5 i. f.: *καὶ τὴν ναῦν — ἄκατος δὲ ἦν — ὡς πρὸς μέγαν καὶ βίαιον πλοῦν ἐκρατυνάμην.*

Pro *ἄκατος* editor se *ἀκατάσ⟨τρωτος⟩* coniecisse in apparatu critico affirmat. Quam ob causam? Nimirum propterea quod *ἄκατοι* parva navigia sunt, quae itineri maritimo et magnis qui narrantur apparatibus minime respondent. At inspiciat Mommsenum, Ueber den Chronographen vom Iahre 354 (p. 646), ubi haec leguntur: „Hoc imperatore navis Alexandrina primum in portu Romano introivit nomine Acatus, qui attulit frumenti modios CCCC, vectores MCC, piper, linteamen, carta, vitria, et opoliscum cum sua sibi base, qui est in Circo Maximo altum pedes LXXXVIIS." C. Torr (Ancient Ships p. 106 infra) de navis nomine sic iudicat: „It was clearly for a joke that the name *Acatus* was given to the great ship that brought the Flaminian obelisk to Italy." Recte sane, neque aliter Lucianus nostrum navigium *ἄκατον* per iocum appellavit, quem ne coniecturis corrumpamus etiam atque etiam moneo.

ibid. C. 24: *κἀπειδὰν ἢ πονῶσιν ἢ γυμνάζωνται, γάλακτι πᾶν τὸ σῶμα ἱδροῦσιν, ὥστε καὶ τυροὺς ἀπ' αὐτοῦ πήγνυσθαι, ὀλίγον τοῦ μέλιτος ἐπιστάξαντες.*

Pro *ἱδροῦσιν* altera lectio est *ἀλείφουσιν*, in qua lectione editor veri vestigia frustra se quaesivisse ascripsit. Videat tamen an non pro glossa habenda sit alicuius qui pro *ἱδροῦσιν*: *ὑδρεύουσιν* (= irrigant) legere sibi videbatur.

ibid. C. 29: *ἡ δὲ πόλις αὕτη κεῖται μεταξὺ τοῦ Πλειάδων καὶ τοῦ Ὑάδων ἀέρος, ταπεινοτέρα μέντοι πολὺ τοῦ ζῳδιακοῦ.*

Pro *ἀέρος* nondum restitutam esse lectionem genuinam *ἀστέρος* vehementer miror.

In huius capitis fine haec sunt: *τῇ τετάρτῃ δὲ περὶ μεσημβρίαν μαλακῶς ἐνδιδόντος τοῦ πνεύματος καὶ συνιζάνοντος ἐπὶ τὴν θάλατταν κατετέθημεν.*

Multis verbis opus non erit ad demonstrandum, adverbium *μαλακῶς* non suo loco nunc legi, sed e versu inferiore in superiorem per librari errorem migrasse. Reponatur igitur post *συνιζάνοντος* et cf. Ver. Hist. II C. 2: *ἡμεῖς δὲ ἀνελκύσαντες τὸ πλοῖον ... ἠρέμα καθήκαμεν ἐς τὴν θάλατταν.*

Migratio Herwerdenum induxit ut probante Mehlero pro *μαλακῶς* scribendum censeret: *μαλακόν*, sed traiectione — non emendatione vocabulum eget.

ibid. C. 32: *τῇ ἐπιούσῃ δὲ διαναστάντες, εἴ ποτε ἀναχάνοι τὸ κῆτος, ἑωρῶμεν ἄλλοτε μὲν ὄρη, ἄλλοτε δὲ μόνον τὸν οὐρανόν, πολλάκις δὲ καὶ νήσους.*

Ain tu? *τὸν οὐρανόν*? At impluvium in balaenae tergo fuisse non didicimus. Corrigendum erit: *τὸν ὠκεανόν*. Cf. Ver. Hist. II c. 42: *καὶ ἑώρων ... ἔπειτα δὲ αὖθις ἕτερον ὠκεανὸν ἐκδεχόμενον.*

Verae Historiae II. C. 6: *οἱ δὲ δήσαντες ἡμᾶς ῥοδίνοις στεφάνοις — οὗτος γὰρ μέγιστος παρ' αὐτοῖς δεσμός ἐστιν — ἀνῆγον ὡς τὸν ἄρχοντα.*

Pro *μέγιστος* maluerim: *ῥίγιστος*.

ibid. C. 30: *κύκλῳ δὲ ποταμοὶ περιέρρεον, ὁ μὲν βορβόρου, ὁ δὲ δεύτερος αἵματος, ὁ δὲ ἔνδον πυρός, κ.τ.λ.*

Post *περιέρρεον* excidisse puto *γ'* h. e. *τρεῖς*.

AD HORATII C. I, 28, 20.

. . . . nullum
saeva caput Proserpina fugit.

Tandem aliquando turpem hanc maculam eluamus (non enim versum facere istud est sed vocabula temere coniicere) et lenissima emendatione pro *fugit* rescribamus *liqt* i. e. *linquit* (omittit praeterit). Cf. vs. 33 (qui alius quidem est carminis sed eodem ab Horatio scripti tempore): „precibus non *linquar* inultis".

J. J. H.

DE IUVENALIS SATIRAE I VS. 108.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Denuo de hoc versu disputaturo optimum factu mihi videtur primum hic repetere quae ante XXIII annos scripsi Mnem. XXI p. 330. Non enim solent novos bibliothecae nostrae pervolventibus fasciculos prae manibus esse iam satis antiqua eius volumina. Sic ergo tunc de eo scripsi:

„Ioculare est quod apud Iuvenalem (S. I, 108) legitur. Loquens inducitur libertinus quidam satis locuples, qui minimi se facere affirmat nobilitatem atque honores, quandoquidem saepe amplissimi viri fortunae levitate ad infimam redigantur condicionem. „Quid" ait

quid confert purpura maior
optandum, si Laurenti custodit in agro
conductas Corvinus oves?

Dives aliquis homo fracta re familiari cum equos suos vendidit ἐπ' ἀλλοτρίους ἵππους ἀναβαίνει, ut senis Lysiaci verbis utar: equum conducit, quia equo vehendi voluptate omnino carere non potest. Sed quis unquam audivit aliquem agro gregibusque venumdatis oves conducere quas pascat? An quaedam est et *pascendi custodiendique* iucunditas? Legendum censeo *conductus*. Quam lectionem argumentorum copia vel longa disputatione commendare nolo. Sed quoniam video ne Buechelerum quidem, cuius egregia editio tertiis curis emendata hodie ad me affertur, in hoc loco haesisse, illius potissimum iudicio coniecturam meam permitto."

Occidit, eheu, Buechelerus decus illud philologiae, quem propter doctrinae copiam et singulare acumen admirabamur omnes, sed nescio an magis etiam dilexerimus propter mores placidos lenesque, ab omni fastu, ab omni arrogantia alienissimos. Talibus nunc magistris opus erat, a quibus qui, ut nunc sunt mores, maledictis atque adeo imprecationibus utuntur in adversarios, coercerentur et decoris admonerentur honestatisque!

Occidit, eheu, neque unquam mihi contigit ut eius de hac re cognoscerem opinionem, nam in literarum commercio, quod admodum frequens mihi cum eo fuit, nescio quo casu semper eum de versu nostro interpellare neglexi. Iuniores vero philologi vereor ne metu quodam perculsi probare meam coniecturam non audeant. Qui qualis sit mox videbimus, atque in ea praesertim re versabitur nunc nostra disputatio. Sed prius duos locos afferam qui lectionem a me commendatam egregie illustrare videntur.

Alter ipsius est Iuvenalis qui S. VIII, 43 sic alloquitur Rubellium Blandum:

> Blande, tumes alto Drusorum stemmate, tamquam
> Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
> Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli,
> Non quae ventoso *conducta* sub aggere texit.

In suo tugurio ventis exposito sedet paupercula texitque et, quod miserius, texit mercede conducta.

Alter est apud alium poetam, sed, si quid video, proposito nostro est etiam aptior.

In ecloga IV Calpurnii vs. 44 „nisi tu me sustentasses, Meliboee" Corydon pastor ait:

> scilicet extremo nunc vilis in orbe iacerem
> a dolor! et pecudes inter *conductus* Iberas
> irrita septena modularer sibila canna.

Dura est et laboriosa pastoris vita, iucunda tamen eius qui proprios habet greges prae miseriis *conducti* pastoris, qui etiam a sua fistula frustra petit solatium.

Videamus nunc quid illud sit quod ego metuam ne nunc efficiat ut editores ne audeant quidem a tradita nostri versus recedere lectione.

In doctrinae illa mole qua I. E. B. Mayor Iuvenalem obruit, ad versum nostrum haec annotata video:

Dig. XIX, 2, 9 § 4: „a flock, *quem quis conduxerat,* having been driven off, if it can be proved that the keeper was not guilty of collusion with the robbers, he is not bound to make good the loss."

§ 5: *si quis vitulos — pascendos conduxit.*

Murat. inscr. p. 606: *conductores gregum oviaricorum*

Ecce iterum, non Crispinus, sed morbus ille quo hac praesertim aetate laborare viri docti videntur. Quidquid enim e remoto aliquo ad eos adfertur loco, quidquid apud scriptorem legitur vulgo ignotum, praesertim vero quidquid e terrae latebris est erutum, lapidi tignoque inscriptum, tamquam signum aliquod de caelo delapsum venerantur, in eo stupent et aut tangere illud non audent, nisi quod adorandum proponunt ceteris mortalibus, aut prorsus contraria abrepti intemperantia per fas nefasque ad quoslibet convertunt usus, et quidquid dicis de quacunque re, quae tamen quidquam habere videatur quod suo sit cognatum thesauro, hunc tibi opponunt tamquam argumentum cuivis opinioni refutandae idoneum. Velut illi in Digestis loci non tam traditam nostri versus lectionem tuentur quam lectionem a me propositam commendant. Quos priusquam accuratius hic examinem, de re iurisconsultis quam plerisque philologis nota magis paucis disputabo.

Conducendi verbum in iurisconsultorum sermone triplici adhibetur modo, quod hac, ut opinor, tabula optime apparebit:

I	A locat domum	B conducit domum.
II	A locat *sarciendum quid poliendumve* (verba haec sunt e Digestis)	B conducit sarciendum quid poliendumve.
III	A conducit operam B[i]	B locat operam suam.

Vides in negotio quod numero III signavi *conducendi* et *locandi* verba locum inter se mutasse: nunc A *conducit,* B *locat,* antea *locabat* A, *conducebat* B.

Sed hoc in transitu. Mox eo redibimus.

Praeterea moneo in negotio II, in sermone quotidiano, licet hic verbum *conducendi* minime respuat, usitatius tamen *redimendi* esse verbum, quod vel ex hoc loco apparet:

Cic. de Div. II § 47: „*redemptor* qui columnam conduxerat *faciendam.*"

Nunc Digesta inspiciamus et a § 5 faciamus initium, ubi leguntur haec:

„Celsus etiam imperitiam culpae adnumerandam libro 8 Digestorum scripsit. Si quis vitulos pascendos vel sarciendum quid poliendumve conduxit, culpam eum praestare debere, et quod imperitia peccavit, culpam esse, quippe ut artifex (inquit) conduxit."

Videamus quae sit haec *conducendi* ratio. Cum homine, ut opinor, nobis res est satis opulento: agros enim habet in quos alienos possit recipere greges. Et quando eius rei se offert facultas? Cum agricolae alicuius, qui et ipse prata possidet, „morbo periere capellae", quoniam pabulum quod ibi nascitur eius gregibus non conducit, aqua minus est salubris, nimius regnat ventus in campo aperto, nullis consito arboribus. Tum, ut opinor, Volteius Mena Horatianus ille feliciorem vicinum precibus adibit ut aut totos greges suos armentaque sua aut certe teneros fetus in suam recipiat curam, si forte caelum solumque mutatum servet superstites, pro eaque re haud parvam pecuniam solvere erit paratus, aut ipse ille vicinus, seu misericordia seu lucri studio motus, ultro ei hanc operam pollicebitur. Vide nunc quam apte Celsus inter se iungat „*vitulos pascendos* et *sarciendum quid poliendumve* conduxit." Etenim duorum hominum alter hic *ἐργολαβεῖν* dicendus est alter *ἐκδιδόναι*, sive res de qua agitur bos est ovisve sive aliqua *ἐγγυθήκη*, ut in Lysiae fragmento XLII.

Sed possumus et aliam ita oves bovesque conducendi causam fingere minime incredibilem. Fac aliquem magni latifundii sensim vel subito factum dominum. Iam habet prata sed boves quos eo immittat ovesque non habet. Est tamen ei lacte opus, est lana, est denique fimo. At caret pecunia qua tot emat capita, certe tantam non habet praesentem. Quid mirum igitur eum conducere oves, eodem modo quo equum conducit qui equum, aedes qui aedes *emere* non potest? Sed neque hic neque *ἐργολάβεs* ille ad extremam est redactus paupertatem. Nam *casum praestare* debet. Quem autem casum praestet aliquis de vulgo pastorum, qui praeter fistulam suam nihil habet?

Ergo hoc quidem Digestorum loco nihil legitur quod quidquam praebeat praesidii lectioni versus nostri traditae. Utroque

enim modo multi, puto, Corvini oves conduxerunt, ita tamen ut pristini splendoris et avitae dignitatis amitterent nihil.

Videamus de altero:

§ 4 Imperator Antoninus cum Patre, cum grex esset abactus, quem quis *conduxerat*, ita rescripsit: si capras latrones citra tuam fraudem abegisse probari potest, iudicio locati casum praestare non cogeris: atque temporis quod insecutum est mercedes ut indebitas reciperabis.

Iam, ut opinor, luce clarius apparet non de nihilo a me fictum esse dominum illum magnorum agrorum, qui, ut tamen aliquem ex iis percipiat fructum, oves bovesque eo immittendos *conducat*, quia pecuniam qua *emat* non habet in arca. Etenim vir de quo hac § sermo est *mercedes* debet solvitque, non ut pastor, qui vulgo sic dicitur, mercedem *accipit*. Et licet casum praestare non cogatur, fuit tamen de ea re dubitatio quaedam, quam Imperatoris demum sustulit rescriptum. Est ergo homo locuples, nam, nisi esset, quis, obsecro, hoc in animum inducere posset eum *gregis* casum praestare vel debere vel posse?

„At" dixerit iurisconsultus qui meam velit refutare coniecturam „*operarum* novimus locationem conductionemque (negotium III), de *homine* conducto in iure Romano nullus unquam sermo est." Credo ita se rem habere. Quid tum? Nonne *conducta* illa Satirae VIII muliercula et *conductus* ille Calpurnii pastor optimae esse Latinitatis clamant illud *conducere hominem*? Fac enim revera hominis operam, non ipsum hominem *conduci*, num nimis audax ille est qui tamen de *conducto* homine loquitur, ad ipsum transferens hominem quod de eius opera dicendum erat? Poetis certe hanc audendi concedamus potestatem, aut ipsi eam sument, quemadmodum sumserunt Iuvenalis Calpurniusque.

Pergit adversarius meus *vim fieri* vetare et „habemus hominem" inquit „qui sarciendum quid poliendumve conducit, habemus qui greges pascendos recreandosque conducit; locuples sit ille, per me licet, est enim agrorum dominus et casum praestare debet; quidni et tertium assumamus quamvis pauperem qui *oves custodiendas conducit*?"

Sic ait .... et ultro nobis reddit integram cogitandi et, si ita res fert, emendandi libertatem. Non enim cum Digestis nobis res est sed cum poeta latino et cum sermone latino.

Conducit aliquis mensam sarciendam, alius oves custodiendas. Num ergo ea mensa *conducta* dici potest, ovesque illae *conductae*? Quam sit absurdum istud vel optime apparebit si pro *conducendi* verbo usitatius illud, quod dicebam, *redimendi* posuerimus. Habonius columnas in aede Castoris ad perpendiculum ponendas *redemit*. At *columnae redemptae* quae sunt? *Columnas redimere* sic nude positum nihili est, requiritur praeterea aliquod *gerundivum*.

Denique hoc semper teneamus in versu Iuvenalis agi de homine nobili qui ad *extremam* sit redactus *egestatem*. De alio homine aliave eius condicione nos *custodiendi* verbum cogitare vetat. Conductus ab alio Corvinus labore fungitur eoque vilissimo abiectissimoque. Hoc voluit poeta et, nisi voluisset, ineptissimus fuisset mortalium. Pastorem ergo Corvinum fecit eumque ex illo pastorum genere qui vulgo pastores dicuntur, pauperculi homines qui pro assidua sua cura diurna atque nocturna exiguam mercedem domum referre solent. Et ne cogitari quidem potest labor turpior contemptiorque quam ille *oves custodiendi*.

Hoc semper teneamus aio. Nam negligunt omittuntque qui traditam lectionem utcunque interpretari et illustrare satis habent. E quorum numero doctissimus ceteroquin et venustissimus Friedlaenderus haec annotat:

„wenn ein Corvinus auf den magern Weiden in der Gegend von Laurentum (Plin. Epl. II, 17, 3 multi greges ovium, multa ibi equorum, boum armenta) eine nur gepachtete Schafherde *grasen lässt*."

Quid est perturbare omnia nisi hoc est? Unde enim vir praestantissimus habet „mageren Weiden"? Nonne ipse, quem testem affert, Plinius *uberrima* ea fuisse prata docet? Et *custodit* sic vertit „grasen lässt", hoc est rimam non explet sed fidelia obtegit. Non *pascit* oves conductas Corvinus: hoc vel vir opulentus minimeque miserandus facere potest, sed *custodit*, quod est pauperrimi.

Valere ergo posthac iurisconsultos iubeamus censeo et omnes philologos quibus prae tradita lectione quaevis sordet emendatio et Iuvenali reddamus suum:

Quid confert purpura maior
Optandum, si Laurenti custodit in arvo
Conductus Corvinus oves, ego possideo plus
Pallante et Licinis?

NOVAE INSCRIPTIONES ARGIVAE.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(*Continuantur ex pag.* 71 [1]).)



IV.

DECRETUM IN HONOREM CIVITATIS RHODIORUM.

Die XXI^{0} mensis Augusti a. 1906 eodem loco quo ceteri tituli reperta est στήλη lapidis calcarii albi simplici aëtomate ornata vel potius superne in figuram triangularem exiens. Altitudo eius est 1$^{m\cdot}$ 47 sive V pedum [2]); latitudo supra 0$^{m\cdot}$ 585 sive II pedum [3]), infra 0$^{m\cdot}$ 64; crassitudo 0$^{m\cdot}$ 095 sive tertiae partis pedis. In duas partes fracta est, sed deest nihil. Conscripta est bonis litteris saeculi III^{i} a. C. n.; litterae Π linea posterior anteriore brevior est, litterae Σ lineae obliquae sunt. Altitudo litterarum vs. 1 est 0$^{m\cdot}$ 02, ceterorum versuum 0$^{m\cdot}$ 011. Inter vs. 3 et 4 conspiciuntur tres litterae altae 0$^{m\cdot}$ 027:

PO Δ

Lapicidae igitur initio decretum paulo inferius in lapide exarare in animo fuit. Cur vero bis in media voce 'Ροδίων spatium va-

1) Supra p. 65 in infimo versu pro a. 219/8 velim legas a. 229/8. P. 68 vs. 7 pro: a. 194 corrige: a. 195; vs. 8 pro: a 200 corr. a. 205; vs. 9 adnotandum est Polyb. X, 26, 1: Φίλιππος, ὁ βασιλεὺς Μακεδόνων, μετὰ τὸ ἐκτελέσαι τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα αὖθις εἰς Ἄργος ἐπανῆλθε non concinere cum Liv. XXVII, 30. P. 62 ἐμμενέν inf. fut. esse potest; cf. S.G.D.I. IV, p. 442.

2) Pes hic (0$^{m\cdot}$ 294) cum pede Attico (0$^{m\cdot}$ 2992) tantum non congruit.

3) Eadem est latitudo stelae in qua decretum in honorem Alexandri Sicyonii exaratum est; cf. supra p. 64. Quae quam alta fuerit ignoramus: infra enim fracta est.

ΡΟΔ ΙΩΝ

ΑΛΙΑΙΑΙΕΔΟΞΕΤΕΛΕΙΑΙΑΜΒΟΛΙΜΩΙΕΚΤΟΥΑΓΥΙ .
ΗΟΥΚΑΡΝΕΙΟΥΗΝΑΤΑΙΠΡΑΤΑΙΑΡΗΤΕΥΕΒΟΥΛΑ . ΚΑΛΛΙΣΤΡΑ
ΤΟΣϜΑΝΙΔΑΣΜΑΝΣΗΤΟΣΓΡΟΦΕΥΣΒΩΛΑΣΤΙΜΟΚΛΗΣΦΟΛΥΓΑΔΑΣΠΡΟΣΥΜΝΑ
. ΕΟΣΕΠΕΙΔΗΡΟΔΙΟΙΣΥΝΓΕΝΕΕΣΕΟΝΤΕΣΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝ
ΑΝΔΡΕΣΑΓΑΘΟΙΔΙΑΤΕΛΟΝΤΙΕΙΣΤΟΝΔΑΜΟΝΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝ
. ΑΙΤΟΝΣΑΛΛΟΝΣΕΛΛΑΝΑΣΚΑΙΚΑΤΑΓΑΝΚΑΙΚΑΤΑΘΑΛΑΣ
ΣΑΝΑΠΑΝΣΑΝΧΡΗΙΝΠΑΡΕΧΟΜΕΝΟΙΚΑΙΑΠΟΣΤΗΛΑΝΤΟΣΤΟΥ
ΔΑΜΟΥΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΠΡΕΣΒΗΑΝΕΝΣΡΟΔΟΝΕΜΕΤΡΗΕΤΑΛΛΑΝΤΛΕ
Λ
ΚΑΤΟΝΤΟΚΛΕΝΣΤΕΤΑΝΤΩΝΤΕΙΧΕΩΝΕΠΙΣΚΕΥΑΝΚΑΙΤΑΝΙΠΠΟΝ
ΩΣΑΜΠΛΗΡΩΘΕΙΗΚΑΙΕΠΙΜΕΜΗΝΑΚΑΝΤΙΧΡΟΝΟΝΠΟΛΥΝΟΡΩΝΤΕΣ
. ΟΝΣΚΑΙΡΟΝΣΤΑΣΠΟΛΙΟΣΚΑΙΝΥΝΠΡΕΣΒΗΑΝΑΠΕΣΤΗΛΑΝΦΙΛΙ
. ΝΑΓΛΟΥΣΤΡΑΤΟΥΕΙΡΗΝΙΔΑΝΕΥΞΕΝΟΥΑΘΑΝΟΔΩΡΟΝΘΡΑΣΩΝΙΔΑ
ΕΜΦΑΝΙΞΟΝΤΑΣΟΙΚΑΙΤΟΝΕΜΠΡΟΣΘΑΧΡΟΝΟΝΟΔΑΜΟΣΟΡΟΔΙΩΝ
ΔΙΑΤΕΛΕΙΕΥΝΟΟΣΕΩΝΤΩΙΔΑΜΩΙΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΚΑΙΤΟΝΛΟΙΠΟΝΧΡΟ
ΝΟΝΥΠΑΡΞΕΙΤΟΙΟΥΤΟΣΕΩΝΕΔΟΞΕΤΩΙΔΑΜΩΙΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΣΤΕ
ΦΑΝΩΑΙΤΟΝΔΑΜΟΝΤΟΝΤΩΝΡΟΔΙΩΝΣΤΕΦΑΝΩΙΧΡΥΣΕΩΙΑΠΟΧΡΥ
ΣΕΩΝΕΚΑΤΟΝΕΥΝΟΙΑΣΚΑΙΑΡΕΤΑΣΕΝΕΚΑΤΑΣΕΝΣΤΟΝΔΑΜΟΝΤΩΝΑΡ
ΓΕΙΩΝΚΑΙΤΟΝΣΑΛΛΟΝΣΕΛΛΑΝΑΣΚΑΡΥΞΑΙΔΕΤΟΝΣΤΕΦΑΝΟΝΕΚΑΤΟΝ
ΒΟΥΟΙΣΤΟΝΑΓΩΝΟΘΕΤΑΝΕΝΤΩΙΑΓΩΝΙΤΩΙΓΥΜΜΝΙΚΩΙΚΑΡΥΞΑΙΔΕ
ΕΛΕΣΘΑΙΔΕ
ΚΑΙΝΕΜΕΟΙΣΤΟΝΑΓΩΝΟΘΕΤΑΝΕΝΤΩΙΑΓΩΝΙΤΩΙΓΥΜΜΝΙΚΩΙΚΑΙΠΡΕΣ
ΒΗΑΝΤΕΤΟΡΑΣΑΝΔΡΑΣΕΞΑΠΑΝΤΩΝΟΙΚΑΕΛΘΟΝΤΕΣΕΝΣΡΟΔΟΝΑΝ
ΑΝΓΗΛΩΝΤΙΤΩΙΔΑΜΩΙΤΩΝΡΟΔΙΩΝΤΟΨΑΦΙΣΜΑΚΑΙΤΑΝΕΥΝΟΙΑΝ
. ΧΩΝΔΙΑΤΕΛΕΓΟΔΑΜΟΣΟΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΤΩΙΔΑΜΩΙΤΩΙΤΩΝΡΟΔΙΩΝΕ
. . ΜΕΛΗΘΗΜΕΝΔΕΤΟΝΣΠΡΕΣΒΕΑΣΤΟΝΣΕΛΘΟΝΤΑΣΕΝΣΡΟΔΟΝΩΣΚΑ
ΡΥΧΘΗΙΟΣΤΕΦΑΝΟΣΕΝΡΟΔΩΙΔΙΟΝΥΣΙΟΙΣΕΝΤΩΙΑΓΩΝΙΤΩΝΚΥΚΛΙΩΝ
. ΟΡΩΝΤΑΙΠΡΑΤΑΙΑΜΕΡΑΙΑΓΓΡΑΨΑΙΔΕΤΟΔΟΚΗΜΑΕΝΣΤΑΛΑΙΣΛΙΘΙ
ΝΑΙΣΚΑΙΑΝΘΕΜΕΝΕΝΤΩΙΙΕΡΩΙΤΟΥΑΠΟΛΛΩΝΟΣΤΟΥΛΥΚΕΙΟΥΚΑΙ . .
ΗΡΑΙΚΑΙΕΝΝΕΜΕΑΙΕΠΙΜΕΛΗΘΗΜΕΝΔΕΤΟΥΤΩΝΤΟΝΤΑΜΙΑΝΚΑ
ΣΟΓΔΟΗΚΟΝΤΑΚΑΘΑΕΔΟΞΕΤΩΙΔΑΜΩΙΤΩΝΑΡΓΕΙΩΝΑΓΓΡΑΨ
ΔΕΚΑΙΕΝΡΟΔΩΙΤΟΨΑΦΙΣΜΑΙΚΑΛΠΟΔΕΙΞΕΙΑΒΩΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΤ . .
ΡΟΔΙΩΝΕΛΕΞΕΘΙΩΝΠΟΙΜΩΝΙΣΜΕΝΕΔΑΜΟΣΑΣΙΝΑ

Ῥοδίων.

ἀλιαίᾳ ἔδοξε τελείᾳ, ἀμβολίμῳ ἐκ τοῦ Ἀγυιήου, Καρνείου ἠνάτᾳ πράτᾳ· ἀρήτευε βουλᾶ[ς] Καλλίστρατος Ϝανίδας Μάνσητος· γροφεὺς βωλᾶς Τιμοκλῆς Φολυγάδας Πρόσυμνα. [θ]εός. ἐπειδὴ Ῥόδιοι συγγενέες ἐόντες τῶν Ἀργείων ἄνδρες ἀγαθοὶ διατελόντι εἰς τὸν δᾶμον τῶν Ἀργείων [κ]αὶ τὸνς ἄλλονς Ἕλλανας καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν ἅπανσαν χρῆιν παρεχόμενοι καὶ ἀποστήλαντος τοῦ δάμου τῶν Ἀργείων πρεσβήαν ἐνς Ῥόδον ἐμέτρηἑ τάλαντα ἑκατὸν ἄτοκα ἔνς τε τὰν τῶν τειχέων ἐπισκευὰν καὶ τὰν ἵππον ὡς ἀμπληρωθείη καὶ ἐπιμεμηνάκαντι χρόνον πολὺν ὁρῶντες [τ]ὸνς καιρὸνς τᾶς πόλιος καὶ νῦν πρεσβήαν ἀπέστηλαν Φιλί[α]ν Ἀγλουστράτου, Εἰρηνίδαν Εὐξένου, Ἀθανόδωρον Θρασωνίδα ἐμφανιξόντας ὅ(τ)ι καὶ τὸν ἔμπροσθα χρόνον ὁ δᾶμος ὁ Ῥοδίων διατελεῖ εὔνοος ἐὼν τῷ δάμῳ τῶν Ἀργείων καὶ τὸν λοιπὸν χρόνον ὑπαρξεῖ τοιοῦτος ἐών, ἔδοξε τῷ δάμῳ τῶν Ἀργείων στεφανῶσαι τὸν δᾶμον τὸν τῶν Ῥοδίων στεφάνῳ χρυσέῳ ἀπὸ χρυσέων ἑκατὸν εὐνοίας καὶ ἀρετᾶς ἕνεκα τᾶς ἐνς τὸν δᾶμον τῶν Ἀργείων καὶ τὸνς ἄλλονς Ἕλλανας· καρῦξαι δὲ τὸν στέφανον Ἑκατονβοίοις τὸν ἀγωνοθέταν ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμμνικῷ, καρῦξαι δὲ καὶ Νεμέοις τὸν ἀγωνοθέταν ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμμνικῷ, ἑλέσθαι δὲ καὶ πρεσβήαν τέτορας ἄνδρας ἐξ ἁπάντων, οἵ κα ἐλθόντες ἐνς Ῥόδον ἀναγγήλωντι τῷ δάμῳ τῶν Ῥοδίων τὸ ψάφισμα καὶ τὰν εὔνοιαν [ἔ]χων διατελεῖ ὁ δᾶμος ὁ τῶν Ἀργείων τῷ δάμῳ τῶν Ῥοδίων· ἐ[πι]μεληθῆμεν δὲ τὸνς πρέσβεας τὸνς ἐλθόντας ἐνς Ῥόδον, ὡς καρυχθῇ ὁ στέφανος ἐν Ῥόδῳ Διονυσίοις ἐν τῷ ἀγῶνι τῶν κυκλίων [χ]ορῶν τᾷ πράτᾳ ἁμέρᾳ· ἀγγράψαι δὲ τὸ δόκημα ἐν στάλαις λιθίναις καὶ ἀνθῆμεν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Λυκείου καὶ [τᾷ] Ἥρᾳ καὶ ἐν Νεμέᾳ, ἐπιμεληθῆμεν δὲ τούτων τὸν ταμίαν κα[ὶ τὸν]ς ὀγδοήκοντα, καθὰ ἔδοξε τῷ δάμῳ τῶν Ἀργείων· ἀγγραψ[άντων] δὲ καὶ ἐν Ῥόδῳ τὸ ψάφισμα, ἅ κα ἀποδειξεῖ ἁ βωλὰ καὶ ὁ δᾶμος τ[ῶν] Ῥοδίων. ἔλεξε Θίων Ποιμωνὶς Μενέδαμος Ἀσίνα.

cuum interposuit? Nescio, sed suspicio mihi incidit hic coronam Rhodiis decretam rubro colore (quo et litterae implebantur) appictam fuisse [1]). Inter vs. 9 et 10 lapicida primam litteram vocis ἄτοκα, inter vs. 20 et 21 verba ἐλέσθαι δέ, quae imprudens omiserat, postea inseruit. Vs. 4 in voce Μάνσητος pro N exaraverat H, quod postea linea obliqua addita correxit ut potuit.

Satis apertae esse videntur summae rerum de quibus hic sermo est. Argivi aliquando, legatis missis, centum talenta a Rhodiis mutua acceperant idque absque usura, sed ea lege ut pecunia in moenia reficienda et equitatum supplendum impenderetur. Non audimus fueritne certa dies praestituta, qua Argivi aes alienum dissolvere debuerint, sed probabile esse reor hoc ita fuisse. Cum vero Argos ea aetate duriore fortuna conflictatum sit, solutio diu (χρόνον πολύν, vs. 11), ut ipsi Argivi fatentur, dilata est. Iam Rhodii legatos Argos miserunt, qui ibi summo honore affecti sunt. Ipsi quoque Argivi rursus legationem Rhodum mittere festinant, creditum vero eos nondum solvisse ex silentio eorum effici potest.

Iam quaerendum nobis est, quando hoc decretum latum sit et quo anno quave aetate Rhodiis tantum officium Argivis praestare visum sit, ut iis centum talenta ἄτοκα mutua darent.

Quod pecunia mutua data est ad usus belli, inde vix efficere possis, quando hoc factum sit. Forsitan primum cogites de anno 272, quo Pyrrhus in media urbe Argis occisus est. Sed neque moenia tunc diruta esse videntur neque equites intra muros pugnaverint. Legimus quidem apud Plutarchum Pyrrh. 93: τὰς δὲ πύλας στενὰς οὔσας φοβούμενος ἔπεμψε πρὸς τὸν υἱὸν Ἕλενον μετὰ τῆς πολλῆς δυνάμεως ἔξω καταλελειμμένον κελεύων τοῦ τείχους διασκάπτειν. Helenus tamen non intellexit quid sibi mandatum esset itaque cum copiis suis porta in urbem introiit [2]). Ceterum ubique murus restitui et equitatus suppleri

1) Cf. titulus Delphicus in Dittenbergeri Syll.[2] 250, 10: ὅπως δὲ καὶ τόδε τὸ ψήφισμα καὶ ὁ στέφανος ἀναγραφήσεται εἰς στήλην. Multae stelae coronis insculptis ornatae sunt. Cf. Inscr. Magn. 307, 27: κολα[ψθῆ]ναι δὲ εἰς αὐτὴν (τὴν στήλην) καὶ τὸν στέφανον.

2) Cf. Polyaen. VIII, 68; Paus. I, 13, 7 sq.; Iustin. XXV, 5; Strab. VIII, p. 376.

potest omni tempore, sive media pace, sive brevi post grave bellum, sive instante periculo.

Hac igitur via nihil proficeremus. Sed, ut decreti aetas definiatur, quinque, si quid video, argumenta nobis praesto sunt:

1^0 Formae litterarum demonstrant titulum inter annos 300 et 225 incisum esse.

2^0 Praetor Achaicus non nominatur in praescriptione; ergo decretum ante a. 229/8 latum est.

3^0 Nomen legati Rhodii *Ἀθανοδώρου Θρασωνίδα* (vs. 13) occurrit etiam in inscriptione Rhodia IG, XII, 1, 764 [1]), qua continetur index virorum et mulierum, qui dona dederunt *ἐς τὰν ἀποκατάστασιν τοῦ κόσμου τᾷ Ἀθανᾷ καὶ τῶμ ποτηρίων*. Inter hos enim vs. 119 adfertur *Πολυκαλλίστα Ἀρία, ἇς κύριος Ἀθανόδωρος Θρασωνίδα Πεδιεύς*. Titulus ille bonis litteris saeculi III^i conscriptus editoribus priori parti eius saeculi tribuendus esse videtur.

4^0 Praescriptionem huius decreti cum praescriptione decreti in honorem Alexandri Sicyonii comparanti probabile esse apparebit tibi decretum nostrum latum esse cum Argos populari imperio frueretur. Quod si verum est, titulus tribuendus est annis 249—244 aut 278—272.

5^0 Et cum pecunia mutua data est et cum decretum nostrum latum est, Argivis amicitiam cum Rhodiis fuisse necesse est. Itaque investigandum est, quando saeculo III° et in fine saeculi IV^i Rhodii ab iisdem partibus steterint atque Argivi.

Alexandro mortuo, Rhodii anno 323 preesidium Macedonicum ex insula expulerunt et libertatem suam recuperaverunt [2]). Atque iis nulli regi se addicere cura fuit, *ταῖς δ' εὐνοίαις ἔρρεπον μάλιστα πρὸς Πτολεμαῖον* [3]). Anno 305 Antigonus bellum iis indixit, quia auxilium adversus Ptolemaeum ei negabant. Postquam Demetrius frustra urbem expugnare conatus est, Rhodii Antigono manus dederunt ea lege, ut ei in posterum adversus omnes, uno excepto Ptolemaeo, opem ferrent. Ex illo tempore diu amicitia cum Ptolemaeis coniuncti fuerunt. Nec tamen

1) BCH, 1885, p. 85 sqq. S.G.D.I. 4157.
2) Diod. XVIII, 8.
3) Diod. XX, 81.

semper in fide manserunt, sed semel certe in saeculo III° ad Macedones defecerunt [1]). Scimus enim ex Polyaeno Rhodios Agathostrato duce Chremonidem Atheniensem classis Aegyptiae praefectum proelio navali prope Ephesum vicisse [2]). Quod proelium factum esse necesse est post a. 261/0, quo Antigonus Gonatas Athenas cepit, quia Chremonides non prius ad Ptolemaeum se conferre potuit. Atque haec quidem omnibus viris doctis constant; dissensio vero inter eos exsistit, cum indagare conantur, quam diu post Athenas captas Rhodii a Ptolemaeo defecerint. Droysenus enim, cui astipulati sunt van Gelder [3]), Bouché—Leclercq [4]), Tarn [5]), hoc initio tertii belli Syriaci circa annum 245 factum esse censebat. Contra Niesius [6]) defectionem Rhodiorum iam initio secundi belli Syriaci (258—252), Belochius [7]) brevi post a. 261 factam esse putavit. Neutra sententia argumentis demonstrari poterat. Nunc vero inscriptio templi Lindii [8]) docet nos Rhodios grave bellum contra Ptolemaeum Philadelphum gessisse. Cuius haec sunt verba (C, 97 sqq.): [ὁ] δᾶμος ἀσπίδα κατὰ [χρησμὸν] προσαμαίνοντα, ὅτι ἀνατεθείσας τᾶι Ἀθανᾶι ἐσεῖται λύσις τοῦ τοκα ἐνεστακότος ποτὶ Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον πολέμο[υ]· καὶ ἐγένετο, ὡς ἀποφαίνε[ται Τιμ]όκριτος [ἐν] τᾶι δ' τᾶς χρονικᾶς σ[υν]τάξιος [9]). Iam cum Ptolemaeus Philadelphus anno 247 obierit, sequitur ut defectio Rhodiorum non, ut Droyseno placebat, demum initio tertii belli Syriaci

1) De causa defectionis Rhodiorum disputare alienum est. Suspicor Aegyptios sensim sub amicitiae praetextu dominationem in eos affectasse.

2) Polyaen. Strat. V, 18: Ῥόδιοι βασιλεῖ Πτολεμαίῳ πολεμοῦντες κατ' Ἔφεσον ἦσαν· Χρεμωνίδης Πτολεμαίου ναύαρχος ἀνήχθη ναυμαχήσων. Ἀγαθόστρατος Ῥοδίους ἐξῆγε .... Ἀγαθόστρατος .... ἐπέπλευσε τοῖς πολεμίοις ἐκβαίνουσι περὶ τὸ τῆς Ἀφροδίτης τέμενος καὶ ἀπροσδοκήτως προσπεσὼν ἐνίκησεν.

3) van Gelder, Gesch. der alten Rhodier, p. 110, 1.

4) Bouché-Leclercq, Hist. des Lagides, I, p. 252 sqq.

5) Tarn, Antigonos Gonatas, p. 377 sq.

6) Niese, Gesch. der griech. und makedon. Staaten, II, p. 135.

7) Beloch, Griech. Gesch. III, 1, p. 615.

8) Blinkenberg, Die lindische Tempelchronik, Bonnae, 1915.

9) Cf. Aristeae epist. 180, ubi Ptolemaeus Philadelphus Iudaeis dicit: μεγάλην δὲ τέθειμαι τὴν ἡμέραν ταύτην, ἐν ᾗ παραγεγόνατε· καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημος ἔσται πάντα τὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν χρόνον. συντέτυχε γὰρ καὶ κατὰ τὴν νίκην ἡμῖν προσπεπτωκέναι τῆς πρὸς Ἀντίγονον ναυμαχίας. Eadem ex Aristea habet Iosephus Antiq. Iud. XII, 93. — Ampel. 35, 3: „Ptolemaeus Soter, qui ingenti classe Rhodios vicit." Non Ptolemaeus I Rhodios vicit, sed Ptolemaeus II, ut nunc cognovimus.

facta sit. Simul sententiam Niesii et Belochii novo testimonio confirmari quis est quin videat? [1]) Aliter tamen censet Blinkenberg. Qui cum inscriptionem Lindiam primum ederet, ad verba supra adlata annotare satis habuit: „Je ne saurais préciser la guerre dont il s'agit" [2]), nunc vero in altera editione disserit hoc modo: „Der krieg mit Ptolemaios II ist unbekannt; offenbar war er ein gefährlicher. ... Darauf führt auch der ausdruck C 98—100, der nicht [3]) auf den abschluss des krieges durch einen sieg deutet; deshalb ist kaum an die zeitlich noch nicht fixierte seeschlacht von Ephesos zu denken." Hic editor hoc loco debentia dici non dicit, quae vero dicit prava sunt. Nusquam enim traditum est pugnam ad Ephesum, quae propterea quod Chremonides in ea Aegyptiorum dux erat, summa cum probabilitate aetati Ptolemaei Philadelphi tribuitur, bellum *terminasse*. Quidni fieri possit ut Rhodii semel vicerint in bello gravi et periculoso, quo cum potentissimo et ditissimo rege Aegypti conflictati sunt? Me iudice, quaestio, de qua agimus, testimonio inscriptionis Lindiae paene profligata est [4]), cum iam aut necesse sit sumamus defectionem Rhodiorum et proe-

---

1) Cf. Wilamowitz, Herm. 1914, p. 452.

Nescio quomodo fiat ut cum de vita Apollonii Rhodii disputatur, quando Rhodii a Ptolemaeo defecerint, nemo attendat. Apollonius poeta Alexandriae potissimum inter annos 270 (cf. Wilamowitz, Neue Jahrb. 1914 p. 246 sq.) et 260 a. C. n. floruit et bibliothecae regiae praefuit. Postea invitus ex urbe cessit et Rhodum penates transtulit ibique consenuit. Iam quivis admonitus concedet mihi longe differre utrumne Apollonius vitam degerit apud Ptolemaei amicos et socios, an civis factus sit civitatis quae brevi post ab illis defecerit. Cogita modo quanto odio tunc procul dubio Rhodii Alexandrinis fuerint. Numne tunc parva insula in portu Alexandriae Ἀντίρροδος dicta sit? Cf. Strab. XVII, p. 794: *ἡ Ἀντίρροδος, νησίον προκείμενον τοῦ ὀρυκτοῦ λιμένος βασίλειον ἅμα καὶ λιμένιον ἔχον· ἐκάλεσαν δ' οὕτως ὡς ἂν τῇ Ῥόδῳ ἐνάμιλλον.*

Cave tamen ne perperam intellegas quorsum tendant quae dico. Non est dubium quin lis poetica inter Callimachum et Apollonium Alexandriae orta sit. Atque valde veri simile mihi videtur Apollonium bibliotheca pulsum exsulatum ivisse, cum post sponsalia Ptolemaei Evergetae et Berenices auctoritas et gratia Cyrenensium Callimachi et Eratosthenis praevaluisset (sic Wilamowitzius l.l.). Sed hoc dico: defectio Rhodiorum, ad quos ille se indignans contulerat quique eum civitate donarunt, non potest dissensionem et odium inter ipsum et Callimachum non exacerbasse.

2) Blinkenberg, La chronique du temple lindien, Bulletin de l'Acad. royale de Danemark, 1912, p. 40.

3) Hoc rectissime. Aliter Wilamowitzius l.l.

4) Cf. ea quae adnotavit editor ad IG, XI, 4, 596.

lium ad Ephesum secundo bello Syriaco facta esse, aut Rhodios non semel sed bis brevi intervallo a Ptolemaeis defecisse. Quod quam parum probabile sit, vix est quod exponamus. Reputa enim, qualis, altero bello Syriaco finito, conditio Aegypti et Syriae et Macedoniae fuerit. An postquam pax convenit, sola Rhodus cum Ptolemaeo bellare pergere poterat? An postquam Antiochus Berenicen duxit, Rhodiis ulla spes salutis esse poterat, nisi Ptolemaeum placarent? Num dubium est Rhodum saltem per annos 250—246, quoad pax duraret, rursus, licet libera manserit, a Ptolemaeis stetisse? In titulo Adulitano [1]) diserte dicitur Ptolemaeum III (a. 247) hereditatis iure a patre obtinuisse *τὴν βασιλείαν . . . τῶν Κυκλάδων νήσων*. Inde sequitur ut Ptolemaeus Philadelphus per ultimum regni sui tempus, ut etiam prius, et Ptolemaeus III primo regni sui initio, ut etiam postea, dominium maris Aegaei firmiter tenuerint. Quomodo igitur Rhodii copiis maritimis Ptolemaeorum undique circumdati tunc in bello perstare potuissent? Dixerit quispiam fieri posse ut a. 246 bellum adversus regem Aegypti renovarint. Sed inanis haec esset coniectura neque parvam civitatem modo bello attritam iterum salutem suam in discrimen vocare voluisse veri simile est.

Historiam Rhodiorum perlustravimus. Nunc de Argivorum rebus summatim exponamus. Argos inde ab Alexandri morte tantum non sine intervallo Macedonicum fuit, licet cives eius plus semel seditionem concitarint, donec a. 303 Demetrius Poliorcetes, vir Rhodiis invisus, urbe potitus est. Qui postquam a. 294 ipse rex Macedoniae factus est, Argos necessario iterum Macedonico imperio subiectum fuit. Constat sane Argivos inter a. 278 et 272 per breve tempus libertatem suam recuperasse et cum Ptolemaeo aliquatenus amicitia coniunctos fuisse. Sed per omnes hos annos anceps partium in civitate lis fuit et inde ab a. 272 rursus Antigono parere coacti sunt. Solum inter annos 249 et 244 Ptolemaeis, deinde usque ad a. 229 rursus Macedonibus addicti fuerunt.

Iam concludere licet. Apparuit nobis saeculo III° ante a. 229 Argivos et Rhodios ter ab iisdem partibus stetisse. Etenim in-

———————

1) V. Dittenberger, O.G.I.S. 54; Holleaux, BCH, 1907, p. 100.

ter annos 278 et 272 et rursus inter annos 249 et 246 aut 244 utrique a Ptolemaeis, inter annos 258 et 250 utrique a Macedonibus steterunt. Ergo decretum nostrum factum esse possit aut inter a. 278 et 272 aut inter a. 258 et 250, aut inter a. 249 et 244.

Plane idem iam supra alia via progressi demonstravimus, nisi quod ibi tantummodo inter a. 278 et 272 aut inter a. 249 et 244 decretum ferri potuisse diximus. Neque vero deest facultas huius rei etiam alia ratione firmandae. Argumentum enim haud spernendum, quo ostendamus hoc decretum factum esse non posse, cum Argivi et Rhodii a Macedonibus starent, praebent verba quae leguntur vs. 5 sqq.: ἐπειδὴ Ῥόδιοι ... ἄνδρες ἀγαθοὶ διατελόντι εἰς τὸν δᾶμον τῶν Ἀργείων [κ]αὶ τοὺς ἄλλους Ἕλλανας. Ita enim loqui solebant populares, quibus Macedonum dominatio odiosa videbatur. Iam ὁ Λαμιακὸς πόλεμος in inscriptione Attica a. 302/1 [1]) nec non apud Plutarchum [2]) dicitur Ἑλληνικὸς πόλεμος et disertius etiam in aliis titulis Atticis a. 318/7 [3]) et a. 306/5 [4]): ὁ πόλεμος ὁ Ἑλληνικός, ὃν ἐνεστήσατο ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων et: ὁ πόλεμος [ὃν πεπολέμηκε]ν ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων [πρὸς Ἀντίπατρον ὑπὲρ τῆς ἐλ]ευθερίας τῶν Ἑλλήνων. Eadem verba deinde occurrunt in titulis, quibus de Antigono et Demetrio sermo est, qui Graeciam Macedonibus eripere studuerunt. Cf. fragmentum inscriptionis Atticae a. 307/6 [5]): Ἀντίγονον καὶ Δ[ημήτριον] .... [εὐε]ργ[έ]τε[υ]ν τ[ὴ]ν τε π[όλιν τῶν Ἀθηναίων καὶ τοὺς] ἄλλους Ἕλ[λ]η[νας], et inscriptio Ephesia [6]): [ἐπειδὴ Δημήτριος ὁ βασιλεὺς πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιος ὢν] τυγχάνει περὶ το[ὺ]ς Ἕλληνας καὶ τὴν πόλι[ν τὴν ἡμετέραν]. Aliis exemplis si opus esset, adferre poteram litteras a rege Antigono ad Scepsios datas [7]) vel decretum Ephesium a. 299 [8]): ἐπειδὴ

---

1) IG, vol. II et III edit. min. I, 505; Dittenberger, Syll.² 187, vs. 17.
2) Plut. Phoc. 23.
3) IG, ibid. 448, vs. 43 sqq. Dittenberger, Syll.² 163, vs. 10 sqq. Cf. Hyper. Epit.
4) IG, ibid. 467; Dittenberger, Syll.² 180, vs. 6 sqq.
5) IG, ibid. 466; vs. 7 sqq.
6) Michel, Recueil, 400; Dittenberger Syll.² 175, vs. 1 sq.
7) Dittenberger, O.G.I.S. 5.
8) Ibid. 10; Michel, Recueil, 492.

Νικαγόρας Ἀριστάρχου Ῥόδιος ἀποσταλεὶς παρὰ τῶμ βασιλέων Δημητρίου καὶ Σελεύκου πρός τε τὸν δῆμον τῶν Ἐφεσίων καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας .... Deinde de Ptolemaeo I° et Ptolemaeo II° eadem praedicantur in decreto τῶν συνέδρων τῶν Νησιωτῶν, quod a. 280 vel brevi post latum est [1]: ἐπειδὴ ὁ βασιλεὺς καὶ σωτὴρ Πτολεμαῖος πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιος ἐγένετο τοῖς [τ]ε Νησιώταις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν τάς τε πόλεις ἐλευθερώσας καὶ τοὺς νόμους ἀποδοὺς [κ]αὶ τὴμ πάτριομ πολιτείαμ πᾶσιγ καταστήσα[ς κ]αὶ τῶν εἰσφορῶν κουφίσας καὶ νῦν ὁ βασιλεὺς [Π]τολεμαῖος διαδεξάμενος τὴμ βασιλείαν παρ[ὰ] τοῦ πατρὸς τὴν αὐτὴν εὔνοιαν καὶ ἐπιμέλειαν παρεχόμενος διατελεῖ εἴς τε τοὺς Νησιώτας κα[ὶ] τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ... Neque vero mirandum est quod ita loqui perrexerunt Graeci aetate Antigoni Gonatae, de quo Eusebius: οὗτός ἐστιν ὁ τὴν Ἑλλάδα ἐγκρατῶς χειρωσάμενος [2]. Sic in foedere quod Athenienses a. 266/5 cum Lacedaemoniis fecerunt, ut bellum adversus Macedones susciperent [3], legimus vs. 7 sq.: ἐπειδὴ πρότερομ μὲν Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ σύμμαχοι οἱ ἑκατέρων φιλίαν καὶ συμμαχίαν κοινὴν ποιησάμενοι πρὸς ἑαυτοὺς πολλοὺς καὶ καλοὺς ἀγῶνας ἠγωνίσαντο μετ' ἀλλήλων πρὸς τοὺς καταδουλοῦσθαι τὰς πόλεις ἐπιχειροῦντας, ἐξ ὧν ἑαυτοῖς τε δόξαν ἐκτήσαντο καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν παρεσκεύασαν τὴν ἐλευθερίαν, καὶ νῦν δὲ καιρῶν καθειληφότων ὁμοίων τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν διὰ τοὺς καταλύειν ἐπιχειροῦντας τούς τε νόμους καὶ τὰς πατρίας ἑκάστοις πολιτείας, ὅ τε βασιλεὺς Πτολεμαῖος ἀκολούθως τεῖ τῶν προγόνων καὶ τεῖ τῆς ἀδελφῆς προαιρέσει φανερός ἐστιν σπουδάζων ὑπὲρ τῆς κοινῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας ... vs. 32 sqq.: ὅπως ἂν οὖν κοινῆς ὁμονοίας γενομένης τοῖς Ἕλλησι πρός τε τοὺς νῦν ἠδικηκότας καὶ παρεσπονδηκότας τὰς πόλεις πρόθυμοι μετὰ τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ μετ' ἀλλήλων ὑπάρχωσιν ἀγωνισταί ... Denique in basi statuae, quam Ptolemaeus Philadelphus Areo regi Lacedaemoniorum, qui bello Chremonideo cecidit, Olympiae dedicavit [4], haec legebantur:

1) IG, XII, 7, 506; Michel, Recueil, 373; Dittenberger, Syll.² 202, vs. 10 sqq.
2) Euseb. I, 237.
3) IG, vol. II et III edit. min. I, 687; Michel, Recueil, 130; Dittenberger, Syll.² 214.
4) Dittenberger, Syll.² 212.

[Βασιλεὺς Π]τολεμαῖος βασιλέ[ως Πτολεμαίου Ἀρέα Ἀκρο]τάτου Λακεδαιμονί[ων βασιλέα εὐνοίας ἕ]νεκεν τῆς εἰς αὐτὸν [καὶ εἰς τοὺς σύμπαντας Ἕλ]ληνας Διὶ [Ὀλ]υμ[πί]ῳ.

Haec omnia mea sententia luculenter ostendunt decretum nostrum non inter annos 258 et 252, cum et Argivi et Rhodii a Macedonibus stabant, factum esse [1]). Nec vero magis credibile est pecuniam tunc mutuam datam esse, cum Rhodii bello contra Ptolemaeum implicati omnibus, ut sese sustinerent, opibus suis indigerent.

Necesse igitur est ut aut pecunia inter a. 323 et 305 mutua data, decretum inter a. 278 et 272 factum sit, aut pecunia mutua data inter a. 278 et 272, decretum factum inter a. 249 et 244. Sed illa quaestionis solutio non valde probabilis esse videtur, quia non dispiceremus, quam ob causam Rhodii inter a. 323 et 305 Argivis tantam pecuniam absque usura misissent. Tunc temporis enim tantum nemini parere, liberi vivere et navigare et mercari studebant. Contra facile intellegeremus eos inter a. 278 et 272 voluntati Ptolemaei morigeratos Argivis, quibus ille favere coepisset, operam non denegasse. Summa ergo ratiocinationis mihi esto inscriptionem nostram annis 249—244 tribuendam esse.

Eidem fere aetati inscriptionem Rhodiam IG, XII, 1, 764, de qua supra locutus sum, assignandam esse suspicor, non tam quia Athanodorus, qui in hac legatus, in illa mulieris tutor est, in utraque senex esse videtur, quam quod ex illa mundum et pocula Minervae Lindiae periisse cognovimus. Numne temerarium est conicere haec Rhodios liquasse et in nummos vertisse, cum adversus Ptolemaeum gravissimum illud bellum gererent?

Ad singula interpretanda transeamus. Primum autem res, deinde verba et quae ad grammaticam spectant tractare in animo est.

---

1) Inscriptio Deliaca saec. III[i] IG, XI, 4, 596 hacc habet: *[ἐπειδὴ Ἀντιγένης α]ἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμο[υ τοῦ Ῥοδίων ναύα]ρχος ἐπὶ τῆς φυλακῆς τ[ῶν νήσων καὶ] ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν Ἑλλήνων καὶ [τριήρ]αρχοι Τιμαφά[ν]ης καὶ Δίοννος καὶ Ἡ[γήσ]ανδρος Ῥόδιοι ἄν[δρ]ες ἀγαθοί εἰσι περὶ τ[ὸ] ἱερὸν καὶ τὴν πόλιν τῶν Δηλίων κα[ὶ] τὴν φυλακὴν τῶν Ἑλλήνων* .... De aetate huius tituli non plane constat. Ecquid de insulanis a piratis tutandis sermo est?

Vs. 3: ἠνάτᾳ πράτᾳ. Rursus hic videmus, quam carus nonus quisque dies Argivis fuerit [1]).

Vs. 4: Μάνσητος. Pagi hoc nomen est, in quem praeses consilii Callistratus adscriptus erat. Patris enim nomen esse nequit [2]), quia etiam post consilii scribae nomen nihil sequitur nisi Φάτρας; et pagi designatio. Erat igitur in Argolide pagus, cui casu recto aut genetivo [3]) nomen erat Μάνσητος. Congruit autem cum hoc nomine nomen ὁ vel ἡ Μάσης; vel ἡ Μάσητος antiqui oppidi Argolici haud procul ab Hermione siti prope sinum maritimum, qui hodie Κοιλάδια vocatur [4]). Cum dialectos Argiva ν ante σ conservet, ut exempli gratia in oppidi nomine quod est Τίρυνς, haud incredibile est locum in Argolide apud Argivos Μάνσητα, apud ceteros Graecos Μάσητα dictum esse [5]). Nomen Μάνσης procul dubio nominibus locorum adnumerandum est, quae Graeci olim a priscis Graeciae incolis acceperunt [6]). In his copulatio litterarum ν et σ semel tantum, quod sciam, invenitur in nomine oppidi Cretensis quod est Πρίανσος; sed reputandum est haec nomina nobis non nisi ex ore Graecorum nota esse, quod in universum copulationem sonorum ν et σ respuebat.

Vs. 4: Πρόσυμνα. Cf. Paus. II, 17, 2: Πρόσυμναν δὲ καλοῦσι τὴν ὑπὸ τὸ Ἡραῖον χώραν. Strab. VIII, p. 373: Μιδέα ... ταύτῃ δ' ὅμορος Πρόσυμνα ... ἱερὸν ἔχουσα Ἥρας [7]). Steph. Byz. Πρόσυμνα, μοῖρα τοῦ Ἄργους. Quod ad nomen attinet, cf. Σόλυμνα, de quo v. supra p. 61.

---

1) Cum supra p. 49 etiam quartum quemque diem Argivis carum fuisse statuebam, memor esse debebam loci apud Thucydidem V, 54, ubi Argivos a. 419 in Epidauriorum fines invasisse dicit τετράδι φθίνοντος i. e. τετάρτᾳ δευτάτᾳ. Cf. etiam Theophr. Charact. XVI, 10: καὶ ταῖς τετράσι δὲ καὶ ταῖς ἑβδόμαις προστάξας οἶνον φέρειν τοῖς ἔνδον ἐξελθὼν ἀγοράσαι μυρσίνας, λιβανωτόν, πόπανα. Cf. Menander ap. Athen. VI, p. 243, a. Dies quartus etiam laudatur Hes. Op. 794—799, ubi vs. 798 τετράδ' accipiendum est pro casu dativo τετράδι.

2) De patris nomine omisso cf. supra p. 53.

3) Cf. supra p. 54.

4) Cf. Hom. Il. II, 562; Hesiod. Berl. Klass. Texte, V, 1, p. 31; Strab. VIII, p. 376; Paus. II, 35 et 36: Μάσητι δὲ οὔσῃ πόλει τὸ ἀρχαῖον ... ἐπινείῳ καθ' ἡμᾶς ἐχρῶντο Ἑρμιονεῖς. Steph. Byz.: Μάσης· πόλις Ἀργείων ... λέγεται ἡ πόλις καὶ ἡ Μάσητος. Choerob. in Theodos. f. 45 apud Bekkerum, Anecd. Graec. p. 1396: Μάτσης, Μάσσητος· ἔστι δὲ ὄνομα πόλεως.

5) Sic Πράἰοι, quod apud Dion. Perieg. 415 cum Θυρέα et Ἀνθήνη coniunctum legitur, nihil aliud esse videtur nisi Argiva enuntiatio nominis Πρασιαί.

6) Cf. Fick, Vorgriech. Ortsnamen, p. 71.

7) Frickenhaus et Mueller, Athen. Mitth. 1911, p. 24.

Vs. 5. Dores Argolide oriundos Rhodum occupasse inde a saeculo V° a scriptoribus Graecis tradebatur. Cf. Pind. Ol. VII, 19; Thuc. VII, 57: Ῥόδιοι δὲ Ἀργεῖοι γένος ... Haec opinio tamen procul dubio longe ante saeculum V^um nata erat. Aliis Tlepolemus Rhodi conditor erat, ut iam Iliad. II vs. 653 sqq., aliis heros Argivus Althaemenes. Ῥόδου κτίσις, quam scripsit Apollonius Rhodius, tunc cum decretum Argivum factum est, nondum in oblivionem ivisse potest.

Vs. 12: [τ]οὺς καιροὺς τᾶς πόλιος. Cf. Xen. Anab. III, 1, 44: ἐν τοιούτῳ γὰρ καιρῷ ἐσμεν. Hell. VI, 5, 33: ἐν τοῖς μεγίστοις καιροῖς. Demosth. adv. Lept. 44: παρὰ τοὺς μεγίστους καιρούς. Pro Cor. 180: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν. Inscriptio Attica saeculi III[i] ineuntis [1]): ἐπειδὴ Καλλιδάμας ... τὴν εὔνοιαν ἐνδέδεικται ἐπὶ τῶν καιρῶν ... Foedus Atheniensium et Lacedaemoniorum a. 266/5, [2]) vs. 13 sq.: καιρῶν καθειληφότων ὁμοίων τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν. Witkowski, Epist. priv. graec. p. 39: ἐκ τοῦ το[ιού]του καιροῦ.

Vs. 12 sq.: Φιλι . ν. Restituere possumus Φιλί[α]ν aut Φίλι[ο]ν; spatium enim impedimento est quominus scribamus Φιλῖ[νο]ν. Nomen quod est Φιλίας nusquam in titulis Rhodiis legitur, nomen quod est Φίλιος fortasse uno loco: Ἀγησίνικος Φ[ιλί]ο [3]).

Vs. 19—21. Cum non sit dubium quin Hecatombaea non diversa fuerint ab Heraeis [4]), comperimus Nemea hic non simul cum Heraeis acta esse. Supra p. 67 sq. ostendi Nemea et Heraea in priore saeculi III[i] parte coniunctim, deinde rursus separatim Argis acta esse. Quod nunc titulus noster confirmat.

Hecatombaea hic priore loco adferuntur, quia ante Nemea agebantur. Patet autem ex Livii l. XXVII c. 30 non nisi parvo temporis intervallo haec ludicra inter se distare. Cum vero Nemea fere Kalendis Iuniis acta esse demonstratum sit, sequitur ut Heraea circitur mense Maio agerentur. Vere igitur a. 303 Demetrius Poliorcetes, postquam Peloponnesum in potestatem

1) IG, II, 589; Dittenberger, Syll.² 430.

2) IG, II, 332 (edit. min. 687); Dittenberger, Syll.² 214.

3) IG. XII, 1, 925, 20.

4) Cf. Schol. Pind. Ol. VII, 152: τελεῖται δὲ κατὰ τὸ Ἄργος τὰ Ἡραῖα ἢ τὰ Ἑκατόμβαια.

suam redegit, Heraea Argis egit et Deidamiam in matrimonium duxit [1]).

Vs. 26: Διονυσίοις. Ἀλεξάνδρεια καὶ Διονύσια apud Rhodios acta esse, in quibus saltem inde a saeculo III° a. C. n. chori tragici certaverint, apparet ex IG, XII, 1, 71 et 57, 8. Teste Diodoro (XX, 84), Rhodii, cum urbs a Demetrio oppugnabatur, constituerunt civium, qui pro patria morerentur, filios ἐν ἡλικίᾳ γενομένους ἐν τῷ θεάτρῳ στεφανῶσαι τοῖς Διονυσίοις πανοπλίᾳ.

Vs. 29: ἐν Νεμέᾳ. Ita hoc dictum esse arbitror, ne ambiguum esset, utrum lapis in templo Nemeaeo an in fano Iovis Nemei quod Argis erat collocandus esset.

Vs. 29: [τὸν]ς ὀγδοήκοντα. Argis iuxta senatum (βωλάν) consilium LXXX virorum fuisse legimus etiam in foedere Argivorum et Atheniensium a. 420 a. C. n., quod memoriae proditum extat apud Thucyd. V, 47.

Vs. 32: ἔλεξε Θίων Ποιμωνὶς Μενέδαμος Ἀσίνα. Fuit cum crederem duos viros hic nominari. Nunc vero tot aliis decretis cognitis affirmare licet haec vertenda esse hoc modo: „Theon Menedemi filius ex phratria Poemonidarum ex pago Asina". Mirum est quod etiam patris nomen hic casu nominativo adfertur; phratriarum et pagorum nomina plerumque hoc casu apponi iam semel iterumque monui.

Oppidum Asinam, quod ubi situm fuerit probe novimus [2]), Argivi olim deleverant finesque eius ipsi occupaverant [3]).

Nunc iam XIV nomina pagorum ex inscriptionibus Argivis cognita habemus:

	Ἀράχνα		Πρόσυμνα
	Ἀσίνα		Σελλιγών
	Κοίλα	10	Σόλυμνα
	Λαγχαρία		Στιχέλειον
5	Μάνσης		Ὑσέα ἄνω
	Πεδίον		Ὑσέα κάτω
	Πεσίδχον		. . καιον.

1) Cf. Niese. Gesch. der griech. und makedon. Staaten, I, p. 338, 2.
2) Strab. VIII, p. 373: κώμη τῆς Ἀργείας πλησίον Ναυπλ[ίας].
3) Paus. II, 36, 4 sq.

Decretum conscriptum est dialecto Argiva, sed insunt etiam nonnulla vestigia τῆς κοινῆς διαλέκτου:
1° vs. 3: βουλᾶ[ς]; cf. vs. 4: βωλᾶς, vs. 31: βωλά.
2° vs. 5: [θ]εός, non θιός.
3° vs. 6: εἰς; cf. vs. 9, 10, 18, 22, 25: ἐνς.
4° vs. 28: ἱερῷ, non ἱαρῷ.

Vs. 3: Καρνείου. Cf. vs. 2 sq.: Ἀγυιήου; v. supra p. 50, 1. Cf. Hoffmann, Gramm. der megar. Inschr. S.G.D.I. IV, p. 353: χρήας, ἐπιτάδηον, ἀσαμήωτον, πλήονος.

Vs. 3. Vox Ἤνατος, quae in lapidibus Cretensibus passim legitur, nunc etiam in inscriptionibus Argivis frequenter occurrit.

Vs. 6: διατελόντι. Cf. supra p. 70 et vs. 14: ἐμΦανιξόντας.

Vs. 8: ἄπανσαν χρῆιν παρεχόμενοι. In inscriptionibus saeculi III[1] legi solet: χρείας vel χρείαν παρέχεσθαί τινι, *bene mereri de aliquo*. Inscriptio Elea habet: τὰν πᾶσαν χρείαν . . . παρέχεται [1]). In decreto nostro pro voce χρεία cognata vox χρῆ(σ)ις usurpata est.

Vs. 8: ἀποστήλαντος; cf. vs. 12: ἀπέστηλαν, vs. 22 sq.: ἀνανγήλωντι.

Vs. 9: ἐμέτρηέ. Μετρεῖν hoc loco est *mutuum dare*. Μετρεῖν hoc sensu usurpari iam veteres scholiastae et lexicographi, deinde Stephanus in Thesauro graecae linguae, s. v. μετρέω et ἐπιμετρέω, Salmasius in libro de usuris [2]), Graevius in lectionibus suis Hesiodeis [3]) docuerunt et nuper denuo nos commonuit Belochius [4]). En scriptorum loci qui hunc usum comprobant: Hes. Op. 349: εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι. Schol. [5]): εὖ μὲν μετρεῖσθαι· καλῶς δανείζεσθαι. Vertit Cicero de off. I, § 48: quia si ea quae utenda acceperis, maiore mensura, modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus? Hes. Op. 396 sq.: ἐγὼ δέ τοι οὐκ ἐπιδώσω οὐδ' ἐπιμετρήσω. Schol. ἐπιμετρήσω· δανείσω. οὐδ' ἐπιμετρήσω· οὐ χρήσω. Arist. Acharn. 1021: μέτρησον εἰρήνης τί μοι, κἂν πέντ' ἔτη.

---

1) Michel, Recueil, 197.
2) Salmasius, De usuris, Lugd. Bat. a. 1638, p. 273, sq. 568 sq.
3) Hesiod. ed. Clericus, Amstelod. a. 1701, II, p. 39.
4) Beloch, Griech. Gesch.[2] I, p. 299.
5) Gaisfordii scholiorum Hesiodeorum editio mibi non ad manum est.

Schol. *μέτρησον· ἀντὶ τοῦ δάνεισον.* Theopomp. fr. 26 Kock, Com. Att. Fragm. I, p. 740: *ἢ μετάδος ἢ μέτρησον ἢ τιμὴν λάβε.* Ammon. ed. Valckenaer. p. 93: *μετρεῖσθαι ... ἔλεγον οἱ παλαιοὶ μέτρῳ λαμβάνειν πυρὸν ἤ τι τοιοῦτον ἐν δάνει, ἵνα ἀποδῷ. Ἡσίοδος· εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι. οὐχὶ ἀργύριον ἢ χρυσίον· οὐδέπω γὰρ ἐπὶ νομίσματος.* Phot. *μετρεῖσθαι· δανείζεσθαι.* Hesych. *μετρεῖ· δανείζει. καὶ μετρεῖσθαι· δανείζεσθαι.* Iam locus noster ostendit hunc usum verbi *μετρεῖν* Argis saltem usque in medium saeculum III^um perdurasse. Simul videmus vocem, qua initio non uterentur nisi de rebus, quas metiri solemus, loquentes, sicut frumento vino oleo, hic ad nummos pertinere. Qui usus etiam Ammonii auctori non ignotus fuisse videtur: dicit enim Hesiodum *μετρεῖν nondum* (*οὐδέπω*) de pecunia mutua danda usurpare. Recte igitur olim Graevius l.l.: „*μετρεῖσθαι* est sub usura mutuum petere sive mensura, sive pondere, sive numero constet."

Vs. 11. *Ὡς* hoc loco idem est atque *ὅπως*, ut etiam alibi in dialecto Dorica recentiore [1]). Ecce alterum exemplum ex titulis Argolicis petitum: *τὰν ἅπανσαν σπουδὰν ἔθετο ὡς διασωθεῖεν τοὶ ἀπαχθέντες* [2]). Apud Atticos in pedestri sermone *ὡς* pro *ὅπως* hoc sensu iam inde a saeculo V° rarius usurpari incipit.

V. 11. *ἐπιμεμΗνΑκαντι* hic pro forma Attica *ἐπιμεμΕνΗκασι* legi primo obtutu mireris. Quod ad H attinet, hoc ex aoristo *ἔμηνα* [3]) in perfectum irrepsisse et *τὸ* E expulisse censeo. Alpha vero etiam apud Archimedem constanter occurrit, in cuius libris ter *μεμενακός*, quater *μεμενάκουσα* legitur [4]). Ahrensius et hanc formam et *ἅμισυς* apud Archimedem pro hyperdorismo i. e. facticio dorismo a grammaticis illato habuit [5]). Contra Heibergius cum intellexisset eiusmodi hyperdorismos apud Archimedem, quippe qui non poetarum instar a grammaticis rerum dialecticarum curiosis pertractatus esset, occurrere non posse, formam

1) Cf. Ed. Hermann, Die Nebensätze in den griech. Dial. Inschr. p. 265.
2) IG, IV, 497, 9 sqq.
3) Cf. quae ad vs. 8 adnotavi.
4) Archim. ed. Heiberg², I, p. 246, 20; 248, 28; 250, 2; 252, 23; II, p. 10, vs. 17, 19, 20.
5) Ahrens, De dial Dor. p. 22, 160, 546.

μεμέναχα tutatus est, licet eam inexplicabilem sibi videri fateretur [1]). Quem nunc inscriptio Argiva recte fecisse demonstrat. Iam quatenus forma explicari vel aliis exemplis confirmari possit, perpendendum est. Sed prius alia quaedam interserere mihi liceat.

Cavendum enim est ne errasse vel temere egisse videamur. Dixerit quis se haud scire an forma *ἐπιμεμηνάκαντι* non ab *ἐπιμένω*, sed ab alio quodam verbo ducenda sit. Qua de re cum et ipse meditatus sim, cum lectoribus communicabo quae mente agitaverim, ne alii rursus in eadem incidant. Nec plane sine fructu hanc digressionem fore spero. Cum enim vulgo putent verbum quod est *ἐπιμηνιεύω* significare posse *dilationem per menses dare debitoribus*, suspicari possit aliquis hoc sensu etiam *ἐπιμηνάζω* dictum esse. Respondere possim verbum *ἐπιμένω* nostro loco aptissimum esse [2]), *ἐπιμηνάζω* vero minus aptum fore, cum pecunia mutua data sit absque usura. Sed ante omnia respondendum esset verbum quod est *ἐπιμηνιεύω* numquam illum significatum habuisse, quem primus Boeckhius ei tribuerit. Exponam quomodo res habeat. In decreto Olbiensi saeculli III[i] [3]) summopere laudatur Protogenes quidam, vir dives, qui in patriae inopia et annonae caritate civibus quacumque potuit opitulatus esset. Ibi legimus vs. 176 sqq.: *τῶν δ' ἐν τῇ πόλει κακῶς διακειμένων πάντων διά τε τοὺς πολέμους καὶ τὰς ἀφορίας καὶ τῶν ὑπαρχόντων εἰς τὸ μηθὲν ἡκόντων, ζητήσαντος ὑπὲρ τούτων τοῦ δήμου ἐπιμηνιεῦσαι καὶ προνοῆσαι χρησίμως τοῖς τε δανεισταῖς καὶ τοῖς χρησταῖς κτλ.* Hic Dittenbergerus interpretationem Boeckhii probavit, mihi reicienda videtur. Nam *ἐπιμηνιεύω* hoc loco nihil est nisi *ἐπιμήνιος γίγνομαι*, ut e. g. dicitur *ἐπιτροπεύω, παρεδρεύω, ταμιεύω, ὑπατεύω.* Civitates Graecae bene multae habebant magistratus, qui *ἐπιμήνιοι* dicebantur. Quin etiam in nonnullis eponymorum vice fungebantur. Plerumque quidem sacris praeerant [4]),

---

1) Heiberg, Ueber den Dialekt des Archimedes, Jahrb. für class. Philol. Suppl. Bd. XIII (1884), p. 545 sq. 549.

2) Cf. e. g. Plat. Leg. XII, p. 593, a: *ἕως ἂν τὸν μέτριον ἐπιμείναντες χρόνον … ἀπαλλάττωνται.*

3) CIG, 2058; Michel, Recueil, 337; Dittenberger, Syll.[2] 226.

4) V. Stengel, Die griech. Kultusalt. p. 45 sq.

sed non ubique eadem eorum erant officia [1]). Sic e. g. Bargyliae erat ἐπιμήνιος τῶν ταμιῶν, quem Szanto iure τῷ κατὰ μῆνα ταμίᾳ apud Chios aequiperavit. Alibi quoque quaestores aerarii non ταμίαι, sed ἐπιμήνιοι vocabantur. Nihil igitur, opinor, obstat, quominus etiam Olbiae τοὺς ἐπιμηνίους aerario praefuisse statuamus.

Ad perfectum μεμήνκκα sive μεμένακα redeamus. Assimiles formae duae mihi notae sunt. Primum enim apud Sappho traditum est ὑπαδεδρομακε, quod Attice est ὑποδεδράμηκε. Hanc formam Wilamowitzius genuinam esse non posse existimat [2]), quia, ut iam Lobeckius recte dixerat, non fuit apud Graecos verbum δρομάω. Deinde apud Pindarum Ol. VI, 53 traditam est γεγενᾱμένον, quod Ahrensius et Pindari editores nostrae aetatis in γεγενημένον commutaverunt. Dubito num recte. Ibidem vs. 49 legitur γεγᾱ́κειν, quam formam nemo aggredi ausus est, praesertim cum Hesychius habeat: γεγάκω· γεγενημένος ὦ. Optime autem de hoc perfecto grammatica Graeca Brugmanni et Thumbii p. 378: „Nach ἕστακα: ἕσταμεν schuf man γέγᾱκα (Pind.) neben γέγαμεν." Attamen si verum est, quod nemo dubitat, analogiam tantum valere, ut dicatur γέγακα, cum dicatur ἕστακα, quidni etiam dicatur γεγέναμαι, cum sint tot alia perfecta in -αμαι exeuntia?

Ceterum haud scio an haec perfecta in -κκα et -αμαι non magis Aeolica quam Dorica dicenda sint. Nam Sappho profecto καθαρῶς αἰολίζει et in dialectis Argorum et Syracusarum, Archimedis patriae, nec non in Pindari sermone insunt priscae Aeolicae dialecti vestigia [3]).

---

1) V. Szanto ap. Pauly—Wissowa, Real-Encycl. s. v. ἐπιμήνιοι. — Cf. IG, XII, 7, 515, vs. 50 sqq.

2) Wilamowitz, Sappho und Simonides, p. 56, 1: ein Fall von falschem „Aeolisiren".

3) Cf. Buck, The interrelations of the Greek dialects, Class. Philol. 1907, p. 241 sqq.

Saepius apud Archimedem legitur partic. γενάμενος pro γενόμενος, quam formam Heibergius l.l. p. 562 potius Byzantinam esse autumat quam Doricam. Byzantinam eam esse constat; cf. Bees, BCH, 1907. Est tamen etiam Dorica, siquidem legitur in epigrammate Argivo aetatis Romanae BCH, 1909, p. 458; quam cum olim corrigendam esse putaverim, nunc defendendam esse statuo.

Vs. 13: Ἀγλουστράτου. Cf. nomina Rhodiis peculiaria: Ἀγλούμβροτος, Ἀγλούκριτος, Ἀγλουρρόδη, Ἀγλούχ[ορος] [1]).

Vs. 14: ἔμπροσθα. Formae ἔμπροσθα et ἔμπροσθεν ambae Doricae sunt, ambae Argolicae. Hanisch statuit in titulis Argolicis adverbia suffixi -θα ope formata non inveniri [2]). Non inveniebantur, quia tituli numero tam pauci sunt.

Vs. 19 sq.: Ἑκατονβούϝις. Ludicrum Argivum plerumque vocatur Ἑκατόμβαια, semel in epigrammate Delphico in honorem pugilis Theogenis Ἑκατόμβοια [3]). Forma Ἑκατόνβουα, quae ex Ἑκατονβόϝια, Ἑκατονβούια nata fuerit, nova est. Conferendae sunt formae βουῶν, βούεσσι, quae in lapide quodam Boeotio leguntur [4]). Notandum est etiam in dialecto Lesbia pro littera ϝ inter duas vocales posita litteram υ substitui [5]).

V. 23: τὰν εὔνοιαν. Factum esse posse arbitror ut post haec verba pronomen relativum ἅν a lapicida omissum sit. Quamquam possis etiam contendere τὰν εὔνοιαν esse ἂν εὔνοιαν sive τὰν εὔνοιαν, ἅν. Collata enim inscriptione Attica a. 217/6 a. C. n. [6]): ὅπως ἂν οὖν καὶ ὁ δῆμος φαίνηται τιμῶν τοὺς ἀποδεικνυμένους ἣν ἔχουσιν αἵρεσιν ἐμ παντὶ καιρῷ, et inscriptione Delphica saeculi III[i] [7]): ἐπειδὴ ... Μητροφάνης ... ἐνφανίζει ἂν ἔχοντι εὔνοιαν πάντες ποτὶ τὰν πόλιν τὰν ἁμετέραν ... fatendum est, si in inscriptione nostra merum pronomen relativum ἅν scriptum esset, nihil desideratum iri [8]). In locum autem pronominis relativi nonnumquam articulus substituitur, ut e. g. in inscriptione Attica: ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι τοῖς ἡ πόλις τίθησιν [9]).

---

1) Non recte de his nominibus locutus est Brause, Lautl. der kret. Dialekte, p. 114, qui indicibus vol. IG, XII, 1 non usus esse videtur. — Cf. Hoffmann, S.G.D.I. IV, p. 589.

2) Hanisch, De tit. Argol. dialecto, p. 16.

3) Pomtow, Delphica, II, p. 38: Ἑκατόμβοια δόλιχον ἐν Ἄργει.

4) S.G.D.I. 489.

5) Cf. Thumb, Handb. der griech. Dialekte, p. 258.

6) C.I.A. IV, 2, p. 101, 385, c; Michel, Recueil, 131; Dittenberger, Syll.[2] 241, vs. 21 sq.

7) Michel, Recueil, 262; Dittenberger, Syll.[2] 484.

8) Cf. Kühner—Gerth, Griech. Gramm. II, § 562, 4.

9) IG, vol. II et III ed. min. I, 657, vs. 65 sq., ubi conferri iubet editor quae scripsit Wilhelm, Wiener Eranos (a. 1909), p. 129.

Vs. 31: *ἴ κα ἀποδειξεῖ*. Exspectaveris modum coniunctivum: *ἴ κα ἀποδείξῃ*, collata inscriptione in honorem Alexandri Sicyonii, vs. 16: *ἴ κα αὐτὸς προχιρῆται*, et inscriptione de Cnoso et Tylisso, vs. 9 sq.: *ἴ κα τῷ Μαχανεῖ θύωμες*, nec non titulo Rhodio: *εἴ κα Εὐθαλίδαι ἀποδείξωνται* [1]). Sed constructio particulae *κε* cum indicativo futuri ex Homero unicuique nota est [2]).

(*Continuabuntur*).

1) IG, XII, 1, 890; Dittenberger, Syll.[2] 450, vs. 25.
2) Cf. Kühner—Gerth, Griech. Gramm. II, § 392, 1.

AD TACITI ANN. IV, 1.

Saevire ipse (*Tiberius*) *aut saevientibus vires praebere.*

Quid hic sibi istud *vires praebere* vult? An ita accipiamus ut sit idem fere quod *vires suas commodare*? Quidni ergo hoc dedit Tacitus? Certe adiectivo *suas* hic carere non possumus. Nam *saevire* delatores, de quibus hic cogitandum, non possunt nisi principis usi viribus. Sed aut omnia me fallunt, aut scripsit Tacitus: *aures praebere.* Crudeliter aut ipse princeps maiestatis crimine petebat inimicos, aut delectabatur saevitia delatorum.

J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 87).



CVII.

DE NILO CENSITORE.

Pars tertia.

Tandem, quod attinet ad libros censuales [1]), quorum copiam fuisse diximus Aegyptiis, sicut eorum copia fuit Romanis omnibusque populis, qui tributa *pro habitu pecuniarum* [2]), non ex arbitrio, dependerint [3]), quin immo plurium simul, sive tributa plura fuerint, secundum tributorum genera ordinatorum — velut apud Athenienses erat εἰσφορὰ (ὑπερ τῶν) οὐσι(ῶν) [4]) et item altera ὑπὲρ τ(ῶν) χωρίων [5]), duplex igitur ex necessitate ἀπογραφὴ [6]), utut in integrum restitui placet Harpocrationis testi-

1) Ad ea, quae sequuntur, cf. Wilcken, Ostr. I kap. V § 5 (*die Steuerbücher*), et item Ruggiero, *Bull. dell' istit di dir. rom.* XVI (1904) p. 201/2; Lewald, *Beitr.* etc. (1909) § 11; Wilcken, *Grundzüge*, kap. V passim (p. 174 ima, 176/8, 205/8) et Chrestom. I kap. V § 5.

2) Liv. I 42 § 5.

3) Ergo coepisse recte dicit vasaria cum tributis Walras, *Biblioth. univ.* 48 (1873) p. 472: *„l'institution du cadastre sous une forme plus ou moins grossière remonte .... naturellement aussi haut que celle de l'impôt foncier.*" Quae transferenda est sententia ad quemlibet censum et quodlibet tributum.

4) Demosth. XXVII § 7, § 9; XXVIII § 4.

5) *Inscr. jur. gr.* XIII § 2; XIIIbis § 7; XIII^ter § 7; Dinarch. I § 69-71.

6) Boeckh, *Staatshaush.* IV c. 6.

monium [1]) — sive etiam in unius tributi causa, quod plura censendi genera admittat [2]) — velut apud ipsos Aegyptios duplex [3]) erat praediorum census, alter (ἐξ) ἐπισκέψεως [4]), in quem veniebant singula praedia mensura publice acta, quam nos appellabimus τὴν ἐπίσκεψιν, alter ἐξ ἀπογραφῆς secundum dominorum ordinem [5]) professionibus indictis [6]), quam similiter nos appellabimus τὴν ἀπογραφήν — quod igitur attinet ad libros Aegypti censuales, *accuratissime* confecti isti quidem dicuntur Frantzio [7]), Rudorffio [8]), Ioanni Droysen [9]), Udalrico Wilcken [10]), Ludovico Mitteis [11]); quod aliquando miratus sum, unde enim res nota esse poterat? Ipsa vasaria interciderant; testimonia adferebantur nulla. Sed postea mirari destiti, quam compertum habui sic apud historicos [12]) omnia vasaria accurata, ut apud Homerum ἐυκνήμιδας Ἀχαίους dici, quin immo apud Cantorem [13]) tabulam agrorum [14]) Dei eius, cui dicata erat Apollinopolis

---

1) V. Δήμαρχος. Hoc falso scribit Fraenkel (ad Boeckhium, not. 818) solum esse testimonium de Attico praediorum censu. Quem refutavit pridem Beloch, Herm. XXII (1887) p. 375/6.

2) Praediorum censum duobus modis ordinari posse, docet Merlin, v. *cadastre*. „*Il y a deux manières*", ille, „*de faire les cadastres*: — *la première en* .... *détermin*(*ant*) *les revenus de chaque propriétaire*; .... *la seconde* .... (*en*) *faisant l'estimation* (*des héritages*)."

3) Triplicem facit Ruggiero, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XVI (1904) p. 201/2, dum secundaria, id est, ex vasariis principalibus propagata, proprio generi adsignat.

4) Cf. P. Tebt. 24, 25/6: ἄνευ ἐπισκέψεως.

5) Mitteis, *Grundzüge* p. 101: „*nach dem Princip* (Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 157: „*Grundsatz*") *der Personalfolien*".

6) Utriusque rei testimonia dabuntur.

7) CIG III pag. 293.

8) *Feldmesser* II p. 283.

9) *Kl. Schr.* I p. 18 lin. 25/6.

10) Herm. XXVIII (1893) p. 237: „*dass* .... *das gesammte Land aufs genaueste katastrirt war, ist bekannt*"; Ostr. I p. 175, 480.

11) *Archiv* I p. 185 lin. 9-11.

12) Recens exemplum est apud: Johns, *An Assyrian domesday-book* (1901) p. V; iam vetera apud Henricum Monnier, *Nouv. rev. hist.* XVII (1892) p. 133; Giesebrecht, *Kaiserzeit* II (1863) p. 254 lin. 2/3 (ia. p. 287 lin. 3); Gaupp, *die german. Ansiedl.* (1844) p. 551, 603. Ex diverso plane singularis verecundia Niebuhrii, *röm. Gesch.* II (1836) p. 458***: „*ich kenne* .... *alte Kataster, namentlich in Italien einen aus dem XV Jahrh., deren Genauigkeit ganz vollkommen zu sein scheint.*"

13) *Die röm. Agrimensoren* (1875) p. 34/5.

14) Ediderunt eam Lepsius (*Abh. der Akad. zu Berlin a. d. J.* 1855) et item Brugsch (Thes. inscr. aegypt. III (1884) p. 531 sqq).

magna (*Edfu*), ubi quadrilatera qualiacumque lateribus suis ipse putat obligari — damnat enim Cantor [1]) et quidem tacite damnat eam rationem, quam excogitaverat Lepsius [2]) concedendum ne esset sibi, Aegyptios suos aeque literas nescivisse atque, quem laudat, auctorem *de iugeribus metiundis* [3]) — talem igitur, qualem diximus, agrorum tabulam apud Cantorem accuratissime confectam pronuntiari. Videbam quidem in venditionibus agrorum et conductionibus diligenter modum enuntiari — ne hoc quidem semper, sed venire pleraque ἀρούραις tot ἢ ὅσαι ἂν ὦσιν [4]) πρὸς ἀναμέτρησιν [5]) — sed nihilomagis commovebar, quia fundi modus diligenter enuntiari potest, licet census ne sit quidem; et sumebatur [6]), verum non demonstrabatur [7]), privatorum contractuum mensuras e vasariis publicis transscriptas esse. Hodie scilicet copiae nostrae auctae sunt inventis non tantum ipsis pro parte libris *polypticis* vel censualibus sed documentis etiam iis, quibus possit pars deperdita in integrum

---

1) Cantori adversus Lepsium adstipulatur Eitller, *Vereinsschrift des Els.-Lothr. Geometervereins* XV (1895) p. 172, 255 et item Brugsch, Thes. cit. III p. 531, dum Lepsio acceptam refert Cantoris opinionem.

2) *Abhandl.* cit. p. 81-84.

3) Gromat. p. 355 lin. 1-7.

4) *Wien. Stud.* VIII (1886) p. 111 et saepe alias (Gradenwitz, *Einf. in die Papyrusk.* I p. 70[1]; Gentilli, *Studi ital. di filol. class.* XIII (1905) p. 291/2). Ex diverso P. Amh. 95; 96 veneunt ἄρουραι tot πλήρεις.

5) Hoc adicitur *BGU* 586, 9/10. Scilicet, ubi merces statuitur non universaliter et quasi per aversionem, sed ἑκάστης ἀρούρας (*BGU* 586, 12; P. Grenf. I 54, 12; Oxy. 102, 12; CPR I 40, 19/20; 41, 19) nec de mensura constat, vel ubi hoc pendet ex futuro eventu, veluti ἑκάστης ἀρούρης τῆς συμβροχηθ(ησομένης) (*BGU* 938, 7/8; cf. P. Hibeh 90, 8: ὅσων ἂν βρεχῶσιν) vel τῆς ἐν σπόρῳ (*BGU* 1092, 14/5: τῆς καίρῳ) φανησομένης (P. Argentor. 10, 12; Flor. 37, 2/3; Lips. 19, 16/7), ibi conduci solet ἐκ γεωμετρίας (P. Argentor. 10, 12; 78, 8; *BGU* 1092, 15; P. Flor. 37, 2; Hibeh 90, 8; Lips. 19, 17; Oxy. 102, 11) vel πρὸς ἀναμέτρησιν (*BGU* 586, 9/10; 938, 8; P. Grenf. I 54, 9; Oxy. 1126, 6; CPR I 40, 11/2; 41, 13; cf. praeterea P. Genev. 66, 12/3; 67, 9/10) vel σχοινίῳ (cf. *BGU* 526, 13), id est, ad mensuram (quod pertinere putat Wilcken, Ostr. I p. 176[1], ad vasariorum renovationem), sed interdum (P. Oxy 499, 17/8): μηδεμίας γεωμετρίας γεν(ησο)μένης. Sic ex diverso per aversionem locatio interdum habet legem: ἐκ γεωμετρίας (P. Oxy. 728, 8/9; *Soc. ital.* 34, 10) vel ἐκ σχοινουργίας (P. Flor. 20, 17). Cf. Gentilli *Studi ital. di filol. class.* XIII (1905) p. 291/2.

6) Veluti ab Aemilio Kuhn, *Verf. des röm. Reichs* II (1865) p. 498.

7) Cf. nunc quidem Wilcken, Ostr. I p. 483, 484 (cui καταγραφὴν vertenti „*das Kataster*" iam intercessit Mitteis, *Archiv* I p. 190 not. 1).

quodammodo restitui: dominorum professionibus atque tributorum [1]) aut *debitorum* [2]) aut *reliquorum* [3]) aut exactorum [4]) *brevibus* aliisque. Professionum quidem duplex genus est, quod huc pertineat: praediorum [5]) et personarum [6]); nam personarum quoque censu (τῇ κατ' οἰκίαν ἀπογραφῇ) includuntur praedia, urbana utique [7]), statum suum profitentium [8]). Breves autem sive *σωματισμοί* [9]) sive *ἀπαιτήσιμα* [10]) sive *ἐκθέσεις* [11]) *κατ' ἄνδρα πρὸς ἀπαίτησιν* [12]) vel *εἰς συμπλήρωσιν* [13]) *ὀφειλομένων* [14]), quibus accedunt figura simillima proposito contrario *κατ' ἄνδρα εἰσπράξεως* [15]) sive *εἰσπράξεις* [16]) sive *εἰσδοχαὶ κατ' ἄνδρα* [17]) aut *διαγεγραμμένων* [18]) (*ἀργυρικῶν*) aut *μεμετρημένων* [19]) (*σιτικῶν*), non omnes quidem

---

1) Tributorum breves in hoc tractatu simpliciter appellabimus *breves*, etsi non diffitemur etiam libris polypticis nomen convenire (cf. c. 13 C. Th. 11. 28).

2) Cf. c. 1 C. Th. 11. 7; c. 3 C. Th. 11. 28; c. 8 C. Th. 1. 10 (et c. 3 C. Th. 10. 16 = c. 5 C. 10. 2).

3) Cf. c. 13 C. Th. 11. 1.

4) Cf. c. 27 § 1 C. Th. 12. 6.

5) Ad Ptolemaeos pertinentes, praediorum urbanorum omnes, indicabit Wilcken, *Grundzüge* p. 175 (cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 179 not. 1), ad Romanos Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des römisch-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 92.

6) Exempla suppeditant apud Udalricum Wilcken, *Grundzüge* p. 193[2].

7) Eger, *Grundbuchw.* p. 181[3].

8) Propria, sed Memphi conducta (Ostr. I p. 449).

9) *BGU* 141 Ro., 3. Vocabulum ipsi quoque censui convenire non negaverim.

10) Cf. Wilcken, Ostr. I p. 512, 619, *Grundzüge* p. 210.

11) P. Fay. 246; 247; 320; Genev. 65. 1; Giss. 58 II 11: Iand. 32; Lips. (Wessely) 31 Vo., 5; Lond. 249, 1; 431, 1; 1170, 2; 1293, 2; Tebt. 520 Vo.

12) Cf. P. Oxy. 291, 3-7 (omittitur *κατ' ἄνδρα*); Lond. 322, 3 (omittitur *ἔκθεσις*); Fay. 42(*a*) I 5 (omittitur *πρὸς ἀπαίτησιν*).

13) P. Tebt. 573.

14) Cf. P. Tebt. 96, 1/2: *ἔτους κ' κατ' ἄνδρα ὀφειλομένων ἐν τοῖς ἐκ τῶν ἐφοδείων*, ubi *ἐν τοῖς* est = *ὑπὸ τῶν* (Or. gr. inscr. sel. 90, 28/9; P. Zoid. lin. 21; Tebt. 5 lin. 66 et 227; 18, 5; 27 lin. 99 et 110/1; 72 lin. 332; 296, 19/20; Oxy. 487, 16/7; Lille 3 lin. 64, *BGU* 1047 III 12 (*Archiv* III p. 508); 1144, 10; Hom. Λ 686 io. 688). Eodem spectare videtur, quam requirit P. Tebt. 336, 5/6 *συγγραφὴν τῶν ὀφειλόντων*.

15) *BGU* 199, 7; 134, 3. *Εἰσπράξεως* omittitur P. Tebt. 13 Ro.; 97, 1. Cf. praeterea Wilcken, Herm. XX (1885) p. 453 = *BGU* sine no. et 134.

16) P. Gizeh 10899 (Thead. 30), 1.

17) P. Tebt. 159.

18) *BGU* 199, 8.

19) P. Tebt. 97 1; cf. 13 Ro. (*μεμετρημένου φακοῦ*); 159 (*σίτου*). Scribebantur

censui proficiunt, sed ii, in quos ex censu quaedam translata sunt, veluti P. Tebt. 93-96 et 98 aliique [1]), qui habent, non semper *κατὰ στοιχεῖον*, nomina possessorum, deinde agrorum spatia et interdum genera [2]), deinde *τὰ ἐκφόρια*, id est, canonem, alia quoque onera, aut per universitatem tantum aut per singulaaruras quoque [3]). Adiuvant etiam *BGU* 186 (Wilcken, Ostr. I p. 482); P. Flor. 104, quibus continentur breves, ut mihi vis detur, reliquorum [4]); habet autem hic uterque papyrus nomina dominorum praediorum urbanorum et praediorum vicinias. Sed longe vincunt breves saeculi p. Chr. II, qui leguntur inter papyros Londinienses [5]), in quibus Thebarum urbis et nomi [6]) Thebani incolae, urbis quidem *κατὰ λαύρας* [7]), nomi, si quid video, *κατὰ κώμας*, singularum utique partium *κατὰ στοιχεῖον* [8]), cum suis quisque quum *ἰδιοκτήτοις* tum reliquis *φοινικῶσιν, ἀμπελῶσιν, παραδείσοις, λαχανείαις, μυρσβ(αλανείαις), ἀκροδ(ρυείαις), πηχ(ισμοῖς) περιστ(ερώνων)* [9]) veniunt; praedia, licet minima [10]), cum-suo quidque modo et singularum ararum censu [11]), numero denique (inter *τὸ τίμημα* et *τὸ μέτρον*), quo videtur [12])

---

haec partim in annum (P. Tebt. 13 Ro.; 97, 1; Argentor. 45), partim per singulos menses (Wilcken, Herm. XX (1885) p. 453), partim in singulos dies (P. Gizeh 10899 = Thead. 30).

1) *BGU* 572-576; 642; 657; 659 II et III; P. Lond. 175*a*; 193; 195; Oxy. 1044; CPR I 33. Accedit *ἐκδόσιμον* (*BGU* 175) et item *πρόσγραφον* (*BGU* 457).

2) *BGU* 572-574; 657; P. Lond. 195.

3) In P. Oxy. 1044 etiam *οἰκοπέδοις* adscribuntur *ἐκφόρια*.

4) Quia singulis summis annus adscribitur.

5) P. Lond. 119; 109A (Wilcken, Ostr. I p. 203), quibuscum est iungenda (Wilcken, Ostr. I p. 779), testa 1301, cui praescribitur *γεωμετρία* Ἀγορῶν. Est autem Ἀγοραὶ vicus vel regio Thebarum (Wilcken, Ostr. I p. 711-718) *γεωμετρία* tributum soli (ibid. p. 174, 176) vel species eius (ibid. p. 148). Diversam sistunt P. Tebt. 93; 94 in quantalibet possessione *ἡμιάρταβον*.

6) Lin. 97 (P. 119) satis demonstratur, non solius Μητροπόλεως venire incolas.

7) Χάρακος (P. 119, 97), Νότου (P. 109A, 1), Ἀγορῶν (Ostr. 1301).

8) Wilcken, *Gött. gel. Anz.* 1894 p. 733; Ostr. I p. 203.

9) Sic solvit Grenfell, P. Oxy. 981, solvendum esse demonstrat P. Oxy. 1283, 18. De sensu cf. Lond. 903, 18 (pag. 117).

10) Veluti P. Lond. 119 lin. 50 sexagesima quarta pars ararae separatim scribitur, nec obtinebit Lyons, *Survey* etc. p. 44 ima, minora excurrentia solere negligi. Cf Ostr. 1201 (Wilcken, Ostr. I p. 776); P. Oxy. 1044, 2. 20.

11) Solis *περιστερῶσι* non adscribitur census.

12) Ulrico Wilcken, *Gött. gel. Anz.* 1894 p. 733; Ostr. I p. 816.

indicari dies [1]) solutionis [2]) velut hoc ordine (P. 119 lin. 51): Τικως Καληους. Φοινικών. Ἰδιόκτητος. Ἀνὰ δραχμὰς εἴκοσι. ΚΒ. Ἀρούρας ὄγδοον τετρακαιεξηκοστόν. Excepto numero, qui interponitur, quo fieri non potest, ut ad censum remittatur, quia totiens idem redit, et est semper infra M, desumpta haec sunt ex libris censualibus. Sequitur, quod brevium est proprium [3]), debiti summa ducto singularum ararum censu per ararum numerum, eique additur accessio nomine προσδ(ιαγραφομένων) [4]) cum tituli demonstratione velut hoc modo (lin. cit.): διοι(κήσει) [5]) δραχμαὶ δύο ὀβολοὶ πέντε. Προσδ(ιαγράφεται) ὀβολός. Γ(ίγνονται) δραχμαὶ τρεῖς. Apparet his τὸ τίμημα non fuisse τὴν ἀξίαν, id est, pretii aestimationem, sed simplex arurae unius pro ubertate canonem vel tributum [6]), quemadmodum in Pannonia constitutum legimus *per singula iugera* [7]). Licet enim breves Thebani ad φοινικῶνας, ἀμπελῶνας, παραδείσους propie pertineant, constat tamen Valeriae Paulinae testimonio [8]) et papyri Bruxellensis 1, agrum privatum [9]) per singulas aruras ἀνὰ μίαν vel ἀνὰ μίαν ἥμισυ [10]) πυροῦ ἀρτάβην τετελεκέναι. Erat igitur τὸ τίμημα, quemadmodum diximus, ubique simplex arurae unius tributum [11]),

---

1) Mensis nomen tacetur.

2) Conturbari non debemus propterea, quod numerus aliquando supra 30 effertur (Kenyon, ad P. 119, 44), nam hoc in apochis testaceis solemne est (Wilcken, Ostr. 1 p. 813-815).

3) Quod perperam quaerit Wilcken, Ostr. I p. 481, „*im Kataster*".

4) Ita solvendum esse, nunc convenit inter Ulricum Wilcken (*Gött. gel. Anz.* 1894 p. 734) et Kenyonem (*Catalogue* II p. 120 not. 1).

5) Ita solvit Kenyon, probat autem supplementum Wilcken (*Gött. gel. Anz.* 1894 p. 734). Penditur praeterea οἴνου τέλ(ει) (Wilcken, l.l.) et ἱερατικοῖς (praef. (i. f) Chrestom. I 341).

6) Canonem non pendunt ἰδιόκτητα. Cf. Ed. Tib. Alex. (CIG. 4957) lin. 31/2 (Ostr. I p. 186/7).

7) Gromat. p. 205, 15/6 = Thulin p. 168/9 (Wilcken, Ostr. I p. 206). Ad hunc morem etiam hodie Aegyptum censeri testis est Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 64/5, 113/4, 123/4.

8) *BGU* 139. Etsi nec hic nec P. Tebt. 324, qui laudabitur statim, nominatim exprimitur de genere culturae et constat etiam vineas interdum πυρὸν solvisse (P. Oxy. 909, 21/3), probabile tamen est, utrumque papyrum ad σπόριμα pertinere. Quod sumit circa *BGU* 139 Wilcken, Ostr. I p. 204.

9) Eadem causa est cleruchici (P. Tebt. 324).

10) Cf. praeterea Grenfell ad P. Tebt. 5 lin. 15 et 59 (vv. μηδὲ τὰ ἀρταβίεια).

11) Hodie τὸ τίμημα („*rate of tax*") est simplex pro ubertate tributum (Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 62) unius *feddan* (ibid. p. 113 med., p. 123

sed alias σιτικὸν alias ἀργυρικὸν pro culturarum varietate [1]). In brevibus quidem alterum utrum apparet [2]), quia alii sunt ἀργυρικῶν, alii σιτικῶν exactores sive πράκτορες [3]). Ex diverso Athenis in praediorum censu [4]) τὸ τίμημα erat ἡ ἀξία, itaque locatur in inscriptione quadam [5]) ἐργαστήριον Eucrati cuidam εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον (§ 1) δραχμῶν νδ' τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου (§ 2) ea lege, ut Eucrates pro officina conducta solvat tributa (§ 7), quam in rem — quia separatim in censu aestimata non erat ut maioris praedii accessio [6]) — τὸ τίμημα computatur καθ' ἕπτα μνᾶς, mercedem terdecies ductam, quod convenit τῇ ἀξίᾳ [7]). Sane ita erat in χωρίων censu, nam in altera professione, id est, τῶν οὐσιῶν fuisse τὸ τίμημα singulorum patrimoniorum partem [8]) ad quintam cum patrimoniis crescentem, ita ex Demosthene [9]) demonstravit Boeckh [10]), ut sim ridiculus, si iterum demonstrem. Quamquam conatur Beloch [11]) hoc convellere do-

---

ima). Quod ne foret infinitum, statutum est non per singulos agellos, sed contributis paris bonitatis et continentibus agris per suas σφραγῖδας sive *hods* (ibid p. 64/5, 113/4, 123, 322). Praeterea semper est ἀργυρικόν (ibid. p. 348).

1) Hoc demonstravit Wilcken, Ostr. I p. 199, 203/4 (atque 151). Ceterum ipse concedit (p. 199) ὑπὲρ λαχανιῶν modo pecuniam solvi modo species (p. 250) et ὑπὲρ ἀμπελώνων interdum vinum (p. 156 = ostr. 1479). Nunc fateatur necesse est vineas interdum solvisse πυρόν (P. Oxy. 909, 21/3).

2) Cf. P. Oxy. 291, 3-5: τὴν ἔκθεσιν τοῦ ιβ' ἔτους .... σειτικὴν καὶ ἀργυρικὴν εὐθέως γράψον.

3) *„Belege sind unnöthig"* (Wilcken, *Ztschr. der Sav.-St.* XVII (1896) p. 156).

4) Hoc exprimere debuerat Pollux VIII § 103.

5) *Inscr. jur. gr.* XIII*ter*.

6) Hoc esse causae, cur τὸ τίμημα computetur, sagaciter demonstravit Beloch, Herm. XXII p. 376/7.

7) Isae. XI 42 (Fraenkel, Herm. XVIII p. 315). Octies quidem ducitur merces CIA II 600 (= Michel no. 1357). Cf. praeterea Euler, de locatione etc. Graecorum (1882) p. 32-34.

8) Ne Amorgi quidem τὸ τίμημα respondisse videtur τῇ οὐσίᾳ (Dittenb. not. 20 ad Syll. (1900) 645 (= Michel 713, 55). Reditui potius putat). Aliud fortasse dicendum est de Andania (Michel 694, 46/7).

9) Demosth. XXVII § 7, § 9; XXVIII § 4; XXIX § 59, § 60. Est omnibus istis locis εἰσφέρειν = τιμᾶσθαι, εἰσφορά = τίμημα (cf. ibid. XXVII § 37).

10) *Staatshaushalt.* IV c. 7. — Eandem sententiam recte defendit Fraenkel (ibid. not. 823), sed, sicut Euler (op. cit. p. 33/4), perperam transfert eam ad praediorum censum (Herm. XVIII (1883) p. 314-318). Contrarius error fuit Polybii (II 62 § 7), dum scribit (ὑπὲρ τῶν) οὐσι(ῶν) collatum esse ἀπὸ τῆς ἀξίας. Quem refutavit Boeckh, op. cit. IV c. 4.

11) Herm. XXII p. 371-375; XX p. 237-259.

cendo Demostheni a patre relicta esse minus quindecim talenta [1]) eundem censum tria [2]), proinde ultra quintam partem, quod summum fuerit. Quo praeterea nihil efficitur, quam censum esse Demosthenem ultra modum praescriptum tutorum sive socordia sive malitia [3]), neque ullo modo subruitur sententia, quam tuetur Boeckh, oppugnat Beloch. Quod autem diximus: per Aegyptum fuisse *τὸ τίμημα* simplex unius arurae pro culturarum discrimine et qualitate agri tributum, ad rustica praedia pertinere id sciendum est, *οἰκοπέδων* enim scribebatur *τὸ ἐνοίκιον*, id est, reditus, unde pendebatur (sub Ptolemaeis utique), *ἡ εἰκοστή* [4]), *οἰκιῶν* fortasse, sicuti Deli [5]), *ἡ δεκάτη* [6]). Ceterum difficile dictu fuerit, quid proprie sit *οἰκόπεδον* [7]), quod modo censetur cum praediis rusticis [8]), modo inhabitatur [9]), et item modo est *οἰκία* [10]) vel *οἶκος* [11]) modo aliud [12]), et item modo est

---

1) Testis est orator XXVII § 11.

2) Demosth. XXVII § 9.

3) Hoc tamen esse contendit Beloch (Herm. XXII p. 372) „*widersinnig*", (ibid. XX p. 250) „*undenkbar*", addit denique (XX p. 250): „*dazu kommt, ... dass D. seinen Vormündern .... den Vorwurf macht, sie hätten den Betrag seines Vermögens dem Staate verheimlicht.*" Pro testimonio laudat or. XXVII § 8 (*οὐδ' αὐτοὶ οὗτοι ἀποκρύψασθαι διὰ τὸ μέγεθος πρὸς τὴν πόλιν ἐδυνήθησαν*), § 41, § 44 (utrubique deest *πρὸς τὴν πόλιν*) et XXVIII § 7 (*τῇ πόλει φαίνεσθε .... φανερὰ ποιήσαντες*).

4) P. Petrie II 11 (2), quem locum interpretatus est Wilcken, Ostr. I kap. IV § 158. Sed erat legendum (pro *φερόμενον*) *φέρον ἐνοίκιον* (Chrestom. I 223). Cf. praeterea Ostr. I kap. IV § 194 et Zereteli, *Archiv* V p. 177/8 (ad ostr. Petrop. 30). Nam Revillout, *Mélanges* p. 398 not. 1 (p. 399) i. f. et p. 350 not. 1, aberrare videtur.

5) *Rev. ét grecq.* IV (1891) p. 366*.

6) Pendebatur utique separatim (cf. Wilcken, Ostr. I p. 390 not. 3) *ὑπὲρ ἐνοικίου οἰκιῶν* (Ostr. I kap. IV § 41). — Hoc loco admonendi sumus in insula Co non inveniri *ὠνὴν ἐνοικίων* et alteram *οἰκοπέδων* (*Rev. ét grecq.* IV (1891) p. 361 = Ostr. I kap. IV § 194 i. f.) sed alteram *οἴνου ἐξ οἰκοπέδων* (*Rev.* cit. V (1892) p. 100*, 253).

7) Wilcken ante Chrestom. I 223: „*wenn ἐνοίκιον .... richtig* (dicendum erat: *richtig gebraucht*) *.... eine bebaute Hausstelle.*"

8) P. Tebt. 343, 50. 51. 71. Cf. quoque Inscr. Sard. (*Amer. Journal of Archaeol.* 1912 p. 13) I 16; P. Oxy. 1044, 7. 11. 16.

9) P. Oxy. 493, 3.

10) P. Lips. 3 I 18; Lond. 182 (b), 3; 941, 9; 945, 16; 1158, 9; 1168, 13; 1298, 3; Paris. 20, 32/3.

11) P. Oxy. 104, 26.

12) *BGU* 83 (Venit tamen utrumque in *πορείαν οἰκοπέδων* sicut (*BGU* 870) in *ἐπίσκεψιν*); P. Goodsp. 15, 18; Hal. 1, 242/3; Lond. 334, 20; 901, 6; Oxy. 1036, 19; Dittenb. Syll. (1900) no. 462, 21/4 (*οὐδὲ οἰκιῶν οὐδὲ οἰκοπέδων*).

solum aedificii [1]), modo ἔδαφος non est [2]). Habent autem ex censu spatia et τιμήματα non tantum breves tributorum sed etiam alicuius κώμης descriptio βρεχέντων πεδίων [3]), quin immo seminis prorogati ἀναγραφή quaedam [4]) et, quae supersunt [5]) (βασιλικῶν) γεωργῶν (κατ' ὄνομα) ἀναμετρήσ(εις) τοῦ σπόρου [6]) sive (γεωμετρί)α(ι) κατὰ φύλλον [7]), quarum quae sunt plenissimae [8]) habent praeterea summam et sationis genus velut hoc modo: Ψενῆσις Θώνιος. (Ἄρουραι) τέσσαρες ἥμισυ τέταρτον. Ἀνὰ (ἀρτάβας) τέσσαρας ἥμισυ τρίτον δωδέκατον. (Γίγνονται ἀρτάβαι) εἴκοσι τρεῖς τρίτον. Σπόρος πυρῷ. Fiebant secundum has, opinor, κατ' ἄνδρα γραφὰς [9]) αἱ ἐπὶ κεφαλαίου [10]) κατὰ φύλλον γεωμετρίαι sive σπόροι [11]), quarum pars superest [12]), in quibus iam per singulas κώμας computatur τῆς καταλειπ(ομένης) [13]) γῆς βασιλικῆς τὸ ἐσπαρμένον [14]) per sationum discrimina et quod inde deberet aerario vectigal [15]) colonorum universitas [16]). Redditur

---

1) P. Amh. 98, 10 (veneunt οἰκίαι τιμῆς τοῦ οἰκοπέδου).

2) P. Oxy. 491, 5. 13; 493, 2. Similiter αὐλή modo est οἰκόπεδον (P. Lips. 3 I 18; Lond. 941, 9; 945, 16; 1158, 9; 1168, 13; 1298, 3) sicut στάβλον (P. Genev. 11, 5) vel κεραμεῖον (P. Tebt. 337, 16; 342, 5) modo non est (P. Lond. 77, 20/1) quemadmodum ψιλὸς τόπος (P. Grenf. I 21, 14/5; Lond. 77, 20/1), ἐποίκιον, ἔπαυλις (P. Lond. 901, 2. 5. 16. 18).

3) P. Flor. 331 (= Chrestom. I 341), cui similis est P. Lond. 604 A, sed τιμήματα hic non habet. Cf. praeterea P. Petrie II 30(b), ubi solvendum videtur β(εβρεγμένης), non β(ασιλικῆς). 4) P. Oxy. 986 (C.).

5) Deest hoc genus totum apud clarissimum Rostowzew, *Archiv* III p. 202.

6) Cf. P. Tebt. 288, ubi iubentur οἱ πράκτορες huic rei ἐπακολουθῆσαι, quin ipsi ἀναγράψασθαι πᾶσαν; P. Brem. 73 (Chrestom. I 238), ubi hoc mandatur τοῖς εἰς τὴν ἐπίσκεψιν αἱρεθησομένοις ἀπ' ἄλλων νομῶν εὐσχήμοσιν.

7) P. Tebt. 80, 2. Γεωμετρία saepe omittitur, ut P. Petrie III 96, 1.

8) P. Tebt. 63 Vo. (pag. 430) et P. Petrie III 96. Alibi desunt τὰ τιμήματα (P. Tebt. 80 I) vel summae (P. Petrie III 94; 98; 101, sed accedunt βόες et ὄνοι) vel utraque (P. Petrie III 95; 102), ut supersint tantum spatia et sationis genera, quod sufficit agriculturae statum („*la statistique agricole*") perquirentibus, unde descendit P. Petrie III 75, quo continetur tabula κατεσπαρμένης γῆς ... ἐν τῷ Ἀρσινοΐτῃ

9) P. Tebt. 24, 53.

10) Cf. Crönert, *Archiv* III p. 202*. Concurrit ἐν κεφαλαίῳ: P. Tebt. 330, 6; 436.

11) P. Tebt. 24, 42. 52; 61 (b), 281 (ia. 225); 302, 16; 436; Ryl. 208; Petrie III 95 I 2; *BGU* 915, 10.

12) P. Tebt. 66-70; 153-155. Cf. P. Petrie III 96, 1-10 (sequitur τὸ κατ' ἄνδρα).

13) Cf. P. Tebt. 60, 46. 14) Hoc appellatur ὁ σπόρος: P Tebt. 85, 2.

15) Appellatur hoc quoque ὁ σπόρος: P. Tebt. 61 (b), 49. 66 et (σπόρος δειγματισμοῦ) P. Tebt. 576 Ro.

16) Est ex parte similis P. Ryl. 216.

praeterea ratio τοῦ ὑπολόγου, id est, soli caduci et propterea deficientium redituum [1]), cuius rei etiam proprii ἀπολογισμοὶ extant [2]). Erant altera κατὰ Φύλλον τῆς ἐν ἀφέσει [3]), id est, agrorum sacrorum et adsignatorum, in quibus nulla adscribuntur τιμήματα, sed tantummodo singulis modus et sationis genus, nomen denique τὸ τοῦ γεωργοῦντος. Quorum quidem ea pars, quae adsignationem continet, non ex vasariis fluxisse videtur, sed ex proprio adsignationis libro [4]); alioquin secundum regna, ut est, ordinata non fuisset. Ex utroque autem κατὰ Φύλλον aliisque libris [5]) fiebat quotannis ὁ ἀπολογισμὸς τοῦ ἐδάφους [6]), in quem referebatur, quantum esset κώμης, quantum ἱερῶν, quantum quo iure singulis adsignatum, id quo genere satum quo cultore, quantum denique βασιλικὸν perstitisset, inde quantum defectum esset, ex reliquo quod vectigal per universitatem deberetur [7]). Quibus quae ratio intercedat cum vasariis ex superioribus apparet. Sumebantur utique aut ex vasariis aut ex libro adsignationum nomina possessorum [8]), agrorum spatia, τιμήματα; cetera ne procederent ἄνευ ἐπισκέψεως [9]) vigilabatur. Apparet autem ex iis, quae de brevium ordinatione tradidimus [10]), libros censuales habuisse praediorum modum et aut canonem aut tributum, quod per singulas aruras constitutum esset, vel urbanorum reditum; sed habuisse praeterea certum est τὰς γειτνίας [11]) et τὴν ἀξίαν [12]), quamquam in dominorum professionibus, quae aetatem tulerunt, semper deest τὸ τίμημα vel, in urbanis, τὸ ἐνοικίον, raro habentur

1) Superfluum appellatur τὸ ἀπηγμένον (P. Tebt. I pag. 560/1).

2) P. Tebt. 74; 75, 15 sqq.

3) P. Tebt. 63 Ro.; 62; 141; 143-147; Petrie III 97. Cf. P. Tebt. 79; 82; 83.

4) Indidem descendit P. Tebt. 73, unde apparet librum adsignationum habuisse nomina quum cleruchorum tum τῶν πρότερον γεγεωργηκότων.

5) P. Tebt. 61 (b), 215: τῶν μεταδ(ι)δομένων πρὸς τὴν πραγματείαν τοῦ ἀπολογισμοῦ τοῦ ἐδάφους βυβλίων.

6) P. Tebt. I pag. 538 ima. Cf. *BGU* 915, 15. 23; P. Amh. 68, 38. 42.

7) Ex hoc genere supersunt P. Tebt. 61; 64; 72 et in modum indicis P. Tebt. 60.

8) Nomina ut sint τῶν κατὰ φύσιν γεγεωργηκότων δημοσίων γεωργῶν καὶ κληρούχων, exigit strategus quidam P. Tebt. 288.

9) P. Tebt. 24, 25/7 (ia. 41/2).

10) Ulterius nihil docent, quos laudat Lewald, *Beitr. z. K. des röm.-aeg. Grundbuchrechts* (1909) p. 80², P. Giss. 5-7.

11) Cf. *Aktenstücke* (Wilcken) 4 II 21, 24.

12) Cf. Wilcken, *Actenstücke* pag. 46/7.

ἡ τοποθεσία et ἡ ἀξία et aedificiorum ambitus [1]). Quocirca contendit Wilcken altera extitisse vasaria mensuris publice actis [2]) eoque pertinere ἐπισκέψεως vocabulum [3]). Cuius argumentum [4]) licet non teneat, quia fieri potest, ut omissa specialiter profitenda fuerint, sicut fieri videmus circa domus reditum sub Ptolemaeis [5]), tamen, modo excipiatur (ἡ) ἐν τῇ Ἀλεξανδρέων χώρᾳ καὶ ἐν τῷ Μενελαΐτῃ ἀρχαί(α) γ(ῆ), quae iure singulari vel usurpato, quod temporis causa confirmat Tib. Alexander [6]), sub ἀναμέτρησιν vocata non videtur, sententia ipsa vera est; inventa sunt enim saeculi secundi ante Christum et primi vel secundi saeculi post Christum vasaria ea, quae profecta sunt ἐξ ἐπισκέψεως ordinataque secundum soli continuationem [7]), rusticorum quidem praediorum κατὰ κώμας et in singulis κώμαις κατὰ περιχώματα [8]) vel κατὰ σφραγῖδας [9]), inscripta sic: εὐθυμετρία κατ' ἄνδρα παντὸς ἐδάφους [10]), etsi non κατ' ἄνδρας ordinata sunt, sed, quemadmodum praediximus, κατὰ κτήματα. Quae veniunt aut universa [11]) aut γῆς βασιλικῆς dumtaxat [12]), et adscribitur singulis possessor et modus, interdum [13]) etiam

---

1) Wilcken, Ostr. I p. 481; Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 10. Γειτνίας et ἀξίαν et aedium ambitum ex professionibus sola habet P. Lond. 50; ἀξίαν P. Gizeh 10274; 10277 (*Archiv* II p. 83) et sub Romanis (quocirca corrigendus Wilcken, Ostr. I p. 458, 464, 469) P. Tebt. 323; 472. Commemoratur praeterea ἐπὶ τοποθεσίας professio P. Oxy. 75, 21. Nam P. Oxy. 100, 10/1: ἡ τοποθεσία καὶ τὸ κατ' ἄνεμον διὰ τῆς καταγραφῆς δεδήλωται, non verto καταγραφὴν „*Kataster*", ut Wilcken, Ostr. I p. 484, cui iam intercessit Mitteis, *Archiv* I p. 190[1].

2) „*auf die Vermessungen der königlichen Geometer basiert*" (Ostr. I p. 480).

3) Ostr. I p. 482 (ad *BGU* 563-566).

4) Ostr. I p. 481.

5) P. Petrie II 11 (2). Reditus omittitur in P. Lond. 50, quem scribit Wilcken (Ostr. I p. 481) omnia habere, quibus opus sit ad brevium confectionem.

6) Edicti lin. 59-61 (Wilcken, Ostr. I p. 416; *Grundzüge* p. 286).

7) P. Tebt. 84; 85; 86; 87; 343 Ro.; 526 Vo.; Lond. 267; Oxy. 918; 986 (B). Ordinata dicit Grenfell (P. Tebt. I pag. 539 et ante P. 84) „*geographically*"; dictum oportebat „*topographically*". Est autem cum veteribus illis vasariis omnino conferenda ἐπίσκεψις ea, quae acta est annis 1853-59, cuius exhibet specimen Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 71/2.

8) P. Tebt. 84; 85; 87.

9) P. Oxy. 918; cf. P. Brux. 1.

10) P. Tebt. 84 (cf. etiam P. 85).

11) Ita fit in papyris (etiam Romani aevi) Tebtunicis 84-87; 343 Ro; 526 Vo.

12) Ita fieri videtur in P. Oxy. 918 (Praef.) et Lond. 267 (nisi ibi nulla praedia privata interveniebant). In P. Oxy. 986 (B) sola veniunt προσοδικά.

13) P. Tebt. 86; 87; Lond. 267.

singulorum laterum, quibus obligantur, mensura. Adscribitur etiam [1]) cum suo modo τὸ ὑπόλογον, id est [2]), solum inutile atque ἐκτὸς φορολογίας [3]), nisi tacite deductum est [4]). Velut hoc modo: Νότου ἐχόμενον — sic designatur ipsum praedium relatione habita ad id quod praecedit — Πετεσοῦχος Νεκτενιβίος. Βασιλικῆς [5]) ἄρουραι δώδεκα ἥμισυ, ὧν συμπεριειλημμένης διώρυγος ἀρούρας ἥμισυ. Καταλείπονται ἄρουραι δώδεκα [6]), vel: Νότου ἐχόμενον. Κλῆρος ἑπτάρουρος Χομηνιακός. Πᾶσις Καλατύτιος. Ἄρουραι ἓξ ἥμισυ [7]). Posthac latera adscribuntur [8]) hac fere formula: νότου σχοινίον [9]) ἓν ἥμισυ τέταρτον ὄγδοον, βορρᾶ τὸ ἴσον, ἀπηλιώτου ἓν ἥμισυ, λιβὸς τὸ ἴσον, post inde ducta superficies: Γίγνονται ἄρουραι τοσαῦται [10]), deinde τὸ διάφορον: Πλεῖον ἀρούρας τοσοῦτον [11]). Et videtur esse prior modus ex adsignationis vel locationis lege debitus [12]), inferior possessus. Adscribuntur interdum etiam οἱ γείτονες [13]) et genus culturae [14]) et ὁ ἐπικρατῶν [15]) et conductoris nomen γῆς κληρουχικῆς vel notitia γεωργεῖ αὐτός [16]). Quodsi βασιλικὴ est, raro non adscribuntur [17]) τὰ ἐκφόρια, id est canon sive vectigal [18]), quod singulis aruris statutum est; interdum

---

1) Ἐκ γραφῆς ὑπολόγου (P. Oxy. 988 Vo.).

2) Cf. P. Tebt. I pag. 540.

3) Cf. P. Lond. 401, 14 (*Archiv* I p. 135).

4) Tacite deductum est P. Tebt. 84 lin. 203 sqq. (= lin. 17 sqq.).

5) Βασιλικῆς frequenter deest, ubi tacite venit intelligendum velut P. Tebt. 85; Lond. 267. Quod observavit Grenfell (ante P. Tebt. 84).

6) P. Tebt. 84, 17.

7) P. Tebt. 84 lin. 87.

8) Solet res compendio quodam exprimi, quod hic non possumus effingere.

9) Σχοινίον latus esse ararae, quod divinaverat Kenyon (ad P. Lond. 267, 6), hodie constat per P. Amh. 68, 26 sqq. et P. Lille 1.

10) Cf. P. Amh. 68, 27.

11) Adiectio frequens est in P. Tebt. 87.

12) Esse putat Grenfell (ante P. Tebt. 87) τὸν τῆς ἐξ ἀρχῆς ἐπισκέψεως.

13) P. Tebt. 86; Oxy. 918.

14) P. Tebt. 86; 87; Oxy. 918.

15) P. Tebt. 343. Cf. Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 78/9; Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 189. Apparet rursus ὁ ἐπικρατῶν in P. Oxy. 986 (A.).

16) P. Tebt. 87 lin. 51.

17) Non adscribuntur P. Tebt. 84 (ante lineam 70); haud magis P. 86. Tantum εἰς ἐκφόρια habet P. 343 (lin. 10 et 16).

18) Etiamsi γῆ βασιλικὴ potest locari εἰς ἔτη τοσάδε, veluti πέντε (P. Tebt. 374; Oxy. 1279), δύο (*BGU* 831), ἓν (CPR I 32; 239; Lond. 350; 1227) et locari solet,

etiam adscribitur [1]), quod capere possint, velut hoc modo: *Βασιλικῆς ἄρουραι μία τέταρτον ὄγδοον. Ἀνὰ (ἀρτάβας) τρεῖς. Πυρῷ. Ἄξιαι* (i. e. capere possunt) *ἀνὰ μίαν* (l. *τέσσερας*) *τρίτον δωδέκατον* [2]). Inveniuntur etiam consummationes per singula perichomata, quibus proponitur quum *τῆς ἐν ἀφέσει* [3]) tum *βασιλικῆς γῆς* totius modus, atque *τῆς βασιλικῆς τὰ ἐκφόρια* quum secundum ararum classes per aruras singulas tum per universitatem divisione instituta secundaria *σπορίμου* et *ἁλμυρίδος*. Velut hoc modo: *Γίγνονται τοῦ περιχώματος ἄρουραι υξς' τέταρτον. Ὧν ἱερᾶς γῆς Σούχου ἄρουραι ε', κληρουχικῆς* [4]) *ρμγ', ἄλλαι* [5]) *σπόριμοι* [6]) *τιη' τέταρτον, ὧν ὑπολόγου (ἕως ἀπὸ) τοῦ λθ' ἔτους ἁλμυρίδος δ' ἥμισυ· ἀρτάβαι κβ' ἕκτον. Λοιπαὶ τιγ' ἥμισυ τέταρτον· ἀρτάβαι ͵ασξδ' ἥμισυ δωδέκατον, ὧν σγ' ἥμισυ ὄγδοον ἀνὰ δ' ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἀρτάβαι ↖ρθ' ἥμισυ τρίτον κτέ.* [7]). Incipit ab huiusmodi consummatione (lin. 9: *Συνάγονται τῶν ἐντὸς περιχώματος κτέ.*) P. Flor. 331 (= Chrestom. I 341), qui deinde continet *βρεχέντων πεδίων* descriptionem (lin. 24: *Ὧν βεβρεγμέναι κτέ.*), sistit autem non tantum canonem sed etiam [8]) tributa, sicut P. Brux. 1, qui ex huiusmodi *κατὰ σφραγῖδα* consummationibus est compositus [9]). Ergo proposito

---

ut videtur, *μέχρι τῆς ἐσομένης κοινῆς γεωργῶν διωμισθώσεως* (P. Tebt. 376, 14/5), cuius exemplum P. Petrie III 99, nisi nominatim locatum sit *εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον* (*BGU* 1123, 4), nihilominus, quibus *ὑπάρχει ἐπ'* (editor *ἐν*) *ἐκφορίοις* (P. Lond. 163, 10) *βασιλικὴ γῆ* (P. Tebt. 50, 4/5; 42, 10/1), ii intelliguntur *κυρίως ἔχειν* (P. Grenf. I 11 II 5, 28/9; *BGU* 992 II 5/7: *κυριεύσει τῆς διασα(φουμένης γῆς), καθὰ καὶ οἱ ἀρχαῖοι κύριοι ἐκ(έκ)τηντο, εὐτακτῶν (εἰς τὸ βασιλικὸν) τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐκφόρια*). Ergo sunt revera conductores perpetui et ipsa *γῆ* quodammodo *εἰδεα* (P. Gen. 16, 18), id est, *ἰδία*. — *BGU* 992 *διασα(φουμένης)* ipse legi Berolini. *Εἰς τὸ βασιλικὸν* venit ex P. Soc. Argentor. 277, 17 (*Sammelbuch* 4512); reliqua sunt = Chrestom. I 162.

1) P. Tebt. 87, lin. 71, 77, 80, 83, 97.

2) P. Tebt. 87 lin. 69-71.

3) Sic appellatur in papyris Tebtunicis, quae desiisset *βασιλική* (Engers, de Aegypt. *κωμῶν* administr. (1909) p. 11). Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 271.

4) Genera *τῆς κληρουχικῆς* omisi.

5) = *βασιλικῆς*.

6) I. e. *ἐξ ἀρχῆς σπόριμοι*. Desierant enim quatuor semis.

7) P. Tebt. 85 lin. 104-111. In P. Oxy. 918 consummationes praecedunt *τὸ κατὰ κτῆμα*.

8) Non tamen plene.

9) Esse tributa et canonem, vidit Seymour de Ricci, *Musée belge* VIII p. 116 ima. Nam in ipso P. non distinguuntur *τὰ τέλη*, sed tantummodo agrorum qualitates.

cuiuslibet σφραγῖδος modo subducitur primo τὸ ὑπόλογον [1]), deinde quum γῆς ἰδωτικῆς tum βασιλικῆς modus et illius tributa huius autem canon quum per singulas aruras secundum ararum classes tum per universitatem [2]) declarantur divisione instituta secundaria σπορίμης et ἀβρόχου [3]) additis ἀβρόχου tantum [4]) possessorum mancipumve nominibus cum suo cuiusque modo veluti sic [5]): Ὀγδόης σφραγῖδος .... Ἄρουραι υξε΄ ἥμισυ τέταρτον κτέ. Ὧν ὑδραγωγοῦ ἄρουραι δ΄ ἥμισυ. Καταλείπονται ἐν σιτικοῖς ἄρουραι υξα΄ τέταρτον κτέ. Ὧν σπορίμης γῆς ἰδιωτικῆς [6]) ἄρουραι μα΄· πυροῦ ἀρτάβαι ξα΄· τελοῦσαι ἀνὰ πυροῦ ἀρτάβην μίαν [7]). Ἀβρόχου γῆς αἱ λοιπαὶ ἄρουραι υκ΄ τέταρτον κτέ. Ὧν βασιλικῆς γῆς ἄρουραι σπ΄ ὄγδοον κτέ. αἱ οὖσαι διὰ [8]) γεωργῶν τῶν δείνων κτέ. Ἰδιωτικῆς γῆς ἄρουραι ρμ΄ ἑκκαιδέκατον [9]). Γίγνονται τῆς σφραγῖδος ἀβρόχου ἄρουραι υκ΄ τέταρτον κτέ. · πυροῦ ἀρτάβαι ͵αυπε΄ ἥμισυ κτέ. Ὧν βασιλικῆς γῆς ἄρουραι σπ΄ τέταρτον κτέ. · πυροῦ ἀρτάβαι ͵ατιθ΄ ἥμισυ κτέ., κριθῆς ἀρτάβαι ζ΄ ἕκτον κτέ. Ὧν τελοῦσαι [10]) ἀνὰ πυροῦ ἀρτάβας γ΄ ἥμισυ κτέ. ἄρουραι σκς΄ τέταρτον κτέ. · πυροῦ ἀρτάβαι ͵αν΄ τετρακαιεξηκοστὸν κτέ. κτέ. Ceterum γῆ ἄβροχος in hoc papyro [11]), sicut alibi [12]) ἁλμυρίς, tributum vel canonem adscriptum quidem habet sed non pendit [13]), quocirca

1) Id est: τὸ ἐξ ἀρχῆς ὑπόλογον.

2) Quod per universitatem declaratur, semper excedit numerum ararum per canonem vel tributum, quod singulae pendunt, ductum (Seymour de Ricci, *Musée belge* VIII p. 115). Quod potius explicandum est per tributorum canonisque accessiones (τὰ προσμετρούμενα), quam adsentiendum putanti (*Bull. dell' istit. di dir. rom.* XVI p. 194 ima) per universitatem declarari reditum, quem cultoribus arva datura sint („*la forza reddituale*").

3) Et eius ἀπογραφείσης. Nam ἐπισκεφθείσης modus infra legitur et est multo minor. Debemus hoc Ulrico Wilcken (ante Chrestom. I 236).

4) Hoc observavit Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 187².

5) Quae pars sequitur, legitur etiam Chrestom. I 236 et in *Bullett. dell' istit. di dir. rom.* XVI p. 195/6.

6) Σπορίμη βασιλικὴ in hac sphragide nulla.

7) Summa tributi et canonis in hoc papyro plerumque invenitur ante singularum ararum onus. Sed reditur infra ad naturalem ordinem.

8) Notetur ΔΙΑ.

9) Sequuntur nomina possessorum cum suo cuiusque modo, quae omisi.

10) Reditur ad naturalem ordinem praeposito singularum ararum canone, quem hactenus praecedebat summa per universitatem.

11) Brux. 1.

12) P. Tebt. 85 lin. 103. Fit secus in P. Lond. 267.

13) Cf. P. Tebt. 85 lin. 107/8 (verba exscripsi supra).

errare videtur Seymour de Ricci [1]), quem sinunt Wilcken [2]), Eger [3]); errorem ex errore propagare Ruggiero [4]), quem non sinit Wilcken [5]), vix sinit Eger [6]). Exstat praeterea ex huius generis vasariis *ἐκδόσιμον* [7]) inter papyros Leidenses [8]), cuius hic textus est: ...... *πιειου* .... *Χενούφιος τοῦ Πετήσιος. Ἄρουραι τρεῖς ἥμισυ. Ὧν Φρ(έατος)* [9]) *ἀρούρας τοσοῦτον, μαγδ(ώλου)* [10]) *τοσοῦτον, χέρσου ἀρούρας ἥμισυ, παραδείσου ἄρουραι τοσαῦται. Γείτονες οἱ δεῖνες. Ἔγραψεν ὁ δεῖνα ὁ προκεχειρισμένος πρὸς τῇ γεωμετρίᾳ* [11]) *ὑπὸ τοῦ δεῖνος στρατηγοῦ καὶ ὑποδιοικητοῦ.* Praediorum quoque urbanorum quin fuerint similes libri dubitari non oportet. Quo potest referri inprimis P. Petrie II 41, ubi praedia urbana cum suis quidque modulis recensentur hoc modo: *αὐλὴ πρὸς βορρᾶν* [12])· *μῆκος πηχῶν ιθ' πλάτος ιη'. Εἴσοδος ἰδία. Οἴκημα πρὸς νότον κ(αμαρῶν) δ'. Ταμιεῖον* [13]) *κ(αμαρῶν) β'. Εἴσοδος κοινή. Αὐλὴ πρὸς νότον· πλάτος πήχεις ζ, μῆκος πήχεις ιε', Καὶ Πετοσίριος τοῦ ταριχευτοῦ τῆς οὔσης πρὸς ἀπηλιώτην αὐλῆς πλάτος πήχεις ια' μῆκος δὲ κα'* [14]). Quem quidem librum inchoatum potius esse quam perfectum, vel eo demonstratur, quod nomina dominorum expressa non sunt [15]) praeter unum. Simili ex libro descendat oportet, quae pervenit [16]), *ἔγληψις ἐκ δημοσίας βιβλιοθήκης ἐκ πεδιακῆς ἐπισκέψεως τοῦ δεῖνος ἔτους· καμψάντων ἐπὶ βορρᾶν Διογένους Ἡρᾶτος ἡνιόχου* .... *οἰκία καὶ αὐλὴ ἐξ ὑπομνήματος τοῦ προγεγραμμένου Διογένους* .... *δηλώσαντος ὑπάρχειν*

---

1) *Musée belge* VIII p. 116.
2) *Archiv* IV p. 177 (et ad Chrestom. I 236 V 13).
3) *zum aeg. Grundbuchw.*, p. 185⁵ (ad P. Lips. 105).
4) *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XVI p. 201.
5) *Archiv* IV p. 177.
6) *zum röm.-aegypt. Grundbuchw.* p. 185⁵ ia. p. 184¹.
7) Esse e vasariis *ἐκδόσιμον* perspexit Lumbroso, *Recherches* (1870) p. 290.
8) P. Leid. L. Cf. *Rev. égyptol.* II p. 131⁵
9) = P. Tebt. 86, 36.
10) *Μαγδῶλον* turris est. Cf. ad P. Fay. 38, 5.
11) Cf. P. Tebt. 24 lin. 42.
12) Idem est, acsi dixisset: *Βορρᾶ ἐχόμενον. Αὐλή.*
13) *Ταμιεῖα* privata occurrunt etiam (P. Alex. (9) 3, 7 (*Sammelbuch* 4322); Flor. 47, 6; Hibeh 31; Petrie III 73.
14) Reliqua perierunt.
15) Fit similiter de rusticis praediis P. Tebt. 610; Ryl. 207(a).
16) P. Oxy. 1287.

αὐτῷ τὴν προκειμένην οἰκίαν καὶ αὐλήν. Καμψάντων ἐπ' ἀπηλιώτην κτέ., sed non apparet, moduli defuerintne an in transscribendo omissi sint. Tantundem de viciniis. Habuit utique vicinias per vicos ordinatus liber, unde desumptum est *ἐκδόσιμον* [1]) hac forma: *ἐξ ἀντιγράφου* [2]) *πορ(ε)ίας* [3]) *οἰκοπέδων ἀμφόδου Θοηρίου. Φχνομγέως Πεθέως. Τρίτον μέρος οἰκίας καὶ αὐλῆς. Γείτονες· νότου ῥύμη βασιλική, βορρᾶ Πτολλᾶ Ἡρακλείδου οἰκία, ἀπηλιώτου καὶ λιβὸς Πετεσούχου οἰκόπεδα.* At inter breves quem reiecimus ideo papyrum Berolinensem [4]), quia adscripta habet reliqua per singulos annos contracta, is descendat ex libro necesse est, qui secundum dominorum seriem sit ordinatus [5]). Breves sint an vasaria aliquanto maior est dubitatio de papyro quodam Argentoratensi [6]), qui similiter est per vicos ordinatus, sed omittit quum modulos tum vicinias, ex diverso habet sive *τὸ τίμημα* sive summam debitam [7]) velut hoc modo: *Διονυσίου Τόπων. Ἀραβίωνος Διονυσίου τοῦ Ἀραβίωνος. Οἰκίας καινῆς καὶ αὐλῆς καὶ ἰσόδου καὶ ἐξόδου. Δραχμαὶ ιη'* [8]).

(*Continuabitur*).

---

1) *BGU* 83 (Wilcken, Ostr. I p. 482).

2) Cf. P. Lond. 324 (quod ipsum quoque est *ἐκδόσιμον*, sed ex personarum censu): *ἀντίγραφον ἐξ ἀντιγράφου*.

3) *Πορεία* et *ἐπίσκεψις* idem est. Cf. P. Amh. 97, 11: *διὰ τῆς τοῦ ὁρισμοῦ πορείας*; Argentor. 31, 17: *ἐξ ἐπισκέψεως ὁρισμοῦ*; *BGU* 1091, 24/5: *δι' ἐπισκέψεως ὁρισμοῦ*.

4) *BGU* 186. Individua causa est P. Flor. 104.

5) Quia interveniunt praedia *ἐν ἑτέρῳ τόπῳ* (*BGU* 186, 27; P. Flor. 104, 7). Idem suspicandi causa est de P. Oxy. 986 (A.).

6) P. Argentor. 31.

7) Ita interpretatur editor: „*die Höhe der Gebäudesteuer*". Ergo forent breves potius quam vasaria, si etiamtunc *τίμημα* fuit *τὸ ἐνοικίον*, quemadmodum sub Ptolemaeis: P. Petrie II 11 (2).

8) Bis additur *αἱ δὲ ἐξ ἐπισκέψεως ὁρισμοῦ προσορισθεῖσαι δραχμαὶ τοσαῦται*. Quo non utique remittitur ad libros censuales, sicut *BGU* 1091, 24/5, sed potest remissum esse ad ipsum actum, sicuti, quum fit *ἀναγραφὴ οἰκοπέδων ἐπὶ πορείᾳ* (P. Tebt. 342, 6).

DE ORDINE, QUO PLATONIS DIALOGI INTER SE SUCCEDUNT.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.

In libro, qui inscribitur „Platon" [1910], pp. 197—283 Constantinus Ritterus quinque enumerat rationes, quae ad ordinem dialogorum Platonis cognoscendum possunt adhiberi [1]). Quarum prima eaque certissima est, si in dialogo aliquo res facta significatur, quae quando acciderit aliunde iam est notum; cuius generis est Symp. 193 A, ubi διοικισμός Mantineae significatur. Hic autem ex toto corpore Platonico unus tantum est locus, quo quanam de re agatur inter omnes constat; quamobrem aliquid quidem hac ratione proficimus, sed paululum modo. Vix minus certum alterum est adiumentum, si Plato suis verbis duos pluresve dialogos artius coniungit in altero lectorem ad alterum reiciendo: quemadmodum Sophisten et Politicum inter se coniunctos esse ipse indicat. Sed cum hasce duas adhibuerimus rationes, dialogorum longe maior pars tamen restabit, de quorum ordine nequaquam certiores facti erimus. Itaque tertia quoque ratione viri docti plurimum sunt usi, examinantes num dialogus hic et ille ad alterius auctoris opus possit referri, ita ut impugnet Plato quae ab auctore illo erant pronuntiatae sententiae, sive philosophus is est sive orator; e. g. multum actum

1) 1. Nach historischen Anspielungen.
2. Nach literarischen Anspielungen.
3. Nach Verweisungen.
4. Nach der Sprachstatistik.
5. Nach Inhaltsvergleichung.

est de ratione, quae inter Platonem et Isocratem intercedit. Magna vero hac in re est dissensio ét ad quamnam Isocratis orationem dialogus aliquis referendus esse videatur ét utrum hic sit prior an illa ét aliquando etiam, quo fere tempore illa sit scripta oratio. Quo fit ut haec ratio sit incertissima. Quapropter quartam etiam viam nuper ingressi sunt. Accurate enim inquisiverunt in Platonis genus dicendi et vocabula, quibus in ipso aetatis flore utitur, paulum differre ab usu aetatis adulescentiae intellexerunt itemque quae in senectute adhibet vocabula ab usu florentis aetatis. Qua ratione usi in tres partes distribuerunt dialogos. Ipse autem Ritterus, qui post Campbellium [1]) accuratissime hanc sermonis varietatem indagavit [2]), confitetur [3]): „Ueber die Gruppeneinteilung hinaus möchte ich selbst bis heute den Leitlinien der Sprachstatistik nicht trauen" et mox [4]), postquam de dialogorum altera et tertia parte egit: „Weit weniger günstig liegen die Bedingungen, wenn ich endlich versuche, auch noch die Reihenfolge der ziemlich grossen Zahl von Dialogen zu ordnen, die in der ersten Gruppe befasst sind." Ergo cum ex quattuor quas iam enumeravi rationes prima et altera ad paucos tantum dialogos conferri possint, tertia sit incertissima, quarta partim tantum ad propositum ducat, restat ut de quinta agamus: argumenti philosophici singulorum dialogorum comparationem dico. Haec ratio et ab aliis et ab Zellero iam est adhibita, nec tamen usitata est admodum, credo, quia qui adhibuerunt eam nonnulli ab initiis vitiosis profecti sunt, velut Schleiermacher mythicam aut imagine expressam rei cuiusdam expositionem directa tractatione priorem esse debere statuit. Nos igitur opiniones praeiudicatas quam maxime evitemus et in binis dialogis comparandis semper hoc tantum quaeramus, si in utroque dialogo de eadem re disputat, in utro dialogo sententias pronuntiare videatur, quas in altero aut omnino nondum aut non tam perfecte elaborateque habuisse

1) The Sophistes and Politicus of Plato with a revised text and english notes by the rev. Lewis Campbell [1867].

2) C. Ritter, Untersuchungen über Plato. Die Echtheit und Chronologie der Platonischen Schriften [1888].

3) „Platon", p. 261.

4) ibid. p. 269.

eum pateat. De qua re nuper rectissime quidem egit H. Raeder [1]), in exordio novi capitis haec scribens (p. 74): „Wir kommen endlich zur Hauptsache: den philosophischen Inhalt der Dialoge"; in singulorum tamen dialogorum tractatione eum non satis constanter ab hac ratione profectum esse dolendum est; velut de Euthydemo acturus non hunc dialogum cum aliis conferre incipit, sed de ratione disputare, quae Platoni erat cum Isocrate. Cur? quia in fine Euthydemi Plato sapientem quendam hominem inducit, quo Isocratem significari multi sunt qui opinentur. Quod autem quia incertissimum est labascit disputationis fundamentum. Itaque ab una inquisitione singulorum dialogorum profectus afferre quaedam studebo ad ordinem eorum rectius statuendum. De ultimorum autem sex dialogorum ordine — Parmenidem dico Sophisten Politicum Philebum Timaeum Leges — consensus aliqui virorum doctorum ortus est neque ego ab iis dissentire velim. Quamobrem numero sex horum ultimae aetatis segregato ad ceteros tantum disputatio nostra pertinebit. Et primo quidem fusius disputabo de Euthydemo, qui et Rittero [2]) et Raedero [3]) non post Gorgiam solum, sed post Menonem etiam scriptus esse, at mihi contra in primis dialogis locum suum habere videtur. Deinde videbo, quomodo Euthydemus cohaereat cum Lyside et Gorgia nec non cum Protagora Lachete Charmide.

I.

DE PROTAGORA LACHETE CHARMIDE LYSIDE EUTHYDEMO GORGIA.

De Euthydemo.

Forma Euthydemi est indirecta quae vocatur, id est personae non ipsae loquentes inducuntur, sed sermo iam habitus a Socrate Critoni enarratur. Ceterum et ante initium et post finem narrationis et in media narratione Socrates breviter cum Critone colloquitur. Hoc est argumentum dialogi: Roganti Critoni quis-

1) Platons philosophische Entwickelung [1905].
2) „Platon", p. 254.
3) Raeder, p. 137 sqq.

nam fuerit, quocum pridie in Lyceo colloqueretur, Socrates respondet, non unum fuisse sed duos, Euthydemum et Dionysodorum sophistas; ironice eorum laudat sapientiam et cum iis habitum sermonem cum Critone communicare libenter se esse paratum dicit. Etenim eorum disciplinae alumnum fieri sibi in animo esse! sin autem Crito de insignissima eorum sapientia certior factus sit, fieri posse, ut ipse quoque eorum disciplinae fiat studiosus! idque sibi pergratum fore. Iam ita narrare instituit: Dum Euthydemus et Dionysodorus in curriculo cum discipulis ambularent, se in apodyterio remansisse. Vix autem Cliniam iuvenem apud se consedisse, cum sophistae (sperantes nimirum fore ut disciplinae suae Clinias fieret alumnus) sibi et Cliniae oculum adicerent et propter se adsiderent. Ut appareret, num disciplina illa Cliniae utilis futura esset, rogasse se quam artem exsequerentur et quid docerent; respondisse eos virtutem. Ab iis quum petisset, ut disciplinae rationem ostenderent, libenter eos obsecutos esse. Hoc disciplinae exemplum, sophismatum scilicet series continua, quum ad nostram rem nil pertineat, praetermittenda esse videtur, tribus tantum exhibitis locis, ubi series illa aut interrumpitur aut ad finem iam est perducta:

1. 278 D—283 A. Quum sophistarum disciplina Socrati minime sit probata ipse demonstrat, quomodo iuvenes ad veram virtutem et sapientiam sint erudiendi (vid. infra p. 259).

2. 288 D—293 A. Postquam sophistae Socratis praeceptis prorsus neglectis sophismata sua exponere perseveraverunt, haud minore constantia Socrates suum cum Clinia continuat colloquium et, cum Crito narrationem eius interrumpit, de eadem re cum Critone colloqui pergit (vid. infra p. 263 sq.).

3. Narratione ad finem perducta Socrates denuo cum Critone colloquitur. Narrat enim Crito se post colloquium cum sophistis habitum a sapiente quodam esse conventum, scriptore orationum, qui Socratem dedecere opinaretur cum sophistis illis, nullius momenti hominibus, sermocinari. Huius viri similes tamen minime sibi placere Socrates ait, quippe qui philosophiam cum prudentia civili coniungere sibi quidem videantur, sed revera et philosophis et rerum civilium peritis hominibus sint inferiores. Critoni se cum sapiente illo quadamtenus facere neque ullum

ex philosophiae praeceptoribus sibi probari affirmanti Socrates respondet id non esse cur ipsa ab eo condemnetur philosophia; in re diiudicanda enim rem ipsam considerandam esse neque eos qui eam colant (vid. infra p. 266).

Ostendere igitur hoc dialogo studet Plato, quam perversa sophistarum sit disciplina (275 C—278 E, 283 B—288 D, 293 C—304 B) et quam egregia disciplina Socratis (278 E—283 A, 288 D—293 A) iniquumque esse propter homines qui philosophiam male exerceant, ipsam improbare philosophiam (304 C—307 C).

Nunc Euthydemi et Menonis dialogorum comparationem instituamus et primo quidem accuratius inspiciamus quae inveniuntur Euthyd. 278 D—283 A (cf. supra p. 258 sub 1°). Incipit ibi Socrates satis verbose bona enumerare, in quorum numero haec habet: *τὸ πλουτεῖν καὶ τὸ ὑγιαίνειν καὶ τὸ καλὸν εἶναι καὶ τἆλλα κατὰ τὸ σῶμα ἱκανῶς παρεσκευάσθαι* itemque *εὐγενείας τε καὶ δυνάμεις καὶ τιμὰς ἐν τῇ ἑαυτοῦ*, sed etiam bona animi: *τὸ σώφρονά τε εἶναι καὶ δίκαιον καὶ ἀνδρεῖον* atque etiam *τὴν σοφίαν*. Postremo nominatur *ἡ εὐτυχία*, quae tamen statim tollitur rursus, *ut quae prudentia sponte iam contineatur*. Hanc sententiam ita demonstrat:

si bona prosperitatem nobis allatura sint, ea non prodesse nobis non posse (280 B)

id tum demum fieri posse, si iis utamur (280 C) et quidem si bene iis utamur (280 E)

quod ut fiat, doctrina (*ἐπιστήμη*) et prudentia opus esse (281 AB)

quin si prudentia indigeremus, futurum esse ut bona quae vocentur magis obessent nobis quam prodessent (281 C—E)

prudentiae illi, quae sponte non veniat, sed eruditione acquiri possit, cuivis esse studendum (282 A—C).

Hunc locum Euthydemi conferamus cum disputatione quam legimus in Menone (87 D—89 A), ubi hic proponitur syllogismus:

extra doctrinam nil boni est
virtus bonum est

---

ergo virtus doctrina est.

Quarum sententiarum minorem quae vocatur tamquam axioma pro vero sumit; quam ob rem maiorem demonstrare satis habet,

quo facto conclusio effecta esse putatur. Extra doctrinam autem nil boni esse ita arguit (87 E—88 A):

ΣΩ σκεψώμεθα δὴ καθ' ἕκαστον ἀναλαμβάνοντες, ποῖά ἐστιν ἃ ἡμᾶς ὠφελεῖ. ὑγίεια, φαμέν, καὶ ἰσχὺς καὶ κάλλος καὶ πλοῦτος δή· ταῦτα λέγομεν καὶ τὰ τοιαῦτα ὠφέλιμα. οὐχί;

MEN ναί.

ΣΩ ταὐτὰ δὲ ταῦτά φαμεν ἐνίοτε καὶ βλάπτειν· ἢ σὺ ἄλλως φῂς ἢ οὕτως;

MEN οὔκ, ἀλλ' οὕτως.

ΣΩ σκόπει δή, ὅταν τί ἑκάστου τούτων ἡγῆται, ὠφελεῖ ἡμᾶς, καὶ ὅταν τί, βλάπτει; ἆρ' οὐχ ὅταν μὲν ὀρθὴ χρῆσις, ὠφελεῖ, ὅταν δὲ μή, βλάπτει;

MEN πάνυ γε.

Postquam sic de bonis externis disseruit, bona animi (*τὰ κατὰ τὴν ψυχήν*) considerat et haec quoque si cum doctrina coniuncta sint prodesse, at contra sine doctrina obesse dicit (88 A—D). Denique ad bona externa redit disputationemque sic continuat (88 DE):

ΣΩ καὶ μὲν δὴ καὶ τἆλλα, ἃ νυνδὴ ἐλέγομεν, πλοῦτόν τε καὶ τὰ τοιαῦτα, τοτὲ μὲν ἀγαθὰ τοτὲ δὲ βλαβερὰ εἶναι, ἆρα οὐχ ὥσπερ τῇ ἄλλῃ ψυχῇ ἡ φρόνησις ἡγουμένη ὠφέλιμα τὰ τῆς ψυχῆς ἐποίει, ἡ δὲ ἀφροσύνη βλαβερά, οὕτως αὖ καὶ τούτοις ἡ ψυχὴ ὀρθῶς μὲν χρωμένη καὶ ἡγουμένη ὠφέλιμα αὐτὰ ποιεῖ, μὴ ὀρθῶς δὲ βλαβερά;

MEN πάνυ γε.

Antequam initium faciam de hisce locis disserendi, Raederi hanc rectissimam observationem [1]) citare libet, quo fundamento disputatio nostra nitatur:

„Wenn dasselbe Problem in zwei Dialogen, in dem einen kurz, im anderen weitläufig abgehandelt wird, welcher mag denn wohl der ältere sein? Auf diese Frage lässt sich keine allgemein gültige Antwort geben, sondern es liegen an sich zwei Möglichkeiten vor. Es kommt vor, dasz Platon ein Problem zuerst in einem Dialog ausführlich behandelt und dann, wenn er später darauf zurückkomt, seine früheren Erörterungen nicht wiederholen will, ... sondern sie nur in aller Kürze resumiert ...."

1) p. 79 sq.

Quae verba quam maxime in nostros locos quadrant; admodum verbose enim in Euthydemo disputatur; quod ut pateat, iterum quaedam ex eo citanda sunt (279 A): *Φέρε δή, ἀγαθὰ δὲ ποῖα ἄρα τῶν ὄντων τυγχάνει ἡμῖν ὄντα; ἢ οὐ χαλεπὸν οὐδὲ σεμνοῦ ἀνδρὸς πάνυ τι οὐδὲ τοῦτο ἔοικεν εἶναι εὐπορεῖν; πᾶς γὰρ ἂν ἡμῖν εἴποι, ὅτι τὸ πλουτεῖν ἀγαθόν· ἢ γάρ;* et mox (279 B): *Τί οὖν, ἔφην, ἔτι ἡμῖν λείπεται τῶν ἀγαθῶν; τί ἄρα ἐστὶν τὸ σώφρονά τε εἶναι καὶ δίκαιον καὶ ἀνδρεῖον; πότερον πρὸς Διός, ὦ Κλεινία, ἡγεῖ σύ, ἐὰν ταῦτα τιθῶμεν ὡς ἀγαθά, ὀρθῶς ἡμᾶς θήσειν, ἢ ἐὰν μή; ἴσως γὰρ ἄν τις ἡμῖν ἀμφισβητήσειεν· σοὶ δὲ πῶς δοκεῖ; Ἀγαθά, ἔφη ὁ Κλεινίας.* At contra in loco Menonis, quem citavi, omnia brevia sunt, imo ad finem fere festinare Socrates videtur. Cur? quia omnia in Euthydemo fuse iam erant disputata, opinor. Sed etiam videamus, quo modo post verba supra citata Raederus disserere pergat: „Es kann sich aber auch in einigen Fällen umgekehrt verhalten, nämlich so, dasz die vorausgehende kürzere Darstellung an einer späteren Stelle genauer entwickelt und vertieft wird, und dies Verhältnis ist namentlich in dem Falle das warscheinlichere, wenn die Vertiefung mit wesentlicher Umänderung verbunden ist." Quae verba haud minus ad nostros locos conferri possunt, ita tamen, ut locus *Menonis*, quamvis sit brevis, magis sit elaboratus. In Euthydemo enim omnia bona et externa et animi uno ordine posita sunt, in Menone bona animi ab externis discernuntur non solum separatimque de iis agitur, sed ita etiam disponuntur, ut haec ab illis quodammodo dependeant (vid. quae supra citata sunt ex Men. 88 DE). Itaque cum locus Menonis et verborum ambagibus illis Euthydemi careat et accuratior sit, quin sit posterior dubium non videtur.

Quae sententia confirmatur iis, quae in fine loci Euthydemi inveniuntur. Postquam enim fortunam et prosperitatem doctrina parari Socrates effecit, omnibus viribus doctrinam illam parandam esse praedicat: *ἢ οὐ δοκεῖ σοι, ἔφην ἐγώ, οὕτως; Πάνυ μὲν οὖν εὖ μοι δοκεῖς λέγειν, ἦ δ' ὅς. Εἰ ἔστι γε, ὦ Κλεινία, ἦν δ' ἐγώ, ἡ σοφία διδακτόν, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ ταὐτομάτου παραγίγνεται τοῖς ἀνθρώποις. τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἔτι ἄσκεπτον καὶ οὔπω διωμολογημένον ἐμοί τε καὶ σοί. Ἀλλ' ἔμοι γε, ἔφη, ὦ Σώκρατες, διδακτὸν εἶναι δοκεῖ. καὶ ἐγὼ ἡσθεὶς εἶπον· Ἦ καλῶς λέγεις, ὦ ἄριστε ἀνδρῶν καὶ εὖ ἐποίησας ἀπαλλάξας με σκέψεως πολλῆς περὶ τούτου αὐτοῦ,*

πότερον διδακτὸν ἢ οὐ διδακτὸν ἡ σοφία (282 C). Quia et ante et paulo post virtutem artissime cum doctrina coniungit (278 D, 283 A, cf. 275 A .... *ἂν προτρέψαιτε εἰς φιλοσοφίαν καὶ ἀρετῆς ἐπιμέλειαν*) insuperque initio colloquii (274 E) sophistas precatur, ut persuadeant sibi, *ὡς διδακτὸν ἡ ἀρετή*, nostro quoque loco v. *σοφία* idem valere videtur, quod *ἀρετή*, quapropter interpretor locum tamquam si *virtutem* doceri posse legatur [1]). Cur autem sumit hoc Plato ne ullo quidem argumento prolato? Aut, ut opinor, quia hanc sententiam mox demonstrare ei in animo est aut quod nuper eam iam demonstraverat itaque tacite lectorem ad istum dialogum reicit. Non dubito quin cuivis hic in mentem veniat eorum, quae in fine Protagorae dialogi reperiuntur. Exprobrat ibi Socrates Protagorae, inepte eum infitiari virtutem esse doctrinam: *εἰ μὲν γὰρ ἄλλο τι ἦν ἢ ἐπιστήμη ἡ ἀρετή, ὥσπερ Πρωτάγορας ἐπιχειρεῖ λέγειν, σαφῶς οὐκ ἂν ἦν διδακτόν· νῦν δὲ εἰ φανήσεται ἐπιστήμη ὅλον, ὡς σὺ σπεύδεις, ὦ Σώκρατες, θαυμάσιον ἔσται μὴ διδακτὸν ὄν* (361 B cf. 357 E). Ex hisce suspicari iam licet Protagoram illum esse dialogum, quem aut non multo ante scripserat aut mox scripturus erat. Sed de Protagora infra videbimus. Nunc ostendere locum Euthydemi post Menonem scribi non potuisse satis habeo. Quod ex iis, quae in fine Menonis leguntur, facile colligitur. Haec dico verba: *εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς ἐν παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει οὔτε διδακτόν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ, οἷς ἂν παραγίγνηται, εἰ μή τις εἴη τοιοῦτος τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν, οἷος καὶ ἄλλον ποιῆσαι πολιτικόν* (99 E, 100 A) et mox: *ἐκ μὲν τοίνυν τούτου τοῦ λογισμοῦ, ὦ Μένων, θείᾳ μοίρᾳ ἡμῖν φαίνεται παραγιγνομένη ἡ ἀρετὴ οἷς παραγίγνεται* (100 B). Ergo *negat* in Menone virtutem posse doceri [2]) et hoc tantum confitetur in iis, quae proxime sequuntur, quaestionem ad finem nondum esse perductam, quia aliqua ex parte minus recte de ea disputatum sit.

---

1) E. Seymer Thompson, the Meno of Plato p. 50 „The shifting of the subject of the question from *ἀρετή* to *σοφία* is not important."

2) Quomodo igitur Gomperz, Griechischer Denker II p. 436 scribere possit: „Eben diese Erörterung liefert, beiläufig bemerkt, auch einen sicheren Beweis dafür, dass der „Euthydem" dem „Menon" nachgefolgt ist. Denn während im „Menon" die Frage nach der Lehrbahrkeit der Tugend weitläufig verhandelt wird, bejaht sie Sokrates hier ohne weiteres mit einem kurzen Worte freudiger Zustimmung." — me non intelligere fateor. Aliud enim in Euthydemo sumit, aliud in Menone demonstrat.

Quapropter in Republica eam retractat, ubi doctrina opus quidem esse ait, sed bono cum ingenio coniuncta (Rep. 374 DE). Apparet igitur, Platonem in Menone et Republica ab opinione sua de virtute docenda, quam in Protagora et Euthydemo exhibuerat, satis longe discedere et inprimis quae in Menone inveniuntur multum distare a sententia, cui ante favebat, in Republica autem mediam quandam ab eo iniri viam. Simplicem autem affirmationem quaestionis, num virtus possit doceri, quam legimus in Euthydemo, post Menonem scribi non potuisse, iam patet.

De Euthydemo et Gorgia.

Iam quaerere incipienti, quomodo Gorgias et Euthydemus inter se succedant, accuratius inspiciendus est locus Euthydemi, quem supra (p. 258 sub 2⁰) obiter indicavi (288 D—293 A). Postquam in superioribus probavit doctrina opus esse ut, quae sunt nobis, iis etiam uti possimus, ibi rogat, haec doctrina cuiusmodi sit: duo enim in ea coniuncta esse oportere: *τό τε ποιεῖν καὶ τὸ ἐπίστασθαι χρῆσθαι τούτῳ ὃ ἂν ποιῇ* (289 B); aliter igitur hanc doctrinam se habere atque artem eorum, qui aut lyras faciunt nec tamen iis canere possunt aut orationes faciunt neque ipsi eas eloquuntur (*λογοποιοί* qui vocantur homines) aut urbes expugnant quidem, sed quid urbibus expugnatis faciant nesciunt et componendas eas viris prudentiae civilis peritis tradunt. Mox Critone Socratis narrationem interrumpente et adiuvante eum in solvenda quaestione, quam cum Clinia solvere non potuerat, *πολιτικὴ* vel *βασιλικὴ τεχνὴ* ea esse videtur ars, quae ad veram ducat felicitatem. Attamen ne nunc quidem quaestionem solutam esse Socrates censet. Quid enim? Arte civili seditiones sedari aliaque commoda civibus praeberi sane confitetur, sed hac arte insuper eam tradi artem, qua *uti* his commodis edoceamur negat: *οὐκοῦν τὰ μὲν ἄλλα ἔργα, ἃ φαίη ἄν τις πολιτικῆς εἶναι — πολλὰ δέ που ταῦτ' ἂν εἴη, οἷον πλουσίους τοὺς πολίτας παρέχειν καὶ ἐλευθέρους καὶ ἀστασιάστους — πάντα ταῦτα οὔτε κακὰ οὔτε ἀγαθὰ ἐφάνη* (cf. 281 E), *ἔδει δὲ σοφοὺς ποιεῖν καὶ ἐπιστήμης μεταδιδόναι, εἴπερ ἔμελλεν αὕτη εἶναι ἡ ὠφελοῦσα τε καὶ εὐδαίμονας ποιοῦσα.* Nam si quis dicat arte illa doctrinam parari qua alios bonos reddamus, denuo inquirendum esse, quanam in re ii boni futuri sint et ad quamnam rem iis rursus uti possimus (292 DE). Itaque ad consilii inopiam se et Cliniam

venisse Socrates narrat neque magis Crito scit, quo modo haec res possit expediri et *ἐκ τῆς τρικυμίας τοῦ λόγου* servari possint.

Iam vero haec in Gorgia dialogo solvitur quaestio [1]), hic enim respondetur ad quaestionem, cuiusmodi vera sit ars civilis et quomodo huius artis auxilio cives ad veram felicitatem possint adduci. Quod ut pateat, paucis argumentum Gorgiae in memoriam revocemus. Primo agitur de arte rhetorica, quae *iniuria* se regiam ducit (456 A *ἁπάσας τὰς δυνάμεις συλλαβοῦσα ὑφ' αὑτῇ ἔχει*), quippe quae sui iuris non sit, sed invicem iustitiae auxilio egeat (457 B). Quod cum Polus in altera dialogi parte verum esse negat, accuratius demonstrat Socrates neque oratores ullius esse momenti (465 C) neque artem rhetoricam ulli esse usui (480 A) neque eum virum esse beatum, qui arte rhetorica nisus impune omnia flagitia committere possit, sed virum probum (470 E); sin autem male faciat, conducere ei, malitia sua liberari (477 A, 478 B). In tertia dialogi parte, ubi res est cum Callicle, copiosius etiam de *εὐδαιμονίᾳ* et de *τῷ ὠφελίμῳ* agit et postquam depinxit, quomodo beatitudo illa virtute acquiratur (504 A-D), viro prudentiae civilis vere perito studendum esse affirmat, ut eam civibus tradat, haudquaquam tamen ut voluptates praebendo auram popularem captet. Se vero unum ex iis esse ait 521 DE: *οἶμαι μετ' ὀλίγων Ἀθηναίων, ἵνα μὴ εἴπω μόνος, ἐπιχειρεῖν τῇ ὡς ἀληθῶς πολιτικῇ τεχνῇ καὶ πράττειν τὰ πολιτικὰ μόνος τῶν νῦν· ἅτε οὖν οὐ πρὸς χάριν λέγων τοὺς λόγους οὓς λέγω ἑκάστοτε, ἀλλὰ πρὸς τὸ βέλτιστον, οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον .... οὐχ ἕξω ὅ τι λέγω ἐν τῷ δικαστηρίῳ.*

Ergo quid consilii inopia illa in Euthydemo sibi vellet, si responsum iam *ante* in Gorgia esset datum, perspici vix potest; at contra post consilii illam inopiam quaestionem mox in Gorgia solutam esse nemini mirum videbitur.

Indicandi mihi sunt etiam hi breviores loci, quibus Euthydemo commune quid est cum Gorgia: iis vis probationis quidem inest minor, sed digni tamen sunt qui comparentur:

Euthyd. 300 E, 301 A *σὺ γὰρ ἤδη τι πώποτε εἶδες, ὦ Σώκρατες,*	Gorg. 497 DE *τοὺς ἀγαθοὺς οὐχὶ ἀγαθῶν παρουσίᾳ ἀγαθοὺς*

1) Cf. Horn, Platonstudien [Wien 1893] p. 181.

καλὸν πρᾶγμα; ἔφη ὁ Διονυσόδωρος.

Ἔγωγε, ἔφην, καὶ πολλά γε ὦ Διονυσόδωρε. Ἆρα ἕτερα ὄντα τοῦ καλοῦ, ἔφη, ἢ ταὐτὰ τῷ καλῷ; κἀγὼ ἐν παντὶ ἐγενόμην ἀπορίας .... ὅμως δὲ ἕτερα ἔφην αὐτοῦ γε τοῦ καλοῦ· πάρεστιν μέντοι ἑκάστῳ αὐτῶν κάλλος τι.

καλεῖς, ὥσπερ τοὺς καλοὺς οἷς ἂν κάλλος παρῇ;

Ἔγωγε.

Ad hos locos referri possunt quae supra (p. 260 sq.) citavi Raederi verba: longam disputationem brevi plerumque esse priorem, nisi longiore illa disputatione nova quaedam addantur. Nam longior quidem est locus Euthydemi; ambagibus tamen illis nova cogitata non proferuntur, sed argumentatio iis continetur tantum: conclusio in Gorgia eadem fere est et in Euthydemo; verbis autem quae in Gorgia leguntur *ὥσπερ τοὺς καλοὺς οἷς ἂν κάλλος παρῇ* lector ad Euthydemum reici videtur (vid. etiam infra p. 268 sq.).

Maioris etiam momenti est horum locorum comparatio:

Euthyd. 289E, 290A *ἔστι γὰρ ⟨ἡ τῶν λογοποιῶν τέχνη⟩ τῆς τῶν ἐπῳδῶν τέχνης μόριον, μικρῷ δὲ ἐκείνης ὑποδεεστέρα .... ἡ δὲ δικαστῶν τε καὶ ἐκκλησιαστῶν καὶ τῶν ἄλλων κήλησίς τε καὶ παραμυθία τυγχάνει οὖσα.*

Gorg. 455A *ἡ ῥητορικὴ ἄρα, ὡς ἔοικεν, πειθοῦς δημιουργός ἐστιν πιστευτικῆς, ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς περὶ τὸ δικαιόν τε καὶ ἄδικον.*

454B *ταύτης τοίνυν τῆς πειθοῦς λέγω, ὦ Σώκρατες, τῆς ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὄχλοις.*

Si meliora posteriora esse sumere licet, locus Gorgiae posterior non esse non potest; nam quae in Euthydemo reperiuntur parum sunt accurata, at quae in Gorgia leguntur subtilia, ut quae longa et laboriosa disputatione inventa sint. Quae cur mox sint repudiata, ut parum accurata illa Euthydemi substituerentur, perspicuum non est. Accedit, quod in Euthydemo vv. *καὶ ἐκκλησιαστῶν* supervacua sunt; agitur enim ibi de causarum patrono, cui res tantum erat cum iudiciis neque cum comitiis. Ergo si ante iam definitio Gorgiae esset prolata, ubi haec verba non leguntur, nequaquam posset intellegi, cur postea Plato supervacua illa inseruisset.

Sunt tamen, qui hanc ob causam Euthydemum Gorgia posteriorem esse debere censeant, quia qua aetate Gorgias dialogus scriptus sit, eadem fere Isocratis oratio κατὰ τῶν σοφιστῶν sit edita; ad hanc autem orationem Platonem Euthydemo suo respondere; sapiente enim illo, de quo in fine Euthydemi (304 D—306 D) sermo est, Isocratem significari. Quae sententia quam incerto fundamento nitatur quamquam supra (p. 259) iam indicavi, paucis tamen libet mihi probare, si revera sapiente illo Isocrates significaretur, tum vero Euthydemum scriptum esse debere *ante* orationem κατὰ τῶν σοφιστῶν. Edidit enim hanc orationem Isocrates, cum munere causarum patroni deposito ludum institueret, ubi eloquentia iuvenes erudiri possent; ex quo intellegitur ante hanc orationem editam agendum cum eo fuisse tamquam cum patrono, postea vero eum eloquentiae praeceptorem fuisse appellandum. Agitur autem in fine Euthydemi (305 BC) cum patrono et nequaquam cum eloquentiae praeceptore. Etenim de erudiendo filio Socratem Crito ibi consulit et philosophiam caram quidem sibi esse ait: ὅταν δὲ εἴς τινα ἀποβλέπω τῶν φασκόντων ἂν παιδεῦσαι ἀνθρώπους, ἐκπέπληγμαι καί μοι δοκεῖ εἷς ἕκαστος αὐτῶν σκοποῦντι πάνυ ἀλλόκοτος εἶναι .... ὥστε οὐκ ἔχω ὅπως προτρέπω τὸ μειράκιον ἐπὶ φιλοσοφίαν (306 E). Quibus verbis cur Crito mentionem non inicit fieri etiam posse, ut *Isocratis* disciplinae fiat alumnus, utpote qui tam sapiens sit, qui et Socratem et sophistas tam vehementer reprehendat, et quocum Crito quadamtenus faciat? Scilicet quia ludum nondum instituerat. Quod apparet etiam ex iis quae 305 B de eo dicuntur μεμφομένῳ τὴν φιλοσοφίαν. Haec ad Isocratem praeceptorem referri minime possunt. Nam in oratione adversus sophistas suam disciplinam appellat .... philosophiam (11, 21) et discipulos suos φιλοσοφοῦντας (18). Abuti sane his locis v. φιλοσοφία dici fortasse potest Isocrates — quamquam apud Platonem quoque, in primis saltem dialogis, huic vocabulo latior paulo fuisse videtur sensus quam Belgico „wijsbegeerte" —, sed philosophiae vituperatorem eum vocare ineptum esset, quippe qui philosophiam (suam credo philosophiam!) quam maxime diligeret. Ergo etiamsi sapiente illo Isocratem significari censeas, tamen post orationem adversus sophistas illa quae in fine Euthydemi reperiuntur scripta esse credibile non est.

Cum igitur nil obstet, quominus Euthydemum in priorum dialogorum habeamus numero, nunc ad Lysidem transeamus.

De Lyside.

Cum Euthydemo et Gorgia Lysis coniunctus est eo, quod in eo quoque satis fuse de felicitate agitur (Lys. 207D—208E). Videamus autem, praecedere eos videatur an posterior esse.

Primo cum Gorgia comparemus Lysidem, inprimis Lys. 218D—221D cum Gorg. 466D—468D. Illo Lysidis loco postquam tria genera rerum seiunxit, unum bonum, alterum malum, tertium quod nec bonum nec malum est (216D), hanc profert sententiam: aliquid, quod nec bonum nec malum est, bonum quid petere propter malum quid, i. e. mali evitandi causa, velut corpus (nec bonum nec malum) valetudinem (bonum) petit propter morbum (malum), i. e. morbi evitandi causa; vid. 219A: *ἐλέγομεν δ' ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὅτι τὸ σῶμα, οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν, διὰ τὴν νόσον, τοῦτο δὲ διὰ τὸ κακόν, τῆς ἰατρικῆς φίλον ἐστίν· ἀγαθὸν δ' ἡ ἰατρική*; saepe numero autem cari quid rursus diligi propter aliud quid cari, quemadmodum patri vinum carum est, quo filius sanari possit, itaque propter filii sanitatem. En singuli loci, cum Gorgia comparati:

1. Lys. 216D *δοκεῖ μοι ὥσπερεὶ τρία ἄττα εἶναι γένη, τὸ μὲν ἀγαθόν, τὸ δὲ κακόν, τὸ δ' οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν· τί δὲ σοί;*

καὶ ἐμοί, ἔφη.

Gorg. 467E *ἆρ' οὖν ἔστιν τι τῶν ὄντων, ὃ οὐχὶ ἤτοι ἀγαθόν γ' ἐστὶν ἢ κακὸν ἢ μεταξὺ τούτων οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν;*

πολλὴ ἀνάγκη, ὦ Σώκρατες.

2. 219E, 220A

πᾶσα ἡ τοιαύτη σπουδὴ οὐκ ἐπὶ τούτοις ἐστὶν ἐσπουδασμένη ἐπὶ τοῖς ἕνεκά του παρασκευαζομένοις, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνῳ, οὗ ἕνεκα πάντα τὰ τοιαῦτα παρασκευάζεται.

467C

πότερον οὖν σοι δοκοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τοῦτο βούλεσθαι, ὃ ἂν πράττωσιν ἑκάστοτε, ἢ ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα πραττουσιν τοῦθ' ὃ πράττουσιν;

468C

οὐκοῦν ὡμολογήσαμεν, ἃ ἕνεκά του ποιοῦμεν, μὴ ἐκεῖνα βούλεσθαι, ἀλλ' ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα ταῦτα ποιοῦμεν;

μάλιστα.

3. 217 B

ἀναγκάζεται δέ γε σῶμα διὰ νόσον ἰατρικὴν ἀσπάζεσθαι καὶ φιλεῖν.

467 C

οἷον οἱ τὰ φάρμακα πίνοντες παρὰ τῶν ἰατρῶν πότερόν σοι δοκοῦσιν τοῦτο βούλεσθαι ὅπερ ποιοῦσιν, πίνειν τὸ φάρμακον καὶ ἀλγεῖν, ἢ ἐκεῖνο, τὸ ὑγιαίνειν, οὗ ἕνεκα ποιοῦσιν.

4. 217 B

τὸ μήτε κακὸν ἄρα μήτε ἀγαθὸν φίλον γίγνεται τοῦ ἀγαθοῦ διὰ κακοῦ παρουσίαν.

468 A

πότερον οὖν τὰ μεταξὺ ταῦτα ἕνεκα τῶν ἀγαθῶν πράττουσιν, ὅταν πράττωσιν, ἢ τἀγαθὰ τῶν μέταξυ;

τὰ μέταξυ δήπου τῶν ἀγαθῶν.

Quos locos si comparabimus, Lys. 217 B videbimus haec quae in Gorgia non leguntur verba: διὰ νόσον et διὰ κακοῦ παρουσίαν. Quid igitur? Num post Gorgiam Lysis scriptus esse videtur, ita ut in eo addat Plato quae Gorgiam componenti nondum in mentem venerant? Minime, nam mentionem quidem in Lyside eorum facit sed ut mox ea reiciat: (221 B) ἔσονται ἄρα αἱ μήτε ἀγαθαὶ μήτε κακαὶ ἐπιθυμίαι καὶ ἐὰν ἀπόληται τὰ κακά. Ex quibus cognoscimus data opera Platonem in Gorgia omittere ea, quae omittenda esse in Lyside demonstraverat, itaque in Gorgia componendo ea in usum suum convertere, quae in Lyside erant inventa.

In alia etiam re Gorgias dialogus nititur iis quae in Lyside demonstrata erant. Quaeritur enim in Lyside, qua in re diversa sint τὰ ἕνεκά του παρασκευαζόμενα et ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα πάντα τὰ τοιαῦτα παρασκευάζεται (τὸ τῷ ὄντι φίλον 220 B). Iamvero in Gorgia inde ab initio utraque haec accurate discernuntur vv. adhibitis ἃ βούλονται (= ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα πάντα παρασκευάζεται, τὸ τῷ ὄντι φίλον) et ἃ δοκεῖ (= τὰ ἕνεκά του παρασκευαζόμενα).

Ad probandum Euthydemo quoque Lysidem esse priorem, lectorem reicio ad locos, quos supra (p. 264 sq.) citavi de ἀγαθῶν παρουσίᾳ (Euth. 301 A, Gorg. 497 E). Quae vv. quid sibi vellent, minime intellegi posset, nisi iam ante essent explicata. Explicantur autem fuse Lys. 217 B—218 C. Hoc etiam observandum est, loco Euthydemi responderi videri philosopho cuidam, qui repugnaverat opinioni, quam ante Plato protulerat; his enim

verbis quae in Euthydemo Dionysodoro tribuuntur, „ἐὰν οὖν παραγένηταί σοι βοῦς, βοῦς εἶ ....“ citari videntur ea, quae philosophus ille malitiose Platoni iniunxerat [1]). Ubi autem Platonis illa verba a philosopho illo impugnata inveniri possunt? Nusquam nisi in Lyside. Quamobrem vv. illis, quae in Euthydemo citantur, „ἐὰν οὖν κτἑ.“ philosophus ille impugnare videtur eum locum, qui Lys. 217 B sqq. legitur.

Nescio an idem valeat de Lys. 218 A cum Euth. 277 E, 278 A comparato. Dixerat hoc Lysidis loco Plato sapientes non esse studiosos (φιλοσοφεῖν) sed eos tantum, qui nec sapientes nec sapientes sint. In Euthydemo (276 C) autem loquens inducitur aliquis, qui asseverat sapientes haud dubie studiosos esse (μανθάνειν) et quidem ea, quae sciant (276 E, 277 A); ad quae Socrates respondet, ita v. μανθάνειν sensu minus usitato adhiberi: (278 A) καλοῦσι δὲ ταὐτὸν τοῦτο (sc. μανθάνειν) καὶ ἐπειδὰν ἔχων ἤδη τὴν ἐπιστήμην ταύτῃ τῇ ἐπιστήμῃ ταὐτὸν τοῦτο πρᾶγμα ἐπισκοπῇ ἢ πραττόμενον ἢ λεγόμενον. μᾶλλον μὲν αὐτὸ ξυνιέναι καλοῦσιν ἢ μανθάνειν, ἔστι δ' ὅτε καὶ μανθάνειν. Itaque contra ea, quae in Lyside Plato demonstraverat, sapientes non iam esse studiosos, philosophum quendam affirmavisse suspicor sane quidem sapientes esse studiosos et ad hoc Platonem in Euthydemo invicem respondere ita v. μανθάνειν sensu minus usitato adhiberi.

Quocirca omnia eo ducunt, ut Lysidem proxime ante Euthydemum scriptum esse colligamus.

De Protagora Lachete Charmide.

A trilogia illa Lysidis Euthydemi Gorgiae paulo longius distant Protagoras Laches Charmides dialogi, qui item artissimo vinculo inter se coniuncti sunt.

De Protagora et Lachete.

Protagorae cum Lachete ét alia communia sunt (e. g. crebro leguntur vv. μέρη ἀρετῆς, μόρια ἀρετῆς, quorum haud scio an nusquam mentio sit in Lyside Euthydemo Gorgia, sed redit demum dicendi genus in Menone) ét ipsum argumentum. In Lachete enim disputatur de fortitudine; Protagoras autem dialogus de virtute universa est et de ceteris singulis virtutibus parum accurate agit, sed de una fortitudine paulo accuratius. Velut fortitudinem prudentiam quandam esse in utroque reperitur:

1) cf. Zeller[4], II, 1 p. 296.

Prot. 350 C ἡ σοφία ἂν ἀνδρεία εἴη.	Laches 194 D καί μοι δοκεῖ ἀνὴρ σοφίαν τινὰ τὴν ἀνδρείαν λέγειν.

Dissentiunt paulum hi loci:

Prot. 360 D ἡ σοφία ἄρα τῶν δεινῶν καὶ μὴ δεινῶν ἀνδρεία ἐστίν.	Laches 195 A ⟨ἀνδρείαν λέγω⟩ τὴν τῶν δεινῶν καὶ θαρραλέων ἐπιστήμην, cf. 198 C.

Pro vv. τὰ μὴ δεινά in Protagora Laches habet τὰ θαρραλέα; insuper animadvertendum est haec ex Protagora citata in fine inveniri disputationis, at Lachetis locum in initio Niciae et Socratis colloquii: incipit igitur hoc in Lachete colloquium ab iis, quibus Protagoras dialogus finem facit, ita ut continuare videatur Protagoram Laches.

Maior etiam dissensio est inter haec:

Prot. 358 D προσδοκίαν τινὰ λέγω κακοῦ τοῦτο, εἴτε φόβον εἴτε δέος καλεῖτε.	Laches 198 C δέος γὰρ εἶναι προσδοκίαν μ έ λ λ ο ν τ ο ς κακοῦ.

μέλλοντος illud in Protagora non legitur. Ipsum autem hoc vocabulum in Lachete maximi momenti est et copiosam efficit disputationem (198 D—199 D). Nititur haec disputatio his verbis, quae ne ipsa quidem leguntur in Protagora: δεινὰ μὲν τὰ μέλλοντα κακά, θαρραλέα δὲ τὰ μὴ κακὰ ἢ ἀγαθὰ μέλλοντα (Laches 198 C). Colliguntur autem haec porro ex his propositionibus:

a. ἡ τῶν δ ε ι ν ῶ ν καὶ θαρραλέων ἐπιστήμη ἀνδρεία ἐστίν.

b. δ ε ι ν ὰ μὲν εἶναι ἃ καὶ δ έ ο ς παρέχει, θαρραλέα δὲ ἃ μὴ δέος παρέχει.

c. δ έ ο ς γὰρ εἶναι προσδοκίαν μέλλοντος κακοῦ.

Hic *a* et *c* coniungi possunt et de altero ad alterum concludi potest propterea quod *b* tamquam vinculum ea coniungit. In Protagora autem deest *b*, quo fit ut *a* et *c* seiuncta sint et ne possit quidem disputari quo modo in Lachete. Ipsa vero haec est disputatio, quae in Lachete quaestionem ad finem, id est ad absurdum deducit. Igitur hic quoque similia quidem habent Laches et Protagoras, sed ita ut ex communibus illis in Lachete initium capiatur ad novam disputationem, quae in Protagora non legitur.

Quod idem valet de iis, quae reperiuntur de urinatoribus. In Protagora magis sumitur quam probatur in urinando eos, qui

urinandi habeant notionem fortiores esse iis qui urinari nesciant; hi enim si urinentur audaces quidem esse, sed furere. Quem Protagorae locum in Lachete impugnare Plato videtur. Nam initio huius loci legimus quidem fortitudinem *καρτερίαν τινὰ εἶναι τῆς ψυχῆς* et *τὴν μὲν μετὰ φρονήσεως καρτερίαν* pulchram esse bonamque, at sine prudentia damnosam (192 C), quae consentanea sunt cum Protagora. Mox tamen haec sequuntur (193 C):

ΣΩ *καὶ ὅσοι δὴ ἐθέλουσιν εἰς φρέαρ καταβαίνοντες καὶ κολυμβῶντες καρτερεῖν ἐν τούτῳ τῷ ἔργῳ μὴ ὄντες δεινοί, ἢ ἔν τινι ἄλλῳ τοιούτῳ ἀνδρειοτέρους φήσεις τῶν ταῦτα δεινῶν.*

ΛΑ *τί γὰρ ἄν τις ἄλλο φαίη, ὦ Σώκρατες;*

Opposita haec sunt ét iis quae in Protagora inveniuntur ét iis quae in Lachete praecedunt (192 C) et quidem hic quoque exemplo urinatorum adhibito, quo in Protagora contrarium illustrabatur. Qua in discrepantia haerens colloquium cum Lachete mox abrumpitur.

Sed aliud quid vix minus grave habet etiam Laches dialogus, quod a Protagora alienum est. Eum dico locum, ubi exempli causa medicinae arti prudentia opus esse dicit (Laches 195 C): *οἱ δὲ* (sc. *οἱ ἰατροὶ*) *δήπου τοσοῦτον μόνον ἴσασιν· εἰ δὲ δεινόν τῳ τοῦτό ἐστιν τὸ ὑγιαίνειν μᾶλλον ἢ τὸ κάμνειν, ἡγεῖ σὺ τουτί, ὦ Λαχής, τοὺς ἰατροὺς ἐπίστασθαι; ἢ οὐ πολλοῖς οἴει ἐκ τῆς νόσου ἄμεινον εἶναι μὴ ἀναστῆναι ἢ ἀναστῆναι; τοῦτο γὰρ εἰπέ· σὺ πᾶσι φῂς ἄμεινον εἶναι ζῆν ἢ καὶ οὐ πολλοῖς κρεῖττον τεθνάναι;* Haec, quae legentibus nobis statim in mentem venit nobilissimi loci Gorgiae de verecundo illo gubernatore (511 C—512 B), simul admonent nos Charmidis, ubi idem fere disputatur eodemque medici exemplo explanatum (164 B).

De Charmide.

Itaque et in Lachete et in Charmide arguitur, doctrinam cuiusdam rei non satis esse, sed accedere oportere prudentiam, qua quis doctrina illa bene utatur. Quamobrem Charmides quoque Protagora posterior esse videtur. Quae sententia eo confirmatur, quod in alia quoque re in Charmide corriguntur quae in Protagora prolatae erant opiniones. Nam cum in Protagora idem fere esse dicatur verecundia, quod aut prudentia (333 B) aut *ὠφελίμως*

πράττειν (332 A) aut εὖ πράττειν (333 D), in Charmide audimus eas minime inter se esse confundendas: nam prudentiae (id est: boni malique doctrinae) munus esse, ut prosit, id quod de verecundia minime valeat, cf. 175 A οὐδ' ἄρα ὠφελίας ⟨τέχνη ἡ σωφροσύνη ἐστίν⟩, ὦ ἑταῖρε· ἄλλῃ γὰρ αὖ ἀπέδομεν τοῦτο τὸ ἔργον τέχνῃ νυνδή. Ergo et Laches et Charmides Protagora posterior est. Sed uter illorum prior est? Laches, ut opinor. Nam Charmides Euthydemum praeparat, quo ὠφελίας τέχνη illa accurate tractatur (280 B—281 E, 288 D—293 A).

Ex duabus hisce trilogiis — Protagoram Lachetem Charmiden et Lysidem Euthydemum Gorgiam dico — utra prior sit roganti non dubito respondere hanc esse posteriorem, illam priorem; Gorgia enim Protagoram esse priorem nemo negat. Itaque sex hosce dialogos sic inter se succedere statuo: Protagoram Lachetem Charmiden Lysidem Euthydemum Gorgiam [1]). In quo ordine Protagoram primum esse ne cui mirum videatur. Nam multa sunt, quae hanc sententiam confirmant, non solum quod nullus fere est dialogus, in quo tam parum accurate disputatur et qui operi vere iuvenili Platonis tam similis est, sed etiam quod forma eius magnam similitudinem habet cum tragoedia. Platoni autem annis iuvenilibus in animo fuisse tragoedias scribere eumque hanc artem parumper coluisse notum est. Quamobrem nemini mirum videri poterit, primum dialogum eius maxime tragoediae admonere.

II.

DE HIPPIA MINORE, IONE, APOLOGIA, CRITONE, MENEXENO.

Si sex dialogos, de quibus supra egimus, comparabimus cum iis, qui proxime sequuntur, sex illis commune quod-

---

1) Haec cum manibus meis iam essent emissa, amici cura animus meus attentus est ad librum v. d. Von Arnim, qui inscribitur „Platos Jugenddialoge" [1914]. Is, quem ordinem arte statistica adhibita iam invenerat, confirmare conatus est argumentis dialogorum investigandis. Magna autem ex parte ordo, quem invenit, consentit cum iis, quae ego supra probare sum conatus, praeterquam quod Charmide Lysidem priorem esse censet, Euthydemo Euthyphronem, Gorgia primum librum Reipublicae. In eodem libro fuse agit de Phaedro, quem Republica posteriorem esse putat, de ceteris dialogis, qui Gorgia sunt posteriores, non disputat.

dam vinculum esse videbimus, quo careant sequentes. Omnes enim illi felicitatem quaerentis sunt, etiamsi ubi felicitas quaerenda sit, paulatim immutatur opinio. In Protagora felicitatem parari Plato probat, si quis accurate perpendat, quaenam res in summa plus gaudii afferant, at quaenam contra plus doloris: itaque vitae salutem in metiendi quadam doctrina esse sitam (356 D sqq.). Altior paulo felicitatis ratio est in Lachete, Charmide, Lyside, Euthydemo, in quibus quaerit, cuiusnam artis adiumento quae facimus scimusque utilitatem nobis afferre possint: hac arte enim viam ad felicitatem parari (cf. supra p. 263 sq., 267, 271). Excelsiora etiam sunt, quae in Gorgia leguntur dialogo: in iustitia colenda veram felicitatem esse sitam. Attamen in hac vita eam inveniri posse Plato negat, quia pravo generi humano vir probus non odio esse non possit; quocirca vitam post hanc vitam ei esse expectandam, in qua futurum esse, ut propter virtutem, quam antea coluerit, debito honore et felicitate fruatur.

Expetivit igitur Plato, ut est hominis, iuvenilibus praesertim annis felicitatem; virtutis et sapientiae minime neglegens fuit, sed felicitatis causa studuit iis. Ab ea autem inde fere aetate, qua Gorgiam conscripsit, cum sibi persuasisset, irritum esse illud felicitatis studium, eam persequi desiit, sapientiam sua, non felicitatis causa petere iniit. Quin venit aliquando tempus, cum non iam graviter tulit, vitam hominis saepenumero felicitate carere: publicam enim, non singulorum felicitatem esse quaerendam, vid. Rep. 420 B *οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ' ὅπως μάλιστα ὅλη ἡ πόλις.*

De Apologia.

Inde a Gorgia Platonem paulatim aequiore factum esse animo ex eo etiam apparet, quod acerbum quod in Gorgia protulerat de viris rempublicam gerentibus iudicium postmodo mitigavit; id quod prima docet Apologia. Quod ut videamus, quaedam ex Apologia cum Gorgia comparanda sunt, sed ante omnia is locus Gorgiae est indicandus, ex quo Gorgiam priorem Apologia esse apparet. Est Gorg. 521 E, 522 BC, ubi Socrates quodammodo praesentire se dicit supplicium de se sumptum iri: *ἅ τε οὖν οὐ πρὸς χάριν λέγων τοὺς λόγους οὓς λέγω ἑκάστοτε, ἀλλὰ πρὸς τὸ*

βέλτιστον, οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον ...., οὐχ ἕξω ὅ τι λέγω ἐν τῷ δικαστηρίῳ .... οὔτε γὰρ ἡδονὰς ἃς ἐκπεπόρικα ἕξω αὐτοῖς λέγειν, ἃς οὗτοι εὐεργεσίας καὶ ὠφελίας νομίζουσιν ....· ἐάν τέ τίς με ἢ νεωτέρους φῇ διαφθείρειν ἀπορεῖν ποιοῦντα, ἢ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ, οὔτε τὸ ἀληθὲς ἕξω εἰπεῖν, ὅτι δικαίως πάντα ταῦτα ἐγὼ λέγω, καὶ πράττω τὸ ὑμέτερον δὴ τοῦτο, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὔτε ἄλλο οὐδέν· ὥστε ἴσως ὅτι ἂν τύχω τοῦτο πείσομαι.

Quid igitur? Nonne in Apologia Socratem inducit Plato se ea omnia ét iuste — dei quidem iussu — dicere asseverantem ét civitatis causa? (Apol. 29 D—31 B, 36 C). Est haec sane inter Apologiam et Gorgiam dissensio, quae tamen, si Gorgiam priorem esse sumas, mira non videbitur; nam facile explicatur, si Platonem cum Apologiam conscriberet aequiore et firmiore esse factum animo reputamus. Etenim vir vere sapiens et probus qui in Gorgia peregrinus in hac terra esse videtur mortemque miserabilem non occumbere non posse, in Apologia vates fortissimus factus est, qui in hac quoque terra causam suam victuram esse probe scit: *νῦν γὰρ τοῦτο εἰργάσασθε με οἰόμενοι ἀπαλλάξεσθαι τοῦ διδόναι ἔλεγχον τοῦ βίου, τὸ δὲ ὑμῖν πολὺ ἐναντίον ἀποβήσεται, ὡς ἐγώ φημι. πλείους ἔσονται ὑμᾶς οἱ ἐλέγχοντες .... καὶ χαλεπώτεροι ἔσονται ὅσῳ νεώτεροί εἰσιν, καὶ ὑμεῖς μᾶλλον ἀγανακτήσετε* (39 CD). Victor hic loquitur is, qui in Gorgia iustus et propositi tenax quidem erat nec a recta via discedebat, sed impotentia pravorum vincebatur tamen.

Iam Gorgiam et Apologiam comparare pergentibus nobis (Gorg. inde a p. 501 A, Apol. inde a p. 24 D) apparebit — paucis exceptis, quae aut pertinent ad ipsam accusationem (26 B—27 E) aut ad Socratis personam Athenasque (32 A-E, 37 A-E, 39 E—40 C, 41 D—42 A) — vix quicquam in Apologia inveniri, quod non idem in Gorgia legatur. Quamobrem quae in Gorgia generatim de sapiente erant prolata, ea in Apologia ad Socratis personam relata esse videntur. Videamus singula:

1. De emendandis civibus in Apologia dicenti Meleto a Socrate uno Athenienses depravari, ab omnibus ceteris Atheniensibus emendari (24 D—25 C) Socrates respondet prae ceteris se emendandis vere ingeniis semper studuisse:

Apol. 30 AB *περιέρχομαι .... πείθων ὑμῶν καὶ νεωτέρους καὶ*

πρεσβυτέρους .... ἐπιμελεῖσθαι .... τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς ἀρίστη ἔσται, cf. 36 C.

cf. Gorg. 503 A τὸ δ' ἕτερον καλόν ⟨ἐστιν⟩, τὸ παρασκευάζειν ὅπως ὡς βέλτισται ἔσονται τῶν πολιτῶν αἱ ψυχαί, cf. 502 E, 513 E, 521 A.

Quae illustrantur illic comparatione cum asilo hic cum medico, Apol. 30 E, 31 A, Gorg. 521 E 522 A B.

2. Si quis male iuvenes educabit, sibi eum mala esse contracturum contendit Apol. 25 D E; id quod ex sophistarum discipulorum artibus cognitum sibi esse ostendit Gorg. 519 C.

Sibi tamen omnes discipulos gratum servare animum et commemorat (34 A) et probat (38 B) demonstrando eos spondere pro se cupere; cuius rei causam reperimus Gorg. 520 D οὐκοῦν εἴ τις αὐτὸ τοῦτο ἀφαιρεῖ, τὴν ἀδικίαν, οὐδὲν δεινὸν αὐτῷ μήποτε ἀδικηθῇ.

3. Virum praestantem periculo vitae non posse deterreri, quominus rectum faciat legimus Apol. 28 B οὐ καλῶς λεγεις, ὦ ἄνθρωπε, εἰ οἴει δεῖν κίνδυνον ὑπολογίζεσθαι τοῦ ζῆν ἢ τεθνάναι ἄνδρα ὅτου τι καὶ σμικρὸν ὄφελός ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνο μόνον σκοπεῖν, ὅταν πράττῃ, πότερα δίκαια ἢ ἄδικα πράττει, καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ἔργα ἢ κακοῦ.

Gorg. 512 D E ἡ γὰρ τοῦτο μέν, τὸ ζῆν ὁποσονδὴ χρόνον, τόν γε ὡς ἀληθῶς ἄνδρα ἐατέον ἐστὶν καὶ οὐ φιλοψυχητέον, ἀλλὰ ἐπιτρέψαντα περὶ τούτων τῷ θεῷ .... τὸ ἐπὶ τούτῳ σκεπτέον, τίν' ἂν τρόπον τοῦτον ὃν μέλλοι χρόνον βιῶναι ὡς ἄριστα βιοίη.

Iusto enim homini ab homine scelesto noceri non posse, Apol. 30 D E, Gorg. 511 B C. Gravius vero malum esse, si quis alios ipse iniuria afficit:

Apol. 29 B τὸ δὲ ἀδικεῖν .... ὅτι κακὸν καὶ αἰσχρόν ἐστιν οἶδα. πρὸ οὖν τῶν κακῶν, ὧν οἶδα ὅτι κακά ἐστιν, ἃ μὴ οἶδα εἰ ἀγαθὰ ὄντα τυγχάνει, οὐδέποτε φοβήσομαι οὐδὲ φεύξομαι.

Gorg. 508 E συλλήβδην ὁτιοῦν ἀδικεῖν καὶ ἐμὲ καὶ τὰ ἐμὰ τῷ ἀδικοῦντι καὶ κάκιον καὶ αἴσχιον ἢ ἐμοὶ τῷ ἀδικουμένῳ, cf. 508 B, 509 C, 527 B.

4. Cur rei publicae operam non navaverit reperimus Apol. 31 E, 32 A cf. Gorg. 510 D—511 B.

5. De adulatione apud iudices haec leguntur: Apol. 38 D E

ἀλλ' οὔτε τότε ᾠήθην δεῖν ἕνεκα τοῦ κινδύνου πρᾶξαι οὐδὲν ἀνελεύθερον, οὔτε νῦν μοι μεταμέλει οὕτως ἀπολογησαμένῳ, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αἱροῦμαι ὧδε ἀπολογησάμενος τεθνάναι ἢ ἐκείνως ζῆν. Gorg. 522 DE εἰ δὲ κολακικῆς ῥητορικῆς ἐνδείᾳ τελευτῴην ἔγωγε, εὖ οἶδα ὅτι ῥᾳδίως ἴδοις ἄν με φέροντα τὸν θάνατον. Neminem enim nisi stultum hominem mortem timere: Apol. 29 A τὸ γάρ τοι θάνατον δεδιέναι, ὦ ἄνδρες, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δοκεῖν σοφὸν εἶναι μὴ ὄντα, Gorg. 522 E αὐτὸ μὲν γὰρ τὸ ἀποθνήσκειν οὐδεὶς φοβεῖται ὅστις μὴ παντάπασιν ἀλόγιστός τε καὶ ἄνανδρός ἐστιν ....

Haec inter se similia sunt. Sed non ab omni parte cum Apologia congruit quod in Gorgia de viris rempublicam gerentibus profert iudicium. Qui in Gorgia abiectum in modum populo blandientes finguntur, civium non utilitatem spectantes, sed voluptatem, ἕνεκα τοῦ ἰδίου τοῦ αὐτῶν ὀλιγωροῦντες τοῦ κοινοῦ (502 E), itaque viris rerum civilium vera peritis tanto inferiores, quanto caupones pistores libarii viris artis gymnasticae peritis (518 B). Quamobrem post mortem in Tartaro versantes eos reperimus, neque in eorum numero, quibus spatio interposito iram deorum placare detur, sed in iis, qui aeternis poenis documento sint aliis: οἶμαι δὲ καὶ τοὺς πολλοὺς εἶναι τούτων τῶν παραδειγμάτων ἐκ τυράννων καὶ βασιλέων καὶ δυναστῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων πραξάντων γεγονότας· οὗτοι γὰρ διὰ τὴν ἐξουσίαν μέγιστα καὶ ἀνοσιώτατα ἁμαρτήματα ἁμαρτάνουσι, μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ Ὅμηρος· βασιλέας γὰρ καὶ δυνάστας ἐκεῖνος πεποίηκεν τοὺς ἐν Ἅιδου τὸν ἀεὶ χρόνον τιμωρουμένους, Τάνταλον καὶ Σίσυφον καὶ Τιτυόν· (525 DE). Nec multo praestant poëtae (502 CD), quamquam in Tartaro eos versari non legimus.

A multis iam observatum est, acerbum hoc iudicium admodum esse lenitum in Menone [1]), ubi multis in rebus bene eos consulere urbibus invenimus: 99 D καὶ τοὺς πολιτικοὺς οὐχ ἥκιστα τούτων φαῖμεν ἂν θείους τε εἶναι καὶ ἐνθουσιάζειν, ... ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα, μηδὲν

---

1) e. g. Gomperz, Griechische Denker II, 302 sq. Minime tamen cum eo facio scribenti, „dass diese „Ehrenrettung" athenischer Staatsmänner geradezu *den Kern- und Quellpunkt* des „Menon" ausmacht." Nam praeterea in Menone maximi momenti est ἀναμνήσεως doctrina et discrimen inter prudentiam et rectam opinionem.

εἰδότας ὧν λέγουσιν. Praeparatur autem haec mitior Menonis sententia Apol. 21 C *ἔδοξέ μοι οὗτος ὁ ἀνὴρ δοκεῖν μὲν εἶναι σοφὸς ἄλλοις τε πολλοῖς ἀνθρώποις καὶ μάλιστα ἑαυτῷ, εἶναι δ' οὐ* [1]). Minime sane iste qui in republica versatur vir laudatur disertisque verbis indicatur, quam multa et quam gravia ei desint; sed tamen sapientia tantum carere dicitur neque probitate, ut in Gorgia. Item de poëtis aequius iam iudicat (Apol. 22 C).

Sed non solum inter Gorgiam et Menonem medium quendam obtinet locum Apologia, vero etiam inter Gorgiam et Phaedonem. Tartarus enim, qui in Gorgiae descriptione Orci magnas agit partes, perexigui momenti est in Phaedone. Pauci iique omnium scelestissimi homines versantur in Tartaro, qualis in Phaedone describitur et vel ii sperare possunt, fore ut aliquando ex Tartaro liberentur (Phaed. 114 A B); prae ceteris autem viros in republica versantes in Tartaro cruciari ne uno quidem verbo significatur. Qua in re Apologia haud minus quam Phaedo a Gorgia discrepat. Nam in Apologiae brevi Orci descriptione Tartarus ne commemoratur quidem (Apol. 41 A-C). Gaudere Socrates dicit se mox in Orco cum compluribus umbris collocuturum esse, quos nonnullos nominat. Qui autem ii sunt? Non poëtae solum, qui adulatorum loco habebantur in Gorgia, sed reges etiam, quos omnium mortalium scelestissimos in Tartarum coniectos esse in Gorgia legebamus. Quid? quod Sisyphus iam in Orco versatur et in eorum numero est, quibuscum se collocuturum esse gaudet! Apol. 41 B C *ἐπὶ πόσῳ δ' ἄν τις, ὦ ἄνδρες δικασταί, δέξαιτο ἐξετάσαι τὸν ἐπὶ Τροίαν ἀγαγόντα τὴν πολλὴν στρατιὰν ἢ Ὀδυσσέα ἢ Σίσυφον ....*; cf. quae supra (p. 276) citata sunt ex Gorg. 525 E.

Sed iam satis de Apologia. Eam enim post Gorgiam scriptam esse et Menonem Phaedonemque quodammodo praeparare iam intellegitur.

De Ione.

Quae in Apologia post Gorgiam nova esse videbamus et

1) In Gorgia, ut par est, agitur de viris, qui — non sapientes, sed — boni esse videntur nec tamen sunt, 459 E *ποιήσεις δ' ἐν τοῖς πολλοῖς δοκεῖν εἰδέναι αὐτὸν τὰ τοιαῦτα* (sc. *τὸ δίκαιον καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀγαθόν*) *οὐκ εἰδότα καὶ δοκεῖν ἀγαθὸν εἶναι οὐκ ὄντα*, cf. 527 B *καὶ παντὸς μᾶλλον ἀνδρὶ μελετητέον οὐ τὸ δοκεῖν εἶναι ἀγαθὸν ἀλλὰ τὸ εἶναι.*

Menonem aliquatenus praeparantia, ea invicem quadam ex parte praeparantur parvo dialogo, qui Ion inscribitur. Demonstrare studet eo Plato professionem Ionis rhapsodi, qui unius Homeri peritus sit, nec artem nec doctrinam esse. Nam si doctrina esset, futurum esse, ut ceterorum etiam poëtarum esset peritus (Ion 532 C). Mox longius etiam progreditur et ne poëtarum quidem professionem artem esse ostendit 533 D—536 D. Vid. prae ceteris 534 C *οὐ γὰρ τέχνῃ ταῦτα λέγουσιν, ἀλλὰ θείᾳ δυνάμει, ... διὰ ταῦτα δὲ ὁ θεὸς ἐξαιρούμενος τούτων τὸν νοῦν τούτοις χρῆται ὑπηρέταις καὶ τοῖς χρησμῳδοῖς καὶ τοῖς μάντεσι τοῖς θείοις.* Quae statim in mentem revocant Apol. 22 C: *ἔγνων οὖν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο, ὅτι οὐ σοφίᾳ ποιοῖεν ἃ ποιοῖεν, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες, ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί.* Quae hac de re in Apologia leguntur si aliquanto succinctiora sunt quam quae fuse in Ione disputantur, more suo facit Plato. Nam plus semel iam vidimus (cf. p. 260, 265), si repetatur disputatio quaedam ex superiore dialogo, priorem locum copiosiorem, posteriorem brevem esse. Revera autem Ionem esse priorem documento sunt ea, quae Apol. 22 C proxime sequuntur: *καὶ ἅμα ᾐσθόμην αὐτῶν διὰ τὴν ποίησιν οἰομένων καὶ τἆλλα σοφωτάτων εἶναι ἀνθρώπων, ἃ οὐκ ἦσαν.* Quaenam *τἆλλα* illa sint, paulo esset obscurius, nisi Io praecessisset; nunc vero plane intellegitur. Fingit enim Plato Ionem gloriantem se non modo bonum esse rhapsodum, sed egregium etiam belli ducem, qua de causa facete ludibrio eum habet (541 B sqq.). Ex quo apparet, quantos spiritus et poëtae et rhapsodi gesserint.

Sic etiam perspicuum erit, qui fiat, ut quae in Apologia de poëtis proferuntur aliquanto sint accuratiora quam quae leguntur de viris, qui rebus publicis praesunt, de quibus — quamquam ter aut quater repetitum — nil dicit nisi hoc: sapientes eos videri nec esse (21 CD): de poëtis enim, id quod docet Io dialogus, quaestionem iam instituerat, de versantibus in republica viris in Menone demum accuratius erat quaesiturus.

Unus locus Apologiae restat qui indicetur; qui vix intellegeretur, nisi Io praecessisset. Est Apol. 20 DE, ubi agitur de *ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ* vel *κατ' ἄνθρωπον σοφίᾳ*. Quod dicendi genus explanatur disputatione, quae Ion 534 E legitur: *ἐν τούτῳ γὰρ δὴ μάλιστά μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι ἡμῖν, ἵνα μὴ διστάζωμεν,*

ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστιν τὰ καλὰ ταῦτα ποιήματα οὐδὲ ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ θεῶν, οἱ δὲ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἑρμηνῆς εἰσιν τῶν θεῶν, κατεχόμενοι ἐξ ὅτου ἂν ἕκαστος κατέχηται.

De Hippia Minore.

Arte cum Ione coniunctus est Hippias Minor. Primo, quod multus est in utroque Homerus, cum in ceteris post Protagoram conscriptis dialogis eius nomen vix legatur. Inde ab Hippia Minore et Ione autem nomen eius redit nec non in Apologia, Critone, Cratylo quaedum ex eo citantur.

Deinde, quod hi loci magnam habent similitudinem:

Hipp. 367C *οὐκοῦν ὁ αὐτὸς ψευδῆ καὶ ἀληθῆ λέγειν περὶ λογισμῶν δυνατός;*

Ναί

Τίς οὖν ψευδὴς περὶ λογισμῶν γίγνεται, ὦ Ἱππία, ἄλλος ἢ ὁ ἀγαθός; οὗτος γὰρ καὶ δυνατός· οὗτος δὲ καὶ ἀληθής.

Φαίνεται.

Ion. 531 DE *οὐκοῦν, ὦ φίλη κεφαλή, ὅταν περὶ ἀριθμοῦ πολλῶν λεγόντων εἷς τις ἄριστα λέγῃ, γνώσεταί δήπου τις τὸν εὖ λέγοντα;*

Φημί

Πότερον οὖν ὁ αὐτός, ὅσπερ καὶ τοὺς κακῶς λέγοντας, ἢ ἄλλος;

Ὁ αὐτὸς δήπου.

Arguitur enim in Hippia eum, qui bene quid dicat, in eadem re etiam male dicere posse; in Ione: qui diiudicare quem valeat, qui bene loquitur, eundem etiam diiudicare posse eum, qui in eadem re male loquitur.

Tum Hippiam Minorem eadem esse scriptum aetate qua Ion est scriptus inde apparet, quod Hippias quoque medium locum obtinet inter Gorgiam et Apologiam. Agitur enim in Hippia de eo, qui consulto et de eo, qui invitus peccat. De qua re in Gorgia satis confuse disputatur. Nam praedicat quidem in eo Socrates neminem consulto peccare (509 E) —; sed si revera sic statuisset, in stultorum numero habendi erant peccantes neque scelesti viri putandi, digni, qui post mortem in aeternum in Tartaro crucientur. Sibi hac in re magis in Apologia constare Platonem, ubi et alii et viri rempublicam gerentes *prudentia* tantummodo carere dicuntur, iam vidimus. Praeparatur autem haec mutata sententia Hippia Minore dialogo. Sermo ibi esse videtur de tribus hominum generibus: qui inviti peccant, qui consulto peccant, qui rectum faciunt. Eorum autem genus, qui consulto peccant, Platonis iudicio revera non inveniri videbimus, si recte inter-

pretabimur 376 B: *ὁ ἄρα ἑκὼν ἁμαρτάνων καὶ αἰσχρὰ καὶ ἄδικα ποιῶν, ὦ Ἱππία, εἴπερ τίς ἐστιν οὗτ..ς, οὐκ ἂν ἄλλος εἴη ἢ ὁ ἀγαθός*, praesertim si bene animadvertemus vv. *εἴπερ τίς ἐστιν οὗτος*. Hac de causa enim qui consulto peccat vir — si eiusmodi vir existere posset — bonus esse dicitur, quia idem peccatum evitare scit; sin autem rectum noverit, haud peccabit; ergo rectum facit. Quocirca unum tantum es peccantium genus: eorum qui inviti peccant, virtutis *ignorantia*. Itaque si in Apologia non iam agit de hominum peccantium flagitiis, sed de prudentiae eorum inopia, Hippiae disputatione niti eum apparet.

Et Hippiam minorem et Ionem Gorgia esse posteriorem, Apologia priorem iam patet. Uter autem est prior? Huic rei indicio est Hipp. 375 D. Duobus enim modis rectum fieri posse docet et Io et Apologia: aut divina potentia (Ion: *θείᾳ δυνάμει*, Apol.: *φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες*) aut prudentia (Ion: *τέχνῃ καὶ ἐπιστήμῃ*, Apol.: *σοφίᾳ*). Iamvero duas hasce rationes obscurius paulo et fortasse sibi non omnino conscius ante oculos iam habuisse videtur, cum illo Hippiae loco (375 D) scriberet: *ἡ δικαιοσύνη οὐχὶ ἢ δύναμίς τίς ἐστιν ἢ ἐπιστήμη ἢ ἀμφότερα*; et mox (375 E): *οὐκοῦν ἡ δυνατωτέρα καὶ σοφωτέρα αὕτη ἀμείνων οὖσα ἐφάνη .... περὶ πᾶσαν ἐργασίαν*; Potentia illa (quae hic non nisi cum prudentia coniuncta nominatur neque aut cum ea comparatur aut ei opponitur, ut in Ione et in Apologia) divinam potentiam Ionis (534 C) et *φύσιν* Apologiae (22 C) praeparare quodammodo videtur.

De Critone.

Critonem Apologiae succedere probatur his locis:

45 B *ὥστε, ὅπερ λέγω, μήτε ταῦτα φοβούμενος ἀποκάμῃς σαυτὸν σῶσαι, μήτε, ὃ ἔλεγες ἐν τῷ δικαστηρίῳ, δυσχερές σοι γενέσθω, ὅτι οὐκ ἂν ἔχοις ἐξελθὼν ὅτι χρῷο σαυτῷ.*

52 C *σὺ δὲ τότε μὲν ἐκαλλωπίζου ὡς οὐκ ἀγανακτῶν, εἰ δέοι τεθνάναι σε, ἀλλὰ ᾑροῦ, ὡς ἔφησθα, πρὸ τῆς φυγῆς θάνατον.*

Quibus ad Apol. 37 CD, 29 A reici videmur.

Et Apologia et Gorgias significari videntur:

48 B *καὶ τόνδε αὖ σκόπει, εἰ ἔτι μένει ἡμῖν ἢ οὐ, ὅτι οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν*, cf. Apol. 28 B Gorg. 512 E.

ibid. τὸ δὲ εὖ καὶ καλῶς καὶ δικαίως ὅτι ταὐτόν ἐστιν, μένει ἢ οὐ μένει; cf. Gorg. 476 B.

49 B ὅμως τό γε ἀδικεῖν τῷ ἀδικοῦντι καὶ κακὸν καὶ αἰσχρὸν τυγχάνει ὂν παντὶ τρόπῳ; cf. Gorg. 508 E Apol. 29 B.

Nova autem sunt quae sequuntur:

οὐδὲ ἀδικούμενον ἄρα ⟨δεῖ⟩ ἀνταδικεῖν.

Haec quoque nova sunt:

44 D εἰ γὰρ ὤφελον, ὦ Κρίτων, οἷοι τ' εἶναι οἱ πολλοὶ τὰ μέγιστα κακὰ ἐργάζεσθαι, ἵνα οἷοι τ' ἦσαν καὶ ἀγαθὰ τὰ μέγιστα, καὶ καλῶς ἂν εἶχεν· νῦν δὲ οὐδέτερα οἷοι τε· οὔτε γὰρ φρόνιμον οὔτε ἄφρονα δυνατοὶ ποιῆσαι.

Quae admonent quidem Gorg. 511 B, Apol. 30 CD, sed ibi tantummodo probatur viro probo ab improbo viro noceri non posse; hic additur, si noceri ei posset, quodnam illud detrimentum esset.

Denique novum est, Veritatem hic tamquam Deam induci (48 A), quae maiores etiam partes agit in Hippia Maiore.

Proxime autem Apologiae succedere Critonem opinor et quod tam arte inter se sunt coniuncti et quod ante Euthyphronem scriptum eum esse apparebit (vid. infra p. 283 sq.).

Quae huc usque ex priore Critonis parte citavimus, in universum iustitiam spectant; in sequentibus autem definitius de ea agitur iustitia, quae singulis civibus erga patriam est observanda. Ex quibus clarius etiam apparet, cum Critonem scriberet Plato, immutatas esse aliquantum quas in Gorgia Apologiaque protulerat opiniones. Nam in his dialogis de patria locutus erat tamquam de re, quae per se spectata nec bona nec mala est et in numero τῶν μεταξὺ est habenda; in Critone reverentiae plenus communem omnium matrem appellat patriam, nunc primum significans, id quod in nullo ex prioribus dialogis legebatur, sacro quodam vinculo cives cum patria esse coniunctos. Vid. Crit. 51 A B: ἢ οὕτως εἶ σοφός, ὥστε λέληθέν σε ὅτι μητρός τε καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερόν ἐστιν ἡ πατρὶς καὶ σεμνότερον καὶ ἁγιώτερον .... ἐάν τε τύπτεσθαι ἐάν τε δεῖσθαι, ἐάν τε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον ἢ ἀποθανούμενον, ποιητέον ταῦτα .... οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν κτέ. Quae quantum diversa sint ab iis, quae in Apologia de republica inveniuntur, ubi reipublicae philosophiam suam opponit, hanc magni pretii,

illam vix ullius momenti ratus, prae ceteris monent, quae leguntur Apol. 28 D: *ἐγὼ οὖν δεινὰ ἂν εἴην εἰργασμένος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ὅτε μέν με οἱ ἄρχοντες ἔταττον, οὓς ὑμεῖς εἵλεσθε ἄρχειν μου, καὶ ἐν Ποτιδαίᾳ καὶ ἐν Ἀμφιπόλει καὶ ἐπὶ Δηλίῳ, τότε μὲν οὗ ἐκεῖνοι ἔταττον ἔμενον ὥσπερ καὶ ἄλλος τις καὶ ἐκινδύνευον ἀποθανεῖν, τοῦ δὲ θεοῦ τάττοντος, ὡς ἐγὼ ᾠήθην τε καὶ ὑπέλαβον, φιλοσοφοῦντά με δεῖν ζῆν καὶ ἐξετάζοντα ἐμαυτὸν καὶ τοὺς ἄλλους, ἐνταῦθα δὲ φοβηθεὶς ἢ θάνατον ἢ ἄλλο ὁτιοῦν πρᾶγμα λίποιμι τὴν τάξιν.* In quibus non solum nulla fit mentio ullius erga patriam sanctioris officii, sed ipsam patriam vix videtur agnoscere: pugnando enim non patriae operam navari indicat, sed magistratibus quibusdam maioris partis libidine creatis.

De Menexeno.

Aequum illum erga patriam animum, qui in Critone dialogo cernitur, postea quoque Platonem servasse documento est Menexenus. In quo filii, qui ceciderunt, haec ad patres suos dicentes finguntur: (246 D) *ὑμῖν δὲ ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς αἱρούμεθα μᾶλλον τελευτᾶν, πρὶν ὑμᾶς τε καὶ τοὺς ἔπειτα εἰς ὀνείδη καταστῆσαι καὶ πρὶν τοὺς ἡμετέρους πατέρας καὶ πᾶν τὸ πρόσθεν γένος αἰσχῦναι, ἡγούμενοι τῷ τοὺς αὑτοῦ αἰσχύνοντι ἀβίωτον εἶναι, καὶ τῷ τοιούτῳ οὔτε τινὰ ἀνθρώπων οὔτε θεῶν φίλον εἶναι οὔτ' ἐπὶ γῆς οὔθ' ὑπὸ γῆς τελευτήσαντι.* Ex quibus cognoscimus, qua Menexenum scripsit aetate, idem fere sensisse Platonem de sacris erga patriam officiis et cum componeret Critonem.

Vix minus duo hi consentiunt dialogi in iis, quae habent de rebus, quas civibus patria praebet:

Crito 51 C *ἡμεῖς* (sc. *οἱ νόμοι*) *γάρ σε γεννήσαντες, ἐκθρέψαντες, παιδεύσαντες, μεταδόντες ἁπάντων ὧν οἷοί τ' ἦμεν καλῶν σοι καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν πολίταις ....*

Menex. 237 BC .... *τρεφομένους οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς ὡς ἄλλοι, ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς τῆς χώρας ἐν ᾗ ᾤκουν, καὶ νῦν κεῖσθαι τελευτήσαντας ἐν οἰκείοις τόποις τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης καὶ ὑποδεξαμένης,* cf. 238 A.

Dissentiunt hac una in re, quod quae in Critone attribuuntur legibus, ea in Menexeno in patriae soli honorem dicuntur. Quae dissensio clare indicat, uter sit posterior dialogus. Nam Respublica, quam utroque posteriorem esse nemo negat, hac in re cum Menexeno facit; vid. Rep. 414 E *ἡ γῆ αὐτοὺς μή-*

τηρ οὖσα ἀνῆκεν. Quocirca postea in patriae solum vertisse eum videmus quae antea legibus attribuerat, itaque Critone posterius scriptum esse Menexenum. Quae cum ita sint, summa huius disputationis haec est, minores hos quinque dialogos — si Apologiam quoque propter colloquium cum Meleto dialogum vocare licet — ita inter se succedere:

Hippiam Minorem, Ionem, Apologiam, Critonem, Menexenum.

III.

DE EUTHYPHRONE, HIPPIA MAIORE, CRATYLO, THEAETETO, CONVIVIO.

Qui proxime sequuntur quinque dialogi, hoc communi vinculo sunt coniuncti, quod idearum doctrinam nondum continent, sed praeparant quodammodo. Menone Phaedone Phaedro autem priores hac de causa esse debent, quia anamneseos illius doctrinae, cuius adminiculo ad idearum doctrinam pervenit Plato, in horum numero nondum ullum invenitur vestigium.

De Euthyphrone.

Inde ab editione principe arte cum Apologia et Critone coniungebatur Euthyphro. Iure, ut opinor; nam in Socrate vindicando commune habent quoddam. Ceterum Euthyphronem non praecedere censeo, sed Apologia et Critone esse posteriorem. Quid enim? Demonstratur in Euthyphrone, religionem (*ὁσιότητα*) iustitiae esse partem. Quo facto immutat Plato quam inde a Protagora proferebat opinionem, quinque esse virtutes, ex quibus una sit religio. Quamobrem ante Euthyphronem scripti esse debent ei dialogi, in quibus religio in quinque virtutum numero invenitur, post Euthyphronem ii, in quibus de quattuor virtutibus sermo est, religione a numero segregata: *posteriores* igitur sunt Cratylus, in quo de ceteris agitur virtutibus (*σωφροσύνη* 411 E, *σοφία* 412 B, *δικαιοσύνη* 412 C, *ἀνδρεία* 413 E), de religione *οὐδεὶς λόγος*; Meno (vid. 73 E, 74 A, cf. 88 A); Respublica (v. 427 E *δῆλον δὴ ὅτι σοφή τ' ἐστι* (sc. *ἡ πόλις*) *καὶ ἀνδρεία καὶ σώφρων καὶ δικαία*); *priores* Gorgias (v. 507 CD), Apologia (v. 32 D *μηδὲν ἄδικον μηδ' ἀνόσιον*); Crito (v. 54 B *οὐδὲ δικκιότερον οὐδὲ ὁσιώτερον*). Post Critonem igitur compositus est

Euthyphro, sed non multo; nam ante Cratylum et Menonem scriptum eum esse videmus. Quocirca consentaneum fuisse dixerit quispiam hunc quoque parvum dialogum coniunxisse cum quinque illis, de quibus in proximo capite egi, eo magis quod commune ei esse quiddam cum Apologia et Critone ultro concedo. Ego vero eo me inclinavisse ut ita facerem, haud infitior; sed aliud quid fuit gravioris momenti, quod adduxit me, ut potius eum coniungerem cum iis, qui proxime sequuntur: etenim cum Hippia Maiore et Cratylo hoc habet commune, quod in iis primum inveniuntur haec quae spectant ad rerum naturam et vim quaerendam vocabula: *εἶδος, ἰδέα, τὸ .... εἶναι*, quae idearum doctrinam iam designant. En loci:

εἶδος, Hipp. 289 D, 298 B, Crat. 386 E, Euth. 6 D.

ἰδέα, Hipp. 297 B, Crat. 439 E, Euth. 6 E.

οὐσία, Hipp. 301 BE, 302 C, Crat. 385 E, 386 AE, 423 D (cf. 401 C), Euth. 11 A.

τὸ ἡδὺ εἶναι Hipp. 299 D, *τὸ γνῶσις εἶναι* Crat. 440 A, *τὸ ὅσιον εἶναι*, Euth. 14 C.

De Euthyphrone et Hippia Maiore.

Investigatur rerum illa natura in Euthyphrone et Hippia Maiore definitionibus quaerendis; qua in re comparandi sunt cum Lachete et Charmide primae aetatis dialogis, in quibus item definitiones quaeruntur. Multo vero subtilior ratio inquirendi est in Euthyphrone et Hippia. Nam in Lachete et Charmide variae definitiones et tentantur et rursus reiciuntur; in Hippia examinatur, quatenus ipsum *τὸ καλόν* a singulis pulchris rebus differat (286 E—293 E). Quod cum Hippias sophista non perspiciat, quippe qui virginem pulchram *τὸ καλόν* esse praedicet, haec Socrates respondet: (289 B) *τὸ τῶν παρθένων γένος θεῶν γένει ἄν τις συμβάλλῃ ...., οὐχ ἡ καλλίστη παρθένος αἰσχρὰ φανεῖται; ἢ οὐ καὶ Ἡράκλειτος ταὐτὸν τοῦτο λέγει, ὃν σὺ ἐπάγει, ὅτι ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται καὶ σοφίᾳ καὶ κάλλει καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν*; se enim quaerere quod simpliciter et ex sua vi consideratum pulchrum est.

Quae de definiendi ratione Euthyphro habet, minus elaborata sunt iis quae citavi ex Hippia. Quod ut accuratius demonstrem, hos duos locos inter se comparare libet: Euth. 5 D, 6 D et Hipp. 291 DE. Rogatus enim, quid sit *τὸ ὅσιον*, respondet

Euthyphro, quod ipse faciat, *τὸ ὅσιον* esse: *τῷ ἀδικοῦντι ἢ περὶ φόνους ἢ περὶ ἱερῶν κλοπὰς ἤ τι ἄλλο τῶν τοιούτων ἐξαμαρτάνοντι ἐπεξιέναι, ἐάν τε πατὴρ ὢν τυγχάνῃ ἐάν τε μήτηρ ἐάν τε ἄλλος ὁστισοῦν, τὸ δὲ μὴ ἐπεξιέναι ἀνόσιον.* Quam vocem nullo alio argumento Socrates refellit nisi Euthyphronem monendo permultas sane alias etiam esse res religiosas, minime vero hanc esse unam; se autem quaerere *τὸ εἶδος, ᾧ πάντα τὰ ὅσια ὅσιά ἐστιν* (6 E).

Simili modo Hippias, postquam primum eius quod supra citavi responsum repudiatum est, iam hoc in medium profert (291 DE): *λέγω τοίνυν ἀεὶ καὶ παντὶ καὶ πανταχοῦ κάλλιστον εἶναι ἀνδρί, πλουτοῦντι, ὑγιαίνοντι, τιμωμένῳ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων, ἀφικομένῳ εἰς γῆρας, τοὺς αὑτοῦ γονέας τελευτήσαντας καλῶς περιστείλαντι, ὑπὸ τῶν αὑτοῦ ἐκγόνων καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ταφῆναι.* Ad hanc vero vocem redarguendam quae Socrates respondet multo sunt sagaciora iis quae Euthyphronis loco leguntur. Nam hic non, quemadmodum in Euthyphrone, ostendit praeterea multa etiam esse pulchra, sed hoc ipsum, quod Hippias prae ceteris pulchrum esse ait, aliquando *non* esse pulchrum, e. g. in deis et heroibus (292 E—293 B). Itaque ét quod minus est elaboratus Euthyphro dialogus ét quod cum praecedentibus dialogis communia habet quaedam, non dubium esse videtur, quin Euthyphro Hippia Maiore prior sit.

De Hippia Maiore et Cratylo.

Cum Cratylo quoque Hippiae dialogo quaedam sunt communia. In utroque enim de rebus ad sensus pertinentibus agitur, de quibus non eadem valere ostenditur, quae valeant de numeris. Cuius rei ut mentionem iniciat, haec dicit: (300 E) *ἐμοὶ γὰρ φαίνεται, ὃ μήτ' ἐγὼ πέπονθα εἶναι μήτ' εἰμὶ μηδ' αὖ σὺ εἶ, τοῦτο ἀμφοτέρους πεπονθέναι ἡμᾶς οἷόν τ' εἶναι, ἕτερα δ' αὖ, ἃ ἀμφότεροι πεπόνθαμεν εἶναι, ταῦτα οὐδέτερον εἶναι ἡμῶν.* Vehementer hoc negat Hippias, Socratis ineptiae maledicens; numeros enim a Socrate spectari non intellegit. Rectam autem suam esse opinionem demonstrat Socrates ad numeros eam conferendo: nimirum se esse unum itemque Hippiam esse unum, ambos tamen esse duos; utrumque igitur unum esse neque duos, ambos vero duos esse neque unum, id quod negaverit Hippias (301 D).

Iamvero in eadem quaestione occupatus erat Plato cum scri-

beret Cratylum. Cratylo enim confirmanti, si in nomine littera prava sit, nomen non esse pravum, sed omnino non esse nomen neque quicquam nisi strepitum inanem, Socrates respondet, eiusmodi quid de numeris valere, sed haudquaquam de rebus, quae aut qualitates aut imagines indicant: (432 AB) *ἴσως ὅσα ἔκ τινος ἀριθμοῦ ἀναγκαῖον εἶναι ἢ μὴ εἶναι, πάσχοι ἂν τοῦτο, ὃ σὺ λέγεις, ὥσπερ καὶ αὐτὰ τὰ δέκα ἢ ὅστις βούλει ἄλλος ἀριθμός, ἐὰν ἀφέλῃς τι ἢ προσθῇς, ἕτερος εὐθὺς γέγονε· τοῦ δὲ ποιοῦ τινος καὶ ξυμπάσης εἰκόνος μὴ οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθότης, ἀλλὰ τὸ ἐναντίον οὐδὲ τὸ παράπαν δέῃ πάντα ἀποδοῦναι, οἷόν ἐστιν ὃ εἰκάζει, εἰ μέλλει εἰκὼν εἶναι.*

Cognatos esse Hippiam et Cratylum et supra (p. 284) iam vidimus et ex his locis perspicuum est. Uter autem sit prior, ex hisce quidem locis collatis non patet, sed tum cognoscemus, si totorum dialogorum argumenta comparabimus. Hippias enim dialogus, ut Euthyphro quoque, in *singularum* rerum definitionibus quaerendis versatur, qua in re cum primae aetatis dialogis quadamtenus eos esse comparandos supra (p. 31) demonstravimus. In Cratylo tamen non certae cuiusdam rei definitionem indagat Plato, sed in universum inquirere instituit, ubi *τὰ εἴδη* posita sint. Falsum enim esse in eo probat quod Heracliti doctrinae sectatores contendebant, veras res in nominibus esse sitas: res enim iam extitisse antequam nomina inderentur. Itaque idearum indagationem in Cratylo longius iam processisse facile apparet.

De Cratylo.

Quod supra monui dialogos de quibus in hoc ago capite, Menone esse priores, huis rei luculentum praebet testimonium Cratylus. In Menone enim renascendi ratio exponitur, a Pythagoraeis desumta, ut opinor, qua homines cum hac vita finita in Orcum descenderint post tempus denuo renasci putantur. At contra in Cratylo haec legimus: (403 B) *πολλαχῇ ἔμοι γε δοκοῦσιν ἄνθρωποι διημαρτηκέναι περὶ τούτου τοῦ θεοῦ* (sc. *Ἅιδου*) *τῆς δυνάμεως καὶ φοβεῖσθαι αὐτὸν οὐκ ἄξιον ὄν· ὅτι τε γάρ, ἐπειδὰν ἅπαξ τις ἡμῶν ἀποθάνῃ, ἀεὶ ἐκεῖ ἐστιν, φοβοῦνται. . . . .* Ex quo loco luce clarius apparet Platonem cum Cratylum scriberet doctrinam de hominibus renascentibus nondum notam habuisse.

De Cratylo et Theaeteto.

Cratylus et Theaetetus dialogi hac in re consentiunt, quod eodem citato versu Homerico in utroque dialogo ostenditur Homerum idem iam sensisse quod postea Heraclitus docuerit:

Crat. 402 A *λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει, καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης .... τί οὖν; δοκεῖ σοι ἀλλοιότερον Ἡρακλείτου νοεῖν ὁ τιθέμενος τοῖς τῶν ἄλλων θεῶν προγόνοις Ῥέαν τε καὶ Κρόνον; ἆρα οἴει ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου αὐτὸν ἀμφοτέροις ῥευμάτων ὀνόματα θέσθαι, ὥσπερ αὖ Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησιν καὶ μήτερα Τηθύν;*

Theaet. 152 E *καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου συμφερέσθων, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος, ὃς εἰπὼν*

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

πάντα εἴρηκεν ἔκγονα ῥοῆς τε καὶ κινήσεως.

Auget autem in Theaeteto numerum eorum, quos Homero et Heraclito adstipulari ait, quin etiam omnes et philosophos et poëtas praeter Parmeniden cum Heraclito facere contendit.

Maioris etiam momenti haec est Cratyli Theaetetique cognatio, quod disputationem illam, de qua in praecedentibus egi (vid. p. 286) quatenus alia valeant de rebus ad sensus pertinentibus, alia de numeris, quam in Hippia Maiore et Cratylo instituebat, in Theaeteto continuavit et absolvit. In quo non de numeris solum, sed de rebus geometricis disputat etiam (154 A —155 C). Res geometricas autem animo solo ab homine cognosci demonstrat, res illas ad sensus pertinentes corporis opera (184 B—186 E).

Alia etiam Cratyli disputatio in Theaeteto continuatur. Arguerat enim in Cratylo rectam esse non posse Heraclitaeorum doctrinam, qua litterae per se sensum quendam habere putabantur: in dialectis enim haud raro unam et alteram variari litteram et tamen vocabula illa, quamquam formae eorum diversae sint paulum, plane eundem habere sensum (434 CD). In Theaeteto autem probat ne syllabas quidem per se ullum sensum habere (202 B—206 B). Quocirca mihi quidem veri simile videtur philosophum illum, quem Cratylo dialogo petebat Plato,

post Cratylum in lucem prolatum concessisse litteris quidem per se nullum inesse sensum, sed syllabis inesse et ad hoc Platonem in Theaeteto respondere.

De Theaeteto.

Itaque haud multo post Cratylum esse scriptum Theaetetum ex horum locorum comparatione satis iam probasse mihi videor. Hoc tamen hac de causa sunt qui negent, quia ipse significet Plato, Theaetetum vel Republica esse posteriorem: Theaetetum enim a Platone disertis verbis coniungi cum Sophista, quem in ultimis dialogis esse habendum hodie constat: his verbis enim Theaeteto dialogo finem imponi: *ἕωθεν δὲ, ὦ Θεόδωρε, δεῦρο πάλιν ἀπαντῶμεν* (210 D), ab hisce autem rursus incipere Sophisten dialogum: *κατὰ τὴν χθὲς ὁμολογίαν, ὦ Σώκρατες, ἥκομεν* (216 A). Ego vero ex his locis hoc tantum efficio, Platonem *fingere* colloquium Theaeteto dialogo expressum postero die continuatum esse eis sermonibus, qui in Sophista dialogo redduntur, sed nego id esse cur alterum aut continuo aut brevi post alterum esse *scriptum* necesse sit iudicemus. Ita rem cogitatione fingo: In fine Theaeteti scribendi in animo fuisse Platoni disputationem, quae in Theaeteto ad finem non erat perducta, continuare, sed promissum nonnisi multis annis post servasse; at licet post longum demum intervallum promisso staret, tamen finxisse eum hesterni diei colloquium continuari. Quamobrem omissis eis quae incerta sunt iam denuo nulla alia re nisi dialogorum argumentis ducamur oportet. Quo facto facile apparebit non esse credibile post Rempublicam compositum esse Theaetetum. Quid enim?

Quaeritur in Theaeteto (196 E), quid sit doctrina (*ἐπιστήμη*), sed quaestione nondum soluta finis fit colloquio. At in Republica plane compertum habere Platonem apparet, quid sit doctrina, vid. 533 DE .... *ἃς ἐπιστήμας μὲν πολλάκις προσείπομεν διὰ τὸ ἔθος, δέονται δὲ ὀνόματος ἄλλου, ἐναργεστέρου μὲν ἢ δόξης, ἀμυδροτέρου δὲ ἢ ἐπιστήμης· διάνοιαν δὲ αὐτὴν ἔν γε τῷ πρόσθεν* (511 CD) *που ὡρισάμεθα* .... *Ἀρέσκει οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὥσπερ τὸ πρότερον, τὴν μὲν πρώτην μοῖραν ἐπιστήμην καλεῖν, δευτέραν δὲ διάνοιαν, τρίτην δὲ πίστιν καὶ εἰκασίαν τετάρτην* (vid. etiam quae sequuntur). Quid quod de differentia illa vocabulorum *ἐπιστήμη* et *διάνοια* nusquam in Theaeteto sermo est.

Quaeritur in Theaeteto, quid intersit inter vv. *ἐπιστήμη* et *αἴσθησις* (151 E—157 A); at in Republica probe scire Platonem videmus, qua in re eae differant inter se (523 B—525 A).

Quaeritur in Theaeteto, numquid doctrina a recta opinione abhorreat et qua in re altera ab altera diversa sit (187 B—210 A). At in Republica tantum abest, ut eorum differentiam ignoret, ut inde ab initio eas accurate discernat. Vid. 477 B: *ἆρ' οὖν λέγομέν τι δόξαν εἶναι; Πῶς γὰρ οὔ; Πότερον ἄλλην δύναμιν ἐπιστήμης ἢ τὴν αὐτήν; Ἄλλην. Ἐπ' ἄλλῳ ἄρα τέτακται δόξα καὶ ἐπ' ἄλλῳ ἐπιστήμη, κατ' αὐτὴν τὴν δύναμιν ἑκατέρα τὴν αὑτῆς.* Differentia igitur doctrinae rectaeque opinionis non demonstrata sed sumpta statim quaerere incipit, quamnam regionem doctrina, quamnam opinio complectatur (477 B—480 A).

Similem ob causam ne Meno quidem ante Theaetetum scribi potuit. Nam in initio Theaeteti alterius partis doctrinam rectam quandam esse opinionem suspicatur et sequenti demum disputatione diversas esse eas reperit. At in Menone non solum nullo argumento in medium prolato diversas eas esse statim sumit (97 B), sed mox etiam plane asseverat se certo certius scire illud (98 A B): *καὶ μὴν καὶ ἐγὼ ὡς οὐκ εἰδὼς λέγω, ἀλλὰ εἰκάζων· ὅτι δὲ ἐστίν τι ἀλλοῖον ὀρθὴ δόξα καὶ ἐπιστήμη, οὐ πάνυ μοι δοκῶ τοῦτο εἰκάζειν, ἀλλ' εἴπερ τι ἄλλο φαίην εἰδέναι, ὀλίγα δ' ἂν φαίην, ἓν δ' οὖν καὶ τοῦτο ἐκείνων θείην ἂν ὧν οἶδα.* Priusne igitur Platonem praedicavisse putes se quam accuratissime differentiam illam tenere et posthac quaestionem instituisse, cuius initio quaeritur, num doctrina idem sit quod recta opinio? Fieri non potest, ut opinor. Ergo Meno est posterior.

De Convivio.

Convivium quoque ante Menonem esse scriptum documento sunt quae in eo de animi immortalitate leguntur. Negat enim in Convivio Plato animum esse immortalem et hoc tantum concedit, hominem et factis suis immortalitatem quaerere posse (207 D, 208 C—209 E) et progenie procreanda: nam ut ea, quae antea comperta habuerimus, sed mox obliti simus, postea denuo recordari possimus, ita ut doctrina illa eadem esse videatur, etiamsi ad tempus intermissa fuerit — sic *πᾶν τὸ θνητὸν σῴζεται οὐ τῷ παντάπασιν τὸ αὐτὸν ἀεὶ εἶναι ὥσπερ τὸ θεῖον,*

ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπιὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐγκαταλείπειν οἷον αὐτὸ ἦν. ταύτῃ τῇ μηχανῇ, ὦ Σώκρατες, ἔφη, θνητὸν ἀθανασίας μετέχει, καὶ σῶμα καὶ τἆλλα πάντα, ἀδύνατον δὲ ἄλλῃ (208 B). At contra in Menone animum plane esse immortalem persuasum habet Plato (81 BC, 86 AB) neque minus in Phaedone Phaedroque.

Theaeteto posterius esse Convivium ex iis cognoscimus, quae 202 A leguntur: *τὸ ὀρθὰ δοξάζειν ἄνευ τοῦ ἔχειν λόγον δοῦναι οὐκ οἶσθ', ἔφη, ὅτι οὔτε ἐπίστασθαί ἐστιν· ἄλογον γὰρ πρᾶγμα πῶς ἂν εἴη ἐπιστήμη; οὔτε ἀμαθία ....;* Dicit autem haec Plato fretus iis, quae in Theaeteto dialogo erant inventa. Nam hic ille est *λόγος*, quo rectam opinionem et doctrinam inter se differre in ultima parte Theaeteti repertum est (201 C—210 A)

De Cratylo Theaeteto Convivio.

In fine huius capitis contemplemur, quid doceant Cratylus Theaetetus Convivium de idearum doctrina. Duos esse mundos hac sumitur doctrina, alterum idearum, alterum rerum, quae sensibus possunt percipi. Ad quam doctrinam inveniendam maximo usui Platoni anamneseos doctrina fuit, quam Menone Phaedone Phaedro dialogis exposuit. Qua adhibita hunc nostrum mundum ab idearum mundo dependentem quodammodo depingit, quippe in quo ante hanc vitam versati veras res cognoverimus, quae facultatem nobis tribuant memoria adiutis verae doctrinae in hoc quoque mundo comparandae. At in Cratylo Theaeteto Convivio dialogis longe alio modo idearum notitiam comparari ait et ita quidem, ut ab his terrestribus rebus proficiscamur, quibus inter se comparandis ad idearum notitiam perveniamus. Inprimis res ita se habet in Theaeteto et Convivio; nam in Cratylo vixdum quaestionem attingere audet. En loci:

Crat. 439 B: *ὅντινα μὲν τοίνυν τρόπον δεῖ μανθάνειν ἢ εὑρίσκειν τὰ ὄντα, μεῖζον ἴσως ἐστὶν ἐγνωκέναι ἢ κατ' ἐμὲ καὶ σέ· ἀγαπητὸν δὲ καὶ τοῦτο ὁμολογήσασθαι, ὅτι οὐκ ἐξ ὀνομάτων, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αὐτὰ ἐξ αὑτῶν καὶ μαθητέον καὶ ζητητέον.* Ubi ideae non sint inveniendae, compertum eum iam habere apparet, sed ubi inveniendae sint, nondum quaerere audet.

Longius paulo progreditur in Theaeteto, ubi quaestionem aggreditur his verbis: (186 B) *τὴν δέ γε οὐσίαν καὶ ὅ τι ἐστὸν ⟨ἡ σκληρότης καὶ ἡ μαλακότης⟩ καὶ τὴν ἐναντιότητα πρὸς ἀλλήλω*

καὶ τὴν οὐσίαν αὖ τῆς ἐναντιότητος αὐτὴ ἡ ψυχὴ ἐπανιοῦσα καὶ συμβάλλουσα πρὸς ἄλληλα κρίνειν πειρᾶται ἡμῖν.

Quomodo autem per res ad corpus pertinentes ad notitiones perveniatur et quomodo singulis rebus conferendis ad ideas ascendi possit, paulo accuratius exponitur Conv. 210 B—211 B, ubi longiori disputationi his verbis finis imponitur: τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι ἢ ὑπ' ἄλλου ἄγεσθαι, ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβαθμοῖς χρώμενον, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν σωμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ μαθήματα, ὡς ἀπὸ τῶν μαθημάτων ἐπ' ἐκεῖνο τὸ μάθημα τελευτήσῃ, ὅ ἐστιν οὐκ ἄλλου ἢ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ καλοῦ μάθημα, καὶ γνῷ αὐτὸ τελευτῶν ὃ ἔστι καλόν.

Quocirca dubium non videtur, quin ii dialogi de quibus proxime egi, ita inter se succedant:

Euthyphro, Hippias Maior, Cratylus, Theaetetus, Convivium.

IV.

DE MENONE, PHAEDONE, PHAEDRO, REPUBLICA.

Menonem Republica esse priorem nemo negat, quod sciam, neque profecto negari posse existimo; nam in fine Menonis, ubi aliquando accuratius de virtute se disputaturum esse Plato ait, Respublica praeparatur. Neque Phaedo neque Phaedrus Menone prior esse potest; in Menone enim disertis verbis significat Plato, anamneseos doctrinam novum quid esse, quo fit, ut nec Phaedo nec Phaedrus Menonem possit praecedere, quippe in quibus doctrina illa accuratius depingatur. Proxime autem Menoni succedere Phaedonem hanc ob causam veri est simillimum, quod disputatio Menonis dialogi de anamneseos doctrina in Phaedone (72 E sqq.) continuatur. Constat igitur, quomodo Meno Phaedo Respublica inter se succedant et hoc solum quaeritur, praecedat Rempublicam Phaedrus an ei succedat. Rempublicam autem posteriorem esse equidem tum satis demonstrasse mihi videbor, si in Republica anamneseos doctrinam repudiari ap-

paruerit. Etenim Platonem primo (in Menone et Phaedone) doctrinam eam comprobasse, mox (in Republica) repudiasse, postremo (in Phaedro) ad eam rediturum, quis est qui opinetur? Quocirca si in Respublica doctrinam illam non reperiri apparebit, post trilogiam anamneseos dialogorum scripta esse debebit. Atqui anamneseos doctrinam libris de Republica plane alienum esse videbimus.

Depingitur enim in Republica homo non ita, tamquam si nascens aeternarum rerum notitiam iam habeat, sed qui res aeternas non compertas habeat antequam in hac vita cognovit res quae gignuntur et pereunt: itaque primo has percipere, deinde illas discere fingitur. Quocirca in hac vita idearum non ei esse *reminiscendum,* ut in Menone Phaedone Phaedro, sed ad eas *ascendendum,* nec tamen res quae gignuntur inter se conferendo, ut in Theaeteto et Convivio (vid. p. 036), sed iis doctrinis colendis, quae ad philosophiam ducant. Vid. p. 521 C: *βούλει οὖν τοῦτ' ἤδη σκοπῶμεν, τίνα τρόπον οἱ τοιοῦτοι ἐγγενήσονται καὶ πῶς τις ἀνάξει αὐτοὺς εἰς φῶς, ὥσπερ ἐξ ῞Αιδου λέγονται δή τινες εἰς θεοὺς ἀνελθεῖν; .... τοῦτο δή, ὡς ἔοικεν, οὐκ ὀστράκου ἂν εἴη περιστροφή, ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινὸς ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος ἄγουσα ἐπάνοδον, ἣν δὴ φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι. Πάνυ μὲν οὖν. Οὐκοῦν δεῖ σκοπεῖσθαι, τί τῶν μαθημάτων ἔχει τοιαύτην δύναμιν*; cf. 514 A—519 D, prae ceteris 516 C-E et 517 B: *τὴν δὲ ἄνω ἀνάβασιν καὶ θέαν τῶν ἄνω τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἄνοδον τιθεὶς....* 519 CD *ἀφικέσθαι πρὸς τὸ μάθημα, ὃ ἐν τῷ πρόσθεν ἔφαμεν εἶναι μέγιστον, ἰδεῖν τε τὸ ἀγαθὸν καὶ ἀναβῆναι ἐκείνην τὴν ἀνάβασιν,* cf. 526 E—532 C.

Quibuscum minime congruunt haec, quae in Phaedro leguntur: (249 E—250 A) *πᾶσα μὲν ἀνθρώπου ψυχὴ φύσει τεθέαται τὰ ὄντα, ἢ οὐκ ἂν ἦλθεν εἰς τόδε τὸ ζῷον,* ubi perfectum illud tempus *τεθέαται* notandum est pro futuris illus *ἐγγενήσονται, ἀνάξει,* quae ex Republica citavi.

Quamquam igitur hoc argumento iam adducimur, ut Rempublicam tribus anamneseos dialogis succedere putemus, tamen alios etiam Phaedri et Reipublicae locos conferre libet, ex quibus Phaedrum priorem esse patet:

Phaedr. 247 D de ipsa iustitia, moderatione, doctrina sermo

est: *ἐν δὲ τῇ περιόδῳ καθορᾷ μὲν αὐτὴν δικαιοσύνην, καθορᾷ δὲ σωφροσύνην, καθορᾷ δὲ ἐπιστήμην, οὐχ ᾗ γένεσις πρόσεστιν .... ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ ὅ ἐστιν ὂν ὄντως ἐπιστήμην οὖσαν.* Hoc loco ideis iustitiae cett. praepositam esse boni ideam nondum legimus, ut ne in Convivio (211 B) quidem neque in Phaedone (78 D). At in Republica haec reperiuntur: (505 A) *ἐπεὶ ὅτι γε ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μέγιστον μάθημα, πολλάκις ἀκήκοας, ᾗ δίκαια καὶ τἆλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγνεται,* cf. quae supra citavimus ex Rep. 519 CD *ἰδεῖν τε τὸ ἀγαθόν* et in Philebo (20 B): *ἐννοῶ περί τε ἡδονῆς καὶ φρονήσεως, ὡς οὐδέτερον αὐτοῖν ἐστι τἀγαθόν, ἀλλὰ ἄλλο τι τρίτον, ἕτερον μὲν τούτων, ἄμεινον δὲ ἀμφοῖν.*

Itaque Phaedrum cum prioribus dialogis congruere videmus, Rempublicam cum posterioribus.

Neque cogitari potest, quid Platonem adduxerit, ut in Phaedro ita animos distribueret; (248 D) *ἀλλὰ τὴν μὲν πλεῖστα ἰδοῦσαν ⟨νόμος φυτεῦσαι⟩ εἰς γόνην ἀνδρὸς γενησομένου φιλοσόφου ἢ φιλοκάλου ἢ μουσικοῦ τινὸς καὶ ἐρωτικοῦ, τὴν δὲ δευτέραν εἰς βασιλέως ἐννόμου ἢ πολεμικοῦ καὶ ἀρχικοῦ,* si *ante* in Republica iam censuisset philosophos eosdem esse et magistratus legitimos.

Postremo hi loci digni sunt, qui conferantur:

Phaedr. 245 B *ἡμῖν δὲ ἀποδεικτέον αὖ τοὐναντίον, ὡς ἐπ' εὐτυχίᾳ τῇ μεγίστῃ παρὰ θεῶν ἡ τοιαύτη* (sc. *ἐρωτική*) *μανία δίδοται,* cf. 249 D, 245 A.

Rep. 403 A *ὁ δὲ ὀρθὸς ἔρως πέφυκε κοσμίου τε καὶ καλοῦ σωφρόνως τε καὶ μουσικῶς ἐρᾶν .... οὐδὲν ἄρα προσοιστέον μανικὸν οὐδὲ ξυγγενὲς ἀκολασίας τῷ ὀρθῷ ἔρωτι.*

In altero ex his locis Platonem repudiare quae in altero affirmaverat nemo non videt. Utrum autem est veri similius? Iam fere sexagenarium Platonem furorem laudibus extulisse, moderationem prioris aetatis expulisse an moderationem iam sumpsisse pro furore superiorum annorum? Hoc, opinor. Qua de causa Respublica, in qua moderatio laudibus effertur, posterior esse debet.

Proxime Rempublicam Phaedro succedere ideo probabile est, quod in utroque animus trifariam dividitur (Phaedr. 246 A sqq., Rep. 440 A—441 C), id quod Menoni Phaedonique contrarium

est. Hac in re autem cum proxime praecedenti Phaedone coniunctus est Phaedrus, quod in utroque sumitur, hominum malorum animos aliquando in bestias venire posse (Phaed. 82 AB, Phaedr. 249 B). Quae si recte disputata sunt, ita inter se succedunt dialogi, de quibus in hoc capite disputavi:

Meno, Phaedo, Phaedrus, Respublica.

Ut conspectum habeamus, iterum dialogos enumerare libet, additis numeris, quibus a Rittero Raederoque ornantur:

	Ritterus	Raederus	
1. Protagoras	3	8	a⁰ 399?
2. Laches	1	4	„ 398?
3. Charmides	4	5	„ 397?
4. Lysis	14	15	„ 396?
5. Euthydemus	10	13	„ 395?
6. Gorgias	9	9	annis 394—392?
—			
7. Hippias Minor	2	3	a⁰ 391?
8. Io	?	2	„ 391?
9. Apologia	7	1	„ 390?
10. Crito	8	6	„ 389?
11. Menexenus	13	10	**non ante annum 389.**
—			
12. Euthyphro	6	11	a⁰ 388?
13. Hipp. Maior	5	7	„ 388?
14. Cratylus	11	14	„ 387?
15. Theaetetus	19	20	annis 386/5?
16. Convivium	15	16	**non ante annum 385;** annis 384/3?
—			
17. Meno	12	12	a⁰ 382?
18. Phaedo	16	17	annis 381/0?
19. Phaedrus	18	19	„ 379/8?
—			
20. Politeia	17	18	„ 377—368?

DE LUDO DE MORTE CLAUDII.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Sic enim hanc disputatiunculam inscribere malo, ne iam ipso titulo quis mihi libellum istum scripsisse videatur pronuntiem. Nam in optimo codice Sangallensi haec legimus:

Divi Claudii ΑΠΟΘΗΟΣΙΣ (vel APOTHEOSIS) Annaei Senecae per saturam. Quae uncinis sunt inclusa utrum ipse addiderit Buechelerus, cuius editionem, minori *Petronii* editioni additam, hic sequor, an et illa e codice sumserit dubito, sed haud magni illud refert.

Satira ergo illa notissima mordacissimaque nobis tamquam Senecae philosophi opus est tradita. Neque iam esse videtur ulla de ea re inter viros doctos dubitatio. Quod cuiusmodi sit mox videbimus. Alia quaedam prius sunt consideranda.

De Seneca qui iniquius iudicant hoc praesertim in ore habere solent quod mortuo insultaverit Claudio quem vivum summis extulerit laudibus.

Nam, quod minime mirum, cum Senecae in Claudium maledictis statim severi illi iudices coniungunt:

consulationem ad Polybium.

Atque coniuncta haec crimina vix ulla possunt leniri, nedum redargui, defensione. At nos, si unquam, hic, ne iusto simus iniquiores, *distingvamus* censeo.

Illam ergo consolationem primum adspiciamus.

Minime spernendus liber hic multaque habet dignissima quae

cognoscantur perpendanturque. Unum hic proferam quod, licet a nostro proposito sit alienum, tanti mihi videtur momenti ut reticere non possim. Sub ipsum enim finem haec legimus:

„haec, utcunque potui, longo iam situ obsoleto et hebetato animo composui. Quae si aut parum respondere ingenio tuo aut parum mederi dolori videbuntur, cogita, quam non possit is alienae vacare consolationi, quem suae mala occupatum tenent, et *quam non facile latina ei homini verba succurrant, quem barbarorum inconditus et barbaris quoque humanioribus gravis fremitus circumsonat.*"

Nonne hic de Ovidio exule se ne fando quidem audivisse, certe nunquam *Tristia* eius et *epistulas e Ponto* legisse dum tacet clamat Seneca? Nullum enim poetam frequentius quam Ovidium citare solet, et quo anno exulem illum emortuum esse docemur iam multarum literarum adolescens fuit Seneca. Atque in tanta aliorum argumentorum inopia nulla habet ars nostra certiora quam quae *e silentio* dicuntur. Certe hinc discimus communes esse locos Ovidiana ista (Tr. V, 7, 57 sqq.):

et pudet et fateor, iam desuetudine longa
 vix subeunt ipsi verba Latina mihi.
nec dubito quin sint et in hoc non pauca libello
 barbara: non hominis culpa, sed ista loci

aliaque in eandem sententiam.

Sed ad propositum redeo.

Claudio „turpissimum in modum" (sic enim hodierni loquuntur homines) in ista consolatione blanditur Seneca.

At Claudius, ne quid maius dicam, quin fama sua fuerit melior princeps non est quod dubitemus, siquidem in integrum eum restituere conatus est Vespasianus, quo nemo unquam vir iustior prudentiorque ulli praefuit reipublicae. Certe longe decessori suo praestitit Claudius.

Atque apud illum gratia potentiaque prae ceteris omnibus Polybius libertus polluit.

Huncine quoque cum suo patrono indicta condemnemus causa?

An graviter feramus quod per illum se in patriam revocatum iri speraverit Seneca?

Reputemus ergo qualis ille fuerit homo et quale eius exilium.

In insulam erat deportatus incultam, horridam, saevam atque

turpissimam. Turpe enim foedumque eius aetatis hominibus videbatur quidquid amoeni laeti floridi haberet nihil.

Eoque deportatus erat vir, si quisquam, urbanus, vir cultissimi ingenii, cui nulla vita vitalis videri posset quae commercio careret hominum doctorum, dicacium, facetorum.

Fac nostra aetate exilii poena plecti posse homines; ante oculos tibi pone aliquem qui in ore habere soleat notum illud inter nostrates, verumque „unum Amstelodamum", eumque finge vivere iussum Tesselae inter placidos illos mitesque ovium cultores. Nonne post paucos annos eum omnem censes moturum lapidem ut in unice dilectam illam urbem sibi concedatur reditus? Nulli, ut opinor, paratior est venia quam si quis tam dura usus fortuna *μικρόν τι ἐπιθήκισε.* Nihil enim solitudine magis citiusve vel gravissimorum hominum frangit debilitatque ingenium.

Et a Polybio sperabat exspectabatque salutem philosophus noster, nondum, ut postea, ad ipsam mortem fortiter subeundam vitae usu et longa meditatione paratus confirmatusque.

Eoque ipso tempore fratrem dilectissimum amiserat ille omnium Caesaris ministrorum potentissimus.

Adulandi, per me licet, hic utamur vocabulo. Indigna certe res haec quovis homine suae sibi dignitatis conscio. Sed paulisper dignitatis suae immemorem fieri philosophum quid miremur, aerumnis oppressum et quovis modo e suo evolare gestientem carcere? Cum praesertim speciem certe retinere dignitatis ei liceat et tamen suis consulere commodis.

Nam consolatoris egebat Polybius. Quis autem unquam cynicus tam durus fuit ut eam solum ob causam cuiquam sapientiae suae denegaret auxilium quod non de plebe infima vir ille esset?

In mentem hic nobis venit lepidissimus ille locus Plutarchi (*maxime cum principibus* 776C) quem sic esse legendum demonstrare conatus sum in libro *de Plutarcho scriptore et philosopho* p. 513:

ἐπεὶ τί Φῇ ἀνὴρ πολιτικὸς καὶ Φιλοσοφίας δεόμενος; Σίμων οὖν γένωμαι ὁ σκυτοτόμος ἢ Διονύσιος ὁ γραμματιστὴς ἐκ Περικλέους ἢ Κάτωνος, ἵνα μοι προσδιαλέγηται καὶ προσκαθίζῃ ὁ Σωκράτης ἐκεῖνος;

Esto: consolatoris egebat Polybius. Nonne res ipsa Senecam

iubebat omnem ne adulator videretur abiicere metum, cum tam apta se praeberet facultas cum maximi emolumenti spe eo fungendi munere quod ipsi omnium semper praestantissimum visum esset?

Nam *mentium medicum* se dici volebat Seneca. Eam dudum professus erat artem. Audiamus ipsum palam illud declarantem: *Ad Marciam* I, 4:

confligere cum tuo maerore constitui et defessos exhaustosque oculos, si verum vis [1]), magis iam ex consuetudine quam ex desiderio fluentes continebo, si fieri potuerit, favente te *remediis* tuis, si minus vel invita.

et § 8: cupissem itaque primis temporibus ad istam *curationem* accedere; leniore *medicina* fuisset oriens adhuc restinguenda vis; vehementius contra inveterata pugnandum est; nam vulnerum quoque sanitas [2]) facilis est, dum a sanguine recentia sunt; tunc et uruntur et in altum revocantur et digitos scrutantium recipiunt, ubi corrupta in malum ulcus verterunt. Non possum nunc per obsequium nec molliter adgredi [3]) tam durum dolorem: frangendus est.

De Ira I, 16, 4: varia in tot animis vitia video et *civitati curandae adhibitus sum.*

De Tranq. animi I, 2: quare enim non verum *ut medico* fatear? (Sereni haec ad Senecam verba sunt).

ib. I, 17: rogo itaque, si quod habes *remedium,* quo hanc fluctuationem meam sistas, dignum me putes qui tibi hanc tranquillitatem debeam. (Hic quoque Serenus Senecam alloquitur).

ib. II, 4 sumes tu *ex publico remedio* quantum voles.

Celeberimum autem medicum famaque inter aequales insignem ultro accedere ad primarium in republica virum, quem gravissimo mentis malo aut iam laborare aut mox laboraturum cognoverit quid aegre feramus? Cum praesertim medicus ille sibi sit conscius illi se morbo curando vel maxime esse idoneum .... atque honestissima hac opera praestanda gravissimo semet ipsum malo liberatum iri speret?

---

1) Nonne hic *audire* excidit vel *dicam,* aliudve vocabulum in eam sententiam?

2) Hic et similibus locis non *sanitas* sed *sanatio* legendum videtur.

3) Egregie sic *Trillerus* traditum *adsequi* correxit.

At enim Claudio, quem liberto eius blandiens summis affecit laudibus, haud ita multo post mortuo insultavit crudelissimisque eum laceravit iocis.

Hoc Senecam fecisse quis neget?

Legimus enim in *Cassio Dione epitomato* LX, 35 de Claudio mortuo:

'Αγριππῖνα δὲ καὶ ὁ Νέρων πενθεῖν προσεποιοῦντο ὃν ἀπεκτόνεσαν, ἔς τε τὸν οὐρανὸν ἀνήγαγον ὃν ἐκ τοῦ συμποσίου φοράδην ἐξενηνόχεσαν. ὅθενπερ Λούκιος Γαλλίων ὁ τοῦ Σενέκα ἀδελφὸς ἀστειότατόν τι ἀπεφθέγξατο. συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν ὀνομάσας· ἐκεῖνος δὲ ἐν βραχυτάτῳ πολλὰ εἰπὼν ἀπομνημονεύεται. ἐπειδὴ γὰρ τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατουμένους ἀγκίστροις τισὶ μεγάλοις οἱ δήμιοι ἔς τε τὴν ἀγορὰν ἀνεῖλκον κἀντεῦθεν ἐς τὸν ποταμὸν ἔσυρον, ἔφη τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι.

Non hercle ego aequalibus meis auctor sim ut in simili causa similiter agant. Scio enim illis omnibus non minus quam mihi omne odio et contemptioni esse adulationis genus sed eam praesertim adulationem quae, simulatque sunt mutata tempora de suoque est deiectus fastigio is, a quo optima quaeque sperabantur exspectabanturque, subito in mordacissimam transit petulantiam.

Sed non nos de eiusmodi rebus idonei sumus iudices.

Ipsos adulatorum cavillatorumque interrogemus censeo aequales quique paulo post vixerunt.

Iam Dio, quem hic epitomatum habemus, iocos dicteriaque refert a Senecis in mortuum coniecta Claudium, nil ultra: sint ea talibus viris digna an non, non disputat.

Sed neque Quintilianus, qui, licet neget, Senecam ferre non potest, usquam eum hoc nomine reprehendit quod turpi levitate de eo Caesare, quem vivum in coelum extulerit, sententiam mutarit postquam mortuum cognoverit. Neque, atque hoc in tota hac disquisitione multo maioris est momenti, **Tacitus** unquam hoc crimine Senecam accusavit.

Nam Tacitus negare quidem non potest (A. XIV, 54) Senecam in nimiis suis Neroni tradendis divitiis fortissimum se praestitisse virum, mortemque eius ne Socrate quidem vel Catone indignam

fuisse (A. XV, 60 sqq.), sed talia, paene dixerim, invitus scribit. Totam enim sectam Stoicam odit atque adeo metuit: intelligit enim paene ridiculos se socerumque suum Agricolam videri debere iis qui simul Thraseam habeant ante oculos. Haud inutiliter hic conferas quae disputavi in *Analectis Taciteis* p. 136 sqq.

Et tamen nunquam istam adversus Claudium duplicitatem ei obiicit.

En recurrit gravissimum illud *e silentio* argumentum!

Usquequaque Senecae laudes detrectare studet Tacitus; de aliquo eius de morte Claudii ludo altum est apud eum silentium. At quam facile alicubi inserere poterat aliquam philosophi reprehensionem, qui recentis imperatoris captaverit gratiam decessorem eius, cui turpiter adulatus esset vivo, mortuum ante omnium oculos crudeliter lacerando!

Postquam enim anilem illam retulit fabellam de nave ferali qua Agrippinae fuerit pereundum, atque impudens istud potulit nec refutavit de gladio inter pedes Agerini abiecto mendacium sic declamat (Ann. XIV, 11):

„ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium questus anteibat, sed Seneca adverso rumore erat quod oratione tali confessionem scripsisset"

eam orationem dicit, a Seneca compositam, qua de matris exitu senatum fecit certiorem Nero.

Quam facile, aio, hic inserere poterat aliquid in hanc sententiam: „recordabanturque omnes Claudium ab eo derisum satira, quem paucis ante annis tamquam deum esset veneratus",

Sed non tanti factos credo ab illius aetatis Romanis aut iocos eiusmodi aut illam loquendi iudicandique varietatem. Talia, ut opinor, cum risu iocoque transmittere solebant.

Nam — et hoc ante omnia hic tenendum — de iocis et facetiis nobis narrat Dio inter vina et epulas iactis, deque libellis, quibus inter se oblectaverint homines ingenii ostentandi cupidi.

Ego ergo hic Senecam neque condemno neque absolvo: non liquere mihi pronuntio, iudicium Senecae permitto aequalibus.

Sed de duabus rebus certissima mihi stat sententia:

I noster *de morte Claudii ludus* **non** est illa *ἀποκολοκύντωσις* de qua Dio epitomatus narrat. Nam nihil in eo de Claudio in

cucurbitam converso legimus. Neque excidisse illum iocum in fine libelli credibile est. Nunc enim satis apte ille clauditur. Satis apte, aio, nam praestitisset scribendi finem facere lepidissimis illis versiculis

nam quotiens e. q. s.

quibus nobis ante oculos ponitur miser Claudius frustra alea ludere tentans. Aequi bonique tamen consulimus quod adduntur etiam ista:

„apparuit subito C. Caesar et petere illum in servitutem coepit; producit testes qui [illum] [1]) viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adiudicatur C. Caesari; Caesar illum Aeaco donat. Is Menandro liberto suo tradidit ut a cognitionibus esset."

Nam haec quoque poena apta Claudio et admodum ludicra. Sed quam multis ambagibus opus fuisset ut hinc perveniretur ad illam cucurbitam! E brevi, quamque ipsa brevitas vel maxime commendaret, admodum longa nata esset satira.

An ergo in medio fere libello olim suum sibi locum habebat ridicula ista metamorphosis? Scio caput octavum lacerum ad nos pervenisse, sed nullam ibi deprehendo lacunam quae ullam paulo longiorem capere potuerit narratiunculam.

Equidem ibi nil nisi parvas quasdam cerno lacunas, quas nullo negotio ita explere possis, idque ipsis quae supersunt usus fragmentis, ut, quod ad universum pertinet argumentum, capita 8 et 9 habeas quam integerrima. Sic fere:

C. 7 verbis *sed quoniam volo* abrumpitur Claudii ad Herculem oratio, qua permotus ille — intelligit enim suam agi causam, vide c. 9 § 4: „ad hunc (Diespiter hic est) belle accessit Hercules et auriculam illi tetigit. Censet itaque in haec verba: .... censeo uti divus Claudius ex hac die deus sit, ita uti ante eum qui optimo iure factus sit e. q. s." et praesertim § 9: „Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc modo illuc currebat et aiebat: noli mihi invidere, mea res agitur; deinde tu si quid volueris, in vicem faciam; manus manum lavat."

---

1) Recte hanc vocem Büchelerus delevit; Machlyi correctio *olim* nimis languida videtur.

Esto: a Claudio admonitus suam rem agi (non enim multa Claudii verba periisse censeo: tantummodo desideratur „peroratio" quaedam et omnino oratorem, qui vix intelligi possit, quam brevissima decet oratio), a Claudio ergo admonitus primus omnium Hercules ut inter deos recipiatur modo defunctus Caesar censet.

Sed graviter in eum alius deus invehitur, Apollo, ut opinor, qui et alia ei obiicit et haec:

„Non mirum quod in curiam impetum fecisti: nihil tibi clausi est; modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis. Ἐπικούρειος θεὸς non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει τι οὔτε ἄλλοις παρέχει; Stoicus? quomodo potest „rotundus" esse ut ait Varro „sine capite, sine praeputio?""

hic interpellat Apollinem deus iocosior quidam et „est aliquid" ait „in illo Stoici dei, iam video: nec cor nec caput habet."

Tum aut Apollo sic pergit aut ab alio deo (hoc enim malim), qui ab iisdem stat partibus, nova haec contra Claudii ἀποθέωσιν afferuntur argumenta:

„Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebravit, Saturnalicius princeps, non tulisset illud, nedum ab Iove, quem quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. Silanum enim generum suum occidit propterea quod sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare."

Hic subito alius deus exsurgit et vel vera vel ficta indignatione exclamat:

„quare, quaero enim, sororem suam?"

Sed adest minus severus quidam qui sic respondet:

„stulte. stude: Athenis dimidium licet, Alexandriae totum, quia Romae, inquit [1]), mures molas lingunt."

Supervenit gravior deus rogatque:

„Hic nobis curva corriget? quid in cubiculo suo faciat nescit et iam *caeli* scrutatur plagas?"

---

1) Sic enim legendum opinor, *inquit* pro *inquis* hoc fere sensu: „quemadmodum est in proverbio", ut *quia* sit positum pro *nam praeteritivo* et „Romae mures molas lingunt" significet: „Romae omnia nimis severe et accurate examinantur". Certe nihil aut vix quidquam hic deesse videtur.

Succinitque alius:

„Deus fieri vult: parum est quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt et ut deum orant μώρου εὐιλάτου τυχεῖν?".

Denique sat turbulenta facta est deorum concio. Sed non diu istam fert immodestiam deorum hominumque pater aptissimeque iis, quae ultima citavi, annectuntur haec:

„Tandem Iovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus sententiam dicere nefas putari [1])."

Tum usque ad finem satirae ne levissima quidem se offert lacunae species.

Ad incitas redacti viri docti, quibus est persuasum de nostra satira agi eo Dionis epitomati quem citavi loco, novi aliquid sunt commenti. Aiunt enim eum qui satiram scripserit, cum titulum ei quaereret, decantatum illud ἀποθέωσις inscribere noluisse, sed, quo maior fieret in Claudium contumelia, ridiculum istud ἀποκολοκύντωσις posuisse.

Ain vero? Itane subito in viro facetissimo omnis exaruit iocandi venia ut nomen daret fabulae, in quo leporis inesset nihil, utpote quod quid sibi vellet nemo mortalium posset intelligere?

„At enim" sic mihi responderi possit „isto argumento et illud, quod codex Sangallensis praebet, ἀποθέωσις concidat necesse est".

Haud dubie in deum *non* convertitur Claudius. Et tamen tanto mihi illud ἀποθέωσις praestare titulo videtur, quem nobis Dio suggerit, ut parum absit quin sic olim ab ipso qui scripserit satiram nostram inscriptam pro certo mihi constet. Nonne enim nunc uno hoc vocabulo id dicere videtur, quo nihil amarius vel fingi potuerit: „alii Caesares in deos sunt conversi: Claudio quid factum sit vultis noscere? Non in coelo sed apud inferos factus est non deus sed servus, non tamen dei et ne herois quidem sed liberti herois servus. Hanc ἀποθέωσιν Claudius habuit"?

Nam illum Dionium titulum scin quare tamquam unum omnium ineptissimum plane repudiem?

De Claudio in deum convertendo, licet non fiat illud, delibe-

---

1) Sic (*nefas putari*) emendavit tradita *nec disputare* Hauptius; ad sensum certe rectissime.

ratur tamen et deliberatur sedulo. Sed cucurbitae hic nec vola nec vestigium. Et tamen aliqua certe vel brevissima mentione cucurbitae aliquo satirae loco opus erat nisi plane ineptus fieri vellet is qui totam ἀποκολοκύντωσιν appellaret. Nihil vero erat facilius quam eiusmodi inferre mentionem. Sponte se huic locus ipse, isque quam aptissimus, offerebat. Audivimus enim c. 8 altercantes inter se deos; alius alio magis est ridiculus. Quidni ergo qui mox illud ἀποκολοκυντώσεως nomen libello suo esset inditurus, aliquem deum inducit illi qui rogavit „quomodo potest rotundus esse" respondentem: „cucurbita fiat, fructus quam maxime rotundus et quo nullus minus habet saporis"?

Ut equidem opinor in aliquo *colloquio* de Claudio sic fere est iocatus Seneca: „Stoicus deus factus est Claudius, rotundam enim nactus est figuram, in illum conversus fructum, cuius tota vita simillimus fuit, cucurbitam."

Novimus enim quantopere illo rotundo deo sit delectatus Seneca et quam libenter omnem de eo iocandi arripuerit facultatem. Lepidissimum mox citabo exemplum, quod mihi vel firmissimum praebebit argumentum alterius rei quam mihi persuasissimam esse dicebam. Ad illam iam transeo.

II Ipsum Senecam patrem noster habet libellus. Omnino prudentis esse critici opinor, quicunque ex Antiquitate liber ad nos pervenit, in quo magna scribendi observatur ars, multum leporis, et, quod maximum est, propria quaedam et peculiaris certi hominis indoles, eum illi vindicare domino, qui dominus esse fertur. Cuius rei cum idonea adsunt testimonia, tamen obloqui et repugnare velle paene ineptum videatur. In hac certe causa nimium oneris suscipit qui Senecae abiudicare libellum nostrum conetur. Quid enim? Scriptus est paulo post Claudii mortem; vivebat tunc vigebatque, quin etiam gratia apud novos principes florebat Seneca, quo nullum novimus scriptorem Latinum disertiorem facetiorem atque, ubi opus erat, mordaciorem. Hercle, si sileret inscriptio libelli, sponte a Seneca scriptum eum esse, clamaremus. An et alium, eumque ceteroquin ignotum eodem vixisse credamus scribendi artificem tempore, ipsi Senecae haud imparem, eundemque tam verecundum ut aequo animo pateretur sibi pauperi opusculum adimi, quod et ipsi et aequalibus vehementer placeret, tradique diviti? Quando eiusmodi aliquid factum

est unquam? Quod si tamen tunc factum esset, nemone aequalium veri servavisset posterisque tradidisset domini memoriam? Lubet enim denuo argumento e silentio uti, quod nunc certe permagni est momenti, nam magni momenti est semper. Senecam, cum libellum in lucem emitteret, qui, quamvis esset lepidus atque venustus, tamen gravi homine atque philosopho parum dignus videri posset, sub aliena persona latere maluisse credere utcunque possum, satiricum obscurum aequo animo tulisse ingenii sui fructus pulcherrimos in hominis prae ceteris opulenti transferri horreum ut credam nunquam a me impetrabo.

Iam totum libellum Seneca esse dignissimum si dixero, dicere fortasse aliquid videbor quod certis non possit demonstrari argumentis. Sentiuntur enim talia magis quam demonstrantur. Hic tamen quin quod dicebam statim sentiatur ab unoquoque qui ab *epistolis ad Lucilium* et *dialogis* recens est vix fieri potest. Sed lubet pauca quaedam e nostro protrahere ludo, quae mihi quidem totam rem in clarissima ponere lucem videntur.

Senecae *tragoedias* (nam Senecae illas aut omnes aut tantum non omnes esse et mihi pro certo constat, et illis quoque constare videtur qui iis emendandis edendis considerandis strenue dederunt operam). Senecae ergo tragoedias qui legit, et alia aegre fert et illos versus anapaesticos, nullo interveniente paroemiaco, per plures decantatos paginas. Nostris auribus ingratissima est ista, quam grammatici dicunt, *μονοτονία*, at Senecam ea vehementer esse delectatum tragoediae eius, quarum nulla eiusmodi longa anapaestorum caret serie, documento sunt. Habemus autem et in hac satira canticum anapaesticum, quod tragoediarum illis, certe quod ad rem metricam pertinet, tam simile est quam ovum est ovo.

Deinde mihi vide iocum illum in initio satirae (c. II):

„horam non possum certam tibi dicere, facilius inter philosophos quam inter horologia conveniet",

nonne similiter de grammaticis nulla de re inter se consentientibus iocantem te audire Senecam meministi et alibi et (ut e multis locis unum afferam) epla. 88, 5:

„nisi forte tibi Homerum philosophum fuisse persuadent, *cum his ipsis, quibus colligunt, negant*: nam modo Stoicum illum faciunt, virtutem solam probantem, et voluptates refugientem

et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem, modo Epicureum, laudantem statum quietum civitatis et inter convivia cantusque vitam exigentis, modo Peripateticum, tria bonorum genera inducentem, modo Academicum, omnia incerta dicentem: *apparet nihil horum esse in illo quia omnia sunt.*"

Lubenter totam virorum doctorum gentem perstringit Seneca, sed nullos libentius quam philosophos. Tum vero *αὐτὸς ἑαυτοῦ δεινότατος* est cavillator cum suos ipse Stoicos mordaci suo perfundit aceto. Sed nihil est quod magis ut in cachinnos effundatur eum permoveat quam rotundus iste deus Stoicus, rotundus sapiens, rotunda omnia quae sunt sapientis. Relege mihi locum in epistula CXI § 25.

Deridet hic prudens noster et urbanus philosophus Stoicos *animal* esse contendentes et ipsum hominis animum et quidquid animi est ad eumve pertinet. Post multa alia sic disputat:

„interim fateor animum animal esse, postea visurus, quam de ista re sententiam feram: actiones eius animalia esse nego. Alioqui et omnia verba erunt animalia et omnes versus. Nam si prudens sermo bonum est, bonum autem omne animal est, sermo animal est. Prudens versus bonum est, bonum autem omne animal est, versus ergo animal est. Ita *arma virumque cano* animal est, **quod non possunt rotundum dicere, cum sex pedes habeat**"

desines, ut opinor, si unquam coepisti, dubitare quin ab ipso L. Annaeo Seneca scriptus sit noster de Claudii morte lusus.

Ecquid, id quod est in proverbio Francogallorum, apertam perfringere ianuam videor? Non plane, ut equidem opinor, is perdit operam qui *quo fere modo* demonstrari possit id quod iam omnibus est persuasum, licet certa argumenta non habeant in promptu, indicat. Atque argumentis a me allatis qui semel est admonitus, alia multa et fortasse quaedam disertiora etiam in Seneca suo quavis fere inveniet pagina. Bona res est credere, sed quis non, si eius rei datur facultas, certo scire malit?

Omnium tamen argumentorum vel firmissimum est ipse libri lepor ipsaque venustas. Periculum quivis faciat eumque in vernaculum sermonem conversum recitet in aliquo hominum conventu non plane indoctorum sed qui de Claudio eiusque libertis et uxoribus, de Seneca et Nerone illa apud omnes mortales

decantata teneant memoria: vehementer illa recitatione delectari omnes sentiet. Paucis qui ex Antiquitate ad nos pervenerunt libris illud evenit. Et credat quisquam eiusmodi fetum a patre suo relinqui, negligi, exponi potuisse, neque reposci cum sublatus esset ab alio?

Age iam e facetissima satira unum alterumque locum seorsim consideremus: fortasse continget nobis ut aut sordes aliquas removeamus molestas aut paululum afferamus luminis.

Quid actum sit in caelo ante diem tertium Idus Octobres, Asinio Marcello Acilio Aviola consulibus anno novo, initio saeculi felicissimi, volo memoriae tradere. Nihil offensae vel gratiae dabitur. Haec ita vera si quis quaesierit unde sciam, primum si noluero, non respondebo.

Sic ipsum initium editur a Fromondo apud Lipsium. Vocabula *Asinio Marcello Acilio Aviola consulibus* iure a Buechelero (secundum codicem Sangallensem ut opinor) esse omissa vix crediderim. Quid enim sciolum, quamvis putidum, movere potuit ut talia adderet? Mihi egregie illa gravitas verbosa et diligentia placet. Et ipsum illud *ante diem tertium Idus Octobres* consulum nomina flagitat. In sequentibus utrum cum Fromondo *offensae vel gratiae* an cum Buechelero *nec offensae nec gratiae* legamus parum refert. Sed *haec ita vera si quis quaesierit unde sciam* corruptum esse et Fromondus sensit qui annotat: „Curionis cod. *vero* legit, paullo melius" et Buechelerus qui *haec ita vera* tamquam integram legentibus exhibet periodum. Cuius quis esse possit sensus prorsus me latet. Equidem quin scripserit Seneca: „haec vero si quis qaesierit unde sciam e. q. s." non dubito: sic enim demum recte sequentia annectuntur praecedentibus.

I, 3 *nam ex quo* (nuntius ille de Claudio in caelum recepto) *in senatu iuravit se Drusillam vidisse caelum ascendentem et illi pro tam bono nuntio nemo credidit quod viderit, verbis conceptis affirmavit se non indicaturum, etiam si in medio foro hominem occisum vidisset.*

Isto *quid viderit* quid faciamus nondum constat. Heumannus delet, Paschasius Radbertus *quidquid viderit* coniicit (eaque verba, licet illud non dicat Buechelerus in annotatione critica, inter *se* et *non* eum posuisse suspicor). Temerarium illud, hoc parum probabile, siquidem istud *quidquid viderit* misere languet sequente *etiam si in medio foro hominem occisum vidisset.*

II, 1 Et deformis hiemps gratos *carpebat* honores
Divitis autumni iussoque senescere Baccho
Carpebat raras serus vindemitor uvas.

Pro priore *carpebat* Buechelerus *rapiebat* coniecit, Hauptius *turpabat.* Vocem tam parvo spatio repetitam non tulerunt viri elegantissimi. Quid vero si Seneca et hic malos suae aetatis poetas ludibrio voluit habere?

II, 2 Inter sextam et septimam (horam) erat. „Nimis rustice" *inquies „cum* omnes poetae, non contenti ortus et occasus describere, etiam medium diem inquietent."

Praeclara haec est Buecheleri emendatio *inquies cum* pro absurda, quae tradita est, lectione *adquiescunt.* Sed idem annotat: „vide ne interciderit versiculus huiusmodi: *adquies(cis in his, inquis, tam curiose de sole di)cunt omnes ut*", atque sic ultro dat insigne documentum etiam eos, qui in his studiis primas agunt partes, interdum vocabulorum formularumque Latinarum veram ignorare significationem. Quid enim est: *adquiescere in aliqua re*? Ut opinor „requiem et solatium ab aliqua re petere". Exempla vide Mnem. XL p. 41. At novicii viri docti interdum ea verba sic accipiunt quasi hic esset sensus: „aliqua re contentum esse, aequi bonique aliquam rem consulere". Batavorum philologorum proprium et peculiarem eum esse errorem antea putabam, quia in *Antibarbaro* non notaretur. Nunc video communem esse omnium populorum.

III, 1 Sic Parcam obiurgat Mercurius:

Quid, femina crudelissima, hominem miserum torqueri pateris? nec unquam tam diu cruciatus cesset?

Haec quamvis sint languida, non facile a me impetrabo ut Haasii illud *exiet* (pro *cesset*) probem, quo nihil lucramur praeter formam verbi insolitam et subbarbaram Egregie vero decet Mercurium (v. supra: „qui semper ingenio eius delectatus esset") quod praebet Fromondus: *nec unquam meritum ut tam diu cruciaretur.* Sed unde sumpsit? Fortasse satis est *tam diu* retrahere in lineam praecedentem (post *miserum*) et post *cruciatus* addere *tuus.*

III, 4 „Hos" inquit (Parca) „tres exiguis intervallis temporum divisos mori iubebo".

Quis ante *exiguis* sibi obtrudi etiam, quod traditum est, *uno anno* patiatur? Continuo sequitur:

nec illum incomitatum dimittam.

Sed venuste *ne* pro *nec* reposuit Wehlius.

IV, 2 Postulat ergo a Parca (Clotho) Mercurius ut Claudium quam primum emori sinat et illa cur id nondum fecerit explicat, sed nunc se paratam ad obsequendum Mercurio declarat (ego mehercules ... convictoribus). Sequitur nunc carmen 32 versuum quo magnifice satisque eleganter edocemur abrumpi Claudii stamen nerique Neronis. Sic illud incipit:

haec ait et turpi convolvens stamina fuso
abrupit stolidae regalia tempora vitae

adduntur que 30 versus quibus splendidum illud ingensque Neronis stamen describitur. Quid sibi *versus* hic volunt? Manifesta res est: is qui narrat aut, si hoc mavis, is qui totum libellum scripsit, subito divino afflatur spiritu neque iam potest ultra pedestri uti sermone. Ineptissime ergo post versus illos sic pergitur: „haec Apollo. At Lachesis e. q. s." Tolle ista *haec Apollo*, sic demum apte procedet narratio. Procedit autem ita:

„At Lachesis, quae et ipsa homini formosissimo (Neroni) faveret, fecit illud plene manu et Neroni multos annos de suo donat. Claudium autem iubent omnes

χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quid sibi hic Teuffelius velit χαίροντες εὐφημοῦντες legens prorsus me latet. Unum video evenisse viro praestantissimo quod saepe criticis accidit ut rei palaeographicae rationem habeant, de sententia loci securi, nam in codice illa participia in syllabam τας exeunt. Qui enim, quaeso, *iubentur*, si *omnes* est subiectum? Sed neque quod editur placet. Pro *iubent* legendum censeo *iubet* (Lachesis) et pro *omnes* malim *homines*.

Sequuntur haec:

„Et ille quidem (Claudius) animam ebulliit, et ex eo desiit vivere videri. Expiravit autem dum comoedos audit, ut scias me non sine causa illos timere".

Sciant alii, ego me iuxta cum ignarissimis nescire fateor. Pronomine enim *me* ipse se indicat Seneca. Quid autem Seneca habet cur comoedos timeat? An quod expiravit Claudius dum eos audit? Idoneam hanc ego putaverim causam cur eos in deliciis habeat quicunque Claudium oderit detesteturque.

Sed quae in verbis *animam ebulliit* insit acerbitas penitus

sentio: cum *cadavere* enim *putri* comparatur Claudius et pro anima bullas quasdam male olentes emittere dicitur.

V, 3 „Iuppiter Herculem, qui totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare quorum hominum esset (advena iste, Claudius). Tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non omnia monstra timuerit. Ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis sed qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicatam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse."

Parum refert utrum hic traditam lectionem serves an cum Fabro et Lipsio pro *timuerit* legas *domuerit.* Quis enim non sentit praemissis verbis qualia sunt ista *ut qui etiam non omnia monstra timuerit* (*domuerit*), quae quam sint inepte enuntiata vel unum illud *etiam non* docet, omnem tolli leporem qui multus inest in verbis *putavit sibi tertium decimum laborem venisse?*

Dele mihi ista et reliqua sic distingue:

„...... Tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis sed qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicatam: putavit sibi tertium decimum laborem venisse" nonne bellissima haec?

An te hoc movet quod *videndi* verbum obiectum habet *vocem?* Non me. Recordor enim Aeschyleum illud:

ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτοῦ
ὄψει.

Scioque in omnibus quae ad mentem sensusque hominum pertinent enuntiatis haud parvam esse scriptorum poetarumque antiquorum licentiam. Quapropter ne Iuvenalianum quidem illud

Quidquid *agunt* homines, votum, timor, ira, voluptas
Gaudia, discursus

licet viris doctis iisque acutissimis iniicere soleat scrupulum, equidem tangere ausim.

VI, 1 „Marci municipem vides".

Sic Febris dea Claudium designat. Quid sibi nomen istud velit, vel quomodo sit corrigendum videant qui in hac parte historiae Romanae me sunt versatiores.

VII, 1 Sic ergo Hercules miserum Claudium increpare incipit:

„Audi me, tu desine fatuari. Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt".

Ultima bene explicare Fromondus videtur: omnibus modis terrorem incutere studet Hercules homini fatuo, dicit ergo apud inferos terribilia esse omnia etiam mures, omnium animalium in terris fugacissimos ignavissimosque. In Orco etiam mures sunt „ferri esores" ut nos loquimur.

IX, 3 „Olim, inquit (Ianus pater designatus postmeridianus consul) magna res erat deum fieri: iam famam mimum fecistis".

Sic edidit Buechelerus annotavitque: „*fabam mimum* Cicero eodem usus proverbio ad Att. I, 16, 13." Censetne vir egregius nostro quoque loco *fabam* legendum esse? Quidni ergo hoc in textu posuit? Sed totum Ciceronis locum huc trahendum praefracte negat Bootius. Fortasse iusto pertinacius. Est tamen quod et mihi dubitationem iniiciat. Ciceronis enim locus sic decurrit:

„Sed heus tu! videsne consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabam mimum futurum."

Ubi licet ignoremus et forsitan ignoraturi simus semper istud *fabam mimum* quid sit, cetera omnia optime procedunt cohaerentque: „consulatus noster mimus (res ludicra) erit"; habemus hic et subiectum et praedicatum; apud Senecam, si *fabam mimum* legerimus, accusativus *fabam mimum* praedicati vicem implebit, sed qui subiecti loco sit positus deerit. *Quaenam* enim *res* facta est *faba mimus*? An *τὸ deum fieri*? Parum eleganter ut opinor. Et desideramus praeterea emphaticum aliquod *vos*.

X, 1 „Tunc divus Augustus surrexit sententiae suae loco dicendae."

Dubium non est quin cum codice Guelferbytano *suo* sit legendum pro *suae*. Misere enim istud *sententiae suae* friget.

Divus ergo Augustus de Claudii crudelitate et ignavia sic conqueritur: „hic, p. c. qui vobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat quam canis assidit. Sed quid ego de tot ac talibus viris dicam? non vacat deflere publicas clades intuenti domestica mala. Itaque illa omittam, haec referam; nam etsi soror mea [Graece] nescit, ego scio: ἔγγιον γόνυ κνήμης."

Sic Buechelerus edidit. Rogare velim inventumne sit in codice

Sangallensi illud *ἔγγιον γόνυ κνήμης*, quod olim Cobetus miro illo ingenii acumine latere intellexit in absurda codicum lectione ΕΝΤΙΚΟΝΤΟΝΤΚΗΔΝΙΗC (Mnem. V p. 221). Ita si res se habet, insigne hoc et rarum est exemplum ingeniosae coniecturae postea codicibus confirmatae, quo fretus „ubi Cobeti adsint iam non opus esse codicibus novis quamvis bonis" pronuntiaveris. Vox *assidit* utrum in codice illo legatur an e coniectura sit nata minus curo. Pravam enim eam esse lectionem mihi constat. An quidquam aliud illud *canis assidit* significare potest quam hoc: „assidendo canis hominem imitatur"? At hoc non cum magno quidem, cum aliquo tamen labore caniculos nostros edocemus, ut non sit una ex illis rebus quae tantum non sponte fiant. Vulgata lectio est: *quam canis excidit.* Quam cur coniecturis temptemus non video. Certe absurdissima videtur illa Rhenani: *quam canis exta edit.* Aptissimum enim est et prae ceteris oratorem, qui de Claudio verba facit, istud *quam canis excidit* decet, modo *canis* accipiamus tamquam de infelicissimo illo *alearum* iactu dictum. Ut enim *τρεῖς κύβους* iaciant vel invitis aleatoribus accidit, Claudio praesertim qui et in hac re adversos habuit deos. *Soror mea* coniectura est pro *Phormea* vel *Sormea*, optima me iudice, dummodo ne cum Buechelero vocem *Graece* deleamus. Quam si retinemus, admodum lepidum hic Augusti habemus iocum, aptumque qui non solum cachinnos Augusti aequalium commoveret sed etiam aulicorum, qui multis annis post nulla re delectarentur magis quam, quod servorum est, dominis suis ludibrio habendis. Hoc enim Augustus dicit: „nam etiam si soror mea Graece nescit, ego scio, itaque Graecorum utor proverbio *ἔγγιον γόνυ κνήμης*." Nam Octavia multos quidem annos in Graecia et inter Graecos morata est, sed minime mirum sit si nunquam eo pervenerit ut accurate eorum sermone uti disceret. Admodum est credibile unum alterumque ei excidisse errorem, quem aequalium exceperit, posterorum servaverit malignitas.

XI, 1 In Claudium sic invehi Augustus pergit:

„Tu Messalinam .... occidisti. Nescio, inquis."

Optimo iure Buechelerus *nescii* pro *nescio* reponi vult. Sic enim demum recte haec subiungit Augustus: „di tibi male faciant: adeo istuc turpius est, quod *nescisti* quam quod occidisti."

XI, 2 „Occidit una in domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Tristionias, Assarionem."

Pro ultimis nominibus absurdissimis ingeniosissime coniecit Buechelerus: „tris homines Assarios", aptissimeque ut apparet e sequentibus: „Crassum vero *tam fatuum*, ut etiam regnare posset".

XI. 4 Denique sic perorat Augustus:

„Summa rei, p. c., si honeste me inter vos gessi, si nulli clarius respondi, vindicate iniurias meas e. q. s.".

Prorsus sensu istud *clarius* caret. Sed quanto propius a vero hic quoque „deteriores" absunt! Praebent enim *durus* quod nullo negotio refingitur in eam qua opus est vocem *durius*.

XI, 6 Deorum sententiis Claudius caelo excedere iubetur:

„nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos, a caelo

unde negant redire quemquam."

Rectissime Muretus pro *a caelo* reponi iussit Catullianum, quo versus impletur, *illuc*. Sed delendum praeterea *ad inferos*, quod se „ante damnavisse" dicit Buechelerus. Nollem mutasset sententiam. Simile interpretamentum mox notabimus.

XII, 1 „Dum descendunt per viam sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum. Num Claudii funus esset."

Et syntaxi consuluit Buechelerus et lepori satirae coniiciendo *Mercurium* pro *Mercurius*. Aptissime enim sic quoque fatuus iste perstringitur princeps, cf. XIII, 1:

„Delectabatur laudibus suis Claudius et cupiebat diutius spectare."

XII, 3 Et aliae res a Claudio praeclare gestae nenia celebrantur et haec:

Ille Britannos ultra noti
Litora ponti
Et caeruleos scuta Brigantas
Dare Romuleis colla catenis
Iussit.

Quamvis sit paulo audacior, utique necessaria est Buecheleri correctio *victa* pro *scuta*.

XIII, 1 „Delectabatur laudibus suis Claudius et cupiebat diu-

tius spectare. Inicit illi manum Talthybius deorum [nuntius]."

Quis primus istud *nuntius* deleverit nescio, manifestum hic teneri sciolum probe novi.

Eundem aut similem eius deprehendi opinor in his (§ 3):

„Dicto citius Narcissus evolat. Omnia proclivia sunt [facile descenditur]. Itaque, quamvis podagricus esset, momento temporis pervenit ad ianuam Ditis."

In iis quae statim adduntur:

ubi iacebat ut ait Horatius, „belua centiceps"

nescio an iure post *iacebat* excidisse *Cerberus triceps vel,* non tantum *Cerberus vel* suspicatus sit Lipsius.

XIV, 2 „Advocatum non invenit."

Ante haec desiderari *Claudius* recte statuit Buechelerus.

XIV, 3 „De genere poenae diu disputatum est [quid illum pati oporteret]."

Nonne et haec inclusa delenda sunt?

„Erant qui dicerent Sisyphum satis diu laturam fecisse, Tantalum siti periturum nisi illi succurreretur."

Quomodo, obsecro, *succurri* Tantalo potest? Rescribe *succederetur,* ipsam Senecae restitueris manum.

AD CLEMENTEM ALEXANDRINUM.

Clem. Protrept. 119: ... *τὸ ᾆσμα ὕμνος ἐστὶ τοῦ πάντων βασιλέως, ψάλλουσιν αἱ κόραι, δοξάζουσιν ἄγγελοι, προφῆται λαλοῦσιν, ἦχος σ τ έ λ λ ε τ α ι μουσικῆς* ... Mirarer Clementem sic scripsisse. Cantus enim non *στέλλεται*, sed *τ έ λ λ ε τ α ι*; cf. Pind. Ol. XI, 4 sq.: *μελιγάρυες ὕμνοι, ὑστέρων ἀρχὰ λόγων, τέλλεται.*

G. V.

VARIA.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.



I.

Soph. El. 328—329:

τίν' αὖ σὺ τήνδε πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις
ἐλθοῦσα φωνεῖς, ὦ κασιγνήτη, φάτιν.

Locum corruptum ducentes Blaydes et v. Herwerden ἐξόδους pro ἐξόδοις legendum coniecerunt: alii pro ἐλθοῦσα legere malunt ἑστῶσα (Nauck), ἀλγοῦσα (Seebeck), οἰχνοῦσα (F. W. Schmidt). Sed traditam lectionem satis defendere videtur [Theocr.] XXIII 17 (v. Wil.):

ἀλλ' ἐλθὼν ἔκλαιε ποτὶ στυγνοῖσι μελάθροις.

O. R. 402:

εἰ δὲ μὴ ἐδόκεις γέρων
εἶναι, παθὼν ἔγνως ἂν οἷά περ φρονεῖς.

Nauck explicat παθὼν τοιαῦτα οἷά περ φρονεῖς: sed haec explicatio, quam Bruhn in novissima editione repetivit, parum placet. Nam παθόντα γνῶναι post Hesiodeum illud παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω (Opp. 218) tritissima fiebat locutio (cf. Aeschyl. Ag. 177 v. Wil. πάθει μάθος, 249, fr. 282, Soph. El. 384, Ant. 926, Trach. 143, fr. 11, Eur. Or. 413, Archil. fr. 65, Plat. Symp. 222b cet.), ita ut participium παθών a verbis ἔγνως ἂν nullo modo seiungi possit.

Hac re motus iuvenis legendum conieci — et diu ante me idem Bamberg et v. Herwerden proposuerant —:

οἷ' ὑπερφρονεῖς,

collato Arist. Eq. 729:

ἐξέλθ', ἵν' εἰδῇσ οἷά περ ὑβρίζομαι,

ubi Elmsley — plaudentibus omnibus — veram lectionem *οἷα περιυβρίζομαι* restituit.

Fortasse tamen alia correctio praeferenda erit: Oedipus minaci vultu et manu sublata in Tiresiam invehitur: „nisi senex esses, cum dolore tuo sentires" ... quid? Sequi non possunt vocabula *οἷά περ φρονεῖσ*, quae sensum idoneum non praebent, sed, quod simpliciter et fortiter dictum erit, *οἷά περ φρονῶ*.

Confero Soph. El. 333, ubi Chrysothemis de patris interfectoribus agens haec:

εἰ σθένοσ
λάβοιμι, δηλώσαιμ' ἂν οἷ' αὐτοῖσ φρονῶ.

Arist. Ach. 446:

εὖ σοι γένοιτο (Athen. 186 c), *Τηλέφῳ δ'* ... *ἁγὼ φρονῶ.*

Menand. Georg. 25 (Koerte[2]):

μικροῦ δέω
πρ]ὸσ τὴν θύραν ἐλθοῦσα καὶ καλέσασα τὸν
ἀλα]ζόν' ἔξω τοῦτον εἰπεῖν ὅσα φρονῶ.

Soph. Indagat. 145:

[σ]ῶματ' εἰ[σ]ιδ[ε]ῖν μόνον
καὶ γλῶσσα καὶ φ[αλ]ῆτεσ;

Cf. Herodes VI 16.

Versus Sophocleus illustrat iocum quendam Augusti, qui teste Suetonio (Reif. p. 46, 1) Horatium *purissimum penem* appellare solebat, quem locum Birt (Kritik und Hermeneutik p. 166) non recte explicasse videtur; vera explicatio legitur in adnotatione „der nichts ist als ein penis."

Eur. Hec. 100:

Ἑκάβη, σπουδῇ πρόσ σ' ἐλιάσθην
τὰσ δεσποσύνουσ σκηνὰσ προλιποῦσ',
ἵν' ἐκληρώθην καὶ προσετάχθην
δούλη κτέ.

Murray[1] secutus Herwerdenum verba *καὶ προσετάχθην* iniuria seclusit: tautologia apud tragicos frequentissima (cf. e. g. Soph. Ai. 139 *ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι*) ferenda esse videtur; proxime

accedit Alciphr. III 13, 1 (Schepers): *ὦ δαῖμον, ὅσ με κεκληρωσαι καὶ εἴληχασ*, ubi Cobet verba *κεκλήρωσαι καί* eiecit.

Eur. Med. 1218:

χρόνῳ δ' ἀπέστη καὶ μεθῆχ' — ὁ δύσμοροσ —
ψυχήν· κακοῦ γὰρ οὐκέτ' ἦν ὑπέρτεροσ.

Murray, Earle, alii coniecturam Scaligeri *ἀπέσβη* in textum receperunt: lectionem vero codicum *ἀπέστη* („*hij gaf het op*") genuinam esse patet, collato loco simillimo, quem iam antea in Museo nostro indicavi (Thucyd. II 47, 4): ibi historicus, postquam narravit miseris Atheniensibus neque preces neque oraculorum responsa quidquam profuisse, sic pergit: *τελευτῶντεσ — ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι*; participium *τελευτῶντεσ* respondet substantivo *χρόνῳ* apud Euripidem, quemadmodum verba *ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι* idem fere significant quod poetae illa *κακοῦ γὰρ οὐκέτ' ἦν ὑπέρτεροσ*.

Arist. Eq. 646:

οἱ δ' εὐθέωσ τὰ πρόσωπα διεγαλήνισαν.

In fragmento Hypsipylae nuper reperto novum et pulcherrimum compositum *ἐκγαληνίζειν* legimus:

ἃ σὰσ ὀδυρμῶν ἐκγαλη[νιεῖ φ]ρένασ.

Eq. 729:

ἔξελθ', ἵν' εἰδῇσ οἷα περιυβρίζομαι.

Zacher, vir prudentissimus, *ἵν' ἀθρήσῃσ* aut *ἀθρήσων* legendum esse coniecit, pro *εἰδῇσ* videlicet vocabulum q. e. *μάθῃσ* expectans. Errat tamen vir doctus: *ὃσ γὰρ ἔμαθεν οἶδεν* „das resultat des *ἐξιστορεῖν* ist das *εἰδέναι*" (Kaibel). Plane consimilis locus invenitur apud Soph. El. 39 — verba sunt Orestis ad paedagogum —:

σὺ μὲν μολών, ὅταν σε καιρὸσ εἰσάγῃ,
δόμων ἔσω τῶνδ' ἴσθι πᾶν τὸ δρώμενον,

quo loco Wolff et Nauck inutiles coniecturas proferunt, quod pro *ἴσθι* notionem q. i. *ἱστόρει* expectant.

Nub. 965:

Vera lectio *κατανείφοι* servata est in fragmento papyri quod ediderunt Schubart et v. Wilamowitz (Berliner Klassikertexte

V 2 p. 111): eodem modo Vesp. 773 Ravennas, teste Herwerdeno, νείφῃ, Aeschyl. 213 Mediceus, teste Wilamowitzio, νειφομένησ habet.

Nub. 1047:

ἐπίσχεσ εὐθὺσ γάρ σε μέσον ἔχω λαβὼν ἄφυκτον.

Lege: λαβὴν ἄφυκτον, cf. Lex. Sabbaiticum 3, 11 ἄφυκτον λαβήν· ὁ λόγοσ ἐναργήσ· τροπικῶσ ἀπὸ τῶν παλαιστῶν, Νικοχάρησ (com.) ἀλλ' εἰλήμμεθα | λαβὴν ἄφυκτον, Aeschyl. Eum. 776 πάλαισμ' ἄφυκτον τοῖσ ἐναντίοισ ἔχοισ.

Quod h. l. active exprimitur, forma passiva legimus e. g. Ran. 469 ἀλλὰ νῦν ἔχει (ῃ) μέσοσ.

[Monet me vir doctus quidam hanc coniecturam iam propositam esse: auctorem tamen non invenio].

Vesp. 696: ὥσ μου τὸν θῖνα ταράττεισ.

καὶ τὸν νοῦν μου προσάγεισ μᾶλλον, κοὐκ οἶδ' ὅτι χρῆμά με ποιεῖσ.

Expecto formam mediam προσάγει(ῃ), coll. Eccl. 886, Thesm. 849, Av. 141, O. R. 131.

Vesp. 917:

οὐδὲν μετέδωκεν; οὐδὲ τῷ κοινῷ γέ μοι (γ' ἐμοί).

Editores cum Dobreo τῶν κοινῶν ἐμοί legere solent; sed nihil impedit quominus κοινῷ sensu κοινωνῷ accipiamus, cf. O. R. 239:

μηδὲ θύρασιν κοινὸν ποιεῖσθαι.

Eodem modo Soph. El. 1085:

ὡσ καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν εἵλου,

nisi futilem coniecturam κλεινὸν recipimus, vertendum erit: „ut tu quoque miserrimam vitam *sociam adscivisti.*"

Lys. 56:

ἀλλ', ὦ μέλ', ὄψει τοι σφόδρ' αὐτάσ Ἀττικάσ,

ἅπαντα δρῶσασ τοῦ δέοντοσ ὕστερον.

Legendum Ἀττικῶσ deleta virgula; nam τὸ ἅπαντα δρᾶν τοῦ δέοντοσ ὕστερον magis virorum Atheniensium proprium est quam feminarum, quae domi sedentes procul a foro vitam degunt.

Ran. 95:

ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ.

Optime v. Leeuwen: „musam tragicam *permingunt* tantum, prolem vero ex ea generare non valent."

Hunc locum v. Deyssel noster inscius splendide illustrat, ubi in malos poëtas invehitur, „impotente vrijers van wassen Muzen!" (Musarum cerearum proci impotentes, V. O. p. 19), quamquam vis locutionis addito vocabulo „cerearum" mire minuitur; almae enim musae indignitate procorum „cereae" reddi non possunt.

Eodem modo sescentis locis antiquos — poetas praesertim — scriptor posterioris temporis illustrat, cuius rei iam nonnulla exempla afferam:

Il. XVI 203: χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ.

Arist. adnotat χόλῳ ἀρσενικῶσ ἀντὶ τοῦ χολῇ. ὑπερβολικῶσ οὐ γάλακτι ἀλλὰ χολῇ, quam explicationem accepit Leaf.

Sed quid impedit quominus χόλῳ (*dativus instrumentalis*) proprio sensu accipiamus et vertamus „ira mater te nutrivit", cf. Shakespeare Coriol. IV 2:

You'll sup with me? Val. *Anger is my meat.*

Aeschyl. Sept. adv. Theb. 104 (v. Wil.) pavida puella exclamat: κτύπον δέδορκα: v. Herwerden δέδοικα; quis credat? Confero „puis, tout à coup, *voyez*, car il semble qu'en certains instants l'oreille aussi a sa vue, *voyez* s'élever au même moment de chaque clocher comme *une colonne de bruit*, comme une fumée d'harmonie." (Victor Hugo, Notre-Dame de Paris, III, 2).

In Timothei fragmento a Wilamowitzio edito singularis locutio κατάστεροσ δὲ πόντοσ legitur (Pers. 105), ubi v. Herwerden locum corruptum ducens κατάστεγοσ legere malit; sed eadem locutio post multa saecula apud Kipling („Captain Courageous") redit „*a star-powdered sea*": et Timotheus et Kipling de mari nocturno cogitarunt, in quo de alta navis puppi imaginem coeli stellis apti repercussam aspicimus, cf. Oscar Wilde, Charmides:

thou brightest star
of Oceans azure heaven where the planets mirrored are.

[Paullo aliter locum explicare conatus sum in Herwerdeni Lex. Suppl.[2] sub voce κατάστεροσ].

Theocr. VII 76:

εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο.

Vahlen comparat „ès ist *ein Schnee* gefallen." (Goethe). Addo „a Schneewerl hat's g'schneibt, a Schneewerl hat's g'schneibt" (Rosegger, das Holzknechthaus: hoc modo etiam nunc in Germaniae parte meridionali et in Austria loqui solent) et „Si heeft haer lijf wit *als een sneeu.*" („Dmeisken metten sconen vlechtken").

Herodas V 30:

πρὸς Ἀμφυταίην ταῦτα, μή ʼμὲ πληκτίζευ,
μεθ' ἧς ἀλινδεῖ καὶ ἔμ' ὄνῃ, πο[δ]όψηστρον.

Ita Nairn: in altero versu lectio est incertior, sed, utcumque se res habet, virgula post ὄνῃ delenda et πεδόψηστρον cum pronomine ἐμέ iungendum videtur, cf. „she asked me and Joe whether *we supposed she was door-mats under our feet.*" (Dickens, Great Expectations).

Herodas V 51:

αὐτὸς σὺ καὶ τἀρχαῖα καὶ τόκους τείσεις

„caput mihi cum usura pendes." Cf. Uitenbogaert, verbi divini interpres clarissimus „Wie dikteert Herodi dit? 't Is dat manneken dat daar binnen zit! 't Is dat Wroegerken, dat lang geslapen hebbende nu wakker wordt! Dat komt scherp maanen, en wil precys betaald zijn, beide van *kapitaal en interest* met parate executie. Dat manneken volgt hem, en houdt hem al telkemaal dat papierken voor zijn neus."

Ran. 825:

γηγενεῖ φυσήματι.

Locus in mentem revocat verba Aeschyli (Ag. 692) ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ, ubi v. Herwerden ingeniose, sed sine causa idonea, λίγ' ἀέντος αὔρᾳ proposuit.

Plut. 227:

τουτοδὶ κρεᾴδιον
τῶν ἔνδοθέν τις εἰσενεγκάτω λαβών.

Apud Herodam (IV 92) Coccala post sacrificium haec: τἄλλα δ' οἰκίης ἕδρῃ | δαισόμεθα: Buecheler vertit „domi sedentes", alii

de loco cogitant — verba sunt Nairnii — „in the temple precincts, where the flesh of the victim was eaten after the sacrifice." Locus Aristophaneus fortiter pro Buecheleri interpretatione militat.

Menandr. Discept. 358 (Koerte[2]).

ἂν δέ τισ λάβῃ μ' [ἔ]τ[ι
περιεργασάμενον ἢ λαλήσαντ', ἐκτεμεῖν
δίδωμ' ἐμαυτοῦ τοὺσ ὀδ[ό]ντασ.

„ὀδόντασ glossema irrepsisse pro μύλουσ vel γνάθουσ suspicantur Hen. Sud., pro τομεῖσ Croi." (Koerte).

v. Leeuwen, qui in adnotatione critica νεφρούσ tentavit, edidit ὀ — δόντασ „ut honestius, sic minus aptum substituit vocabulum ei quod in ore habebat verbi ἐκτεμεῖν obiecto." (ὄρχεισ).

Haec explicatio paucis, opinor, placebit nec magis insolite dictum est ἐκτεμεῖν ὀδόντασ quam τέμνειν ὀδόντασ in Anacreonteo illo quod vulgo inscribitur εἰσ νεκρὸν Ἄδωνιν vs. 33 (Bucolici Graeci ed. Wil. Moellendorff p. 127):

τούτουσ λαβοῦσα τέμνε,
τούτουσ κόλαζε, Κύπρι·
τί γὰρ φέρω περισσῶσ
ἐρωτικοὺσ ὀδόντασ;

Democritus apud Stobaeum (ecl. eth. II 92 Wachsm.) haec habet: ἀνθρώποισι κακὰ ἐξ ἀγαθῶν φύεται, ἐπήν τισ τἀγαθὰ μὴ ἐπιστῆται ποδηγετεῖν μηδὲ ὀχεῖν εὐπόρωσ. οὐ δίκαιον δὲ ἐν κακοῖσι τὰ τοιάδε κρίνειν ἀλλ' ἐν ἀγαθοῖσιν.

Democritum ὀχεῖν εὐπόρωσ scripsisse non credo; legendum ὀχεῖν εὐλόφωσ. Video v. Wilamowitzium legere εὐφόρωσ quod eodem pertinet, sed εὐλόφωσ ὀχεῖν magis exquisite dictum videtur.

(*Continuabuntur*).

DE SCIRIS.

SCRIPSIT

A. RUTGERS VAN DER LOEFF.



In Aristophanis Ecclesiazusis v. 18 Praxagora lucernam suam consiliorum consciam fore dicit,

ὅσα Σκίροις ἔδοξε ταῖς ἐμαῖς φίλαις.

Thesmophoriazusae v. 834 bonorum civium matri summos honores deberi dicunt,

προεδρίαν τ' αὐτῇ δίδοσθαι Στηνίοισι καὶ Σκίροις
ἔν τε ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς, αἷσιν ἡμεῖς ἤγομεν.

Scira igitur ut Stenia et Thesmophoria a mulieribus solis celebrabantur in Thesmophorio sine dubio sive Θεσμοφόροιν, Δήμητρος scilicet et Κόρης, templo, quod Pnyci vicinum cultui muliebri proprium erat.

Ad eundem diem festum pertinere videtur, quod Photius s. v. τροπηλίς e Philochori epistula ad Alypum citavit:

ἐν τοῖς Σκίροις τῇ ἑορτῇ ἤσθιον σκόροδα ἕνεκα τοῦ ἀπέχεσθαι Ἀφροδισίων, ὡς ἂν μὴ μύρων ἀποπνέοιεν.

Dubio quidem fragmenti lectio obnoxia est [1]), sed mulieres Sciris ut Thesmophoriis castitati consuluisse admodum probabile est [2]).

Non in urbe tantum sed etiam in demis Atticis mulieres

1) Praepositio ἐν et vocabula τῇ ἑορτῇ abundant. Codicis manus prima κήροις, altera σκήροις. Varinus Phavorinus (Müller F. H. G. I 417) ἐν τοῖς καιροῖς τῆς ἑορτῆς.

2) Fehrle, Die kultische Keuschheit im Altertum, Giessen 1910 p. 138. A. Mommsen, Feste der Stadt Athen, Leipzig 1828, p. 511, Philochori fragmentum ad Scira mense Scirophorione acta pertinere negat. Tempore enim aestivo antaphrodisiacis vix opus esse vir doctus autumat!

Scira sua celebravisse decretum de Thesmophorio Piraeensi testatur I. G. II 573 b, Leges sacrae 33, v. 5:

μηδὲ πρὸς τοὺς βωμοὺς μηδὲ τὸ μέγαρον προσίωσιν ἄνευ τῆς ἱερέας ἀλλ' ἢ ὅταν ἡ ἑορτὴ τῶν Θεσμοφορίων καὶ Πληροσίᾳ [1]) *καὶ Καλαμαίοις καὶ τὰ Σκίρα καὶ εἴ τινα ἄλλην ἡμέραν συνέρχονται αἱ γυναῖκες κατὰ τὰ πάτρια.*

Mensis autem Scirophorionis die duodecimo Scira celebrata esse scholiasta ad Eccl. 18 testis est, cuius fidem duo lapidum testimonia corroborant [2]). Alterum in Fastis sacris legitur, quos Ioannes de Prott anno 1896 edidit, ubi n. 26, v. 30 et 51 Marathoniorum demarchus mense Scirophorione rem sacram facere dicitur *πρὸ Σκίρων*. Alterum invenitur I. G. III 57, ubi Areopagitis nescioquid boni promittitur *τῇ δωδεκάτῃ τῶν Σκίρων*, quod melius sane Dittenberger l. l. de Sciris mensis die duodecimo celebratis quam A. Mommsen, Feste der Stadt Athen, p. 505 de duodecim dierum celebratione intellexit.

Alterorum Scirorum auctumnalium Aristodemus apud Athenaeum XI c. 92, p. 495 e, testis esset, si Oschophoria, quae ibi Sciris celebrata esse dicuntur, cum Mommseno et aliis Pyanepsionis die septimo attribuenda essent. Hoc vero quoniam in huius bibliothecae volumine proximo refutasse mihi videor [3]),

---

1) Quamquam nominativus ut *ἡ ἑορτὴ* et *τὰ Σκίρα* aptior esset, dativum hic ut in *Καλαμαίοις* agnoscere debemus neque tales structurae commutationes in inscriptionibus rarae sunt. Myrrhinusiorum demarchus *τὴν Πληροσίαν* Iovi sacrificabat die quinto mensis cuiusdam, quem Maemacterionem vel Pyanepsionem vel Boedromionem potius quam Posideonem fuisse puto. Videatur I. G. II 578 et Ziehen, Leges Graecorum sacrae p. 30 et 101. Idem sacrificium fuisse videtur, quod in dearum Eleusiniarum cultu *τὰ προηρόσια* dicebatur.

2) Testimonium, quod huc non facere puto, invenies p. 336 n. 2.

3) Robertum iam in Prelleri Mythologia Graeca p. 207, 3 Mommseno oblocutum esse video. Si quis credere noluerit Oschophoriorum reliquias unquam ante uvae maturitatem celebratas esse, Mommseni coniecturam, quam in Heortologiae proecdosi p. 288 propositam postea in Philologo L p. 111 n. 9 reiecit, accipere et in Aristodemi fragmento pro „*τοῖς Σκίροις* .... *Ἀθήναζε*" legere ei licebit „*τῇ Σκιράδι* .... *Ἀθηνᾷ*". Carneorum Laconicorum *γυμνοπαίδια* et *σταφυλοδρόμοι* quamquam ab Oschophoriis antiquis longe aliena videntur, inter causas esse potuerunt, cur ephеborum oschophororum cursus saeculo secundo a. chr. ad Scira transferretur, quae etiam alia quaedam cum Carneis communia habebant. Videatur p. 326. Antiquitus autem puerorum et uvarum maturescentium Oschophoria a Scirorum cultu muliebri quam alienissima fuisse vix est quod moneam, quamquam utroque die festo rami portabantur. Videatur huius disputationis finis.

una tantum Scira Scirophorionis duodecimo in urbe et in pagis Atticis celebrata esse pro certo iam statuamus [1]).

E cuius diei caerimoniis una praesertim nobis innotuit, in qua viri publice intererant. Lysimachides enim apud Harpocrationem s. v. *σκίρον* et scholiasta ad Eccl. 18 tradiderunt Eteobutadas eo die ex arce ad locum in via sacra, cui nomen Scirum, pompam sollemnem duxisse, in qua Athenae Poliadis et Neptuni Erechthei sacerdotes sub umbraculo procederent, quod *σκίρον* diceretur [2]).

Fieri sane non potuit, ut ab uno illo umbraculo dies festus nomen haberet „umbracula", eo minus, quod pompa illa in qua *σκίρον* portabatur, cum Sciris a mulieribus solis celebratis satis laxo vinculo coniuncta esse videtur et *σκιάδειον* in pompa adhibitum res vix notabilis est [3]). Immo umbraculum, quod Eteobutadae Sciris portabant ideo *σκίρον* nomen habebat, quod Scira a mulieribus sub singularibus quibusdam umbraculis celebrabantur, quae nomine raro et antiquo dicebantur *σκίρα*.

Revera apud Photium, quem Suidas exscripsit, et in Bekkeri anecdotis Scira non ab uno illo umbraculo, quod Eteobutadae portabant, nomen habere legimus sed a multis umbraculis, sub quibus mulieres tunc latebant [4]). Sed ut melius intellegamus

---

1) Cf. p. 330 n. 3.

2) Solis sacerdotem in Lysimachidis fragmento vitio deberi puto. In scholio Neptuni Erechthei sacerdos umbraculum illud portat; satis credibile. Quod autem umbraculi color albus fuisse dicitur, hoc nescio an etymologiae illius causa factum sit, qua Scīrorum nomen a gypso sive terra alba petitur, cui nomen *σκῖρος*. Eiusdem enim pravae etymologiae causa in scholio nostro Scīra non tantum optime Cereri et Filiae sed etiam perperam Athenae Scīradi sacra dicuntur. Locos exscripsi p. 105 et 106, ubi de omnibus hisce quaestionibus fusius disputavi. Conferatur A. Mommsen in Philologo L p. 112 n. 12 et Harrison, Prolegomena p. 135.

3) Canephororum Eleusiniarum *σκιάδεια* commemorantur in scholiis ad Aristophanis Aves v. 1508 et apud Suidam s. v., Panathenaicarum autem in Avibus v. 1550, in Aeliani Varia Historia VI, apud Harpocrationem s. v. *σκαφηφόροι*.

4) Photius: Σκίρος (immo Σκίρα)· *ἑορτή τις ἀγομένη τῇ Ἀθηνᾷ* (collatis Bekkeri anecdotis *Ἀθήνησι* vel *ἐν Ἀθήναις* legere malim), *ὅτε σκιαδείων ἐφρόντιζον ἐν ἀκμῇ τοῦ καύματος*. Bekkeri anecdota I p. 304 Σκ(ε)ιρά (accentu notabili)· *ἑορτὴ ἀγομένη Ἀθηνᾶς* (*Ἀθήνησι* potius vel *ἐν Ἀθήναις*), *ὅθεν σκ(ε)ιραδείων* (etymologiae causa pro *σκιαδείων*) *ἐφρόντιζον, ἐπεὶ ἀρχὴ ἦν τοῦ καύματος*. Apud Photium sequuntur nonnulla de Athena Scīrade, quae etiam in Bekkeri anecdotis paullo post s. v. propter Scīrorum umbraculum sub quo Athena Poliadis sacerdos procedebat, umbellae inventrix nuncupatur. Locum exscripsi p. 108.

σκίρα non umbellas ordinarias fuisse, quas mulieres omnibus diebus aestivis portare solebant, Pollucis onomasticon inspiciamus, ubi VII 174, postquam umbellae vulgaris nomen θολία sive σκιάδειον dictum est, sic pergitur: καὶ σκιάς, ὑφ' ᾗ ὁ Διόνυσος κάθηται, καὶ Σκίρα ἑορτή.

Σκιὰς et σκιάδειον eadem fere ratione cohaerent, qua θόλος, aedificii rotundi nomen, et θολία. Prytanes Athenienses ἐν θόλῳ cenebant, quae σκιὰς nominari solet in lapidibus [1]), Spartae σκιὰς quaedam magna contionibus [2]) et ludis musicis [3]) patebat, necnon tabernacula, in quibus Carnea celebrabantur, σκιάδες dicebantur [4]). Nomen σκιαδείου, sub quo vel in quo Dionysus sedebat, apud Pollucem etiam X 127 [5]), apud Hesychium [6]) et Photium s. v. [7]), σκιὰς fuisse dicitur. Callixenus apud Athenaeum Alexandriae sub Ptolemaeo Philadelpho in pompa splendidissima Dyonisi simulacrum curru ingenti vectum esse dicit, περιέκειτο δ' αὐτῷ, inquit, καὶ σκιὰς ἐκ κισσοῦ καὶ ἀμπέλου καὶ τῆς λοιπῆς ὀπώρας κεκοσμημένη [8]).

Tabernaculis igitur quam umbellis scira nostra similiora fuisse videntur. In tabernaculis quidem mulieres etiam Thesmophoria celebrabant [9]), sed sola Scirorum tabernacula sive umbracula antiquo illo nomine insignia erant atque ut σκιὰς et θόλος obscuram quandam priscarum habitationum memoriam retinuisse videntur [10]).

---

1) Etiam apud Harpocrationem s. v. θόλος, apud Hesychium, Photium, Suidam s. v. σκιάς. Aedificii nomen θόλος est apud Pausaniam I 5, 1, in Pollucis onomastico VIII 155, in Bekkeri anecdotis, apud Hesychium, apud Harpocrationem s. v., apud Hesychium s. v. πρυτανεῖον, in lapide aetatis imperatoriae Eph, arch. 1883, p. 103.

2) Pausanias III 12, 10.

3) Etym. magn. s. v. σκιάς.

4) Demetrius apud Athenaeum IV 19 p. 141, Hesychius s. v. σκιαδία et ἐπίσκηνα.

5) οὕτω (σκιὰς sc.) τὸ Διονύσου σκιάδιον καλεῖται.

6) τὸ θολῶδες σκιάδιον, ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται.

7) σκιὰς καὶ σκιάδειον, ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται· οὕτως Εὔπολις.

8) Athen. V 28 p. 198 d. Sequitur Nysae simulacrum curru paullo minore vectum, quod suam σκιάδα habebat.

9) Aristoph Thesm. 624 et 658,

10) Lysimachides in fragmento ab Harpocratione s. v. σκίρον citato postquam umbraculum Sciris ab Eteobutadis portatum memoravit, haec habet: σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. Quae non multum valere probe video. At nonnulla certe quae ad

Etiam de Iudaeorum tabernaculis frondeis cogitandum est, cum quibus Carneorum *σκιάδες* haud inepte conferuntur [1]). Atque profecto umbracula sive tabernacula frondea, celebrationibus agrestibus propria [2]), Cereris et Filiae, dearum agrestium, diei festo aptissima videntur, qui messis peractae tempore celebrabatur [3]).

Mulieres autem caerimonias suas solae agentes, agrorum deas non ideo tantum omnibus aliis praetulisse puto, quod Tellus Mater mulieribus divinum exemplum est, sed etiam quod agricultura antiquissimis temporibus, ut etiam nunc ubicunque viri venatores et piscatores, pastores et milites sunt, mulieribus propria erat.

Umbraculi nomen *σκίρον*, quod cum umbra, quae est *σκιά*, manifeste cohaeret [4]), etiam loci in via sacra, quo Scirorum pompa ab Eteobutadis ducebatur, nomen est [5]), aut quia die

---

casarum rotundarum morem antiquum pertinent, religiose semper servata sunt atque etiam nunc nostris temporibus servantur.

1) Albertus ad Hesychium s. v. *σκιαδία*; Mannhardt, Antike Wald- und Feldkulte, Berlin 1877, p. 255; Vürtheim in hac bibliotheca anno 1903, p. 249, De Aiacis origine, Lugduni Batavorum 1907, p 169.

2) Wide, Lakonische Kulte, Leipzig 1893, p. 81, et in Roscheri lexico mythologico II 962 et 963; Nilsson, Griechische Feste, Leipzig 1906, p. 123; Mannhardt et Vürtheim ll. ll.

3) In Attica hordeum XV, triticum XXV die mensis Maii secari incipit. Cf. A. Mommsen, Mittelzeiten, Schleswig 1870, p. 8. Scirorum dies, Scirophorionis XII, neque ante diem nonum mensis Iunii neque post diem nonum mensis Iulii est. Cf. A. Mommsen, Chronologie, Leipzig 1883, p. 270.

4) Videantur Curtii et Prellwitzii lexica etymologica. Contrariam opinionem sustinuerunt viri docti C. Robert (in Herme XX p. 352) et A. Mommsen (in Philologo L p. 111 et Feste der Stadt Athen p. 313). Adiectivo, quod est *σκιερός*, substantivum nostrum similius esset, si oxytonon esset. Revera in Bekkeri anecdotis (v. p. 324 n. 4) *Σκ(ε)ιρά*, in quattuor Harpocrationis codicibus (loco p. 105 exscripto) *σκιρόν* in Photii excerptis ex Harpocratione a Nabero praetermissis et *Σκιρὰ* et *σκιρὸν* legitur. Sed restat syllaba prior, quae longa esset, si inter „*σκιρός*" et „*σκιερός*" eadem ratio intercederet atque inter „*ἱρός*" et „*ἱερός*". In scholiis quidem ad Aristoph. Eccl. 18, p. 106 exscriptis Scirorum umbraculum *σκῖρον* dicitur; sed ibi Athena Scīras et terra alba, quae est *σκῖρος*, cum Sciris perperam coniunguntur. In scholiis Townleyanis ad Ψ 331 Aristarchi lectio „*ἠὲ σκῖρος ἔην*", de qua videatur p. 110 n. 3 et p. 111 n. 3, pessime explicatur: *σκίρον* (sic) *τὴν ῥίζαν διὰ τὸ ἐσκιάσθαι, ὅθεν τὸ σκιάδειον Ἀττικοὶ σκῖρον* (sic) *καλοῦσιν*.

5) *Σκῖρον* scribi solet, sed *σκίρον* legitur apud Harpocrationem, Suidam, Stephanum Byz., Photium s. v.; conferatur p. 111. In Photii codice, in iis quae ex Harpocratione exscripta a Nabero praetermittuntur, Porsono teste etiam „*ἐν Σκιρῷ*"

illo umbraculum ibi erigebatur [1]), aut quia arbores nonnullae quasi umbraculum naturale ibi faciebant. Arboretum enim σκίρον significat in tabulis Heracleensibus I. G. XIV 645 et apud Hesychium [2]). Arboretum profecto prope ab urbe situm scortis, aleatoribus, fatidicis satis aptum videtur, qui ἐν Σκίρῳ vel ἐπὶ Σκίρῳ versari solebant [3]); atque locus ille etiam nunc arboreto insignis est [4]).

Athenae Poliadis sacerdos Sciroram die sub umbraculo ad umbraculi locum producta hoc significat: ut mulieres mortales in Thesmophorio ita deam ipsam in via sacra suum habere umbraculum, ubi Scirorum ritum vetustissimum perficiat atque totam civitatem religionis muliebris participem faciat.

Itaque factum est ut Scīra, Cereri et Filiae sacra [5]), ad Athe-

---

invenitur et „εἴς τινα τόπον καλούμενον Σκιρόν." Sed ex octo scribis, qui codicem illum Galeanum confecerunt, nullus in accentibus praesertim eo ipso neglegentior est, qui haec exaravit. Loci heros eponymus de quo videatur p. 106 et p. 111 n. 1, primo (ut flumen propinquum, de quo Pausanias I 36) Σκίρος, umbrosus, dictus est, ut opinor, postea autem, cum Scīro Salaminio et Megarensi contaminatus, Σκῖρος. Vates fuerat, ut σκιρομάντεων primus, Dodona, a loco ob vaticinia clarissimo, Eleusinem venerat, quia locus ille in via sacra situs erat, quae Eleusinem ducit. C. Robert in Herme XX p. 376 Scira heroi illi obscuro sacra fuisse haud feliciter coniecit, quam opinionem E. Rohde anno insequenti optime refutavit p. 116. Σκιραφεῖον de quo videatur p. 103 et ss., a loco illo nomen habere vix credibile est. Non enim Atticum tantum est, quamquam in Moeridis lexico ita dicitur, sed Hipponax Ephesius iam substantivo usus est, quod est σκίραφος, in fragmento, quod p. 103 (cf. 111) ex Eustathio citavi. Facile autem fieri potuit ut aleatores a locis umbrosis nomen haberent, ut latrones in lingua nostra ab arbustis, in quibus latere solent.

1) Schoemann (Griechische Altertümer, vierte Auflage, II p. 475) etiam loca, ubi Carneorum σκιάδες erigebantur, σκιάδες nominari putat. Conferatur etiam Hesychius s. v. σκιαδία (Schmidt σκιάδεια vel σκιάδες).

2) Loci illi nihil quidem docent de prioris syllabae quantitate; sed multo certe veri similius est vocabulum quod arboretum significet, cum umbra cohaerere quam cum gypso, qui σκῖρος dicitur. Appellativum nostrum sane σκίρος fuisse potest.

3) Locos, qui huc faciunt, p. 104, citavi.

4) Milchhöfer, Karten von Attika, Text II 15 locum fere Horti Botanici hodierni Scirum fuisse putat.

5) Hisce deabus Scira sacra dicuntur in scholiis ad Aristoph. Eccl. 18 et Thesm. 834, et apud Stephanum Byz. s. v. Σκίρος. Marathoniorum demarachus πρὸ Σκίρων Κουροτρόφῳ suem, daemonibus masculis quibusdam sacra minora, Athenae nihil sacrificabat, ut legitur in Fastis sacris anno 1896 ab Ioanne de Prott editis n. 26. Denique, quod gravissimum est, et Piraei et in urbe Scira a mulieribus celebrabantur in Thesmophorio sive Θεσμοφόροιν templo. Conferatur huius disputationis initium.

nam (Poliadem) quodammodo pertinerent [1]), quam veram causam fuisse credo, cur a recentioribus Athenae Scīradi sacra falso haberentur [2]).

Scirorum caerimonia illa, quam Athenae Poliadis sacerdos pro dea ipsa cum Eteobutadis, gentilibus suis, agebat, a Strabone IX c. 9 *ἐπὶ Σκίρῳ ἱεροποιία* dicitur [3]). Cuius caerimoniae rationem melius perspiciemus, si meminerimus Athenienses *ἱερὸν ἄροτον ἐπὶ Σκίρῳ* perficere solitos esse, *τοῦ παλαιοτάτου τῶν σπόρων ὑπόμνημα* [4]). Nam arationi quidem sacrae minime [5]) sed messi sacrae optime Scirorum tempus convenit [6]), neque dubitari potest, quin meti soleat, ubi aratum et satum sit.

Ἐπὶ Σκίρῳ igitur sive ad umbraculum Eteobutadarum ager erat, ubi frumento demesso arcis deam pro tota civitate Scira sua agere fingebant et die quodam auctumnali *ἱερὸν ἄροτον* perficiebant, ut Eumolpidae Eleusinii in campo Rario et Buzygarum gens sub Athenarum arce [7]).

Apud Photium et apud Hesychium legitur: *Σκιροφόρια· ὄνομα ἑορτῆς.*

Scirophoria illa procul dubio Scira nostra sunt, quae mense Scirophorione agebantur, et in quibus unum certe *σκίρον* publice portabatur [8]). Quod duobus aliis testimoniis corroboratur, quorum

---

1) Duo locos, ubi Scira Athenae, sed potius fortasse Athenis, celebrata esse dicuntur, p. 324 n. 4 citavi. Tertius invenitur in scholiis ad Aristoph. Thesm. 834: *ὅτι ἐπίσκυρα θύεται τῇ Ἀθηνᾷ*, ubi Fritzsche rectissime *ἐπὶ Σκίρῳ* restituit e Stephano Byz. s. v. *Σκίρος*: *ὅτι ἐπὶ Σκίρῳ Ἀθήνησι θύεται.* Apud Stephanum post Meursium *Ἀθηνᾷ* legere solent, sed aequo iure cum Roberto in Herme XX p. 375 Stephani lectionem traditam servare atque in scholio etiam *Ἀθήνησι* legere licet, quamquam vocabula „*ἐπὶ Σκίρῳ*" sine dubio ad locum, non cum Roberto ad herois venerationem referenda sunt.

2) Locorum, qui huc pertinent, magnam partem p. 101 et ss. fuse tractavi.

3) Locum p. 105 exscripsi atque emendavi.

4) Plutarchus in coniugialibus praeceptis 42.

5) Vix huc facit, quod A. Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 506, attulit, Xenophontem in Oeconomico XVI 13 agrorum novalium arationem aestivam commendare.

6) Cf. p. 326 n. 3.

7) De Buzygis Toepffer egit in Genealogia Attica (Berlin, 1889) p. 136 et apud Pauly-Wissowa III 1094. Foucart, Les mystères d'Éleusis, Paris, 1914, p. 51, 166, 222 gentem vel Buzygam certe quendam arationi Eleusiniae interfuisse probavit.

8) De umbraculis frondeis portari solitis conferatur Mannhardt, Der Baumkultus der Germanen, Berlin 1875, p. 323, et huius disputationis finis.

alterum, apud Suidam servatum, de Sciropboriorum pompa, alterum, in scholiis ad Lucianum allatum, de Scirophoriorum mysteriis a mulieribus solis celebratis agit. Pompa publica enim et mulierum mysteria partes sunt, e quibus Scira nostra constant.

Suidas autem post vocem „Διόσκουροι" nos docet viros Scirophoriorum pompam ducentes vellere sacro usos esse, cui nomen δῖον κώδιον [1]). Victimae Iovi Μειλιχίῳ praesertim immolatae pellis erat, qua hominum lustrandorum causa et alii utebantur et ὁ δᾳδοῦχος Eleusinius. Sed Eteobutadis Scirorum pompam ducentibus quis tandem erat lustrandus? Erechtheus, puto, vel potius eius dei sacerdos, qui cum Poliadis sacerdote messi sacrae ἐπὶ Σκίρῳ intererat. Eumolpi enim summi herois Eleusinii caede manus Erechthei erant contaminatae [2]), quae utique videbatur abluenda, priusquam sacerdos eius ad Cereris, Eumolpidarum patronae, sacra admitteretur, ut viros quoque Athenienses Scirorum quodammodo participes faceret.

Bellum certe, quod Athenienses cum Eleusiniis gesserant, cum Scirorum loco in via sacra coniungi solebat. Scirum enim vatem ab Atheniensibus interfectum ab Eleusiniis ibi sepultum esse dicebant [3]).

Non procul autem a loco illo Phytalidarum ager erat Cereri et Filiae nec non Athenae et Neptuno sacer. Deinde trans Cephisum Μειλιχίου Διὸς ara antiquissima sequebatur, ad quam Phytalidae Theseum lustravisse dicebantur, cum Scirone occiso in patriam rediret [4]). Quae analogia, ut dicunt, minime mihi videtur spernenda.

---

1) Eustathius 1935, 9 ad χ 481, Bekkeri anecdota I p. 242. Vitiose apud Hesychium Διοσκώλιον apud Suidam Διὸς κώδιον et τὰ κώδια Δία (Gaisford male Διὸς, mulier docta Harrison recte δῖα) προσαγορεύοντες. Polemo librum scripsit περὶ τοῦ δίου κωδίου, quem Hesychius citavit et Athenaeus XI c. 56 p. 478c. Cf. J. E. Harrison Prolegomena to the study of Greek religion, second edition, Cambridge 1908, p. 23 et 642.

2) Apollodorus III 15, 4, 5 et Pausanias I 27, 4, qui inter viros antiquitatum peritissimos constare dicit non ipsum Eumolpum sed filium eius Immaradum ab Erechtheo esse interfectum (cf. Paus. I 38, 3). De Immarado in Eleusinio urbano sepulto cf. Foucart, Les mysteres d'Éleusis p. 308 et 313.

3) Pausanias I 36, 4, Harpocration s. v. σκίρον, Photius s. v. σκίρος. Cf. huius disputationis p. 326 n. 5.

4) Pausanias I 37, 2—4, Plutarchus in Thesei vita XII. De Hercule post centaurorum strage τῷ δίῳ κωδίῳ lustrato cf. Foucart, Les mystères d'Éleusis p. 198.

Mulierum caerimoniae Cereri et Filiae celebratae Scirophoria nominantur a Clemente Alexandriuo in Protreptico II 17, 1 [1]), e cuius fonte plura inveniuntur in scholiis ad Luciani dialogos meretricias II 1, quae E. Rohde edidit in Museo Rhenano XXV p. 548 [2]): Thesmophoriis et Scirophoriis mysteria quaedam agi [3]) sive propter Eubulei sues cum Cereris filia haustos sive propter eiusdem animalis fecunditatem. Sues [4]) enim *εἰς τὰ τῆς Δήμητρος καὶ τῆς Κόρης χάσματα, ἄδυτα* etiam sive *μέγαρα* nominata [5]), deici, quorum reliquias putrefactas mulieres *ἀντλήτριαι* castitate per tres dies [6]) servata promant et aris imponant, ut

---

1) In scholiis: *Σκιροφόρια ἑορτῆς ὄνομα ἐπιτελουμένης τῇ Ἀθηνᾷ διὰ Σκίρωνα .... ἀναιρεθέντα ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς.* Quae multo minus mihi valere videntur quam Roberto, qui in Herme XX 375 optime statuit scholion ex eodem fonte (male intellecto, me iudice) fluxisse atque ea quae p. 328 n. 1 citavi.

2) Kleine Schriften II p. 355.

3) In codice: *Θεσμοφορία ἑορτὴ Ἑλλήνων μυστήρια περιέχουσα, τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Σκιρροφορία καλεῖται.* Substantivum femininum, quod est *Θεσμοφορία*, Rohde a neutro plurali, quod est *Θεσμοφόρια*, distinguere conatus est. Quem minime in hac re sequor neque dubito, quin legendum sit *Θεσμοφόρια* et *Σκιροφόρια*. Quo facto facilius quidem *τὰ αὐτὰ* ad *Θεσμοφόρια* quam ad *μυστήρια* refertur, sed *Σκιροφόρια* tamen et *Θεσμοφόρια* non unarum feriarum nomina sunt. Scirophoria enim Scira sunt, quae mense Scirophorione aguntur et a Thesmophoriis mense Pyanepsione celebratis cum alibi distinguuntur tum in inscriptione Piraeensi, quam p. 323 citavi. Itaque scholiastae fontem hoc voluisse credo: caerimoniae descriptae Thesmophoria et Scirophoria aequo iure dicuntur, quoniam partim ad hunc partim ad illum diem festum pertinent. Conferantur quae in Herme C. Robert anno 1885 p. 371 et E. Rohde anno 1886 p. 123 proposuerunt. A. Mommsen ut hunc locum cum Aristodemi loco p. 323 citato coniungeret, in Philologo anno 1891 p. 126—128 et Feste der Stadt Athen p. 309—314 infelicissime coniecit bina Scira sive Scirophoria celebrata esse, altera mense Scirophorione, altera non ipsis quidem Thesmophoriorum diebus sed paullo antea Pyanepsionis die septimo.

4) Animalia viva deici Clemens testis est, si legimus: *ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις μεγάροις ζῶντας χοίρους ἐμβάλλουσιν*, ut Lobeck in Aglaophamo p. 831 ingeniosissime proposuit. Textus traditus „*μεγαρίζοντες*" habet etiam in Eusebii excerptis Praep. Ev. II 3, p. 64c. In scholiis ad Clementem: *μέγαρα καλοῦσι τοὺς βόθρους· μεγαρίζοντες οὖν ἀντὶ τοῦ θύοντες.* Quod haudquaquam absurdum est. Nam in cavernas sacras sive *μέγαρα* deicere revera sacrificare est et *μεγαρίζειν* eodem iure dici potest, quo *ποντίζειν* mari submergere. Quamquam mulieres erant, quae deiciebant, Clemens subiecto indefinito hic usus esse potest. Itaque codicum lectio perantiqua, quamvis mirifica, ipsi Clementi fortasse debetur. Sin vitiosa est, vitium altius latere potest, quam Lobeck putabat. O. Stählin codicum textum caute servavit.

5) Codex: *τὰ δὲ σαπέντα τῶν ἐμβληθέντων εἰς τὰ μέγαρα καταναφέρουσιν ἀντλήτριαι καλούμεναι γυναῖκες.* Rohde pro litteris *κατ* rectissime *καλούμεναι* legit.

6) *καθαρεύσασαι τριῶν ἡμερῶν.* Trium dierum spatium breve videri potest. Ovidius enim Metam. X 431 matres Athenienses annua festa Cereris celebrantes per novem

frumento seminando ubertatis causa admisceantur [1]). Magnam partem autem animalium deiectorum a serpentibus comedi, quae strepitu deterreantur, dum mulieres illae reliquias auferant et placentas in phalli vel serpentis formam fictas reponant [2]).

Fieri quidem potuit, ut eodem anni tempore suum anno proximo deiectorum reliquiae promerentur et alii sues deicerentur, sed quoniam de Scirophoriis sive Sciris, Scirophorionis duodecimo, et de Thesmophoriis, mense Pyanepsione actis, sermo est, caerimoniae descriptae bipartitae per bina anni tempora dividendae sunt [3]). Itaque cum suum reliquiae frumento seminando admixtae Pyanepsioni, sementis mensi, unice aptae sint, αἱ ἀντλήτριαι ad Thesmophoria pertinent, quorum dies primus κάθοδος et ἄνοδος nominatur, Sciris autem sive Scirophoriis sues in cavernas sacras deiciebantur, quibus nomen μέγαρα [4]).

---

noctes tactus viriles in vetitis numerare dicit. At Fehrle (Die kultische Keuschheit im Altertum, Giessen 1910, p. 158) rectissime monuit novem illos dies non e more Attico sed ex hymno Homerico in Cererem desumptos esse. Fac autem ceteras mulieres solis diebus festis castitati consuluisse, et ἀντλήτριαι nostrae satis fecisse videbuntur, si etiam per tres dies profestos venere abstinuerint.

1) A. Mommsen in Philologo L p. 108 et Feste der Stadt Athen p. 314, animalia deiecta non putrefacta sed calce viva absumpta esse et reliquias illas „scira" nominatas esse coniecit. Calce enim Magarenses praesertim agros stercorare solitos esse. Tanto ingenii ardore vir doctus mulieres ἀντλητρίας re foedissima liberare et pravam illam etymologiam explicare conatus est, quae τὸν σκῖρον Sciris nomen dedisse contendit.

2) Quae placentae in scholio, primo τὰ πλάσματα ἐκεῖνα, postea ἄρρητα ἱερὰ dicuntur ἐκ στέατος („τοῦ σίτου" additur, ut στέαρ hoc loco non sebum vel adeps sed idem atque σταῖς esse dicatur) κατεσκευασμένα, μιμήματα δρακόντων καὶ ἀνδρῶν σχημάτων. Rohde iam vidit ἀνδρῶν σχήματα phallos esse. Serpentes autem idem fere significant. Mulier docta J. E. Harrison (Prolegomena to the study of Greek religion, second edition, Cambridge 1908, p. 135) πλάσματα illa partim certe e gypso, quod est σκῖρος, ficta atque σκίρα nominata esse coniecit, ut Mommseni sententiam supra allatam corrigeret. Ita antiquorum etymologia manifeste falsa semper adhuc grassatur. Conferatur etiam C. Robert, Hermes 1885, p. 373.

3) Pausanias loco corruptissimo IX 8, 1 de porculis loquitur, qui Potniis in Boeotia ἐς τὰ μέγαρα καλούμενα deiciuntur, ut nescioquid fiat ἐς τὴν ἐπιοῦσαν τοῦ ἔτους ὥραν, quae verba non de eodem tempore anni posterioris sed de anni tempore posteriore manifeste agunt.

4) C. Robert in Herme anno 1885 p. 372 propter Clementis locum p. 330 n. 4 exscriptum animalia Thesmophoriis deiecta esse, itaque τὰς ἀντλητρίας Sciris munere suo functas esse contendit. Contra quem E. Rohde in Herme anno 1886 p. 123 et A. Mommsen in Philologo anno 1891 p. 127 antletriarum munus Pyanepsioni, sementis et Thesmophoriorum mensi, unice convenire summo iure statuerunt. Clementis

Cavernae tales igitur in Thesmophorio urbano erant, ubi mulieres Athenienses Thesmophoria et Scira sua celebrabant, neque dubitandum est, quin idem fuerit *μέγαρον* illud in Thesmophorio Piraeensi, quod p. 323 cognovimus. *Μέγαρα* subterranea Cereri et Filiae praesertim sacra, ubi ut in deorum Olympiorum altaribus sacrificatur, a Porphyrio [1]) et Eustathio [2]) memorantur. *Μέγαρον* Eleusinium, quod a cultu muliebri *τοῖν Θεσμοφόροιν* non alienum erat, idem fuisse videtur atque Plutonis antrum [3]). Aliorum locorum *μέγαρα* utrum Thesmophoriorum scrobibus similia fuerint an non, longum est disputare [4]). Potniis autem in Boeotia Pausanias [5]) *ἄλσος Δήμητρος καὶ Κόρης* vidit, ubi *ἐν χρόνῳ εἰρημένῳ ἐς τὰ μέγαρα καλούμενα ἀφιᾶσιν ὗς τῶν νεογνῶν.*

E cavernis illis, quibus nomen *μέγαρα*, quia aut Ceres ipsa aut Filia cum Plutone ibi habitare videbatur, sementis causa ea protrahebantur, quae post messem erant deiecta. Cuius rei rationem optime intellegam, si quondam ipsum frumentum seminandum ibi servatum fuerit, ut Romae in mundis subterraneis factum esse W. Fowler [6]) ingeniose coniecit, qui auctor mihi est, ut *μέγαρα* nostra cum iis conferam. Ita enim porculi deiecti ipsi frumento vel frumento numini vera dona fuerint, sive *Δη-*

---

sententia autem admodum obscura et fortasse corrupta est, neque constare mihi videtur, utrum verba „*ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις*" locum, an praepositione abundante tempus indicent. Sin Clemens falso putaverit sues Thesmophoriorum tempore deiectos esse, haudquaquam mirandum erit, cum etiam Luciani scholiasta eodem fonte usus non bene intellexisse videatur, quid tandem Thesmophoriis, quid Scirophoriis fieret.

1) Porph. Antrum Nympharum VI. Cf. Ammonius s. v. *βωμός*, quem locum invenies apud A. Tresp, Die Fragmente der griechischen Kultschriftsteller, Giessen 1914, p. 91.

2) Eust. 1387 ad *α* 27. Cf. Photius s. v. *μάγαρον* et Hesychius s. v. *μέγαρον*.

3) Svoronos, *Ἑρμηνεία τῶν μνημείων τοῦ Ἐλευσινιακοῦ μυστικοῦ κύκλου* p. 121—128 (Journal international d'archéologie numismatique 1901), cui adstipulari videtur O. Gruppe, Berl. phil. Wochenschr. 1915 p. 1474 Alia proposuerunt O. Rubensohn, Die Mysterienheiligtümer in Eleusis und Samothrake, Berlin 1892, p. 29, A. E. J. Holwerda, Verslagen en mededeelingen der Kon. Ak. v. Wetenschappen te Amsterdam 1895 p. 261, P. Foucart, Les mystères d'Éleusis, Paris 1914, p. 352, 407, 478.

4) Omnia quae huc pertinent, in Eph. Arch. 1912, p. 142—161 K. Kourouniotis congessit, qui Lycosurae *Δεσποίνης μέγαρον* repperit. Conferatur F. Noack, *Σκηνὴ τραγική*, Tübingen 1915, p. 51.

5) Paus. IX 8, 1, cf. p. 331 n. 3.

6) Journal of Roman studies 1912 p. 25—34.

μήτηρ nuncupabatur, sive Πλοῦτος, filius Δήμητρος [1]) sive Κόρη, quam Πλούτων in inferos rapuerat [2]).

At temporibus illis, quorum memoria ad nos pervenit, frumentum seminandum non in mulierum Atheniensium μεγάροις, nedum in Romanorum mundis, servabatur. Quod etiamsi numquam factum sit, minime absurdum fuerit numina sub terra habitantia post messem victimis deiectis placari. Materies autem illa ex aedibus subterraneis, immo ex ipso terrae corpore protracta frumenti seminandi vim augere videbatur, quippe quod et ipsum e terra oriunda in terram rediret. Phallorum denique ratio sementis tempore in terrae visceribus repositorum tam manifesta est, ut nihil iam videatur addendum.

Tertium nomen etiam mysteriis inditur, quae inter Scira et Thesmophoria iam divisimus. Clemens enim post verba p. 330 n. 4 citata sic pergit: ταύτην τὴν μυθολογίαν (Eubulei sues sc. cum filia Cereris terra haustos) αἱ γυναῖκες ποικίλως κατὰ πόλιν ἑορτάζουσι, Θεσμοφόρια, Σκιροφόρια, Ἀ ῤ ῥ η τ ο φ ό ρ ι α [3]) πολυτρόπως τὴν Φερεφάττης ἐκτραγῳδοῦσαι ἁρπαγήν. Et in scholiis ad Lucianum post caerimonias p. 331 descriptas haec sequuntur: τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Ἀ ῤ ῥ η τ ο φ ό ρ ι α καλεῖται καὶ ἄγεται τὸν αὐτὸν λόγον ἔχοντα περὶ τῆς τῶν καρπῶν γενέσεως καὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων σπορᾶς [4]).

E scholiis ad Aristophanis Lysistratam 642 et lexicographis [5]) luculenter apparet nomen, quod est ἀῤῥητοφόρια vel ἀῤῥητοφορία, e nomine, quod est ἀῤῥηφορία, etymologiae causa

1) De Pluto Cereris filio, de Pluto Eleusinio, de Pluto et Plutone omnia fere quae dici possunt, dixerunt Svoronos in libro p. 332 n. 3 laudato, Eisele in Roscheri lexico mythologico III p. 2572, Deubner ibidem p. 2086, F. Hübner in dissertatione Halensi anni 1914, Foucart in Bulletin de correspondance hellénique 1883, p. 387 et in libro Les mystères d'Éleusis, Paris 1914, p. 479 et 495.

2) Optime res se haberet, si Eubulei porcos cum Cereris filia haustos victimarum cum ipso frumento deiectarum imaginem mythologicam esse constaret.

3) Tertium hoc nomen semper legitur in Eusebii excerptis e Clemente, Praep. Ev. II 3 p. 64 d, in uno Clementis codice manu tertia adscriptum est, in ceteris deest, fortasse quia nimis videbatur obscoenum.

4) De liberorum procreatione in praecedentibus nihil dictum est. Serere et arare saepissime ad res humanas refertur, ut aratio sacra, de qua videatur p. 328, a Plutarcho.

5) Hesychius et Suidas s. v. ἀῤῥηφορία, Etymologicon magnum s. v. ἀῤῥηφόροι..

fictum esse, quod ἀῤῥηφόροι τὰ ἄῤῥητα ἱερὰ ἐν κίσταις ἔφερον [1]). Ἀῤῥηφόροι autem, quae in lapidibus Atticis ἐῤῥηφόροι nominari solent, quamquam ab aliorum deorum cultu non alienae, praesertim binae puellae nobiles nec minus quam septem nec plus quam undecim annos natae sunt, quas ὁ βασιλεὺς ad Athenae Poliadis cultum e quaternis a populo indicatis eligebat [2]). In arce habitabant et σφαιρίστραν suam habebant. Pyanepsionis ultimo a Poliadis sacerdote adhibebantur, cum pepli texendi fiebat initium. Itaque verisimile est eas munus deposuisse post Hecatombaeonis duodetricesimum, quo die peplus ab iis inchoatus deae offerri solebat, sed ante Pyanepsionis ultimum, quo die novus peplus ab aliis arrhephoris instaurabatur.

Pausanias denique I 27, 3, postquam de Pandroso locutus est, de arrhephororum munere haec tradit, quae ipsi mira et ignota visa sunt: Paullo antequam dimittebantur die festo arcana quaedam capitibus a Poliadis sacerdote imposita noctu ad περίβολον portabant non procul a Veneris in hortis fano [3]), ubi arcana illa in specu subterraneo relinquebant, e quo involuta quaedam reportabant. Quae τῶν ἀντλητριῶν muneri tam similia sunt, ut dubitare non iam liceat, quin ἀῤῥητοφόρια in Clementis et scholiastae textu ad Athenae Poliadis arrhephoriam spectet.

Arcis deam, ut ante portam sacram σκίρον suum, ita „in hortis" μέγαρον suum habuisse videmus, ubi Thesmophoriorum tempore binae arrhephori pro dea et pro civitate eadem faciebant, quae αἱ ἀντλητρίαι in Thesmophorio pro mulierum communitate. Paullo post, medio fere Pyanepsione, dimittebantur, quod optime convenit cum temporis rationibus supra expositis. Arcana igitur, quae in cistis capitibus impositis portabant, eandem vim habebant, quam phallorum serpentiumque simulacra e farina ficta in cultu muliebri habuisse vidimus [4]). Ad phallum etiam

---

1) Dionysii Halicarnassensis codices nonnulli Ant. Rom. II 22 „ἀῤῥητοφόροι" praebent. Idem unus Suidae codex s. v. ἀῤῥηφορία. Eiusdem naturae „ἀῤῥηνοφορεῖν" est, quod Suidas et Harpocrationis codices nonnulli praebent; ἄρρητα enim illa virilia erant.

2) De arrhephoris optime egit Hiller von Gärtringen apud Pauly—Wissowa VI p. 549—551, a cuius opinione tamen eo praesertim discedo, quod ἀῤῥητοφόρια nostra ad arrhephoriam refero.

3) Nulla causa est, cur περίβολον illum ipsi Veneri sacrum fuisse putemus.

4) De phallorum serpentiumque simulacris in aliis cistis mysticis cf. Dieterich,

spectat, quod placentis quibusdam in arrhephororum usum coctis *ἀνάστατος* nomen est [1]); serpentibus Erichthonius infans circumplicatus erat [2]), quem, ut sacerdos arrhephoris *τὰ ἄῤῥητα*, Athena ipsa Cecropidibus in cista clausa tradiderat [3]).

Ea autem quae eaedem arrhephori e specu subterraneo reportabant, aut porcorum reliquiae aut eius modi quaedam erant, quae frumento seminando admiscerentur. Neque dubium est, ubi frumentum illud satum sit. Ἐπὶ Σκίρῳ enim in Eteobutadarum agro ante portam sacram *ἄροτον ἱερὸν* factum esse p. 328 iam vidimus, quem sacra Athenae Poliadis sementis Thesmophoriorum tempore sine dubio sequebatur.

Quae cum ita sint, tantum non cogimur, ut ea quorum reliquias arrhephori tum reportabant, Scirorum tempore in specum illum deiecta esse putemus. Scirorum tempore enim in Thesmophorio porci mense Pyanepsione repetendi *εἰς τὰ μέγαρα* deiciebantur et Eteobutadarum messis sacra *ἐπὶ Σκίρῳ* fiebat. Arrhephoria autem sive Errhephoria, cum totum arrhephororum munus, tum sensu strictiore Scirophorionis caerimonia erat, non ea quae mense Pyanepsione noctis silentio occultabatur. Cuius rei in Etymologico magno hoc testimonium invenimus: *Ἀῤῥηφόροι καὶ ἀῤῥηφορία· ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῇ Ἀθηνᾷ ἐν Σκιροφοριῶνι μηνὶ [λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ Ε ἐῤῥηφορία] παρὰ τὸ ἄῤῥητα καὶ μυστήρια φέρειν.*

Pompa publica igitur, cuius impensae in liturgiis habitae esse videntur [4]), arrhephori Scirorum tempore in arcem reportabant, quae octo fere mensibus antea aliae arrhephori clam *ἐν*

Eine Mythrasliturgie² p. 125, et Foucart, Les mystères d'Éleusis p. 379, qui Dieterichii nomen non cognovisse videtur, nisi e Kernii libro p. 458 citato.

1) Athenaeus III 80 p. 114a; Suidas s. v.; Eustathius ad Σ 575 p. 1165, 8.

2) Erichthonius ipse serpens est apud Pausaniam I 24, 7 et in Hygini Poetico astronomico II 13, fortasse etiam in lexicis s. v. *δράκαυλος* et apud Philostratum in Vita Apollonii VII 24 p. 304, Cf. Wilamowitz, Aus Kydathen p. 141 n. 63.

3) Cecropidum fabulam ad arrhephoriae exemplum fictam esse vidit J. E. Harrison, Mythology and monuments of ancient Athens, London 1890. p. XXXIII, quam secutus esse videtur Escher apud Pauly-Wissowa VI 442. In philologorum Batavorum congressu octavo anno 1916 Traiecti habito fuse de Cecropidibus egi.

4) Lysias XXI 5 *ἀῤῥηφορίας* inter liturgias numerat. Sed cogitare licet de sumptibus, qui ad arrhephororum victum vestemque pertineant. Cf. Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 208.

κήποις deposuerant [1]). Auferenda enim erant, priusquam ea deicerentur, quorum reliquias involutas eaedem arrhephori post quattuor menses reportarent. Ipso Scirorum die, Scirophorionis duodecimo, hoc factum esse potest. Nihil enim obstat, quominus Athenae Poliadis sacerdos, cum Eteobutadis post ἱεροποιίαν ἐπὶ Σκίρῳ ad specum subterraneum ἐν κήποις profecta, cum arrhephoris τὰ ἄῤῥητα extrahere, porcos aliasve res deicere, deinde pompa sollemni in arcem redire solita sit [2]).

Post ea quae p. 333 exscripsi Luciani scholiasta sic pergit: Ἀναφέρονται δὲ κἀνταῦθα ἄῤῥητα ἱερὰ .... [3]). Λαμβάνουσι δὲ κώνου θαλλοὺς διὰ τὸ πολύγονον τοῦ φυτοῦ. Ἐμβάλλονται δὲ καὶ εἰς τὰ μέγαρα οὕτως καλούμενα ἄδυτα ἐκεῖνά τε καὶ χοῖροι, ὡς ἤδη ἔφαμεν.

Prima sententia manifeste de arrhephoria Scirorum tempore ἐν κήποις facta agit, cuius τὸ ἄῤῥητα ἱερὰ ἀναφέρεσθαι magnam partem fuisse vidimus. Κἀνταῦθα aut nihil aut hoc significat: alibi idem factum esse. Etiam e μεγάρων igitur, quae in Thesmophorio erant, τὰ πλάσματα ἐκεῖνα Thesmophoriis deposita Scirorum tempore protracta esse videntur.

Altera sententia arrhephoriae die pini ramos portatos esse nos docet [4]).

---

1) Svoronos, Ἑρμηνεία τῶν μνημείων τοῦ Ἐλευσινιακοῦ μυστικοῦ κύκλου p. 161 (Journal international d'archéologie numismatique 1901 p. 369), de arrhephororum pompa, quam Aesculapio factam et in Parthenonis ζωφόρῳ sculptam esse putat, ingeniose sed nimis audacter disseruit.

2) Arrhephoriae igitur celebrationem mysticam ipsis Sciris factam τὰ Βουφόνια Scirophorionis die quarto decimo celebranda antecessisse puto. Attamen dubitaverim τὰ μυστήρια cum Mommseno (Feste der Stadt Athen p. 509) ad Scira referre in Suidae hisce verbis: Βουφόνια· ἑορτὴ παλαιά, ἥν φασιν ἄγεσθαι μετὰ τὰ μυστήρια. Cf. p. 323 n. 2.

3) Cf. p. 331 n. 2.

4) Ad Thesmophoria referunt Robert in Herme XX p. 372, Rohde ibidem XXI p. 124, Fehrle in libro, cui titulus „Die kultische Keuschheit im Altertum, p. 147 collatis Stephani Byzantini mutilissimis hisce excerptis e Didymo s. v. Μίλητος: Πιτυοῦσα (ἐκαλεῖτο) ἀπὸ τῶν ἐκεῖ πιτύων καὶ ὅτι ἐκεῖ πρῶτον πίτυς ἔφυ· οἱ γὰρ ..... ἐν τοῖς θεσμοφόροις (Spanhemius recte Θεσμοφορίοις) πίτυος κλάδον ὑπὸ τὴν στιβάδα ..... καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Δήμητρος ἱερὰ κλῶνον (Spanhemius recte κῶνον) πίτυος τίθεσθαι .... διὰ τὸ ἀρχαῖον τῆς γενέσεως. Quae tamen de Thesmophoriis nihil aliud docent quam mulieres Milesias pini, arboris Matri Asiaticae sacrae, ramos

Tertia sententia ad porcos Sciris in Thesmophorio deiectos redit et novi hoc addit: etiam *ἐκεῖνα* in *μέγαρα* illa deiecta esse. *Ἐκεῖνα* autem pini ramos fuisse video, sed quid praeter pini ramos fuerint [1]) et utrum in Eteobutadarum specum *ἐν κήποις* porci quoque an *ἐκεῖνα* tantum deici solita sint, haudquaquam intellego. Constare tantum videtur pini ramos et in mulierum *μέγαρα* et in Athenae Poliadis specum subterraneum cum aliis rebus Scirorum tempore deiectos esse.

Quae cum ita sint, veri simillimum videtur ramos illos circumlatos pertinere ad umbracula, a quibus *Σκίρα* sive *Σκιροφόρια* nomen habere demonstravimus.

---

sibi substravisse. Mulieres Atticae autem Thesmophoriis salicis non pini ramos sibi substernebant. Cf. Ferhle l.l. p. 141. Ipsum scholiastae contextum spectantes tantum non cogimur, ut pini ramos ad *ἀρρητοφόρια* referamus.

1) Robert et Rohde locis in superiore nota laudatis non dubitare videntur, quin eadem fuerint, quae antea *ἄρρητα ἱερὰ* et *πλάσματα ἐκεῖνα* dicta sunt. At illa numquam, nedum Scirorum die, deiciebantur, sed Thesmophoriorum tempore deponebantur, ut Scirorom die protraherentur.

AD PLUTARCHUM ET HERODOTUM.

Plut. Vit. Caes. 67: *Ἀντώνιος δὲ καὶ Λέπιδος οἱ μάλιστα φίλοι Καίσαρος ὑπεκδύντες εἰς οἰκίας ἑτέρας κατέφυγον.* Legendum est: *εἰς οἰκίας (ἕτεροι) ἑτέρας κατέφυγον.* Cf. Herod. III, 51: (Periandri filius) *ὅκως ἀπελαυνόμενος ἔλθοι ἐς ἄλλην οἰκίην, ἀπηλαύνετ' ἂν καὶ ἀπὸ ταύτης ... ἀπελαυνόμενος δ' ἂν ἤιε ἐπ' ἑτέρην τῶν ἑταίρων.* Sic codd. AB. In codd. RV est *τῶν ἑτέρων.* Legendum esse apparet: *ἐπ' ἑτέρην ἑτέρων.*

G. V.

DE DOMITIANO IMPERATORE ET DE POETA STATIO [1]).

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Qui patrum nostrorum aetate, fere inde a medio saeculo proximo, in studia incumbebant historica, iis praesertim delectari videbantur temporibus quae homines a calumniis defendendi praeberent facultatem. Quicunque enim a prioribus scriptoribus nimis nigri essent redditi, illos ut purgarent vel maxime dabant operam. Quod studium quin natum fuerit e sincero quodam veritatis amore atque huic cognata magnitudine animi quis dubitet, quis non homo vere doctus magni illas faciat virtutes? Certe tunc magni fiebant, magnoque in honore erat historicus

1) Hanc disputationem ante annos novem recitavi in Academia Regia Neerlandica. Quam cum probatam esse idoneis inter nostrates iudicibus sentirem (cum aliis tum Nabero nostro, unice in his rebus versato), sed parum innotuisse putarem exteris (quotus enim quisque illorum Belgice scripta legit?) publici eam iuris facere decrevi interpretatione latina cui suus mihi in Mnemosyne esse locus visus est. Fuerat autem titulus orationis in Academia habitae hic: „Keizer Domitianus uit een nieuw oogpunt beschouwd", promiseram ergo me Domitianum e novo, hoc est ex alio ac vulgo fieri soleat, loco consideraturum. Hic subito mihi exortus est adversarius (et quid eum adversarium mihi reddiderit ne nunc quidem intelligo: nunquam enim eum facto dictove laeseram) qui cognita mea disputatione se nihil *novi* ibi videre clamaret, saepe enim ante me alios Domitiani suscepisse patrocinium. Malitiane motus hoc dixerit vir doctus an incredibili quadam socordia in errorem inductus nescio: non enim nova me de Domitiano *dicturum* promiseram sed nova de eo prolaturum testimonia, adhibito auctore qui nondum in ea causa testis esset citatus. Id quod ipse ille titulus iam declarabat et e tota mea disputatione luce clarius apparebat. O caecas hominum mentes, doctorum praesertim!

qui „in integrum restituisset" aliquem. At quantum in hoc quoque genere mutata sunt tempora! Adversus Tiberium tam fuisse iniquum Tacitum ut modo indignationem moveat modo risum quis non concedat? Duo dabo argumenta quae nostro tempore etiam potuerunt addi ingenti quae iam aderat copiae.

Secundo Tiberiani imperii anno „continuis imbribus auctus Tiberis" (sic Tacitus narrat A. I, 76) „plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur". Ille Asinius Gallus homo erat non subdolus minus quam stolidus. Hunc fuisse infantem illum, quocum reditura aurea saecula Virgilius cecinerat, fama erat quam sparserat ipse. Hunc Augusto successurum se sperasse ipsius Augusti constabat testimonio. Hic uxorem duxerat eam quam iussu Augusti repudiaverat Tiberius ut sic quodammodo et ipse in imperatoris receptus familiam videretur. Nunc quid Sibyllinis suis velit libris vel pueri perspiciunt. Quis enim dubitat quin promissis pretioque effecerit ut in illis legeretur aliquid de pullo asinino imperatore futuro? Dissimulat Tiberius, competitori suo non irascitur (neque fuit, ut opinor, hic eo honore dignus) sed duobus senatoribus, harum rerum peritis, „remedium coërcendi fluminis" mandat. Potuitne prudentius leniusque? Nihil horum sentit Tacitus sed, ut solet, oraculi instar haec canit: „rennuit Tiberius perinde devina humanaque obtegens".

Ann. VI, 1 haec de Tiberio legimus (de ultimo imperatoris tempore agitur a. 32):

„saepe in propinqua degressus aditis iuxta Tiberim hortis *saxa* rursum et *solitudinem* maris repetiit".

Quae sunt illa saxa deserta, miserum istud crudelis tyranni exsilium? Capreae illae, quas tamquam Elysium quoddam somniant homines naturae amantes. „At enim" aiunt „de eiusmodi rebus aliter ac nos sentiebant veteres". Admodum iocose gravis illa observatio refellitur a Tacito ipso, qui libro IV, 67 eandem insulam sic describit:

„caeli temperies hieme mitis obiectu montium quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum".

At libro VI id agitur ut Tiberius describatur tamquam vir

quem dii omnes reliquerint, homines detestentur omnes, quique sibi ipsi foedior videatur quam ut se populo ostendere audeat".

Et tamen, quamvis manifesta haec sint et quamvis multa eiusmodi e Tacito protrahi possint, admodum audacem esse oportet qui eiusmodi locos in clara ponat luce, aut tamquam in somno de suo has audit libro voces: „Tiberius in integrum restitutus; Stahrius redivivus; vias dudum relictas et relinquendas scriptor ingreditur; declamator est Tacitus, mendaciorum auctor Suetonius, nugator Dio Cassius, ohe iam satis est!" Actum est de libro quem eiusmodi praecedunt praeconia. Nam, nisi me fallunt omnia, qui in nostra nunc arte insignem tenere locum vult conservator esse debet et omnes qui „temere convellere tradita student" adunco suspendere naso vel superbo praeterire silentio.

At ego licet sentiam adverso me navigare vento fluctuque, audacter incumbo remis. Nam et ego in integrum restitui volo, non Tiberium (prae meo cliente discipulus ille facinorum est) nec Neronem (prae meo cliente petulans ille videri puer possit) sed monstrum illud prodigiumque quod notissima comparatione infra ipsum Tartarum deiecit Tacitus: „Nero tamen subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectavit".

Primum ergo quid me ad Domitianum adduxerit exponam.

Ineptias illas saepe pueriles quas de Tiberio proferre solet Tacitus reputanti in mentem mihi rogare venit: quid tandem ridiculam illam inspiravit Tacito iniquitatem adversus veterem imperatorem qui neque ipsum laedere potuerit neque quemquam laeserit ex eius proavis? Haec cum identidem iam rogassem, in locum quendam Boissierii incidi, ubi haec fere leguntur: „neque ut Claudius fatuus fuit Tiberius, neque insanus ut Nero; similior ei fuit Domitianus secreti et latebrarum vir amantissimus".

En responsum ad quaestionem meam. Cum Domitiano, quem omnium mortalium pessime odisset ipse, Tacitus Tiberium confundit, inde illa in principem ante tot annos defunctum acerbitas. Hanc ergo sententiam in Analectis Taciteis exposui exornavique, atque eodem tempore idem fecit Tarverus historicus Anglus, cuius de Tiberio liber in lucem est editus quo tempore meus iam partim typis erat expressus partim exprimebatur etiam. Laetatum me esse ob hanc συνέμπτωσιν haud opus est dicere

sed non minore me afficiebat gaudio Naberus ille noster, quo nemo melius omnia quae huc pertinerent nota haberet quique egregio ingenii acumine tam multas Taciti narrationes iam in fabularum relegasset regionem. Ille enim et omnino mihi assensus est et novam mihi proposuit quaestionem egregie mihi profuturam: „Sed de ipso Domitiano quid tandem pro certo scimus et bene exploratum habemus? An forte et ille, item ut Tiberius ....".

Haec Naberi quaestio solis cuiusdam instar fuit. Quae hucusque me circumdederant tenebrae subito mihi inclaruerunt. Nam satis dìu inscius iam in eo stabam speculo in quod neque Merivalius ascenderat neque Schillerus neque Gsellius. Minime tamen ea glorior re quae et fortuita fuit et nihil mihi profutura nisi suae facis lumine me ibi somniantem Naberus excitasset. Sed prius quam illud quod fuerit speculum dicam, videndum est possimusne intendentes oculos nostroque utentes ingenio et ex eo loco ubi hactenus steterunt huiusce regionis exploratores plura videre quam viderint atque adeo videre voluerint alii.

Quosnam habemus auctores? Solus qui data opera et certo ordine de Domitiano agit Suetonius est; Tacitus Pliniusque [1]) facultate oblata obiter eum respiciunt et .... in eum recalcitrant. Tanto de eo odio tantaque acerbitate loquuntur ut iamdudum cauti et circumspecti futurum fuerit historici illi quae dicunt suspecta habere dubiaeque fidei. Sed neque biographus ipse lenius de eo iudicat. Et tamen ne ille quidem non tradere memoriae potest quaedam illius quem adeo odit abominaturque tyranni consilia quae, vel obiter adspecta, aliquanto nos in eum possint reddere aequiores.

Initium facimus a fine. Quomodo obiit Domitianus? Occisus est. Erant ergo qui de medio eum tollere vellent. Arduum illud erat negotium, nam id ipsum exspectaverat Domitianus et pugionem pulvino subdiderat; is ergo primum erat removendus et claudenda armamentaria, sed vel sic Domitianus „arripuit deduxitque ad terram Stephanum, colluctatusque diu est dum modo ferrum extorquere modo quamquam laniatis digitis oculos effodere conatur" (Suet. 17).

Certe non effeminatum se hic virum praebuit Domitianus verum patre et Sabino rure dignum. Sed gravius aliquid accedit.

Quis ille est Stephanus? Narrabit idem Suetonius: „erat" ait ille „Domitillae procurator et tunc *interceptarum pecuniarum reus*". Ab eiusmodi occidi hominibus nunquam imperatori est dedecori; hos si respiciebat Domitianus cum „condicionem principum miserrimam aiebat, quibus de coniuratione comperta non crederetur nisi occisis", iam suspicio nascitur fuisse eum qualem bonum esse oporteat imperatorem: summa in omne furum genus severitate, sed in illos maxime qui insignem in republica tenent locum.

„Ipso eo temporis momento" Philostratus narrat „quo Domitianus occisus est, Apollonius Ephesi, ubi tum exul agebat, philosophicam habebat disputationem, cum subito vox eius infirmior fiebat, mox plane silebat, oculos terribili splendentes lumine deiiciebat, duos tresve faciebat passus et: concidite tyrannum clamabat; denique ad circumstantes conversus: timere nolite aiebat, hodie, immo vero hac ipsa hora tyrannus est interfectus".

Nunc si in patria nostra eiusmodi aliquid accidisset, nullus accusator publicus adeo timeret ne „insanientis sapientiae consultus" haberetur, quin prehendi istum iuberet conscium facinoris. Mihi certe hic semper in mentem ea veniunt quae haud illepide dixit Merivalius: luctandum fuit Domitiano et cum nobilitate et cum *sanctorum ordine*: hoc enim nomine appellare philosophos licet quos ex urbe Domitianus eiecit, Stoicos istos verae virtutis propugnatores, atque illos qui omni miraculorum genere graves suas contra vitia confirmare solebant declamationes: probos haud dubie viros sanctosque sed vae inimicis eorum! Et ne sua quidem sponte eos Domitianus eiecit sed patrem imitatus prudentissimum illum lepidissimumque omnium quotquot fuerunt imperatorum, cui nemo maledixit unquam historicus; nimirum haud plus novem imperavit annos et minor eius filius duodeviginti; maior vero, amor ille et deliciae generis humani, iam post biennium est mortuus, et novimus illum locum communem historicorum de *malis* imperatoribus, qui aliquamdiu boni fuerint. Ad hanc mutationem certe Tito defuit tempus, fortasse et Vespasiano.

Scholiastae ad Aristophanem, omnibus enumeratis facinoribus ab aliquo comici inimico commissis fere semper addunt eum tulisse legem *μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί* .... hoc crimen deesse non

posse videtur. Eodem fere modo apud scriptores ecclesiasticos „malum" imperatorem persecutum esse Christianos res ipsa loquitur. Nero, uxoris, fratris, matris carnifex ille quin et Christianorum fuerit carnifex dubitare nefas videtur; Domitianus parum afuit quin fratrem necaret. .... ergo et Christianos persecutus est. Atque ita de eo loquuntur Tertullianus, Lactantius, Orosius, Eusebius, quamvis illud iudicium prorsus nullo nitatur testimonio quod ulla sit fide dignum. Solus Dio [2]) suppeditat aliquid quod quodammodo eo trahi possit. Sed iusto festinantius mihi agere videntur qui illum Domitiani familiarem quem imperator condemnavit quod esset „contemptissimae inertiae" (verba sunt Suetonii) Christianum fuisse statuunt. Sic enim si ea verba interpretaris ut ille dicatur *publicis se subtraxisse muneribus* revera „tradita nihili facere" mihi videris. Non opus est sic illa distorquere ut tamen mali abunde inde peti possit. Suspicionum movendarum artifex est Suetonius artemque illam admodum feliciter exercuit.

Quodsi omnino quid mihi de antiquis illis Christianorum persecutionibus videatur profari hic liceat .... de omnibus quam maxime dubito. Domitiani illa nullo prorsus nititur fundamento, Neronianam vero illam mendacium esse certo scio. Sed quod hic firmissimum habeo argumentum vix unquam mihi prodesse potest: hoc dico quod qui suum sibi Tacitum penitus habeat cognitum totum illud caput Ann. XV, 44 sentit auditque natum e fraude non minus manifesta [3]) quam illa est quae apud Suetonium deprehenditur apud quem (c. 16) deinceps haec legantur:

„interdictum ne quid in popinis cocti praeter legumina aut holera veniret, cum antea nullum non obsonii genus proponeretur" et:

„afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae".

Relege hic quae disputavi Mnem. 1914 p. 195 sq.: videbis quam bene decurrat narratio, si locus de Christianis e Tac. XV, 44 est sublatus, quam absurda et ridicula eo manente fiant omnia.

Sed sic qui loquitur, licet nulla laus sit te, postquam per multos annos et solus et adiuvantibus discipulis acutissimis cum pulvisculo Tacitum excusseris, tandem aliquando bene eum cognitum habere, tamen in arrogantiae incidit suspicionem, aut

a quovis statim adversario pervertitur qui ista omnia se *non* sentire et *non* audire declaret. Alio ergo utar argumento quod mihi non minus idoneum videtur et quo neminemdum usum esse miror. Fides illa Christiana quae fuit a. 65 vel aliquanto antea (nam secundum absurdam illam narrationem, quae nunc apud Tacitum legitur, tota urbe sparsa erant Christianorum agmina) quin vera, antiqua, incorrupta fides Christiana fuerit dubitari non potest. Et metuo quidem ac reformido omnes disputationes theologicas, sed hoc pro certo affirmo neminem magistratum vel levissimo affecturum fuisse incommodo illos qui se eius fuisse discipulos declararent qui huiusce mundi suum esse regnum negasset et imperatori quod imperatoris, Deo quod Dei esset dari iussisset. Quivis iis respondisset praetor Romanus: „o boni, eiusmodi nobis opus est hominibus, in pace vivite". Romae nunquam erecta esset crux prophetae Naziraeo et ne in ulla quidem provincia cui praeesset proconsul qualis fuit Gallio ille vir prudentissimus quem ex Act. 18 cognitum habemus.

Suspicionum movendarum artificem esse dicebam Suetonium; nunc addo tum disertissime ab eo laudari Domitianum cum suspicionem movere studet. Minus nos movent consilia propter quae aperte imperatorem laudat: quod „ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam existimans nimio vinearum studio neglegi arva, edixit ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur relicta ubi plurimum dimidia parte", quod suae securitatis causa binas in unis esse castris legiones vetuit [4]), quod omnes libidines, Vestalium vero incesta more veteri coercuit [5]), quod spadones vetuit fieri et venire (et quanta laude vel ob unam hanc legem imperator dignus sit et alii testantur et facundissime Martialis VI, 2), denique quod (et nunc iterum ipsius c. 8 affero Suetonii verba):

„magistratibus quoque urbicis provinciarumque praesidibus coercendis tantum curae adhibuit ut neque modestiores unquam neque iustiores exstiterint [6]): e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus" [7]).

Post illum ait: ergo hoc nomine vel ipsos Nervam Traianumque superavit Domitianus!

Sed praeter *sanctos*, et *nobiles* habuit adversarios imperator noster. In senatores vel maxime saevire coepisse eum post „ci-

vilis belli victoriam" Suetonius ait c. 10. Quam rem Schillerus in noto libro sic explicat: „ad desperationem imperante Domitiano adactus erat senatus, idque duabus praesertim rebus. Censura quotannis Domitianus fungebatur, poterat ergo senatum legere ut ipsi luberet, et quantumvis gravia nobilibus imponere onera. Gnarus ergo in urbe aversas ab imperatore senatorum mentes, in Germania, quae iam saepe imperatoribus creaverat competitores, arma sumserat Antonius ut invisum illud perverteret imperium, isque conatus oppressus ultro graviorem reddiderat oppressorum et conquerentium sortem." Magnam habere hanc disputationem veri speciem lubenter concedo, addoque illa nobis principis nostri dominationem, praesertimque ultimam eius partem, aspectu admodum tristem foedamque reddi, sed denuo hic legentibus in mentem illud Domitiani revoco dictum: „miserrima principum condicio, quibus de coniuratione comperta non credatur nisi occisis", quod quam disertissime testatur saepe *fuisse* qui Domitiani vitae insidiarentur, rogoque: „fac in carissima nostra patria identidem venerandae Reginae nostrae vitam obnoxiam fuisse nefariorum hominum scelestis consiliis, nonne tunc hic quoque capite damnati fuissent multi". Tunc hic quoque rerum esset nata condicio parum laeta, tunc hic quoque saepe de reipublicae nostrae statu auditae essent querimoniae, sed nonne ridicula foret iniquitas eorum qui eius rei culpam in Reginam reiicerent? Atqui sic agunt qui Domitiani scripserunt vitam et prae ceteris Suetonius [8]).

Est et alia quaedam rerum, quae de Domitiano traditae sunt dispositio, de qua in eandem possumus disputare sententiam. „Domitiano" aiunt, certe possunt dicere viri docti „pecunia opus erat" (atque addo praesertim opus fuisse propter pecuniam a Tito effusam). „Ideo divitibus gravia imponenda erant onera, sed capite damnare divites expeditius erat, quoniam damnatorum bona universa in fiscum redigebantur". Fac ita rem se habuisse. Mementote igitur non hoc mihi esse propositum ut Domitiani saeculum tamquam omnibus faustum felixque depingam hominibus. De sola Naberi quaestione ego ago: „quid tandem compertum de Domitiano habemus?" Hic vero non possum quin declarem Suetonium prorsus contraria docere ac modo sumsimus. „Domitianus" ait (c. 10) „aliquanto celerius

ad saevitiam descivit quam ad cupiditatem". Et disertius etiam c. 9: „inter initia usque eo ab omni caede abhorrebat, ut absente adhuc patre recordatus Virgilii versum:

impia quam caesis gens est epulata iuvencis

edicere destinarit ne boves immolarentur. Cupiditatis quoque atque avaritiae vix suspicionem ullam aut privatus unquam aut princeps aliquamdiu dedit, immo e diverso magna saepe non abstinentiae modo sed etiam liberalitatis experimenta."

„Ferebaturque" sic paulo post legimus „vox eius: princeps qui delatores non castigat irritat". De delatoribus hic Suetonius agit qui „fiscales" adhibebant „calumnias", i. e. qui homines deferebant quos fisco pecuniam debere insimulabant. Non enim ea felicitate utebatur Domitianus qua pater eius, ut omni genere vectigalium non tam gravium quam ridiculorum locupletare fiscum posset. Ergo concedo Domitiano imperante gravia fuisse civibus sustentanda onera. Eane *ipsius* Domitiani culpa erat? „Iudaei vexabantur et exhauriebantur" [9]). Lubenter credo: sed addo „fortasse non immerito". Verum quaecunque causae tunc in republica dura et gravia provocarint consilia, quin multi tunc Romae parum iucundam egerint vitam dubitare nolo. Sed quid nos docent aniles aequalium Suetonii, Taciti, Plinii fabellae de *uno* isto improbo viro Domitiano? Nihil, prorsus nihil.

Unus aequalis scriptor laudat Domitianum: Frontinus ét propter res in Germania [10]) gestas ét propter eius adversus hostes aequitatem [11]). Atenim, Frontinus vir fuit militaris, verisimile est ergo eum Vespasiano in rebus gerendis a consiliis fuisse: est ergo *adulator* Domitiani quemadmodum Tiberii fuit adulator Velleius: et neque huius fas est quidquam tribuere testimoniis adversus bellas istas Taciti de saevo tyranno Tiberio narratiunculas. Liceat tamen mihi observare Frontinum semper „in praeterito" loqui „tempore". Ergo mortuo Domitiano scripsisse videtur, quo tempore adulando iam lucrum facere non poterat. Et ad summum consulatus honorem Traiano demum imperante pervenisse videtur.

Denuo ad Naberianam redeo quaestionem, respondeoque: praeter ea quae cogitando et ratiocinando ipsi invenire possumus nihil de Domitiano constat, nisi hoc unum (quo tamen confirmatur nihil sed negantur multa): nocuisse Domitiano duas res

quae propriae sunt morum Romanorum. Quarum prior fortasse omnium est Italorum (de Danteo hic cogitate): amant quaecunque legentium animos vehementius concutiunt perturbantque, quaecunque aspera sunt, saeva, dira; certe legentes ea amant, nam ad ipsam vitam quod attinet, Domitiani certe tempore tranquillitas iis potior erat securitasque. Et alterum hoc accedit quod Romanis dedit *militare* eorum ingenium: ordine suoque loco disposita omnia volunt esse. Vel grammatici ad quos referenda est literarum Romanarum historia, quam nunc cognitam habemus, eam sic nobis tradiderunt ut singulae eius partes bipertito dividantur: comoediae palliatae duo sunt principes poetae Plautus et Terentius, duo togatae Afranius et Titinius, duo Atellanorum Pomponius et Novius, duo mimorum Laberius et Syrus; duo principes oratores antiqui Crassus et Antonius, duo recentiores Cicero et Hortensius; iocosa et faceta oratione duo excellebant Titius et Iulius, duo fuerunt magni poetae tragici Pacuvius et Accius [12]). Ita et imperatores Romani non solum aut boni sunt aut mali sed praeterea malorum duae sunt species: alii, ut Nero, male sani sunt carnifices, alii, ut Tiberius, tyranni fuerunt duri sed secreti amantes et in ipsa duritate cauti et circumspecti. Atque huius speciei Domitianus fuit: solos Tiberii lectitabat commentarios.

Praeterea cum omnibus imperatoribus, quos senatus occidendos curavit, hoc habuit commune Domitianus quod gaudio ob eius mortem senatus exsultavit, sed milites ira exarserunt. Praeterea populum rem nihil curasse legimus. Militaris erat vir Domitianus: tali tum fortasse imperatore opus erat imperio. Quid autem *fortasse*? Annon eo imperante limitis Germaniae magna pars est perfecta? [13]) Nonne praecipuus Domitiani laudator Frontinus est, vir rei militaris peritissimus? Oderit aliquis quidquid ad rem militarem pertinet, per me licet; sed quam iniquum est Domitiano vitio dare quod eam in deliciis habuerit? An non frater eius, decus illud amorque generis humani, ob eandem causam laudari solet, nec minus amborum pater quem admirantur diliguntque omnes mortales?

Esto. Solus qui poterat facere ut Domitianum haberemus cognitum Suetonius est, sed — ut iterum idem dicam — ille quae tradit per se ipsa nihil nobis prosunt. Nunquam maledi-

cere desinit, idque maledicendi causa; sed magis etiam tecte suspiciones movet; hac in re non indignum se magistro Tacito praebet discipulum. Quid nos docent magister ille discipulusque de *rubore* imperatoris declamantes? An et hoc calliditatis perfidiaeque signum est quod crebro aliquis *erubescit*? Contrarium potius dixeris.

Nihil vero turpius de Domitiano Suetonius legentium insusurrat auribus quam fratrem ab eo occisum, illum omnium mortalium praestantissimum Titum. Quo modo hoc faciat et quam feliciter mox videbimus. Nunc in transitu hoc commemoro Domitiano eum vitio dare libidinem, idque nullo allato argumento, sed de Titi libidine prorsus tacere, quem tamen in eo genere minime fuisse severum facile ex iis quae idem ille tradit Suetonius efficimus. Potuitne iniquius? An sic potius dixerim: potuitne scribendi ratio excogitari minus probanda? Habemus enim hic quod pueris in ludo literario inculcari olim solebat, homines esse aut prorsus bonos aut prorsus malos; homines aut plane in melius mutari aut plane depravari. Sic Christianis scriptoribus praebita est facultas sua sibi sede persecutiones collocandi fidelium.

Sed quid multa disputamus? Ipse, ipse Suetonius in primo Vespasiani capite sic nos monere videtur: „nolite mihi fidem habere, sed reputate me secundum certas legis artes et praecepta scribere". Haec enim eius verba sunt:

„.... gens Flavia .... rei publicae nequaquam paenitenda: *constet licet*, Domitianum cupiditatis ac saevitiae merito poenas luisse".

Constet licet. Nolite specie hic decipi, nam latet aliquid in hac verborum ubertate. Non eodem ista redeunt quo simplicia haec: „licet Dom. .... poenas luerit". In memoriam vobis revocate notissimum illud *constat inter auctores* et quid *constituendi* verbum sibi velit perpendite. Nonne nunc hoc tibi dicere Suetonius videtur: „*locus* hic est in quo ingenium nostrum ostentare studemus scribendi artifices"? Quid enim: bonus imperator cum duobus filiis bonis .... parum haec apta materies; at „bonus imperator cum duobus filiis, quorum alter fuit exemplum virtutis, alter atrocitatis" en argumentum multarum declamationum.

Vel sic mihi parum placet fur iste et fraudator Stephanus

divinae vindictae exactor; ab Apollonio Tyanensi pio illo miraculorum institore discrepo.

Operae pretium est observare posteriores scriptores quam sint parati ad Suetonio suspitiones spargenti praebendas aures. Solus Ammianus Marcellinus, qui tribus post saeculis vixit, paulo est petulantior; item ut „adulatores" singulari laude afficit Domitiani ne spadones fierent venirentque edictum; egregium illud fuisse consilium quo foedi Orientalium populorum mores Roma arcerentur manifestum est. Sed quaecunque Suetonius susurrat ceteri scriptores aucta exclamant. Titum fratrem a Domitiano necatum non disertis dicit verbis, efficit tamen ut id intelligamus. Sic enim rem suam agit. „Habere volebat aliquid Domitianus" sic fere loquitur „quod rebus a fratre praeclare gestis posset opponere". Paratam esse huius rei veniam iuveni militari in mentem Suetonio non venit: nihil hic nisi *invidiam* cernit. „Domitianus, imperium adeptus, contendere solebat se patri fratrique dedisse imperium, sibi illos reddidisse". Verissimum illud est: Primus Antonius, qui armis Vespasiano parasset imperium, ne in urbe dominaretur, Mucianus, Flaviani imperii auctor, Domitianum, qui in urbe aderat, in lucem protraxit publicam. At Suetonio auctore stulte et impudenter istud mentitus est Domitianus. Hic mihi Suetonio obloqui adeo lubet ut ultro suspicer haud parum veritatis fuisse et in altera illa Domitiani querela sibi a patre partem imperii relictam sed illud testamentum (a fratre) esse corruptum. Certe Suetonius amico suo Tacito aperte obloquitur haec tradens (c. 1): „bello Vitelliano *confugit* in Capitolium cum patruo Sabino ac parte praesentium copiarum". Contra Tacitus narrat ibi iam cum patruo fuisse Domitianum et appropinquantibus victricibus Primi Antonii copiis obsessum a Vitellianis, urbem etiam tenentibus. Et revera sic se habebat res: erat Sabinus in Capitolio et esse debebat, utpote praefectus urbi, et principem iuvenem secum habebat. Ab iratis Vitellianis incenso Capitolio occisoque Sabino latebras Domitianus petiit et Isiaci celatus habitu aufugit. Vitione hoc ei demus? Quid fecissent Suetonius, Tacitus aliique senatores gravissimi? Capitolii defensor postea audivit Domitianus apud „adulatores", quos vera locutos equidem opinor.

Esto: habemus Domitianum, imperatoris fratrem et imperii

cupidum ipsum. Nunc non magno opus est acumine ad veram Suetonii e verbis eius eruendam sententiam, primum narrantis usque insidiatum esse fratri Domitianum, fratrem tamen nunquam destitisse eum sibi destinare successorem, tandem *secreto* eum orasse „ut tandem mutuo erga se animo vellet esse" (Tit. 9). Hic non rogare te, lector, non possum quid tibi videatur de historico qui *sciat* quid *secreto* imperator cum fratre sit locutus). Continuo haec sequuntur: „inter haec morte *praeventus* est...." tum quomodo sit mortuus Titus narratur, denique haec suprema eius referuntur verba: „eripi sibi vitam immerenti; neque enim exstare ullum suum factum paenitendum excepto dumtaxat uno". Addit etiam historicus relegiosus: „id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit neque cuiquam facile succurrat". Ain vero? commentus ipse suprema ea verba es. Sed quod se nescire ait Suetonius probe scit Dio, vel eius epitomator: non a se *praeventum* fratrem. Sed quid Dio ille nescit? Suspicionem fuisse *Agricolam* a Domitiano veneno sublatum ait Tacitus; Dio vero nil dubitans eum a Domitiano σφαγῆναι asseverat.

Sed ut ad Titi redeam mortem: pius ille Suidas item ut antea praeclarus ille historicus Aurelius Victor pro certo scit veneno a Domitiano sublatum. Quamquam hic sibi obloquitur alio loco ubi dicit febri eum occubuisse. Digna ista febris est in qua paulisper subsistamus. Ad montes, ad balnea propter illam profectum Titum narrat Suetonius (lubenter credimus: adolescentibus qui in Oriente indulserint genio utilissima esse solet illa aeris et coeli mutatio), sed in itinere vehementi correptum febri. Qualis ea fuit? Eane quam barbare hodierni medici *typhoideam* (dubitant etiam et dubitabunt sitne *typhoidēa* an *typhoidĕa* dicenda) appellant? Negat Dio ea Domitiani narrans consilia quae, quamvis fuerint nefaria, tamen fratri, si in eiusmodi morbum incidisset, certam ultro attulissent salutem. Haec enim addit: „cum viveret etiam Titus et salvus esse posset, in nivem eum inici iussit Domitianus quo citius animam efflaret". Profecto parum afuit quin probus ille senator Dio Cassius Cocceianus typhi sanandi iam ante tot inveniret saecula rationem [14]).

De industria deliberatoque consilio receptaculum quoddam est factum Domitianus omnium scelerum et facinorum atque etiam

„persecutionis Christianorum". Idemque ille Dio manifestum mihi praebet eius consilii indicium. Pueris docendis aptissima illa fabella de Tito optimo, Domitiano pessimo Vespasiani filio, quam iocose refutatur a .... Vespasiano ipso lepidissimo facetissimoque [15]) illo homine et imperatore! Vespasiano ipsi, Catoni illi redivivo, ne in mentem quidem venit filiorum suorum alterum ab altero magnopere differre. Etenim „post assiduas in se coniurationes ausus (est) affirmare senatui aut filios sibi successuros aut neminem". Eheu miseret me sanctorum illorum apud Tacitum Suetoniumque senatorum qui et Vespasiano sint insidiati, nimirum officio iubente sed reluctante animo! Quid enim aliud sibi Vespasiani illa volunt verba quam hoc: „operam perdere nolite, viri amplissimi; me occidendo nihil proficietis"? Sed de Vespasiano Domitianoque agimus: unum illud *filios* quam praeclare defendit absolvitque Domitianum! Probe hoc intellexit Dionis epitomator Xiphilinus monachus: Vespasianum enim dicentem facit: „*filius* mihi succedet" Visane haec ei *pia* fraus sit nescio, sed *fraudem* esse scio.

Haec etiam addo priusquam promissum solvam. Fabula de rhombo apud solum Iuvenalem [16]) legitur, de cena funebri illa apud unum Dionem [17]). *Haec* mihi videtur tragoedia ex eo genere e quo est Neronis navis illa funesta, *illa* satira ab ipso Iuvenale inventa et mire aucta. Si verae essent historiae, non siluisset de iis Suetonius. Sed fac veras esse historias, utrum Domitiano sunt dedecori an senatui? Tiberius quondam cum e curia egrederetur, respiciebat et secum: *ὦ ἄνθρωποι ἐθελόδουλοι* aiebat. Sibine ipsi tum maledicebat an ordini amplissimo cuius servilem animum usu cognoverat?

Nunc illud dicam speculum quod sit, unde prospiciam et Domitianum ipsum et eius imperium. Est illud .... Statii Thebais. At enim adulator est Statius. Itane est? Sic quoque bipartito homines sunt dividendi ut veraces dicantur alteri, alteri adulatores? Equidem Graecum illum Macchiavellum potius sequor, qui librum pseudo-Xenophonteum *de republica Atheniensium* scripsit, sive ille est ipse Aristoteles sive aliquis Aristoteli aequalis, qui docte docendique causa de reipublicae administrandae ratione disputarit: docet enim ille neminem certam quandam reipublicae speciem probare quam certis argumentis convictus

omnium optimam esse sibi habeat persuasum, sed omnes amplexari eam quae ipsis praebeat securitatem et quietem. Non esse hanc doctrinam hominis celsissima quaeque appetentis lubenter concedo, sed plerique eam sequuntur, etiam Statius atque eam ipsam ob causam .... luculentissimus mihi testis videtur. Hoc unum tamen ante omnia observatum velim nunquam id fecisse Statium quod ab eius competitore Martiale fieri tam aegre ferimus — fortasse praematura morte Statius praeventus est — ut quem vivum coluisset allatraret mortuum [18]).

Esto — adulator est Domitiani Statius. Eam ipsam ob causam eius potissimum utar testimonio. Sed prius de poeta Statio est videndum. Magnum de bello Thebano conscripsit epos. Nihil est facilius quam hoc ubi audiveris statim de toto carmine sententiam pronuntiare gravissimam. Vel is qui nullum unquam eius legerit versum, facere id potest. Non fuit illius belli oculatus testis Statius, sed neque fuit vir doctissimus *Leon Legras* qui hac aetate doctum de eo conscripsit librum, neque *Fridericus Leo* neque quisquam alius eorum qui Statium poetam condemnarunt. Unquamne illi viri docti vel unum fecerunt hexametrum? Hoc si fecissent, quomodo de poesi latina, de posteriore praesertim, iudicandum esset scirent. Ridiculum est ingenti doctrinae copia demonstrare velle a prioribus poetis pendere Statium: nusquam dissimulat se Virgilium aemulari, ab aliisque pendere se *velle*. Prorsus operam perdat qui demonstrare studeat male istud cohaerere epos. Nam quodnam epos antiquum bene cohaeret? Aeneisne? Vel ipsa Ilias? optime illa cohaerere videtur illi soli qui nihil aliud eius praeter exemplum bene ligatum conspexerit. Hoc vero omnium est iniquissimum omne vitiorum genus vitio dare Statio quae in prioribus poetis aequo ferimus animo. Dabo lepidum exemplum. Hypsipyle illa quae sitientibus copiis fontem monstrat nutrix est infantis regii Opheltae, sed ipsa duos habet filios plus viginti annorum. „Étonnante nourrice" hic Legras exclamat et sic bonum nostrum Statium deridendum tradit posteris. At Helena illa quam e poesi notam habemus num in rerum esse natura potuit, vel Iocaste vel Penelope? Concedo me cum oblectare me libro velim „Pickwickianas chartas" vel „herbas siccatas" praeferre Statii de rebus cruentis narrationi terribili. Sed non id nunc quaeritur.

Hoc unum quaerendum est quid *Statii aequales* voluerint et quomodo ille eorum obviam ierit voluntati. Statimque respondemus per duodecim eum annos strenue huic carmini dedisse operam idque omni librorum genere usum. Iam nunc quivis scire potest id quod docte demonstrare velle ineptum sit, prodiisse aliquid quod non sit ad nostrum palatum. Nunc qui latinos facere versus potest, si quod habet argumentum quod invenit ipse, de eo carmen 150 versuum, hodiernis lectoribus placiturum, uno perficit die. Fac — licet sit incredibile — eundem magni carminis heroici faciendi cepisse consilium: duobus mensibus fecisset quod versuum numero Thebaidi par esset. Adde alterum tantum tempus ad perficiendum poliendumque et anni dimidio paratum erit opus quod ab hodiernis hominibus legi tamen possit. Nimia carmen, cui duodecim sint insumpti anni, doctrina varia atque molesta fore refertum cuiusvis est vaticinari. Sed sic tunc volebant censores. Sic eo pervenit quo voluit Statius ut patres ad sua carmina audienda concurrerent, iuvenes ea ediscerent [10]).

Atque in componendo quoque carmine hic illic contigit Statio ut magistros ipsos superaret. Paucis exemplis luculentis rem illustrabo. Antigonam Sophocleam legentes parum intelligimus *cur* Polynicen humari vetet Creon, Statins eandem rem egregie exponit: ipsius Creontis filius Menoeceus Tiresiae vaticinio parens ipse suam dedit vitam patriae: *hunc* pater moestus summis honoribus affectum tumulat, qui honores quo magis sint perspicui, insepultos iacere iubet hostes istos abominandos quorum culpa praestantissimus ille periit iuvenis. Crudelem se hic Creon praebet, sed crudelem patrem.

Apud Sophoclem Antigone tyranni legem spernit. Apud Statium non Polynicis sorori soli eius curae corpus est sed etiam uxori. Haec noctu egrediens, apud dilecti mariti corpus cum Antigona conveniens mulieresque inter se certantes utri poenae capitalis honor debeat contingere — haec omnia praeclare a Statio depicta sunt, suntque ea inventa ab ipso.

Nisi et Euryali nocturnum iter quid sibi velit parum est perspicuum, Doloniae vero consilium prorsus latet. Statius contra quod de simili re dat episodium, eius egregie constat ratio. A Thebanis repulsi sunt Argivi et nunc in suis ipsi castris obsi-

dentur. At interea mulieres Argivae Iunonis implorarunt opem, quae his mota precibus Somnum suas infundere iubet vires in obsidentes urbanos. Ergo strenui quidam iuvenes Argivi e castris egrediuntur non solum ut diurnam ulciscantur cladem sed etiam ut occisorum potiantur corporibus; atque inter iuvenes illos primarium pro Niso et Euryalo tenent locum: Hopleus, Tydei, Dymas Parthenopaei iuvenis comes et amicus. Nonne lepidissime invenit Statium quo modo non solum decimum sed etiam sextum librum cum cetera coniungeret Iliade?

Sed de ipsa compositione non erat cur magnopere sollicitus esset Statius. Nemo enim totum eius opus uno tempore perlegebat: ipse selectis quibusdam recitabat amicis singulos singulis annis libros. Non erat cur illi rogarent, immo ne rogare quidem poterant benene totum cohaereret carmen: pulchris detineri cupiebant episodiis, novas admirari imagines, acute commoveri dictis. Alione nos agimus modo ipsam illam Divinam Comoediam legentes, quam solam ex omnibus longioribus carminibus bene cohaerentem vidimus? Et quoniam semel de Divina loquor comoedia: viris illis doctis qui Statium quo iure tam superbe fastidiant frustra roges (an idonea eius rei causa haec est quod Goethei sunt cives?), reputandum erat a Danteo nullum poetam maiore quam Statium affici honore, Danteum sedulo sibi lectitatum Statium disertissima dare documenta. Certe auditoribus suis *locorum* quibus adstupescerent ingentem Statius praebuit copiam. Opheltem hic infantem (nam parva depingere vel maxime callebat noster) nomino qui a serpente obiter tactus moritur sicut dormiverat dum *prensa manus haeret in herba.* Affero fratres internecivo odio inter se concurrentes duarum navium instar quae in alto mari opaca nocte committunt proelium, qua imagine nulla vel cogitari potest horribilior, matres Thebanas quae

arma nitentia natis
Et formidandos monstrant sub casside patres.

Denique (nam paucis me esse contentum oportet exemplis ex ingenti electis copia) Iocasten illam, dum procedit ad fratres inter se conciliandos

Aniles
Praecipitantem artus et plus quam possit euntem.

Sic mihi poeta tractandus videtur ut in clara luce ponantur

quae habet propria; nam quae ei cum ceteris omnibus sunt communia colligendi negotium mediastrino alicui committere possumus.

Esto: successu inter suos non caruit Statius, idque optimo iure. Nunc quoque libros eius perlegentes id sentimus, semper enim levior ei fieri labor videtur. Priores libri multas nobis exhibent molestias, ultimi non solum perpoliti sunt sed etiam lectu faciles. Hunc tamen gratissimum fuisse Statio successum sponte intelligimus quod ipse imperator eum recitantem audire sit dignatus. An non dixi *adulatore* mihi praesertim Statio opus esse?

Atque eo honore laetatum poetam quid miremur? Si quisquam, Domitianus bonarum erat artium patronus ideoque Minervam sibi patronam sumserat. Quintilianus, summus ille orator, qui solus artem Ciceronianam in vitam revocare posset, illius erat imperatoris cliens. Et Agonem Capitolinum instituit idem imperator, Romanorum illud certamen Olympicum in quo victorem renuntiari praecipuum erat omnium poetarum votum, ideoque et Statii, cui, quamvis ad eam rem omnes intenderit vires, nunquam eo ut perveniret contigit. At malus fuit imperator, ergo Agon ille Capitolinus tyrannica fuit insania. Illa tamen non interrupta usque ad quintum perduravit saeculum!

Publicae illae quales fuerint recitationes etiam nunc intelligimus. Splendidum dat poetae utendum auditorium (*οἶκον* Graeci appellant) vir aliquis opulentus, aut magna conducit pecunia poeta ipse. Invitationes, similes precibus, tota urbe ad nobiles sunt missae homines, palam diu ante solemnis ille est indictus dies, qui tandem aliquando advenit: consedere duces in eorumque numero haud pauci sunt artis poeticae peritissimi, severae quorum censurae iamiam novum opus permittetur. Surgit ad hos poeta, nomine notus tantummodo, sudor metu erumpit amicis eius et necessariis. Audite nunc Statium sic ordientem: cano

Fraternas acies alternaque regna profanis
Decertata odiis

simulque fingite Domitianum qui postquam et ipse humillimis morem gerens precibus intravit auditorium sic *salutatur*! Nam in se haec iaci maledicta et convicia putare debuit si unquam suspicatus erat a quoquam mortalium dubitari quin semper

inter illum et fratrem Titum summa fuisset gratia et mutua caritas.

Et paulo post illa sequuntur verba quae magis etiam auditoribus in mentem vocare illos debebant fratres, si unquam quidquam audivissent eorum quae postea historici fabellis suis anilibus per totum spargere imperium Romanum conati sunt:

vs. 196 hic imperat, ille minatur

sic queritur populus audito constituisse fratres ut vicissim imperârent.

At enim, non *statim* contigit Statio ut auditorem haberet Domitianum, fortasse ille non adfuit cum liber recitabatur primus:

Huic ut rite respondeam argumento in praesentia haec mihi fingo quae iam enumero (quam parum sint verisimilia sponte intelleges):

Non plane omnia fuisse ficta quae de Domitiano susurrat Suetonius et narrant alii.

Tempore Statii iam fuisse sparsos quamvis leves quosdam rumores de aliqua inter Vespasiani filios discordia.

Nullum e Statii amicis, quos tamen de poetae consilio iam multo ante aliquid inaudivisse res ipsa loquitur et ne poetae uxorem quidem sic eum in tempore monuisse: „quid tibi vis insane? Nonne vides hoc uno, a quo ordiris, versu te ipsum non solum efficere ut nunquam tibi propitius esse possit imperator sed etiam ultro capitis provocare periculum: an tu solus ignoras rumores hominum? Me si audis, totam istam Thebaida missam facies: nullum enim argumentum nunc minus aptum est."

Nullum delatorem ad principem quidquam retulisse de primo illius carminis versu quo tam impudenter ille ipse notaretur.

Ipsum poetam omnium ignarum rerum, quique, ut est in proverbio vernaculo, „de principe mali sciret nihil" ad secundam eum invitasse recitationem et principem poetae gessisse morem invitationi.

Quo modo eum affectum putemus cum sic poetam audiret declamantem (II, 116: Laius ibi ab inferis, ut Sisyphus in Vondelii Palamede, revocatus sic Eteocli nepoti dirum inspirat facinus):

.... habe Thebas, caecumque cupidine regni
Ausurumque eadem *germanum* expelle, nec ultra

Fraternos inhiantem obitus sine fidere coeptis
Fraudibus.

Annon qui sibi alicuius conscii sunt sceleris semper et ubique se crimine aliquo peti suspicantur?

Nec minus diserta tantum non ex omnibus afferri possunt libris: III, 369 Polynices Tydeum amicum fidelem Thebas misit qui regnum sibi repeteret. At Eteocles illum non solum contumeliose facessere iussit sed etiam redeunti struxit insidias, unde victor quidem sed vulnerum plenus evasit. Videt Polynices quantum periculum amicus sua causa adierit exclamatque:

o ego divis
Invisus vitaeque nocens haec vulnera cerno
Integer? hosne mihi reditus, *germane*, parabas?
In me haec tela dabas. Pro vitae foeda cupido!
Infelix, *fratri* facinus tam grande negavi.

et vs. 380: hunc ego Thebis,
Hunc, *germane*, tibi iugulum et tibi, maxime Tydeu,
Debeo.

IV, 307 Belli Thebani non erant participes Mycenae:
Funereae tunc namque dapes mediique recursus
Solis, et hic alii *miscebant proelia fratres*.

vs. 392 Baccharum regina sic lamentatur (Bacchum alloquens):
At tua progenies, positis gentilibus armis
Queis tibi festa litant, bellum lacrimasque metumque
Cognatumque nefas, iniusti munera regni,
Pendimus. Aeternis potius me, Bacche, pruinis
Trans et amazoniis ululatum Caucason armis
Siste ferens.

Iam hic inter se iuncta habes *fraternam caedem* et *regnum impium*. In praesentia haec retineto! Mox eodem redibimus.

VI, 491 In curruum certamine parum afuit quin Polynices improviso casu interiret. Haec res poetae facultatem praebet sic declamandi:

Quis mortis, Thebane, locus, nisi dura negasset
Tisiphone, quantum poteras dimittere bellum?
Te Thebae *fraterque* palam, te plangeret Argos.

(An non hoc tibi, qui Suetonio fidem habes, poeta dicere videtur: „non opus fuerat Domitiano Titum veneno aliove modo

tollere, si Hierosolymis ei, ut Pyrrho Argis, tegula in caput fuisset iniecta"?)

vs. 894 Polynices certamen inire cupit nimis plenum periculi, sed sic eum retinet Adrastus:

Ne, precor, ante aciem ius tantum casibus esse
Fraternisque sinas (abigant hoc numina?) *votis*.

VII, 467 Dum dormiunt fratres

It geminum excutiens anguem et bacchatur utrisque
Tisiphone castris; *fratrem* huic, *fratrem* ingerit illi.

(iam enim sola ea vox cruoris caedisque avidos reddit).

vs. 508 (In castra venit hostilia Iocaste et Polynicen sic obtestatur):

Tecta vide, fratremque ... (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere et regnum iam me sub iudice posce.

(frustra: sic saepe Vespasianus ille, quem nobis exhibet Suetonius, filios suos frustra conciliare erat conatus).

vs. 540 (Sic Polynicen Tudeus ne fratrem adeat dehortatur):

Me potius, socii, qui fidum Eteoclea nuper
Expertus (*nec frater eram*) me opponite regi.

VIII, 69 Rex inferorum iratus quod vivus ad se descenderit Amphiaraus sic alloquitur Tisiphonen:

I Tartareas ulciscere sedes
Tisiphone: si quando novis asperrima monstris,
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit aether
Ede nefas, quod mirer ego invideantque sorores.
Atque adeo *fratres* (*nostrique* haec omina sunto
Prima *odii*) fratres alterna in vulnera laeto
Marte ruant.

Fraterna odia, et alia et illa Titi et Domitiani, a Tartari rege ipso immittuntur!

vs. 687 Immani vi Tydeus in Eteoclem, qui sibi tam perfide modo sit insidiatus, hastam coniicit, quam fausto lumine prosequuntur volantem et Argivi et Thebani. At

crudelis Erinys
Obstat et infando differt Eteoclea fratri

(nonne Suetonio alicui ista audienti poeta visus esset lamentari quod non Iudaeus aliquis Titum perfodisset hasta et sic Domitiani eripuisset insidiis?)

Sed quid memet ipsum interpello et non legentibus ipsis iudicandi permitto ius? Hercle non difficile illud iis foret munus. Non poterat non usquequaque Thebaidem legens audiensve se peti suspicari Domitianus, nisi conscius sibi fuisset ne verbo quidem adversus Titum pietatem laesisse se unquam vel cuiquam laedere visum esse mortalium. Coram Domitiano qui suam recitaret Thebaidem, carmen illud perpetuum de fraternis odiis, in quo (nam hoc disertius quam cuncta alia quae iam ex illo attulimus carmine) *duae* iubentur Furiae fraterna excitare arma quoniam una dirissimo illi omnium facinorum par non sit (L. XI, 55—113), is ultro mortis adisset periculum nisi et ipsi et omnibus civibus fuisset persuasissimum inter praesentem prioremque imperatorem perpetuam fuisse et inconcussam concordiam fraternam, eamque pietatem quae iussu senatus nummo incisa est aereo, qui in Christinae reginae asservatus est thesauro.

At quamvis illud sit incredibile, negari tamen non potest fieri potuisse ut nihil hic audiret Caesar quod ad suas cum fratre inimicitias pertinere videretur (ut iam faciamus revera ullas inter eos fuisse et non omnes esse fictas a calumniatoribus et fabulatoribus postea natis); fieri potuit ut semel tantummodo per breve tempus uni adesset imperator recitationi, quin etiam ut semper cum opus esset obdormisceret; quamvis sit parum veri simile, non tamen ipsae vetant naturae leges nullum unquam exstitisse delatorem qui homini suspicaci et ultionis cupido (et non debuit esse suspicax ultionisque cupidus qui fratrem a se occisum sibi esset conscius?) praedam hanc paratam optatamque monstraret: poetam qui ausus esset suum scelus tam aperta notare infamia .... est et aliud quoddam vitium non minus invisum, quod tamquam suum notari Domitianus, quamvis Thebaidis partem audiens, suspicari deberet nisi — et hoc nobis pro certo esse credendum mihi est persuasissimum — scivisset imperator non solum se illius esse vitii prorsus immunem, sed etiam scire id omnes Romanos et prae ceteris Statium poetam: mentem dico tyrannicam. Tamquam tyrannum se omnium odio et contemptioni exponi putare deberet imperator nisi longe a se culpam hanc abesse sibi fuisset conscius. Non omnes citabo locos Thebaidis — nimis multi illi

sunt — ubi in tyrannos tyrannidemque poeta invehitur. Paucos quosdam atque maxime insignes afferam, quibus auditis unusquisque mihi statim concedet talia recitari in ullo Romanorum conventu non potuisse regnante principe qui vel paucis civibus quidquam cum tyranno commune habere videretur

L. I, 138 sqq. insignem hi versus continent laudem Domitiani ét fratris ét principis:

Alterni placuit sub legibus anni
Exilio mutare ducem ....
Haec inter fratres pietas erat, haec mora pugnae
Sola nec in regem perduratura secundum.
Et nondum crasso laquearia fulva metallo,
Montibus aut alte Graiis effulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes;
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiae.

Hic certe (nam *pila* ista Romana quis non agnoscit?) Romam translatas habetis Thebas, sed a poeta qui probe noverit hoc nomine hodiernam ab antiqua differre Romam quod nunc ibi regnet princeps cui non sint metuenda quae illi metuerint fratres, qui placido possit frui somno et alias ob causas et quia scit quanta semper fuerit erga fratrem pietate. Propter hunc locum aliosque ei similes legentes modo rogabam ut memores essent versuum ubi *prava dominatio* et *fraterna caedes* inter se iungerentur.

L. III, 100 sqq. A nocturnis insidiis Tudeo structis unus Thebanus revertitur Maeon, qui acerbissima oratione in Eteoclem invehitur turpissimi facinoris auctorem, quod tot perdiderit viros fortissimos. Iam stant parati regis satellites qui oratorem nimis audacem prehendant cum ille gladium destringit et

nunquam tibi sanguinis huius
Ius erit aut magno feries imperdita Theseo
Pectora

multaque alia in eam sententiam clamans se percutit. Quem sic laudibus extollit poeta:

Tu tamen egregius fati mentisque nec unquam
(Sic dignum est) passure situm, qui comminus ausus

Vadere contemptum *regem*, quaque ampla veniret
Libertas, sancire viam.

Sapiens qui mori audet sibique consciscere mortem non veretur etiam sub tyranno suam sibi vindicat libertatem. Sed quod Statius, qui in hodierno imperatore omnem suam reposuerit spem, nunc — illo ut opinor praesente — talia declamat certissimo est documento neque poetae neque cuiquam mortalium tunc Domitianum visum esse illum tyrannum qui sic sibi consulere libertatis amantes cives cogat.

L. III, 216 In funere eorum qui Eteoclis culpa ceciderunt omne maledictorum genus in perfidum tyrannum evomit Aletes senex.

Unde ea libertas? iuxta illi finis et aetas
Torta retro, seraeque decus velit addere morti.

Sic secum disputat poeta, simulque ut opinor haec cogitat: „quam felices nunc vivimus sub bono principe"! idque ex animi sententia. Aut versus illos chartae mandare nunquam ausus esset.

E bonorum principum numero et Thoas fuit de qua Hypsipyle haec narrat V, 241:

Ille quidem dudum (quis *magna tuenti*
Somnus?) agit versans secum e. q. s..

Et quis haec recitanti poetae stat ante oculos tamquam *maxima tuens*? Quis nisi Domitianus?

Hypsipyle illa non ut ceterae mulieres occidit viros, immo vero clam patrem e periculo instanti servavit.

„His mihi" (ait V, 320) „pro meritis"
regno et solio considere patris
Supplicium datur.

„*Supplicium* est solio considere *patris*". Haec audiens potuitne, obsecro, *non* suspicari sic dirissimam suam describi sortem Domitianus, idque ab acerrimo adversario, nisi et ipsi et ceteris omnibus minime misera illa sors tum videbatur, aut, ut aliis idem dicam verbis, nisi sibi erat conscius se a civibus suis dignum boni patris successorem haberi?

VIII, 262 Dormientibus omnibus solus vigilat Adrastus

Quamquam aeger senio, sed agit miseranda potestas

Potestatem habere miseranda res est qua dei significant aliquem sibi aut odio esse aut certe a se relinqui. Miseris his *non* ad-

numeratur Domitianus, ergo Domitianus est .... sed quid hinc efficiam mox dicam; latius etiam patet illud.

VIII, 286 Postquam non comparuit Amphiaraus, ab exercitu vates creatur Thiodamas, qui licet honore illo gaudeat, simul tamen probe sentit quantum sibi incumbat onus. Haec res poetae facultatem praebet huiusce afferendae comparationis:

Sicut Achaemenius solium gentesque paternas
Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat.

Quidni hic Domitianum nominat potius quam aliquem regium puerum e Perside huc arcessit? Hoc quoque statim dicam: apparebit quam magnas nos Statius res sua doceat Thebaïde.

VIII, 679 Ardens ira in impium insidiatorem Eteoclem irruit Tydeus et his eum increpat verbis:

Imus in arma *palam* tandemque ostendimus enses,
An noctem et solitas *placet* expectare *tenebras*.

Nunc certe nunc Domitianus, nisi omnia ista dira quae de eo narrant Suetonius, Tacitus, Plinius *de nihilo* fuissent ficta, *se* a poeta petitum sentire debuit. Hoc enim proprium habebat illa ab his descripta Domitiani crudelitas quod identidem secedebat cum saevo aliquo proditurus consilio. Hoc est illud *terribile Domitiani secretum*, quod nisi post mortem eius demum esset excogitatum, hic sibi disertis obiici verbis sentire princeps debuit. Nam ad absentem *tyrannum* statim esse allatum de illa nimis aperta contumelia sponte intelligitur. Sed hic duobus est occurrendum argumentis quae contra meam disputationem utcunque possunt afferri. Primum aliquis hoc dicere potest: „non opus nobis tuis observationibus, nam imperante Domitiano plenam fuisse Neroni maledicendi licentiam vulgo notum est. Quid quod Domitiano, si fuit, atque adeo *quoniam* fuit saevus ille tyrannus, quem nos notum habemus, Neroni maledici lubenter audire debuit: se enim ea comparatione laudari putare potuit". Huic ego hoc respondeo: diversas inter se confundis res: aliud est ita Neroni maledicere ut de ipso solo Nerone loquaris, aliud obscure in universum de totius tyrannidis declamare saevitia: tum enim summum adest periculum ne qui nunc imperium tenet ista omnia tamquam de se dicta accipiat .... nisi talis est ille imperator qualem fuisse Domitianum iam satis apparet.

Deinde qui quae de hoc tempore sunt tradita memoria tenet sic me refutare conari potest: „extrema illa Domitiani saevitia, quam Tacitus in Agricola depingit, cum *Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit*, extrema illa Domitiani saevitia ultimis demum illius imperii coepit annis. Atqui Statius Thebaidem inchoavit a. 80 perfecitque anno 92, ergo ....". Praeclare haec omnia, optime traditorum patrone, et inter se concinunt et cum Merivalii coniectura (quamquam Merivalius ea saltem est prudentia ut Domitiani crudelitatem tempori magis et toti reipublicae quam ipsi Domitiano det vitio). Quaerit enim doctus Anglus: „quid exspectandum fuit Domitiano ut omnia abiiceret vincula?" Parutumque habet hoc responsum: „*Agricolae* mortem Domitianus exspectare debuit". Egregie, pulchre! Novimus illud Brandtii epigramma quod in Taciti versione subscriptum est Tiberii imagini:

Dum te continuit pudor et metus, esse bonus vir
Visus es; at princeps rupisti ea vincla; tyrannus
Tunc patuit, fugitque pudor cessitque furori:
Quis caveat vulpis latitantem pelle leonem?

Haec doctrina moralis, quae pueris discenda dari solet, nunc hic quoque recurrit. Nam vix est credibile dictu quam inter se sint similes Domitianus Tiberiusque. Sed illi, quam tu tamquam filiolam tuam exoscularis „traditioni", parum illud prodest. *Tradit* enim Suetonius *terribile* illud *secretum* natum iam esse *inter initia principatus*. Quidni puero etiamtum Domitiano cum *muscas captare ac stilo praeacuto configere* in deliciis habebat? Ad hoc vero quod attinet: alere nolim omnes viros probos qui pueri fuerint crudeles.

X, 181 De regibus quos in occisorum locum Adrastus legit haec dicuntur:

Stant circum subiti proceres, ut quisque perempto
Proximus et magnis loca desolata tuentur
Regibus, *haud laeti seque huc crevisse dolentes.*

Res enim est tritissima regem esse.

X, 700 Menoeceum pro patria vitam daturum Creon pater ab hoc retinere conatur consilio; an tu putas ait „a diis immissam vatem Manto illud iubere:

quid si insidiis et fraude dolosa
Rex agit, extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas tuaque ante duces notissima virtus?

Qui ipsi sunt dignitate proximi de medio tollit tyrannus .... in hac quoque re a Domitiano diversissimus, ut ego opinor.

XI, 261 Post Menoecei mortem vehementer in regem, cuius causa illa victima cecidit, invehitur Creon:

Ecce aderat luctu dicturusque omnia *belli*
Libertate Creon.

Quamdiu bellum geritur quaedam superest libertas, cum pace redit mutum servitutis silentium. Sic *sub tyranno* res se habet, non vero sub bono imperatore.

XI, 574 Cum mutuis vulneribus ceciderunt Oedipodis filii, in hosce erumpit versus poëta:

Ite truces animae funestaque Tartara leto
Polluite et cunctas Erebi consumite poenas!
Vosque malis hominum, Stygiae, iam parcite, divae:
Omnibus in terris scelus hoc omnique sub aevo
Viderit una dies, monstrumque infame futuris
Excidat, et soli *memorent* haec proelia *reges*.

Inter *reges* certam sibi sedem fraterna caedes habet! Potuitne apertius poeta regum principumque quos vidit ipse notare discordias, si de iis eo tempore vel levissimus exstaret rumor? Nonne uno hoc loco refutantur aniles illae, quae postea natae sunt, fabellae, et de Domitiani tyrannide et de fratre ab eo occiso?

XI, 654 Post Eteoclis mortem Creon:

scandit fatale tyrannis .... solium.

„Tyrannis ipsa sua poena est". Iucundum hoc auditu illi qui unquam cuiquam mortalium tyrannus visus sit ipse!

XI, 684 Oedipus a novo rege in exsilium pulsus et alia huic respondet et haec: potius occide me: „timida inclementia *regum* ista".

In Taciteum ista egregie conveniunt Domitianum.

Tum ei haec imprecatur:

Habeas Thebana regasque
Moenia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit
Quoque ego, sic *thalamos*, sic pignora fida capessas!

Hic recorderis velim calumnias de incesto Domitiani et Titi filiae [20]).

XII, 199 „Vos" Polynicis uxor ad ceteras uxores eorum qui ante Thebarum moenia ceciderunt ait:

Actaeas acies Marathoniaque arma
Elicite, adspiretque pio Fortuna labori.
Me sinite Ogygias, tantae quae sola ruinae
Causa fui, penetrare domos et *fulmina regni*
Prima pati.

Tyrannus calamitatis et fulguris instar est, sed maxime primo tyrannidis suae tempore. At semper tyrannis regnumque unum est e malis quibus affligitur gens humana. Misericordiae ara Athenis est perfugium hominibus: procul inde stant

500 iraeque minaeque | *regnaque.*

Theseus, precantibus mulieribus ut adversus impium Creontis imperium opem ferat insepultis exclamat:

590 Quaenam ista novos induxit Erinys
Regnorum mores.

Regnorum et regii mores: non est ullum convicium aptius ad quaevis impia notanda facinora.

Tandem aliquando cum Theseus exitiale coniicit telum in Creontem dirum illum etiam adversus mortuos tyrannum, poeta declamat (771):

Argolici, quibus haec datur hostia, Manes
Pandite Tartareum Chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon!

Suam sibi in Tartaris habent sedem et alii impii et praesertim tyranni.

Ah miseret, miseret pii illius monachuli Xiphilini, vel eius auctoris Dionis, cum Curiatium Maternum (rhetorem illum philosophum poetam, alterum denique Statium) narrat tyranni iussu esse necatum quod maledixisset tyrannis, sive his addendum etiam est *ἀσκῶν* quod traditum est, ut Maternus illud fecerit in aliqua declamatione quam semet exercitandi gratia habuerit [a]), sive, id quod mihi solum verum esse posse videtur, *ἀστεῖον*, ita

a) Simile aliquid Dio 59, 20, 5 de Caligula narrat: *ὥστε καὶ Καρίναν Σεκοῦνδον ῥήτορα φυγαδεῦσαί ποτε, ὅτι λόγον τινα ἐν γυμνασίᾳ (γυμνασίῳ?) κατὰ τυράννων εἶπε.* Non tamen hic locus illud alterius *ἀσκῶν* satis tuetur. Non enim illud „declamans" sic Graece dicitur, et *εἶπέ τι ἀσκῶν* absurdum videtur, sed *εἶπέ τι ἀστεῖον* iam primo aspectu habet quo egregie commendetur.

ut de tyrannis acerbe iocatus quaedam Maternus sit. O bene quod ille monachus nunquam de Statio inaudiverit; quot ei fuissent comminiscendae mortes poetae qui non semel sed per duodecim annos continuos tyrannis maledixisset, non, hercle, iocandi causa, sed ut suae indulgeret tristitiae, neque inter pueros sed inter viros amplissimos, in conventu tam splendido ut ne ipse quidem imperator eo venire dedignaretur!

Monstrum atque prodigium quod ipse evomuit Tartarus tyrannus est; in nomine tyranni omnia insunt facinora quae ab hominibus possint committi. Nil tam est nefarium quod non sit ab illo metuendum; unum scelus est quod ille solus committere possit: caedes fraterna.

Hoc fere totius carminis Statiani est argumentum.

Atque hoc epos monumentum futurum erat literarium, aere perennius, quo apud seram posteritatem vel maxime inclaresceret Domitiani imperium ut Aeneide Augusti.

De Flaviis *fratribus* quid illud nos doceat satis iam constat; luce enim clarius demonstrat egregiam inter eos fuisse pietatem deque ea neminem dubitasse unquam aequalium. Quid vero de Domitiano *principe*? Primum hoc: *tyrannum* eum nemini visum esse vel videri potuisse. Sed praeterea hoc quod multo maius est (et hoc mihi volebam cum dicebam latius patere disputationem meam quam primo videretur aspectu):

neque *rex* est Domitianus. Sed hoc tantummodo in transitu dico: nam illam vocem semper Romani sunt abominati; regem qui se diceret semet ipsum damnabat capitis.

Sed ne imperat quidem solus suoque arbitrio: perstat etiam libera respublica eique praeest magistratus *legitimus*: imperator perpetuus provinciarum et legionum Caesaris, princeps Senatus, censor, tribunus plebis. Haec omnia *lex* ei praebuit, et esse hanc potentiam infinitam quid cives queramur? Dummodo sit penes principem *iustum sapientemque*. Et quatenus homini datum est, talis *erat* Domitianus: hoc sciebat ipse et scire sciebat omnes Romanos atque hoc scire Domitianum sciebat Statius — aut nobis statuendum esset Thebaidem quam nos habemus non esse ab aequale Domitiani compositam. En „criticam destructivam" quam meam esse dici nolim [21]).

ANNOTATIONES.

[1]) Hic mihi *Panegyricus* Plinii considerandus videtur, in praecedentibus semper *epistolae* eius spectabantur. Sed neque ille est uber fons historiae. In coelum extollitur Traianus sicut a Martiale et Statio Domitianus. Non quidem Plinius Traianum — ut Martialis Domitianum — ipsi praeponit Iovi sed tamen eum Iovis in terris facit vicarium (§ 80), ita ut tantummodo caeli ad Iovem pertineat cura: aequum est ergo omnem contra Domitianum denegare auctoritatem Plinio, quemadmodum nemo Martialis blanditias tamquam testimonia pro Domitiano citaverit.

Quid quod semel ipse orator omne sibi ius adimit testimonii contra Domitianum dicendi. Etenim § 46 Traianus laudatur quod pantomimos sustulerit, sed non minus Nerva quod restituerit:

»Nam et restitui oportebat quos sustulerat malus princeps et tolli restitutos. In iis enim quae a malis bene fiunt hic tenendus est modus ut appareat auctorem displicuisse, non factum".

Nonne summa haec iniquitas? Nonne talia legentibus in mentem venit rogare ecqua et alia multa *bona* Domitiani consilia a detrectatoribus eius, Traiani admiratoribus, in *mala* sint detorta. De impudenti quodam Plinii *mendacio* statim dicam.

Quae praeterea hic Domitiano obiiciuntur decantata sunt illa crimina quae et in epistolis, in Taciti Agricola aliisque ex eo genere libris legimus:

a. Domitiani saevitia et »secretum". Domitianus est immanis in suo antro belua § 48 et 90.

b. eius avaritia § 36 et 94.

c. eius rubor § 48.

d. metus quem incutiebat omnibus § 2 et 76. Domitiano imperante Neroni nemo maledicere ausus sit § 53. Hoc est illud quod modo dicebam impudens mendacium quod passim a Martiale refutatur, velut VII, 34 *quid Nerone peius* et IV, 63 Nero μητροκτόνος cf. Stat. Silv. II, 7, 118. Martialis de Nerone sibi constat. Domitianum mortuum Neronem appellat XI, 33.

e. D. se tamquam deum coli passus est § 2. Hic mihi observare liceat iam Titum *deum* vocari Mart. Epigr. 17. Patronum suum *regem et dominum* appellat cliens Mart. VI, 88. Haec est una e paucis illis rebus de quibus aliter ac nos sentiebant antiqui. Ceteroquin homines illi erant quales nos.

f. Prava eius consilia bellica § 12, 14, 16, 20. Sed vide quae mox de Frontino observabuntur et spernes iocos § 82 de »religato revinctoque navigio". Rerum qui fuerit status ignoramus et remulco trahi non ignaviae est indicium.

g. Suspecta habebat eminentia quaeque § 18 bis, 90.

h. Alterum illud tempus cum D. *odium bonorum professus est* § 95. Hic illud bipartito dividendi studium haerebat. In Tiberio bene procedebat illud: is certe aliquantisper visus est bonus, opponi ergo tempus poterat quo hanc quoque speciem abiiciebat. Sed Domitianus ne visus quidem unquam cuiquam bonus erat. Inventum ergo hoc est: priore parte imperii malus fuerat D. quia mala eius erat indoles, at altera parte *operam dabat* ut esset *quam pessimus* ut Phrynondas ille apud Lysiam *οὐ μόνον κακὸς ἀλλὰ καὶ βουλόμενος εἶναι τοιοῦτος.*

i. Nimia servorum libertorumque potentia § 42. Sed vide ann. 6. Et omnino omnia istiusmodi crimina ideo nullam vim habent quia orator omnium qui ante (Nervam et) Traianum fuerunt imperatorum probat neminem: cum Traiano vetus rediit respublica; § 64 si principem cogitares; § 93 licet quantum ad principem tales consules agere quales *ante principes* erant; § 2 arrogantia priorum principum. (Ne Nerva quidem insons habebatur, iure: § 5 motus castrensis; § 8 Nerva coactus Traianum adoptare.) § 11 improbantur Tiberius, Claudius, Nero, atque etiam Vespasianus Titusque; § 45 priores principes — excepto patre tuo, praeterea uno aut altero et nimis dixi; § 47 quae olim erat *arx* principum nunc publica domus est, cf. Mart. XII, 15 et v. Ann. 18; § 63 superbissimis dominis; plerique; § 66 principum; § 67 idem; § 68 idem (insignis ille locus est!); § 71 illos; § 72 priorum principum; § 74 apud malos .... illi; § 82 ceteri principes voluptatibus erant dediti; § 88 plerique principes.

[1]) Dio c. 67, 14: *ἐπηνέχθη δ' ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἔθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν, καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν. ἡ δὲ Δομίτιλλα ὑπερωρίσθη μόνον ἐς Πανδατερίαν.* Sed nullae *Christianorum* persecutiones recte dicuntur nisi illae quibus data opera Christiani sunt petiti. Martyres, quibus ecclesia Christi gloriari possit, ad maiorem Christi gloriam offerre se morti debuerunt, non ideo occidi quod *forte* in eos commune aliquod conveniret crimen. Glabrio ille qui a Dione *statim post illos* nominatur (et *haec sola* inter hunc et illos intercedit ratio) qui tam bene cum beluis pugnare et poterat et solebat Christiani vel Iudaei nihil habebat. Et **nihil prorsus** nos docet inscriptio illa *Acilio Glabrioni filio* quae a. 1888 in »catacombis" est inventa. An nefas est eiusmodi aliquid de *inscriptione* affirmare? Hic est ille Xiphilini de eo locus: *τὸν δὲ δὴ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραιανοῦ ἄρξαντα* (a. 91) *κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα καὶ ὅτι καὶ θηρίοις ἐμάχετο ἀπέκτεινε.* Deinceps legimus hanc ipsam rem Domitiani movisse invidiam. Quae, obsecro, inter haec omnia et Christianismum intercedit ratio?

[3]) C. 38 legimus: »forte an dolo. nam utrumque auctores prodiderunt", c. 40 »videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere", utrobique agnoscitur oratio Tacitea cauta, vafra, suspicionibus movendis aptissima. Sed quam pomposa est loci de Christianis illa; pannus assutus nigrae vesti videtur: »sed non .... decedebat opinio quin iussum incendium crederetur" et vocabula subitam iracundiam (an *rabiem* dicam?) testantia: *exitiabilis* — *superstitio* et *cuncta atrocia aut pudenda*, quibus nullus hic locus. Eodem modo mihi istud c. 44 (inde a *sed non*) suspectum est quo mutuae Plinii et imperatoris de Christianis epistolae; illa Plinii eiusmodi est ut sponte oriatur coniectura ipsum Plinium de aliis scripsisse hominibus: nihil enim ibi legitur quod Christianorum sit proprium. Idem Plinius (Epl. III, 17) de morte Silii Italici (a. 101) agens haec scribit: »an non videtur tibi Nero modo modo fuisse?" Credamusne eum pauculis post annis plane oblitum Christianorum persecutionis a Nerone iussae? Nam si quidquam illius obversaretur eius memoriae, in epistola ad Traianum nullo modo de ea tacere potuit.

[4]) Aliud Domitiani consilium utilissimum a Martiale VII, 61 sic laudatur:

Tonsor, copo, cocus, lanius sua limina servant,
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

[5]) Vestalis illa Cornelia, quae iussu Domitiani »more maiorum" punita est quin poenam illam meruerit vix dubitari potest. Certe Licinianus qui eius fuit conscius etiam imperante Traiano exsul est; e priore exilio, »molli" et ipso, a Nerva in Siciliam est translatus at ibi mansit; ne Traianus quidem in integrum eum restituit. Plin. Epl. IV, 11.

[6]) Ergo non sine iusta causa a Martiale hoc nomine laudari imperatorem credimus quod nunc aulici civiliter se gerant IX, 79:

Oderat ante ducum famulos turbamque priorem
Et Palatinum Roma supercilium:
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum est
Ut sit cuique suae cura secunda domus.
Tam placidae mentes, tanta est reverentia nostri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos — haec est aulae natura potentis —
Sed domini mores Caesarianus habet

Eiusmodi aliquid ne ab abiectissimo quidem dici adulatore potuit... nisi admodum firmum adesset veritatis fundamentum. De iudiciorum

quae imperante Domitiano fuit gravitate nullum est disertius testimonium quam illud Iuvenalis S. XIII, 157 sq. »Quantumvis" ait ille »scelerum cogita":

Haec quota pars scelerum quae custos Gallicus urbis
Usque a lucifero, donec sol occidat, audit.

Rutilius ille Gallicus praefectus urbis fuit annis 89—91 et hic tamquam exemplum ponitur viri, cui multa fuerint audienda scelera. In proverbium abiisse iudiciorum, quae tempore Domitiani fuit, severitatem hinc apparet, nam, quemadmodum vs. 17 docet, scripta illa satira est post a. 127 ergo plus 30 annis post mortem Domitiani.

[7]) Totus Suetonii locus (Dom. 8) de quo hic agimus huiuscemodi est: »Magistratibus quoque urbicis provinciarumque praesidibus coercendis tantum curae adhibuit ut neque modestiores unquam neque iustiores exstiterint; e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus". Audi nunc Iulium Iung (»Italien und die Römische Weltherrschaft" p. 428 in »Weltgeschichte herausg. von Helmolt") disputantem: »das Misstrauen des Kaisers gegen alle senatorischen Würdeträger hatte zur Folge dass er strenge kontrolle über die Provincialverwaltung übte. Da dies den Unterthanen zu gute kam, darf man sein Regiment keineswegs auf eine Stufe mit dem eines Gaius oder Nero stellen". Plinius redivivus! nam illi »senatorische Würdeträger" nimirum omnes fuerunt exempla probitatis et integritatis.

[8]) Nemo disertius Domitianum suo adiuvat testimonio quam candidum illud pectus Plinii. Epl. I, 12 narratur de Corellio Stoico qui diros corporis dolores tamdiu sustinuerit ut »isti latroni (Domitiano) vel uno die" superesset. Et cum occisus esset Domitianus, cibo abstinuit. Nonne liquido e tota hac narratione apparet tunc inter senatores fuisse quoddam Caesaris occidendi certamen? Cum praesertim haec ipse addat Plinius: »dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat". Deinde in mentem revoca tibi Vespasiani dictum illud »aut filios sibi successuros aut neminem" de quo iam egimus.

[9]) De tributo Iudaico turpiter crudeliterque iocatur Mart. VII, 55.

[10]) Front. I, 1, 8 et II, 3, 10.

[11]) Front. IV, 3, 14. Quod locus hic est e pseudo-Frontino, haud magni est momenti. Iterum hic nostram causam magnopere, nil tale cogitans, adiuvat Plinius IX, 19 Frontinum laudans tamquam suae aetatis summum virum, vel post Virginium Rufum vel cum eo.

[12]) Multo ante scripta haec erant quam **Bacha** in lucem edidit librum ingeniosissimum *le génie de Tacite.*

[13]) Certe Frontinus I, 3, 10 id quam disertissime declarat.

[14]) Secundum Plutarchum (Mor. I p. 302 Bern.) Titus mortuus est quia leviter aegrotans tamen semper ante cenam balneo uti pergebat.

[15]) De Vespasiani facetiis v. Suet. 22 sq.

[16]) Iuv. Sat. IV, 37 sqq.

[17]) Dio. C. 67, 9. Omnibus his similibusque de Domitiani crudelitate narrationibus oppono paucos versus e Statii Silvis V, 1, 165 sqq. Aegrotante uxore Abascantus omnes implorat deos etiam imperatorem.

Heu durus fati tenor! Estne quod illi
Non liceat? Quantae poterant mortalibus annis
Accessisse morae, si tu, pater, omne teneres
Arbitrium? Caeco gemeret Mors clausa barathro
Longius et vacuae posuissent stamina Parcae.

Potueratne ullus adulator sic declamare, si ullum fuisset periculum ne cuiquam Dom. ille videretur carnifex quem nobis exhibent Tacitus Pliniusque? Hercle non adulari fuisset illud sed ultro insultare!

[18]) Martialis aperte mendici instar stipem ab imperatore petit. Post mortem eius et alia scripsit et notissima illa: »Flavia gens e. q. s." (Schol. ad Iuv. 4, 38). Aulicum istum scurram qui possit Plinius (III, 21) laudare tamquam virum qui »plurimum in scribendo et salis haberet et fellis *nec candoris minus*", quamvis sit *candidus* ipse Plinius non intelligo. Cum supra de Suetonii verbis *constet licet* (Vesp. 1) agebam, ante oculos mihi erant Martialis illa »Flavia gens e. q. s.".

[19]) Quam ingens fuerit Statii poetae fama inter aequales testatur etiam Iuvenalis S. VII, 82.

[20]) Fratris filia illa (Iulia) mortua est a. 89. Suetonio auctore post patris maritique mortem palam eam concubinam habuit Dom. (c. 22) ardentissime *palamque* dilexit. Et Iuv. de ea re gravissime conqueritur S. II, 29 sqq.:

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras

Omnibus atque ipsis Marti Venerique timendas,
Quum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas.

Quidquam horum si verum esset, haud omisisset Martialis imperatoriae concubinae adulari. Cogitate de Luciani libro c. t. *εἰκόνες*, quo in coelum extollitur Panthea L. Veri concubina. At .... VI, 3 haud dubie Domitia est cuius exspectatur infans, Iulia iam *numen* est, itemque VI, 13 et IX, 1. A Martiale *prorsus nihil* de ea dicitur nisi quod *diva* appellatur et Flaviae gentis ornamentum.

Si omnia excusserimus, nihil eorum quae de Domitiani pravitate tradita sunt restat praeter illam *delatorum* calamitatem. Gravissimam illam esse posse concedo sed omnium delatorum saevissimus Aquilius Regulus etiam imperante Traiano magna vigebat potentia (Plin. I, 5, 15).

[21]) Ea quae Statio teste usus de Domitiano disputavi viam quodammodo monstrant ampliori disquisitioni, quae certos uberrimosque promittit fructus. Semper, quoties lego quae et sub »bonis" et sub »malis" imperatoribus poetae scriptoresque, tam Graeci quam Latini, dicere ausi sunt et de aliis rebus et de tyrannide, rogare subit quid supersit fabellae istius de diris istis nostrae aerae primis saeculis. Felicissimum mihi saepe illud fuisse tempus videtur praesertim propter *libertatem loquendi*, quam etiam nostra aetate saepe laeserunt principes semper et ubique se suumque regnum a loquentibus scribentibusque peti suspicantes.

AD PSEUDO-DEMOSTHENIS OR. ΚΑΤΑ ΝΕΑΙΡΑΣ P. 1362.

Phano, Neaerae meretricis filia, Phrastori nupsit viro frugi et laborioso, at

οὐκ ἠπίστατο τοῖς τοῦ Φράστορος τρόποις ἀρέσκειν, ἀλλ' ἐζήτει τὰ μητρὸς ἔθη καὶ τὴν παρ' αὐτῇ ἀκολασίαν.

Nullus hic *quaerendi* verbo locus; *imitabatur* atque adeo *aemulabatur* matris impudicitiam filia. Lege ergo *ἐζήλου.*

J. J. H.

QUO ORDINE ISOCRATIS BUSIRIS ADVERSUS SOPHISTAS HELENA ORATIONES INTER SE SUCCEDANT ET QUID PLATO AD EAS RESPONDERIT.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.



Postquam quo ordine Platonis dialogi inter se excipere viderentur disputavimus [1]), ad Isocratis orationes transeuntibus nobis hic multo melius rem se habere statim apparebit. Nam primo in duas partes orationes eius possunt distribui, alteram earum quae ad causas iudiciales pertinent, alteram reliquarum omnium. Illas autem annis fere 402—390 esse habitas inter omnes constat; ceterarum pars maior aut ad res publicas spectant, quo fit ut sponte pateat, quando fere in lucem prolatae sint aut, quemadmodum in oratione *περὶ ἀντιδόσεως*, ipse commemorat quo anno aetatis eam habuerit. Quas si a disputatione nostra segregabimus, pars minor restabit — Busiridem orationem adversus sophistas Helenam dico — quae quo fere tempore sint compositae non tam facile est cognitu, quia manifesta neque ab ipso auctore praebentur neque sponte se offerunt indicia. Hac difficultate permoti viri docti inquisiverunt, num aut his orationibus alios redargueret scriptores Isocrates aut ad hasce illi responderent, quo fieret ut externis freti iudiciis rem explanarent. Lubricam vero esse hanc inquirendi rationem in proxima disputatione nostra probavimus [2]). Itaque quemadmodum in illa, sic

1) Mnem. Vol. XLIV pp. 255—294.
2) Ibid. p. 257.

in hac quoque primum ipsas inspiciamus orationes, si forte ex ipso oratore certius quid elicere possimus. Deinde, si et orationis alicuius invenerimus aetatem et quonam dialogo Platonico ad eam respondeatur, videamus num quam huius dialogi nuper invenimus aetatem, ea revera haud ita multo illa oratione sit posterior. Quod si ita erit, et illa disputatio nostra et haec multo maiorem veri habebit speciem.

I.

Magnas partes in orationibus Isocrateis agere v. *σοφιστής* non est quod miremur, nam munere causarum patroni deposito sophistarum ordini se adiunxit, i. e. quaestus causa artes litterasque docere instituit. Quum autem ludum suum aperiret, eam habuit orationem, quae *κατὰ τῶν σοφιστῶν* inscribitur. Itaque sive in aliqua oratione sophistam se vocat, sequitur ut ea post orationem adversus sophistas composita sit, sive evitare eum apparebit ne v. *σοφιστής* de se utatur eam oratione adversus sophistas priorem esse constabit. Sed quoniam sunt, qui contendant etiam cum revera sophista factus esset, tamen *appellationem* sophistae odio fuisse Isocrati molesteque eum tulisse eam ab inimicis de se adhiberi, primum indagemus, num illi recte dicant. Quam ad rem diiudicandam luculentam praebet materiem oratio quae inscribitur *περὶ ἀντιδόσεως*, quam duos et octoginta annos natus de se et suis in rempublicam meritis habuit.

De usu v. σοφιστής apud Isocratem.

Isocratis aequalibus sophistarum munus odio fuisse et aliunde cognoscitur et ex antidoseos oratione. Timeo enim, inquit (168), ne *τῆς κοινῆς περὶ τοὺς σοφιστὰς διαβολῆς ἀπολαύσω τι φλαῦρον.* Minime vero ipse cum aequalium illo iudicio consentit: ab antiquis enim inde temporibus honoris causa vocabulum esse adhibitum affirmat (235): *Σόλων μὲν τῶν ἑπτὰ σοφιστῶν ἐκλήθη καὶ ταύτην ἔσχε τὴν ἐπωνυμίαν τὴν νῦν ἀτιμαζομένην καὶ κρινομένην παρ' ὑμῖν, Περικλῆς δὲ δυοῖν ἐγένετο μαθητής, Ἀναξαγόρου τε τοῦ Κλαζομενίου καὶ Δάμωνος τοῦ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον φρονιμωτάτου δόξαντος εἶναι τῶν πολιτῶν.* Praeterea hic locus

docet, satis late sensum vocabuli *σοφιστής* patere, quippe quo comprehendantur et septem illi sapientes et philosophi et ii qui artiore sensu vulgo sophistae appellantur (opponuntur *ἰδιῶται*, 148, Belg.: *leeken*); simili modo v. *φιλοσοφία* et prudentiam civilem complectitur et quam nos artiore sensu philosophiam appellamus, itemque vocabulo *φιλοσοφοῦντες* studiosi utriusque generis indicantur. Isocrates autem in sophistarum numero se quoque ponere disertis verbis dicit 197: *δεῖ δὴ μηδ' ἡμᾶς προαπειπεῖν διδάσκοντας καὶ λέγοντας, ἐξ ὧν, δυοῖν θάτερον, ἢ μεταστήσομεν τὰς γνώμας αὐτῶν ἢ τὰς βλασφημίας καὶ κατηγορίας, αἷς χρῶνται καθ' ἡμῶν, ἐξελέγξομεν ψευδεῖς οὔσας. εἰσὶ δὲ διτταί. Λέγουσι γὰρ οἱ μὲν, ὡς ἔστιν ἡ περὶ τοὺς σοφιστὰς διατριβὴ φλυαρία καὶ φενακισμός· .... οἱ δὲ .... τοὺς περὶ τὴν μελέτην ταύτην ὄντας .... διαφθείρεσθαι καὶ γίγνεσθαι χείρους ....* (199) *Πρῶτον δ' ἐνθυμηθῆτε περὶ τῶν φλυαρίαν φασκόντων εἶναι τὴν παιδείαν, ὡς αὐτοὶ λίαν καταφανῶς ληροῦσιν.* Isocratem et se et omnes artium litterarumque praeceptores voce *σοφιστής* complecti ex hisce perspicuum est.

Haud minoris momenti hic est locus (203 sq.): *τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν πολλοὺς τῶν ὑπὸ τοῖς σοφισταῖς γενομένων οὐ φενακισθέντας οὐδ' οὕτω διατεθέντας, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ἀλλὰ τοὺς μὲν αὐτῶν ἱκανοὺς ἀγωνιστὰς ἀποτελεσθέντας, τοὺς δὲ παιδεύειν ἑτέρους δυνηθέντας.* Etenim quinam sunt *ἀγωνισταί* illi? Nempe ii *Isocratis* discipuli, qui ad summa pervenerunt, vid. or. adv. soph. 15: *ἡ δὲ παίδευσις .... τοὺς καταδεεστέραν τὴν φύσιν ἔχοντας ἀγωνιστὰς μὲν ἀγαθοὺς ἢ λόγων ποιητὰς οὐκ ἂν ἀποτελέσειεν, αὐτοὺς δ' αὐτῶν προαγάγοι.* Postremum hunc locum libet indicare, qui per se iam satis superque valet ad docendum, honoris causa v. *σοφιστής* ab Isocrate adhiberi, ubi agit de iis, qui sophistarum appellationem sibi *arrogant* (*τῶν προσποιουμένων εἶναι σοφιστῶν*, 221). Quapropter si agit de iis, qui sophistae vocantur (*οἱ καλούμενοι σοφισταί*, 155, 313), illa *οἱ καλούμενοι* non ita sunt accipienda tamquam si ipsum pudeat nominis, sed cogitandum est de contemptu, quocum vulgo pronuntiari vocabulum illud Isocrates probe sciebat. Neque a recta via nos abducere debent quae legimus antid. 4: *ἔγνων καὶ τούτων* (sc. *τῶν ἰδιωτῶν*) *τινὰς οὐχ οὕτω πρός με διακειμένους, ὥσπερ ἤλπιζον, ἀλλὰ .... φθονοῦντας καὶ ταὐτὸν πεπονθότας τοῖς σο-*

φισταῖς καὶ χαίροντας ἐπὶ τοῖς ψευδῆ περί μου δόξαν ἔχουσιν. De collegarum enim suorum invidia hic agit, ita ut v. σοφισταῖς hic interpretandum sit tamquam si legatur: *ceteris* sophistis.

Idem illud valet de titulo orationis κατὰ τῶν σοφιστῶν, qui nescio an impulerit viros doctos, ut odio fuisse Isocrati v. σοφιστής contenderent. Atqui haec quoque inscriptio sic intellegenda est ut invehatur in eos, quorum eo ipso tempore fiebat *collega*, itaque: = adversus *ceteros* sophistas, collegas meas. Revera enim iam tum, cum orationem adversus sophistas componebat, eum se sophistam existimavisse patet ex or. adv. soph. 14: ἡγοῦμαι πάντας ἂν μοι τοὺς εὖ φρονοῦντας συνειπεῖν, ὅτι πολλοὶ μὲν τῶν φιλοσοφησάντων (i. e. studiosorum) ἰδιῶται διετέλεσαν ὄντες, ἄλλοι δέ τινες οὐδενὶ πώποτε συγγενόμενοι τῶν σοφιστῶν καὶ λέγειν καὶ πολιτεύεσθαι δεινοὶ γεγόνασιν. Hoc loco confitetur, fieri ut et doctrina imbuti homines privati maneant et qui doctrinae adminiculo eguerunt aliquando graves fiant homines; neque sane se infitiari indolem rem magni momenti esse et haudquaquam contemnendam, sed sophistarum doctrinam vim promovere insitam. Itaque Isocratem cum orationem adversus sophistas conscriberet se iam sophistarum unum putavisse probasse mihi videor.

De Busiridis adversus sophistas Helenae orationum ordine.

Quae si recte disputata sunt, sequitur ut eae orationes, in quibus inter sophistas se numerat, post orationem adversus sophistas compositae sint. Posterior igitur est Helena. Nam in illa eos impugnat, qui mendicorum vitam laudant. Quorum victoriam nihili esse ait, quippe qui in eam descendant arenam, in quam descendere ceteris contemptui sit. Ceterum qui suo iure sophistarum nomen sibi vindicent, iis ibi manus esse conserendas, quo ne adversarios quidem descendere pudeat (9): τοὺς γὰρ ἀμφισβητοῦντας τοῦ φρονεῖν καὶ φάσκοντας εἶναι σοφιστὰς οὐκ ἐν τοῖς ἠμελημένοις ὑπὸ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἐν οἷς ἅπαντές εἰσιν ἀνταγωνισταὶ, προσήκει διαφέρειν καὶ κρείττους εἶναι τῶν ἰδιωτῶν. Provocat igitur eos, qui se sophistas appellari volunt, ut secum et cum veris sophistis in sua arena contendant.

At contra oratione adversus sophistas prior est Busiris. In eius enim prooemio his verbis Polycratem sophistam alloquitur

(1): ἡγοῦμαι γὰρ τοῖς ἀναξίως μὲν δυστυχοῦσιν, ἐκ δὲ φιλοσοφίας χρηματίζεσθαι ζητοῦσιν ἅπαντας τοὺς πλείω πεπραγματευμένους καὶ μᾶλλον ἀπηκριβημένους προσήκειν ἐθελοντὰς τοῦτον εἰσφέρειν τὸν ἔρανον. Sophistamne hic sophista appellat? Minime, sed ad hominem, qui rei familiaris inopia adductus munus sophistae profitetur cum superba quadam misericordia se convertit is, qui non lucri, sed animi causa artibus studeat liberalibus. Ergo in Buriside componenda nondum sophista erat Isocrates necdum orationem adversus sophistas habuerat. Quocirca ita inter se succedunt orationes, de quibus agimus: Busiris, adversus sophistas, Helena.

De Panegyrico et Helena orationibus.

Ordine, quo scriptae sunt orationes nostrae, explanato ad *aetatem* earum investigandam Panegyricum inspiciamus, quae et quando edita sit compertum habemus (a° 380) et communia quaedam habet cum Helena. Legimus enim in Panegyrico haec (182 sq.): καὶ γὰρ αἰσχρὸν .... τοὺς μὲν περὶ τὰ Τρωικὰ γενομένους μιᾶς γυναικὸς ἁρπασθείσης οὕτως ἅπαντας συνοργισθῆναι τοῖς ἀδικηθεῖσιν, ὥστε μὴ πρότερον παύσασθαι πολεμοῦντας, πρὶν τὴν πόλιν ἀνάστατον ἐποίησαν τοῦ τολμήσαντος ἐξαμαρτεῖν, ἡμᾶς δ' ὅλης τῆς Ἑλλάδος ὑβριζομένης μηδεμίαν ποιήσασθαι κοινὴν τιμωρίαν, ἐξὸν ἡμῖν εὐχῆς ἄξια διαπράξασθαι. Satis levem ob causam igitur iudicat bellum geri quod propter unam geratur mulierem. At in Helena eandem rem laudibus in coelum tollit; vid. 49: πολλῶν γὰρ αὐτοῖς πρότερον ἐγκλημάτων γενομένων περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἡσυχίαν ἦγον, ὑπὲρ δὲ ταύτης τηλικοῦτον συνεστήσαντο πόλεμον .... ὅσος οὐδεὶς πώποτε γέγονεν .... (51) καὶ ταῦτ' ἐποίουν οὐχ ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου φιλονικοῦντες, ἀλλ' οἱ μὲν ὑπὲρ τῆς Ἀσίας, οἱ δ' ὑπὲρ τῆς Εὐρώπης, νομίζοντες, ἐν ὁποτέρᾳ τὸ σῶμα τοὐκείνης κατοικήσειε, ταύτην εὐδαιμονεστέραν τὴν χώραν ἔσεσθαι. Quo fit ut in Helena oratione Homerus celebretur tamquam *pulchritudinis* poëta, qui Helenae venustate ad carmina facienda commotus sit: (65) λέγουσι δέ τινες καὶ τῶν Ὁμηριδῶν, ὡς ἐπιστᾶσα τῆς νυκτὸς Ὁμήρῳ προσέταξε ποιεῖν περὶ τῶν στρατευσαμένων ἐπὶ Τροίαν .... καὶ μέρος μέν τι καὶ διὰ τὴν Ὁμήρου τέχνην, μάλιστα δὲ διὰ ταύτην οὕτως ἐπαφρόδιτον καὶ παρὰ πᾶσιν ὀνομαστὴν αὐτοῦ γενέσθαι τὴν ποίησιν. At in Panegyrico *fortitudinis* cantor laudatur Homerus; vid. 159: οἶμαι

δὲ καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν μείζω λαβεῖν δόξαν, ὅτι καλῶς τοὺς πολεμήσαντας τοῖς βαρβάροις ἐνεκωμίασε, καὶ διὰ τοῦτο βουληθῆναι τοὺς προγόνους ἡμῶν ἔντιμον αὐτοῦ ποιῆσαι τὴν τέχνην ἔν τε τοῖς μουσικῆς ἄθλοις καὶ τῇ παιδεύσει τῶν νεωτέρων, ἵνα πολλάκις ἀκούοντες τῶν ἐπῶν .... ζηλοῦντες τὰς ἀρετὰς τῶν στρατευσαμένων τῶν αὐτῶν ἔργων ἐκείνοις ἐπιθυμῶμεν.

In hisce, quae adversis frontibus inter se pugnant, Isocratem mox revocasse quam nuper protulerat sententiam nemo non videt. Utra autem priora sunt? Eane, quae in Helena leguntur? ita ut quae data opera ibi in Helenae laudem collegerat, raptim et in transitu in Panegyrico revocaret? Minime vero. At in Helenae oratione copiosa disputatione revocavit quae in Panegyrico componendo in Helenae dedecus ei exciderant (v. infra p. 392 sq.). Post Panegyricum igitur scripta est Helena oratio neque ita multa post, ut opinor (a⁰ 377?). Nam inde ab anno 374 et Plataicus in lucem prodiit et tres Cypricae illae orationes.

Postquam Helena priorem esse Panegyricum probavimus, nunc videamus ante orationem adversus sophistas scriptus esse videatur an post. Iamvero dilucide ad hanc quaestionem respondent ea, quae Paneg. 4 legimus: *πολλοὶ τῶν προσποιησαμένων σοφιστῶν*, quae eadem in oratione *περὶ ἀντιδόσεως* leguntur (cf. supra p. 375). Non contemptim igitur, sed honoris causa in Panegyrico de sophistis agi apparet, ex quo intelligitur, sophistam Isocratem tum iam esse factum. Itaque quattuor illae orationes hoc ordine inter se succedunt:

Busiris (cum nondum esset sophista; aliquot annis ante annum 380; 386?).

Adversus sophistas (cum munus sophistae iniret; paucis annis ante annum 380; 384?).

Panegyricus (postquam sophista factus est; 380).

Helena (paucis annis post 380; 377?)

II.

DE BUSIRIDE ET CONVIVIO PLATONICO.

Quod ex ipsis scriptis Isocrateis cognovimus, anno fere 386 compositum esse Busiridem, id aliunde confirmabitur, si orationem

illam Convivio Platonico impugnari apparebit. Convivium enim neque ante annum 385 scribi potuit et paulo post in lucem prodisse videtur.

Itaque de ratione, quae Busiridi cum Convivio est, iam videamus.

Exprobrat Isocrates Polycrati sophistae in Busiride oratione primo quod pravum in modum regem Busiridem laudasset, deinde — non nisi obiter — quod Socratem inepte vituperasset, his verbis (5 sq.): *Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐπιχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητήν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον, ὅτι δὲ πολὺ διήνεγκε τῶν ἄλλων, ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν. τοιγαροῦν εἰ γένοιτ' ἐξουσία τοῖς τετελευτηκόσι βουλεύσασθαι περὶ τῶν εἰρημένων, ὁ μὲν ἄν σοι τοσαύτην ἔχοι χάριν ὑπὲρ τῆς κατηγορίας, ὅσην οὐδενὶ τῶν ἐπαινεῖν αὐτὸν εἰθισμένων* .... Quid ad haec respondet Plato? Ea omnia, ut opinor, quae leguntur Conv. 215 A—222 A, ubi splendidum in modum significat et quatenus Alcibiades Socratis discipulus dici possit et, si fieri potuisset, ut Alcibiades ad meliorem vitam rediret, Socratem unum futurum fuisse, qui hoc efficere valuisset. Quamobrem nobilissimus ille Convivii locus et ad Isocratis Busiridem referendus esse videtur neque minus ad ipsum Polycratem. Sed de Polycrate alio loco videbimus. Nunc iis, quos iam indicavimus, hos maximi momenti locos addamus: Docet Isocrates Polycratem haec (Bus. 4): *ἁπάντων γὰρ εἰδότων, ὅτι δεῖ τοὺς μὲν εὐλογεῖν τινὰς βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς προσόντ' ἀποφαίνειν, τοὺς δὲ κατηγοροῦντας τἀναντία τούτων ποιεῖν, τοσοῦτον δεῖς* .... cf. 33: *ὥστ' οὐ μόνον τῆς ἀληθείας αὐτῶν ἀλλὰ καὶ τῆς ἰδέας ὅλης, δι' ἧς εὐλογεῖν δεῖ, φαίνει διημαρτηκώς*. Quae ironice respuit Plato Conv. 198 D: *ἐγὼ μὲν γὰρ ὑπ' ἀβελτερίας ᾤμην δεῖν τἀληθῆ λέγειν περὶ ἑκάστου τοῦ ἐγκωμιαζομένου, καὶ τοῦτο μὲν ὑπάρχειν, ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων τὰ κάλλιστα ἐκλεγομένους ὡς εὐπρεπέστατα τιθέναι·* .... *τὸ δὲ ἄρα, ὡς ἔοικεν, οὐ τοῦτο ἦν τὸ καλῶς ἐπαινεῖν ὁτιοῦν, ἀλλὰ τὸ ὡς μέγιστα ἀνατιθέναι τῷ πράγματι καὶ ὡς κάλλιστα, ἐάν τε ᾖ οὕτως ἔχοντα ἐάν τε μή· εἰ δὲ ψευδῆ, οὐδὲν ἄρ' ἦν πρᾶγμα.*

Ne haec quidem neglegenda sunt, quamquam minoris sunt momenti:

Bus. 8 ἢ τοῖς Ὀρφέως ἔργοις ὁμοιώσωμεν; ἀλλ' ὁ μὲν ἐξ Ἅιδου τοὺς τεθνεῶτας ἀνῆγεν ....

Conv. 179 D Ὀρφέα δὲ τὸν Οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ Ἅιδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικὸς ἐφ' ἣν ἧκεν, αὐτὴν δὲ οὐ δόντες.

Probrosa ergo illa Isocratis· verba in Socratem, Alcibiadem prae Socrate laudantis, iram Platonis movisse videntur et hinc Isocratis et Platonis discidium illud multorum annorum cepit initium. Nam oratione sua adversus sophistas mox iterum Platonem lacessivit, in qua eorum genere, qui περὶ τὰς ἔριδας διατρίβειν dicuntur, prae ceteris Platonem significari opinor. Quod quia sunt qui negent, primum hac de re videamus.

III.

DE ORATIONE ADVERSUS SOPHISTAS ET MENONE PLATONICO.

De eristicis qui vocantur.

Ad hanc quoque rem explanandam inspicienda est oratio antidoseos, inprimis 258—269, ubi fuse agit de iis, qui περὶ τὰς ἔριδας σπουδάζουσιν quique astrologiam geometriam ceteras artes colunt (261). Haec praecipue considerentur: (264 sq.): τοὺς δὲ μανθάνοντας ὀνίνησιν ⟨ἡ περὶ τὰς ἔριδας φιλοσοφία⟩· περὶ γὰρ τὴν περιττολογίαν καὶ τὴν ἀκρίβειαν τῆς ἀστρολογίας καὶ γεωμετρίας διατρίβοντες καὶ δυσκαταμαθήτοις πράγμασιν ἀναγκαζόμενοι προσέχειν τὸν νοῦν, ἔτι δὲ συνεθιζόμενοι μένειν καὶ πονεῖν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις καὶ δεικνυμένοις καὶ μὴ πεπλανημένην ἔχειν τὴν διάνοιαν, ἐν τούτοις γυμνασθέντες καὶ παροξυνθέντες ῥᾷον καὶ θᾶττον τὰ σπουδαιότερα καὶ πλείονος ἄξια τῶν πραγμάτων ἀποδέχεσθαι καὶ μανθάνειν δύνανται. In quibus plane eadem sententia exprimitur, de qua Plato septimo libro Reipublicae copiose disseruerat, modo nonnulla verba (e. g. περιττολογία) paulum in melius mutemus neque eadem Isocrati videri gravia (σπουδαιότερα κ. π. ἀ.) reputemus quae Platoni. Nam Plato quoque non ipsarum causa artes illas colendas esse iudicaverat, sed quibus innexa διαλεκτική melius coli possit; v. Rep. 531 DE, ubi postquam Socrates cursum disciplinarum illarum depinxit, quibus mentes ad philosophiam praeparentur, haec

dicit Glauco: πάμπολυ ἔργον λέγεις, ὦ Σώκρατες. Τοῦ προοιμίου, ἦν δ' ἐγώ, ἢ τίνος λέγεις; ἢ οὐκ ἴσμεν, ὅτι πάντα ταῦτα προοίμιά ἐστιν αὐτοῦ τοῦ νόμου, ὃν δεῖ μαθεῖν; οὐ γάρ που δοκοῦσί γέ σοι οἱ ταῦτα δεινοὶ διαλεκτικοὶ εἶναι .... Ἀλλὰ δή, εἶπον, μὴ δυνατοί τινες ὄντες δοῦναί τε καὶ ἀποδέξασθαι λόγον εἴσεσθαι πότε τι ὧν φαμὲν δεῖν εἰδέναι; Οὐδ' αὖ, ἔφη, τοῦτό γε. cf. 525 C, 526 BC, 527 B, 530 AB. Quid quod totum cursum disciplinae respicere Isocratem, quam Plato in libris de Republica depinxerat, documento sunt ea, quae mox sequuntur de musica arte docenda (267), utpote quae spectare videantur ad ea, quae leguntur Rep. 398 C—403 C. Nec tamen unum Platonem ab Isocrate significari, sed omne philosophorum [1]) genus apparet 268 sq., ubi in eristicorum numero etiam Empedocles, Parmenides, Melissus, Gorgias citantur.

In Helenae quoque prooemio sermo est de philosophia περὶ τὰς ἔριδας itemque Gorgias Melissus alii nominatim citantur. Quamobrem hic quoque et de Platone et de ceteris agi videtur, quos nos simpliciter philosophos vocamus. Sed quia graviter conturbatur textus traditus his verbis, quae initio legimus: ἄλλοι δὲ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι τὰς οὐδὲν μὲν ὠφελούσας, πράγματα δὲ παρέχειν τοῖς πλησιάζουσι δυναμένας [2]), ad tempus ea neglegamus, deinde visuri quomodo textus interpretandus sit, si retinenda esse videantur.

Ita incipit Isocrates .... καὶ καταγεγηράκασιν οἱ μὲν οὐ φάσκοντες οἷόν τ' εἶναι ψευδῆ λέγειν οὐδ' ἀντιλέγειν οὐδὲ δύο λόγω περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἀντειπεῖν (Antisthenes lacessitur, ut vvdd. opinantur), οἱ δὲ διεξιόντες ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι, καὶ φύσει μὲν οὐδὲν αὐτῶν ἔχομεν, μία δ' ἐπιστήμη καθ' ἁπάντων ἐστίν· (sequuntur verba suspecta, quae supra citavi). (1). Attamen si philosophorum ineptias inspiciamus, luce clarius apparere, facile esse de qualibet re mentiri. (2—4). Melius igitur esse prudentiam civilem docere, ἐνθυμουμένους, ὅτι πολὺ κρεῖττόν ἐστι περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις μᾶλλον ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν

---

1) Hoc vocabulum nostro artiore sensu adhibeo, non sensu Isocrateo latiore.
2) Sic Usener, Rhein. Mus. XXV 592.

πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσιν. (5). Sed nihil iis cordi esse nisi iuniores argento emungere idque *eristicae arti* haud esse difficile: οἱ γὰρ μήτε τῶν ἰδίων πω μήτε τῶν κοινῶν φροντίζοντες τούτοις μάλιστα χαίρουσι τῶν λόγων, οἳ μηδὲ πρὸς ἓν χρήσιμοι τυγχάνουσιν ὄντες. (6). Adulescentulis autem hoc non esse exprobrandum, at mendaces praeceptores graviter esse reprehendendos (7), quorum quosdam eo esse prolapsos, ut mendicorum vitam laudent. (8 sqq., v. supra p. 376).

Hoc loco et alios et Platonem impugnari luce clarius est ex iis quae initio leguntur: nonnullos consenuisse docendo fortitudinem prudentiam iustitiam idem esse neque quicquam ex iis a natura nobis inesse, sed unam doctrinam omnia ea complecti. Nam inde a Protagora (349 CD, 359 AB, 360 DE) Plato disseruerat de iis, quae singulis virtutibus communia sunt; in Menone autem — qui paulo ante Helenam in lucem erat prolatus (v. infra p. 394) — iterum studuerat μίαν ἀρετὴν λαβεῖν κατὰ πάντων (74 B) inveneratque φρόνησιν (i. e. ἐπιστήμην) ἀρετὴν εἶναι neque esse bonos φύσει (89 A). Ea autem, quae ex Hel. 5 citavimus, (ἐνθυμουμένους κτἑ.) ad Theaetetum dialogum spectare videntur. Nam in eo erat confessus, philosophum nescire ea quae vulgo utilia ducantur (173 D—175 B); opinionem autem prudentiae esse postponendam et in Theaeteto (201 A sqq.) et in Menone (97 B sqq.) arguere studuerat. Quod autem ait, iuvenibus vitio non esse vertendum, si philosophentur, id ex ipso Platone mutuatus est (Gorg. 485 B—D). Quodsi Platoni exprobrat (6), quod probitatem nihili faciat, dum quaestum faciat, ea impudens est calumnia. Nec tamen mirum hoc in Isocrate; nam ita agendo nihil aliud facit Isocrates nisi in vitae usum conferre quae ante praeceperat. Praeceperat enim in Busiride, ut supra (p. 379) vidimus (4), ὅτι δεῖ τοὺς μὲν εὐλογεῖν τινὰς βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς προσόντ' ἀποφαίνειν, τοὺς δὲ κατηγοροῦντας τἀναντία τούτων ποιεῖν.

Itaque et in antidoseos oratione et in Helenae prooemio eristicorum nomine Platonem lacessi cognovimus. Sed quid igitur sibi volunt illa in initio, ubi postquam de Platone (et Antisthene?) egit, ita pergit: ἄλλοι δὲ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι? Non intellego neque video quomodo intellegi possint. Quamobrem aut spuria esse haec verba videntur aut consulto confuse locutus

esse Isocrates, ne *videretur* Platonem in eristicorum numero habere, sed revera tamen eum inter eos numeraret; Platonem enim moleste ferre eristicum hominem se aestimari probe sciebat.

De oratione adversus sophistas.

Iamvero in hac quoque oratione in iis, qui *περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι* prae ceteris Platonem lacessi, per se probabile iam est. Quae suspicio magnopere confirmabitur, si ipsam orationem (1—8, 20—21) inspiciemus. Nam ea continet, quae et primos Platonicos dialogos et Gorgiam et Theatetum in memoriam revocant. Ad primos enim dialogos — inprimis Protagoram Euthydemumque — haec spectant:

σύμπασαν δὲ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν (4)
τοὺς τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σωφροσύνην ἐνεργαζομένους (6, cf. 20)
τοὺς τὴν σοφίαν διδάσκοντας καὶ τὴν εὐδαιμονίαν (7).

Maioris tamen momenti sunt quae Gorgiae dialogi admonent. Vehementer enim negat Isocrates iustitiam posse doceri (21): *καὶ μηδεὶς οἰέσθω με λέγειν, ὡς ἔστι δικαιοσύνη διδακτόν· ὅλως μὲν γὰρ οὐδεμίαν ἡγοῦμαι τοιαύτην εἶναι τέχνην, ἥτις τοῖς κακῶς πεφυκόσι πρὸς ἀρετὴν σωφροσύνην ἂν καὶ δικαιοσύνην ἐμποιήσειεν· οὐ μὴν ἀλλὰ συμπαρακελεύσασθαί γε καὶ συνασκῆσαί μάλιστ' ἂν οἶμαι τὴν τῶν λόγων καὶ τῶν πολιτικῶν ἐπιμέλειαν.* Quae haud dubie Gorgiae dialogi locum illum spectant, ubi Gorgiam secum pugnantem reddit Socrates (456 D—461 A). Contenderat enim Gorgias, si discipuli sui arte loquendi in malam partem utantur, id sibi non esse vitio dandum — quoniam ipse eam tradidisset in bonam partem adhibendam — sed discipulis suis. Mox autem commovet Gorgiam Socrates, ut confiteatur, suum esse, si ignari iustitiae ad ipsum se applicent, eam docere. Quae secum pugnare Socrati non difficile est probare; nam si iustitiam doceat eos, sequi, ut ipsi vitio dandum sit, si iustitia deficiant. Iamvero si haec reputabimus, facile intelligemus, cur verbis citatis Isocrates tam vehementer neget se virtutem docere. Dilucide enim dicere vult, sibi minime esse vitio dandum, si discipuli sui eloquentia in malam partem utantur; se enim unam eloquentiam prudentiamque civilem docere.

Ad alium quoque Gorgiae locum Isocrates in oratione adversus sophistas respondet. Scripserat enim in Gorgia Plato

haec (519CD): καὶ γὰρ οἱ σοφισταί, τἆλλα σοφοὶ ὄντες, τοῦτο ἄτοπον ἐργάζονται πρᾶγμα· φάσκοντες γὰρ ἀρετῆς διδάσκαλοι εἶναι πολλάκις κατηγοροῦσιν τῶν μαθητῶν, ὡς ἀδικοῦσι σφᾶς αὐτούς, τούς τε μισθοὺς ἀποστεροῦντες καὶ ἄλλην χάριν οὐκ ἀποδιδόντες, εὖ παθόντες ὑπ' αὐτῶν· καίτοι τούτου τοῦ λόγου τί ἂν ἀλογώτερον εἴη πρᾶγμα, ἀνθρώπους ἀγαθοὺς καὶ δικαίους γενομένους, ἐξαιρεθέντας μὲν ἀδικίαν ὑπὸ τοῦ διδασκάλου, σχόντας δὲ δικαιοσύνην, ἀδικεῖν τούτῳ ὃ οὐκ ἔχουσιν;

Ad quae haec respondet Isocrates (or. adv. soph. 5, 6): ὃ δὲ πάντων καταγελαστότατον, ὅτι ... τούτοις μὲν ἀπιστοῦσιν, οἷς μέλλουσι τῆς δικαιοσύνης παραδώσειν, ὧν δ' οὐδεπώποτε διδάσκαλοι γεγόνασι, παρὰ τούτοις τὰ παρὰ τῶν μαθητῶν μεσεγγυοῦνται, πρὸς μὲν τὴν ἀσφάλειαν εὖ βουλευόμενοι, τῷ δ' ἐπαγγέλματι τἀναντία πράττοντες. τοὺς μὲν γὰρ ἄλλο τι παιδεύοντας προσήκει διακριβοῦσθαι περὶ τῶν διαφερόντων· οὐδὲν γὰρ κωλύει τοὺς περὶ ἕτερα δεινοὺς γενομένους μὴ χρηστοὺς εἶναι περὶ τὰ συμβόλαια· τοὺς δὲ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σωφροσύνην ἐνεργαζομένους πῶς οὐκ ἄλογόν ἐστι μὴ τοῖς μαθηταῖς μάλιστα πιστεύειν; οὐ γὰρ δή που περὶ τοὺς ἄλλους ὄντες καλοὶ κἀγαθοὶ καὶ δίκαιοι περὶ τούτους ἐξαμαρτήσονται, δι' οὓς τοιοῦτοι γεγόνασιν.

Quid hic locus sibi vult? Hoc ut opinor. Primo accuratius etiam loquitur Isocrates de sophistarum ratione, de qua Plato egerat et „non conqueruntur solum", inquit, „se debita discipulorum mercede destitui; sed tam parvam etiam suae disciplinae habent fiduciam, ut inde ab initio discipulis suis diffidant, postulantes ut vadimodium sistant!" Ἀλογίαν autem hac in re ceterarum artium doctoribus non esse vitio dandam, sed solis virtutis iustitiaeque praeceptoribus; ad se igitur non pertinere quae in Gorgia dialogo hac de re in medium protulerat Plato, sed ad ipsos eristicos (i. e. ad Platonem et philosophos). Nam, ut in Helena (6), hic quoque simulat, sophistae munere quaestum facere Platonem, malitiose quidem et fallaciter, sed secundum praecepta sua (cf. supra p. 382) et quod nomina non citat cavet, ne mendacii possit convinci.

Nec non ad Theaetetum spectare videtur Isocrates, sed multo minoris haec sunt momenti. Et primo quidem vv. τοὺς περὶ τὰς ἔριδας καλινδουμένους (20) mutuatus esse videtur ex hisce, quae in Theaeteto leguntur: οἱ ἐν δικαστηρίοις καὶ τοῖς

τοιούτοις ἐκ νέων κυλινδούμενοι (172 CD) [1]. Sed deinde hic quoque (8), ut in Helenae prooemio (cf. p. 382), doctrinam opinioni postponit, haud dubie ad Theaetetum spectans.

Praeter Platonem Xenophontem quoque lacessere videtur et ipsum Socratem. Eristicos enim contendere ait se futura nosse et iunioribus persuadere conari se scire quae iis sint facienda ad beate vivendum; quae admonent eorum, quae Xenophon (Mem. I, 1, 4) de Socrate narrat.

De Menone Platonico.

Minime sane ad novum hunc Isocratis impetum Plato reticuit, sed luculenter ei respondit in Menone dialogo. Neque enim hoc dialogo Meno lacessitur, nullius pretii homo, sed praeceptor eius, quippe qui in Menone erudiendo tam parum officio suo satis fecisset. Nominatur quidem praeceptor ille Gorgias, sed hoc nomine revera Isocratem impugnari opinor, ita ut Meno impugnetur tamquam discipulus ex Isocratis schola. Quae coniectura magnopere confirmatur eo, quod alibi quoque nomine Gorgiae (quod ibi cum Tisiae nomine coniungitur) Isocrates a Platone citatur. Est Phaedr. 267 A, ubi haec legimus: Τισίαν δὲ Γοργίαν τε ἐάσομεν εὕδειν, οἳ πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον, τά τε αὖ σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσιν διὰ ῥώμην λόγου καινά τε ἀρχαίως τά τ' ἐναντία καινῶς. Haec multi iam viderunt [2]) ad hunc locum Isocrateum esse referenda: (Paneg. 8) οἷόν τ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι, καὶ τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν. Ergo quia hoc loco nomine Gorgiae Isocratem a Platone citari videmus, haud abs re videtur examinare, num eodem modo res se habeat in Menone.

Ad quod probandum hic locus iam satis superque valet, quo Gorgiae nomine eadem illa iterantur, quae de docenda virtute Isocratem dixisse supra vidimus (p. 383, or. adv. soph. 21): (Men. 95 BC) ΣΩ τί δὲ δή; οἱ σοφισταί σοι οὗτοι, οἵπερ μόνοι ἐπαγγέλλονται, δοκοῦσι διδάσκαλοι εἶναι ἀρετῆς;

MEN καὶ Γοργίου (i. e. Ἰσοκράτους) μάλιστα, ὦ Σώκρατες,

1) Alio modo Duemmler, Chronologische Beiträge [1890] p. 23.
2) e. g. Teichmüller, Litterarische Fehden [1881] p. 72.

ταῦτα ἄγαμαι, ὅτι οὐκ ἄν ποτε αὐτοῦ τοῦτο ἀκούσαις ὑπισχνουμένου, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων καταγελᾷ, ὅταν ἀκούσῃ ὑπισχνουμένων· ἀλλὰ λέγειν οἴεται δεῖν ποιεῖν δεινούς.

Deinde hunc inspiciamus locum, ubi de eristicis agitur (Meno 75 CD): *καὶ εἰ μέν γε τῶν σοφῶν τις εἴη καὶ ἐριστικῶν καὶ ἀγωνιστικῶν ὁ ἐρόμενος, εἴποιμ' ἂν αὐτῷ ὅτι ἐμοὶ μὲν εἴρηται· εἰ δὲ μὴ ὀρθῶς λέγω, σὸν ἔργον λαμβάνειν λόγον καὶ ἐλέγχειν. εἰ δὲ ὥσπερ ἐγώ τε καὶ σὺ νυνὶ φίλοι ὄντες βούλοιντο ἀλλήλοις διαλέγεσθαι, δεῖ δὴ πρᾳότερόν πως καὶ διαλεκτικώτερον ἀποκρίνεσθαι.*

Hoc loco ab eristicorum ratione suam accurate discernit seque dialecticum vocat hominem — nam v. *φιλόσοφος* ad hoc discrimen indicandum uti non poterat, quippe quo abusus Isocrates esset ad civilium quoque rerum praeceptores indicandos. Cur autem discrimen illud tam clare significatum vult? Quia moleste ferebat in eristicorum numero se ab Isocrate haberi. Sed et aliud hic locus affert. Se enim ab eristicis discernit, *ἀγωνιστικούς artissime cum iis coniungit.* Qui autem erant *ἀγωνιστικοί* illi? Isocratei (vid. or. adv. soph. 15, antid. 203, supra p. 375). Ergo se in eristicis esse numerandum vehementer negat, at Isocrateos et eristicos in eodem genere ponendos esse ait.

Quae opinio confirmatur eis quae leguntur Meno 80 DE:

ΜΕ *καὶ τίνα τρόπον ζητήσεις, ὦ Σώκρατες, τοῦτο ὃ μὴ οἶσθα τὸ πάραπαν ὅ τι ἔστιν; ποῖον γὰρ ὧν οὐκ οἶσθα προθέμενος ζητήσεις; ἢ εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἐντύχοις αὐτῷ, πῶς εἴσει ὅτι τοῦτό ἐστιν, ὃ σὺ οὐκ ᾔδησθα;*

ΣΩ .... *ὦ Μένων, ὁρᾷς τοῦτον ὡς ἐριστικὸν λόγον κατάγεις;*

Specie se eristicum hominem videri probe sciebat, nam et illi et ipse non orationibus *ἐπιδεικτικαῖς* utebantur, sed in colloquiis habendis paucis usi verbis quaerebant respondebantque. Sed haec maximi momenti res inter utrosque intererat, quod Plato verum inquirebat, eristici non verum, sed coronae favorem. Itaque re ipsa sibi nullam similitudinem esse cum eristicis ait, at maximam Isocrateis, quippe qui eas proferrent *sententias*, quae plane essent eristicorum hominum.

Idem valet de Men. 89 CD, etiamsi nomen eristicorum hoc loco non legitur. Socrates enim postquam iam existimavit se invenisse virtutem doceri posse, mox ita pergit:

ΣΩ Ἴσως νὴ Δία· ἀλλὰ μὴ τοῦτο οὐ καλῶς ὡμολογήσαμεν;

MEN καὶ μὴν ἐδόκει μὲν ἄρτι καλῶς λέγεσθαι.

ΣΩ ἀλλὰ μὴ οὐκ ἐν τῷ ἄρτι μόνον δέῃ αὐτὸ δοκεῖν καλῶς λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ ἔπειτα, εἰ μέλλει τι αὐτοῦ ὑγιὲς εἶναι.

Iterum hic verė sophistice agit Meno verique neglegens speciem veri quaerit. Plato nil nisi verum quaerit, etiamsi accuratius inquirendo fieri potest, ut eas sententias, quas modo probasse sibi visus esset, minus rectas esse mox appareat.

Or. adv. soph. 8 privatos nescio quos (ἰδιωτῶν τινάς) induxerat Isocrates eristicis (i. e. philosophis) obtrectantes. Audio, Plato inquit, philosophos vehementer oderunt homines; sed nunc tu ex me audias velim, quomodo de vobis sophistis iudicent homines. Haec enim dicentem facit hominem privatum Anytum (91 C): μηδένα τῶν συγγενῶν μηδὲ οἰκείων μηδὲ φίλων, μήτε ἀστὸν μήτε ξένον, τοιαύτη μανία λάβοι, ὥστε παρὰ τούτους ἐλθόντα λωβηθῆναι, ἐπεὶ οὗτοί γε φανερά ἐστι λώβη τε καὶ διαφθορὰ τῶν συγγιγνομένων. Quam nihili autem eiusmodi privatorum hominum iudicium putandum sit in sequentibus indicat, ubi confitetur Anytus se sophistas et plane ignotos habere et graviter damnare.

Alio loco Menonis (95 C—96 B) simili modo de sophistis agit, quo Isocrates in or. adv. soph. egerat de philosophis. Quorum dicta confundendo eos sibi contradicentes fecerat Isocrates (7). At eo modo si agatur, haud minus sophistas sibi contradicere ait Plato; a sophistarum parte maiore enim virtutem doceri posse praedicari, a Gorgia (i. e. ab Isocrate) negari; ergo, argumentatione Isocratea adhibita: τοτὲ μέν φασιν αὐτὸ διδακτὸν εἶναι, τοτὲ δὲ οὐ· itaque confusos (τεταραγμένους) eos esse.

Nec minus a se ad Isocratem reicit, quod is sibi exprobraverat, quod temere pollicendo discipulos sibi conciliare conaretur. Hoc minime, inquit, ad me pertinet; e. g. ego confiteor me nescire quid sit virtus (71 A); at contra tui, me propter ignorantiam quae vocatur ludribrio habentes (71 C), videntur quidem sibi scire, sed si quis accuratius eos interrogat, mox coacti sunt, ut se nescire fateantur (80 A).

Hactenus aut ab Isocratis impetu, quem ille in or. adv. soph. fecerat, se defendit Plato aut de Isocrate valere docet, quae

ille de se valere contenderat. Sed ultro quoque Isocratem petit Plato. Non solum enim alios lacessiverat Isocrates, sed etiam narraverat, quaenam ipse esset traditurus (or. adv. soph. 15—18). At Plato illa aut nequaquam apud Isocratem disci posse ait aut saltem apud se melius. Locum percurramus:

Or. adv. soph. 15 ἡ δὲ παίδευσις τοὺς μὲν τοιούτους τεχνικωτέρους καὶ πρὸς τὸ ζητεῖν εὐπορωτέρους ἐποίησεν. Ad quae Plato: minime vero, inquit, tua, sed contra mea disciplina studio inquirendi imbuit discipulos: οὗτος (i. e. Menonis Isocratei praeceptum) μὲν γὰρ ἂν ἡμᾶς ἀργοὺς ποιήσειε καὶ ἔστιν τοῖς μαλακοῖς τῶν ἀνθρώπων ἡδὺς ἀκοῦσαι, ὅδε δὲ (meum praeceptum) ἐργατικούς τε καὶ ζητητικοὺς ποιεῖ (Meno 81 DE).

ibid. ἡ δὲ παίδευσις .... αὐτοὺς δ' ἂν αὑτῶν προαγάγοι.

Ad quae iterum Plato: Iniuria, inquit, de tua disciplina haec dicis; nam nonnisi in verba magistri iurare discipuli tui sciunt recordarique quae magister praeceperit (vid. frequens usus v. ἀναμνησθῆναι 73 C, 76 B, 80 A–D). At de mea disciplina prorsus valent; vid. 82 B—85 D, inprimis 85 D οὐκοῦν οὐδενὸς διδάξαντος ἀλλ' ἐρωτήσαντος ἐπιστήσεται, ἀναλαβὼν αὐτὸς ἐξ αὑτοῦ τὴν ἐπιστήμην.

Or. adv. soph. 16 Φημὶ γὰρ ἐγὼ τῶν μὲν ἰδεῶν λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην οὐκ εἶναι τῶν πάνυ χαλεπῶν, cf. 17 καὶ δεῖν τὸν μὲν μαθητὴν .... τὰ μὲν εἴδη τῶν λόγων μαθεῖν .... Ne minimam quidem τῶν εἰδῶν idearumque habere scientiam Isocratem indicat Plato Men. 72 B–E.

ibid. .... τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν, cf. 13: τοὺς μὲν γὰρ λόγους οὐχ οἷόν τε καλῶς ἔχειν, ἢν μὴ τῶν καιρῶν καὶ τοῦ πρεπόντως καὶ τοῦ καινῶς μετάσχωσιν. At nil novi, nil ex tempore factum, nil nisi quae a praeceptore didicerit Menonem posse proferre iam vidimus.

Or. adv. soph. 17 ταῦτα δὲ .... ψυχῆς ἀνδρικῆς .... εἶναι. At contra Plato veros philosophos demum ἀνδρείους (81 D) vel ἀνδρικούς (86 B) esse probat.

Sed iam satis. Permulta enim Menoni dialogo inesse, quibus ad Isocratis orationem adversus sophistas respondetur, luce iam clarius esse opinor.

Restat, ut moneamus, oratione adversus sophistas terminum

praeberi, ante quem Plato Academiam instituit. Lacessuntur enim ea oratione qui παιδεύειν ἐπιχειροῦσιν. Itaque si recte statuimus, prae ceteris Platonem ea oratione lacessi, sequitur ut Plato iam tunc „erudire conaretur", i. e. Academiae praeesset. Itaque iniuria multos suspicatos esse apparet, Phaedrum dialogum scriptum esse cum Academia instituta est [1]). Multa quidem et in Menone et in Phaedro praeceptorem indicant, sed non eum, qui tum demum munus suum ineat, sed qui usum iam habeat et experientia doctus iam sit. Quamobrem mihi quidem Theaetetus dialogus aptissimus fuisse videtur, quem ederet Plato, cum Academiam suam institueret. Nam et argumentum vere philosophicum in eo tractatur et loco illo de μαιευτικῇ τέχνῃ (150 B sqq.) homines certiores fiebant de Platonis ratione docendi et fuse describit, quid intersit inter virum rerum civilium peritum et philosophum (172 D—177 C). Quae si recte est coniectura, a⁰ fere 385 Academiam suam instituisse videtur Plato, Isocrates suam scholam a⁰ fere 384; nam Menonem a⁰ fere 382 scriptum esse nuper suspicati sumus [2]).

Dixerit sane quispiam, hanc suspicionem non congruere cum eis, quae legimus in antidoseos oratione, ubi dicit se scholam suam instituisse νεώτερον ὄντα et ἀκμάζοντα; a⁰ 384 enim neque minorem natu neque florenti aetate fuisse Isocratem, sed duos et quinquaginta annos natum. Hoc tamen argumentum ego magni non aestimo. Etenim, cum antidoseos orationem scriberet, duos et octoginta annos natus erat. Iamvero haud abs re est octogenarium de quinquagenaria sua aetate loqui tamquam de iuniore et florenti aetate.

IV.

DE PHAEDRO PLATONICO ET HELENA ISOCRATEA.

Ad rationem, quae Platoni erat cum Isocrate, cognoscendam vix minoris momenti est Phaedrus dialogus. Quid quod in hoc

---

1) Neque minus me errasse concedo, cum nuper in editione mea „De Meno van Plato" *Menonem* in instituenda Academia editum esse suspicarer.

2) v. Mnem. Vol. XLIV p. 294.

dialogo unus totius corporis Platonici locus invenitur, ubi Isocrates nominatim citatur. Qui quantas turbas iam dederit vix quisquam ignorat. Initium igitur faciamus ex hoc loco. Est Phaedr. 279 A:

Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω.

Τὸ ποῖον δή;

Δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γάρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.

Laudemne an vituperationem haec verba continent? A multis in utramque partem hac de re disputatum est. Nos hoc primum quaeramus, qua aetate fuerit Isocrates, cum Plato haec scriberet? Ante Panegyricum, itaque ante annum 380 Phaedrum compositum esse incredibile est, nam Panegyrici locus in Phaedro citatur (v. supra p. 385). Plus sex et quinquaginta annos natus tum erat Isocrates, itaque provecta aetate. Ergo vaticinationibus de Isocratis curriculo vitae opus non iam erat: eventus aut expectationibus iam responderat aut non responderat. Si expectationibus responderat, laudem illa verba continent, si minus, reprehensionem. Minime vero responderat exitus iis, quae Socrates hic praedicit. Praedicit enim Socrates non satis habiturum esse Isocratem, orationes scribere, sed diviniorem spiritum ad maiora eum adducturum esse, i. e. ad philosophiam. At neque desiit orationes scribere Isocrates neque ad maiora illa pervenit. Ergo de Isocrate adulescente praedicentem hic aliquid facit Plato Socratem quod eventum non habuisse probe scit. Quamobrem reprehensionem continere locus noster videtur, ita ut reprehendat eum Plato, quod maior natu non praestiterit quae de adulescente expectabantur; ingenio enim suo philosophiae apto non bene eum esse usum. Sed ne ea quidem, quae de eius facultate oratoria dicuntur, honoris causa dicuntur. Quid enim Socrates praedicit? Non: excellentem eum fore oratorem, sed: fore ut haud in eodem genere ponendus sit, quo pueri, qui ali-

quando arti oratoriae studuerunt. Modicam et oratore indignam laudem, ut mihi quidem videtur. Ergo non honoris causa, sed contemptim de eo dicitur. Quocirca qui Phaedro dialogo non Lysiam solum, sed Isocratem etiam lacessi opinati sunt [1]), eos recte dixisse censeo. Quae suspicio comprobatur eis, quae identidem legimus: Λυσίας ἤ τις ἄλλος (272 C, 277 D, 278 C). Sed paulo accuratius hac de re videamus.

Primo optime in Isocratem conveniunt quae proxime antecedunt locum supra citatum, in quibus definitur, quid intersit inter philosophum et λόγων συγγραφέα (278 CD). Quid enim? Philosophum se vocare solet Isocrates. Iniuria, ut Plato perhibet. Haec Isocratis arrogantia igitur est cur accuratius discrepantiam illam definire cupiat.

Quamquam non solum hic locus, sed omnia illa, quae inde a 271 C leguntur de oratoribus animi rationem ignorantibus ad Isocratem pertinere arbitror iniuria philosophum se vocantem. Prae ceteris laudanda esse videntur 274 C sqq. Agitur hic de praeceptore, quod nomen de Lysia vix recte adhiberi poterat, sed rectissime de Isocrate, qui nuper Platonis exemplum secutus (vid. p. 388 sq.) scholam suam instituerat. Ut autem nuper in Menone Isocratem iam de vera arte reminiscendi monuerat (vid. p. 388), sic nunc denuo eundem idem admonet: (275 A) τοῦτο (sc. τὰ γράμματα) γὰρ τῶν μαθόντων λήθην ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς [2]) ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν ἀναμιμνησκομένους [3])· οὔκουν μνήμης, ἀλλὰ ὑπομνήσεως φάρμακον ηὗρες. σοφίας δὲ τοῖς μαθηταῖς δόξαν, οὐκ ἀλήθειαν πορίζεις. Ultima quoque haec de opinione et veritate haud dubie ad Isocratem spectare quivis intelleget, qui or. adv. soph. 8 et Hel. 5 conferet (supra p. 382).

Ne haec quidem dici potuerunt nisi ad praeceptorem (276 B): τόδε δή μοι εἰπέ· ὁ νοῦν ἔχων γεωργός, ὧν σπερμάτων κήδοιτο καὶ ἔγκαρπα βούλοιτο γενέσθαι, πότερα σπουδῇ ἂν θέρους εἰς Ἀδώνιδος

1) In his Teichmüller, l.l. pp. 69 sqq.

2) Cui hic non in mentem veniunt illorum Goethii:

denn was man schwarz auf weiss besitzt,
kann man getrost nach Hause tragen.

3) Cf. Meno 85 D.

κήπους ἀρῶν χαίροι θεωρῶν καλοὺς ἐν ἡμέραισιν ὀκτὼ γιγνομένους, ἢ ταῦτα μὲν δὴ παιδιᾶς τε καὶ ἑορτῆς χάριν δρῴη ἄν, ὅτε καὶ ποιοῖ· ἐφ' οἷς δὲ ἐσπούδακεν, τῇ γεωργικῇ χρώμενος ἂν τέχνῃ, σπείρας εἰς τὸ προσῆκον, ἀγαπῴη ἂν ἐν ὀγδόῳ μηνὶ ὅσα ἔσπειρεν τέλος λαβόντα;

Confiteor, sic Isocratem alloquitur, tu discipulos tuos ita instituis, ut brevi tempore iactare possis, quantos fecerint progressus; haec autem seria non sunt, sed iocosa. Mei discipuli tarde procedunt, sed doctrinam acquirunt *εἰς ἀεί*. Neque facere possum, quin haec pulcherrima citem (276 E, 277 A): *πολὺ δ' οἶμαι καλλίων σπουδὴ περὶ αὐτὰ γίγνεται, ὅταν τις τῇ διαλεκτικῇ τέχνῃ χρώμενος, λαβὼν ψυχὴν προσήκουσαν, φυτεύῃ τε καὶ σπείρῃ μετ' ἐπιστήμης λόγους, οἳ ἑαυτοῖς τῷ τε φυτεύσαντι βοηθεῖν ἱκανοὶ καὶ οὐχὶ ἄκαρποι ἀλλὰ ἔχοντες σπέρμα, ὅθεν ἄλλοι ἐν ἄλλοις ἤθεσι φυόμενοι τοῦτ' ἀεὶ ἀθάνατον παρέχειν ἱκανοί, τὸν ἔχοντα εὐδαιμονεῖν ποιοῦντες, εἰς ὅσον ἀνθρώπῳ δυνατὸν μάλιστα.* Haec sane est illa *ὁρμὴ θειοτέρα* (279 B), quam praedixerat Socrates Isocrati, nisi satis habuisset orationes scribere et artem oratoriam docere. Attamen iis scribendis contentus fuit neque *μανίαν* illam divinam sensit, sed perseveravit *σωφρονεῖν* (245 A).

Postremo hanc suspicionem reticere non possum: In priore dialogi parte tres habemus orationes, primam Lysiae, alteram et tertiam Socratis; sed altera illa Socratis ore pronuntiatur quidem, sed, inquit, *διὰ τοῦ ἐμοῦ στόματος καταφαρμακευθέντος ὑπὸ σοῦ ἐλέχθη*. Itaque nescio quomodo altera illa non a Socrate, sed ab alio quodam habetur, qui medium locum tenet inter Lysiam et Socratem, a philosophia non prorsus alienus, sed divini illius furoris expers. Quis ille est? Isocrates, ut opinor, etenim *φύσει .... ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ* (279 B), sed deest illa *ὁρμὴ θειοτέρα*. Quocirca si Lysiam monet *ὅτι τάχιστα γράψαι, ὡς χρὴ ἐραστῇ μᾶλλον ἢ μὴ ἐρῶντι .... χαρίζεσθαι* — i. e. si suadet ei, ut divinum subeat furorem, haud minus ea ad Isocratem spectant. Neque magis Lysiam quam Isocratem monere videtur, ut eiusmodi habeat palinodiam, quam ipse habuerat (243 D).

Dicto fuit audiens Platoni Isocrates et ipse quoque palinodiam cecinit, non quidem de amore, sed de re, quae amori cognata est, de pulchritudine, Helenam dico orationem. Nam cum in

Panegyrico de Helenae raptu egisset tamquam de causa vix digna, propter quam bellum gereretur, in Helena oratione eam causam tamquam maximi momenti laudavit (v. supra p. 377 sq.). Quin, ipsum illum locum, ubi Plato de palinodia agit, imitatus est. Digni hi loci sunt, qui conferantur:

Phaedr. 234 A.

ἔστιν δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ. τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν οὐκ ἠγνόησεν, ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν, ... καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν.

Hel. 64.

Ἐνεδείξατο δὲ καὶ Στησιχόρῳ τῷ ποιητῇ τὴν αὑτῆς δύναμιν· ὅτε μὲν γὰρ ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς, ἀνέστη τῶν ὀφθαλμῶν ἐστερημένος, ἐπειδὴ δὲ γνοὺς τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς τὴν καλουμένην παλινῳδίαν ἐποίησε, πάλιν αὐτὸν εἰς τὴν αὐτὴν φύσιν κατέστησεν. λέγουσι δέ τινες καὶ τῶν Ὁμηριδῶν, ὡς ἐπιστᾶσα τῆς νυκτὸς Ὁμήρῳ προσέταξε ποιεῖν περὶ τῶν στρατευσαμένων ἐπὶ Τροίαν, βουλομένη τὸν ἐκείνων θάνατον ζηλωτότερον ἢ τὸν βίον τὸν τῶν ἄλλων καταστῆσαι· καὶ μέρος μέν τι καὶ διὰ τὴν Ὁμήρου τέχνην, μάλιστα δὲ διὰ ταύτην οὕτως ἐπαφρόδιτον καὶ παρὰ πᾶσιν ὀνομαστὴν αὐτοῦ γενέσθαι τὴν ποίησιν.

Phaedri locum priorem esse perspicuum est. Nam in Phaedro verba citata artissime cum praecedentibus cohaerent, at nequaquam in Helena. Accedit, quod in Phaedro Homerus in eadem re Stesichoro opponitur, in Helena inter se coniunguntur quidem, sed quae de utroque dicuntur, inter se non sunt opposita. Narrat enim Isocrates in Stesichoro, quantam *in ipsum* potentiam Helena exercuerit, sed in Homero, quantopere *artem poëticam* eius promoverit; apud Platonem et in Stesichoro et in Homero de ira deorum et de diis placandis sermo est. Videtur igitur locum Platonicum imitatus esse Isocrates et immutasse, scilicet ut dilectissimum suum Homerum defenderet ab impetu, quem


Plato in Phaedro in eum fecerat: minime enim Helenam Homero suscensuisse affirmat, quod sibi maledixisset, imo ab ipsa Helena eum esse commotum, ut immortalia carmina sua pangeret.

Non solum ad Menonem (v. supra p. 382) et ad Phaedrum Isocrates spectat in Helena componenda, sed etiam ad Convivium Platonicum. Videatur Conv. 182 E, 183 A: *καὶ πρὸς τὸ ἐπιχειρεῖν ἑλεῖν* (sc. *τὰ παιδικὰ*) *ἐξουσίαν ὁ νόμος δέδωκε τῷ ἐραστῇ θαυμαστὰ ἔργα ἐργαζομένῳ ἐπαινεῖσθαι, ἃ εἴ τις τολμῴη ποιεῖν ἄλλ' ὁτιοῦν διώκων καὶ βουλόμενος διαπράξασθαι πλὴν τοῦτο τὰ μέγιστα καρποῖτ' ἂν ὀνείδη. εἰ γὰρ ἢ χρήματα βουλόμενος παρά του λαβεῖν ἢ ἀρχὴν ἤ τιν' ἄλλην δύναμιν ἐθέλοι ποιεῖν, οἷάπερ οἱ ἐρασταὶ πρὸς τὰ παιδικὰ, ἱκετείας τε καὶ ἀντιβολήσεις ...., ἐμποδίζοιτο ἂν ....*

Quibuscum comparetur Hel. 57 *καὶ τοὺς μὲν ὑπ' ἄλλῃ τινὶ δυνάμει γιγνομένους λοιδοροῦμεν καὶ κόλακας ἀποκαλοῦμεν, τοὺς δὲ τῷ κάλλει λατρεύοντας φιλοκάλους καὶ φιλοπόνους εἶναι νομίζομεν.*

Quando Phaedrus Platonicus compositus sit, nunc satis accurate definiri potest. Post Panegyricum enim editus est (vid. p. 385), sed ante Helenam. Panegyricus autem anno 480 editus est, Helenam haud ita multo post in lucem prodisse veri est simile (a⁰ 477? supra p. 378). Quamobrem Phaedrus a⁰ 479 aut 478 scriptus esse videtur, quem eundem annum nuper invenimus, ab ipsis Platonis scriptis profecti [1]).

Hoc conspectu melius etiam explanaturum me esse spero ordinem eorum scriptorum, de quibus egi, in quo lineis coniuncta sunt ea scripta, quorum alterum ad alterum spectat:



1) Mnem. Vol. XLIV p. 294.

Ex Busiride igitur discordia orta est, ad quem Convivio suo respondet Plato (quod cum scripsit, nuper Theaeteto edito Academiam suam iam instituerat).

Mox ipse quoque ludum instituit Isocrates, quem aperiens orationem adversus sophistas edidit, qua Gorgiam et Theaetetum dialogos impugnat; ad eam Plato rursus respondet Menone suo.

Tum requievit paulisper altercatio, nam in Panegyrico et Phaedone vix quicquam est, quo alter alterum lacessiverit.

Phaedro suo Plato discordiam resuscitavit, ad quem Helena oratione respondet Isocrates, simul ad Convivium Menonemque spectans.

Annis igitur 386—377, qua aetate uterque scholam suam nuper instituerat, ad summam discordia pervenisse videtur vehementiam, tum paulatim mitigata esse, quamquam in Republica quoque Isocratem a Platone lacessi abnuere non ausim. Sed ad nostrum propositum hoc nunc non pertinet. De illorum annorum altercatione egisse et ea nisus attulisse quaedam ad trium illarum orationum constituendam et ad Platonicorum aliquot dialogorum accuratius defininiendam aetatem satis habeo.

AD EPIGRAMMA ATTICUM.

Athenis eo loco, ubi Codrus rex occisus et sepultus esse dicebatur (cf. Paus. I, 19, 5) altero p. C. n. saeculo stela epigrammate ornata, cuius pars hodie extat, collocata est. Versiculos habet quatuor in fine mutilos (Kaibel, Epigr. graeca ex lapid. conl. 1083; I. G. III, 943):

Κόδρου τοῦτο πέσημα Μελανθείδαο [ἄνακτος],
ξεῖνε, τὸ καὶ μεγάλην 'Ασίδα τειχίσατ[ο].
σῶμα δ' ὑπ' ἀκροπολῆι Φέρων τάρχυσεν ['Αθήνης]
λαὸς ἐς ἀθανάτους δό[ξ]αν ἀειραμέ[νου].

Supplementum [ἄνακτος], quod Alexander Conze excogitavit, absurdum esse mihi videtur. Nam neque *πέσημα* Codri oppida munivisse dici poterat neque ipse colonos in Asiam deduxisse ferebatur (cf. Paus. VII, 2). Sed ex gente Nelidarum oriundus erat, a quibus complures Asiae civitates conditae esse credebantur. Itaque legendum est:

Κόδρου τοῦτο πέσημα Μελανθείδαο, [γένους τοῦ],
ξεῖνε, τὸ καὶ μεγάλην 'Ασίδα τειχίσατ[ο].

G. VOLLGRAFF.

AD T. LIVII LIB. XXXVIII—XL.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



T. Livi ab urbe condita libri. Ed. A. Zingerle.
Editio maior. Vindobonae 1888—1908.

Lib. XXXVIII.

1. 8: *ita inter omnes convenit, ut primo quieti ... in foro obversarentur; die certa multitudinem omnem convocarent ad praesidia Macedonum arcibus expellenda.*

Supplendum credo: ⟨*dein*⟩ *die certa.* Cf. primo ... dein c. 4, 7 et 9; c. 5, 3; c. 6, 3.

2. 2: *ibi relicta maiore parte exercitus — neque enim ad tanta itinera sufficerent — cum duobus milibus Athenaeum ... pervenit.*

Restituendum est: *neque enim ad tanta itinera* ⟨*simul*⟩ *sufficerent*; hoc enim excidisse probabilius videtur quam id, quod Fuegner protulit: *ad tanta itinera* ⟨*vires*⟩, quandoquidem in militibus non virium defectio, verum numerus ingens impedimento foret ne Philippus tanta itinera uno tenore conficeret.

3. 6: *quibus circumiectis gentibus iam undique se a Macedonibus tutos credentibus esse Aetolis fama affertur Antiochum in Asia victum ab Romanis.*

Suspicio mihi incidit num forte pro *esse* Livius scripserit: *ecce.*

5. 9. Nicander spem nactus est Ambraciae obsidionis solvendae forti quodam incepto, quod postquam §§ 6—8 fuse est exposi-

tum, haec sequuntur: *id inceptum conatu quam effectu gravius fuit, quia* e. q. s.

Emendandum est: *sed inceptum*. Ante haec vocabula positum esse moneo verbum *aggressus*.

6. 5: *ibi diversis partibus duo duces Eupolemus et Nicodamus pugnantes hortabantur et certam proponebant spem, iam Nicandrum ex composito adfore et terga hostium invasurum.*

Pro tradita lectione *certa fovebant spe* editor ex Ed. Wolffii coniectura recepit *certam proponebant spem*, iniuria, ut credo; illam Weissenborn optime interpretatur monens, ad verbum *fovebant* quoque pertinere obiectum *pugnantes*, et satis tuetur locis ex Tac. H. III 83, Plin. Ep. I 14, 1, Liv. XL 5, 5 allatis. Ceterum ratione nulla reddita Zingerle voc. *prope*, ante *certa* quod in ceteris edd. legitur, omisisse videtur.

ibid. 8: *Ambracienses quique intus erant Aetoli non ab eius solum noctis incepto recessere, sed in reliquum quoque tempus velut proditi ab suis segniores ad pericula erant.*

Verbum *recessere* ita nude positum vix ferendum puto, immo explicationem aliquam aegre desiderat, id quod sequentia quoque suadent. Nescio an post *incepto* propter litterarum similitudinem voc. *decepti* exciderit.

7. 7: *cumulus repente terrae eminens index operis oppidanis fuit.* Weissenborn Livium voc. *repente* narrationi Polybii addidisse contendit, quod verum non esse, sed Livium hic quoque orationem Polybii ad verbum Latine vertisse mox videbimus, si semel pro corrupta lectione *repente* veram ac genuinam reddiderimus. Sermo est de cumulo, qui succrescit ex humo, quam Romani cuniculum fodientes egesserunt. Talis cumulus nimirum lente ac pedetemptim oritur, non repente. Cum autem èt genitivus *terrae* suum attributum flagitet èt scriptum sit apud Polybium (XXII 9): ὡς δὲ μέγας ὁ σωρὸς ἐγένετο τῆς ἐκφερομένης γῆς καὶ σύνοπτος τοῖς ἐκ τῆς πόλεως, nulla iam restat dubitatio quin corrigendum sit: *cumulus regestae terrae eminens*. Cf. Liv.: quo regesta e fossa terra foret, Colum. III 13, 8; XI 3, 5. Fuit cum *erepentis* scribendum putarem cl. Stat. Silv. II 2, 30: per obliquas erepit porticus arces, sed illud praestare opinor.

ibid. 11 sq. Hic locus nostra animi attentione dignus est propterea quod de vaporibus pro instrumento bellico adhibitis prima ibi mentio iniecta est. Non tamen ad hostes per cruciatus dirissimos necandos tunc iis usi sunt — hic usus inhumanus humaniores multo manebat nepotes! — sed tantum ad eos arcendos.

Obiter moneo, Weissenbornium rerum narratarum cursum non bene intellexisse. Ubi enim annotavit ad § 12: „*caput*, was vorher *ore* hiess", fallitur: in verbis *folle fabrili ad caput fistulae imposito* voc. *caput* nimirum finem alterum, partem superiorem dico, ferreae fistulae significat, voc. *ore* vero in verbis *dolium ore in cuniculum verso* denotat dolii operculum et est pars fundo opposita (cf. Polyb. XXII 16), ut recte Weissenborn ibi ascripsit: „*ore*, die dem *fundus* entgegengesetzte Seite".

12. 3: (consul) *adhortatus eos* ⟨*ad*⟩ *novum cum Gallis suscipiendum bellum, qui et auxiliis iuvissent Antiochum et* *a d e o* *indomita haberent ingenia, ut nequiquam Antiochus emotus ultra iuga Tauri montis esset, nisi frangerentur opes Gallorum.*

In lectione *adeo*, quam pauci codices recentiores exhibent, parum auctoritatis est, e corrupta lectione *ante*, quae in codicibus plerisque legitur, priscam scripturam eruendam esse arbitror. Fortasse reponendum est: *m a r t e indomita*, quo vocabulo Livium pro bello sexcenties usum esse notum est. Cf. c. 17, 18: vobis mehercule, M a r t i i s viris, cavenda ac fugienda quam primum amoenitas est Asiae.

13. 10. *Parva disceptatio de Attali auxiliaribus orta est . . . discussa ea quoque* *e s t* *constantia consulis, qui* e. q. s.

Voc. *quoque* Crevier aut recidendum aut immutandum esse existimavit, Zingerle dubitanter proponit: *utique*, et sane de aliis disceptationibus supra sermo non fuit. Attamen non eam voculam tangendam esse censeo, sed olim scriptum fuisse: *discussa ea quoque* *r e s*. Sicut alibi Livius: res consensu patrum discussa est, et infra c. 15. 9: cum ea res animos fecit, tum agri fecunditas.

16. 14: (Attalus) *non tamen ita infregit animos eorum* (Gallo-

rum sc.), *ut absisterent imperio. eaedem opes usque ad bellum Antiochi cum Romanis manserunt.*

Non recte haec verba divisa esse iudico: plene enim distinguendum est non post *imperio,* sed post *absisterent,* ita ut hoc verbum absolute positum sit, ut saepe apud nostrum, et dativus *imperio* ad sequentia sit referendus. Cf. c. 17. 12: Tarentinis quid ex Spartana dura illa et horrida disciplina mansit?

20. 4: *tertio die cum omnibus ad loca exploranda profectus, quia nemo hostium extra munimenta processit, tuto circumvectus montem, animadvertit* e. q. s.

Pro *tuto* corrigas quaeso: *totum.* Consul videlicet, pridie cum minore equitum numero ad naturam montis et castra Gallica visenda progressus, ab hostibus fugatus erat, tunc vero cum omnibus profectus est, hostes intra castra se continuerunt et ille totum montem circumvehi et omnia explorare potuit.

21. 6: *saxis nec modicis, ut quae non praeparassent, sed quod cuique temere trepidanti ad manum venisset, ⟨et⟩ ut insueti, nec arte nec viribus adiuvantes ictum, utebantur.*

Editores, verba *nec modicis* non satis perspicua esse neque *atque iis immodicis* significare posse rati, Crevierum secuti inserere solent *et* ante verba *ut insueti.* Equidem locum nullo vitio laborare, sed notionem vocabuli *saxis* non bene intellectam omnium difficultatum originem fuisse suspicor. Locus enim, qui est c. 20. 1: ingentem vim ... modicorum, qui funda mitti possent, lapidum paraverat, mihi persuasit ut Livium nostro loco hoc voluisse crederem: non lapidibus (h. e. saxis ad funditorum usum conformatis) modicis utebantur, sed saxis rudibus et asperis atque ne iis quidem modicis. Ergo ad significationes diversas utriusque vocabuli editores non satis attenderunt.

22. 9: *iis vero non vulnerabantur, sed transverberatis scutis plerique inter se conserti haerebant; nec diutius impetum Romanorum sustinuerunt.*

Pro *iis* — in cod. rec. et ed. vet. *hi* legitur — dubito an sit reponendum: *ipsi.* Hi enim Galli, qui portas stationibus suis clauserant, ab auctore opponi videntur multitudini in castra

compulsae, de qua § 8 affirmavit: „vulnerari multos clamor permixtus mulierum atque puerorum ploratibus significabat".

24. 4: *deinde ad leniendam indignitatem iniuriae spem reditus ad suos mulieri facit, et ne eam quidem, ut amans, gratuitam.*

Inficetum additamentum *ut amans* non emendandum cum Kochio, qui *ut avarus* coniecit, sed in marginem relegandum esse opinor, unde importune in textum irrepsit. Livius ipse centurionem violatorem modo dixit „et libidinis et avaritiae militaris": libidini is satisfecit stupro captivae inferendo, avaritiae deinde indulget, pretium dum pro reditu captat. Tale monstrum nullo modo a Livio cum amante comparari potuit. Qua de causa nescio quis verba *ut amans* ascripsisse putandus est, qui explicare voluerit: quod tamen amantem facturum fuisse exspectaveris.

25. 3. Postquam ad Ancyram in stativa oratores Tectosagum ad consulem venisse narratum est, petentes ne ante castra moveret quam collocutus cum suis regibus esset, sequuntur haec: *quo cum consul cum praesidio quingentorum equitum venisset nec ullo Gallorum ibi viso regressus in castra esset, oratores idem redeunt.*

Emenda: *nec ullo Gallorum ibi viso ⟨rege⟩ regressus*, cl. Polyb. XXII 22: τότε μὲν οὐκ ἦλθον οἱ βασιλεῖς.

ibid. 14: *ii procul clamore pavido suorum audito cum tela equosque expedissent, integri profligatam pugnam acceperunt.*

Corrigendum videtur: *exceperunt.*

29. 2: *duabus tamen maxime resistebant rebus, una, interiorem semper iuxta validum pro diruto novum obstruentes murum, altera* e q. s.

Voc. *novum* ante *interiorem* traiciendum esse puto.

31. 1: *Philopoemen praetor, iam inde ab initio exulum causae amicus, et auctor semper Achaeis minuendi opes et auctoritatem Lacedaemoniorum,* e. q. s.

In capite superiore § 4 modo legimus: „Philopoemen —

praetor tum erat — Argos conventum edixit", qua de causa loco nostro voc. *praetor* insiticium esse suspicor. At certius etiam mendum loco inhaeret. In codd. enim exaratum est: *iam inde ab initio exulum causae et amicus.*

Editor cum ed. Basil. 1535 voculam *et* temere expunxit. Iure tamen Weissenborn observavit, *et* e vs. sq. huc per errorem irrepsisse aut membrum alterum excidisse. Hoc credo atque adeo id membrum non prorsus evanuisse sed sua reliquisse vestigia, nam scriptum fuisse conicio: *iam inde ab initio exulum causidicus et amicus.*

33. 2: *legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis, et civitatem in pace futuram, si id fecisset, pollicentes, et illos nihil indicta causa passuros.*

Collato loco qui est c. 31. 2: „nisi dederentur Achaeis" et lectionum discrepantia considerata (*fecissent*) legendum esse suspicor: *si dedidisset.*

38. 1: *Ibi ex decem legatorum sententia foedus in haec verba fere cum Antiocho conscriptum est.*

Voc. *fere* in codice uno servatum, in reliquis omnibus omissum, loco legitimo, h. e. ante *verba*, reponendum esse puto.

41. 3: *in eo proelio cum et impedimentorum ⟨custodes⟩ et calonum pars et milites aliquot ... cecidissent, plurimum Q. Minucii Thermi morte damni est acceptum.*

M. Muellero auctore Zingerle *custodes* inseruit. Equidem nihil addendum esse existimo, sed *impedimentorum* ita emendandum: *in eo proelio cum et iumentorum et calonum pars* cet. Cf. supra c. 40. 10: caesisque custodibus partim ea, quae in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus iumenta abstrahere, infra c. 49. 8: ne quod iumentum ex tanto agmine abstraheretur.

ibid. 12: *Claudius auctor est ad quindecim milia Thraecum praecedenti ad exploranda loca agmen Muttinae Numidae occurrisse.*

Voc. *agmen* spurium duco aut e sequenti versu perperam huc illatum; sequuntur autem: „quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos" itaque fieri potest ut vocabulum ante *quadringentos* transponendum sit.

44. 1: *Cum Aemilius callidam malitiam inimici velut notam omnibus insimularet et tempus eum morando extracturum diceret, ne consule inimico Romam veniret, certamine consulum biduum absumptum est.*

In hisce cum *inimici* = M. Fulvii, *consule inimico* = consule Aemilio sint, vix autem credendum sit Aemilium ipsum vim verborum suorum ita fregisse, suspicio me tenet olim scriptum fuisse *consule se*, deinde vero voc. *inimico*, quod explicandi causa aliquis supra pronomen *se* appinxisset, id detrusisse.

46. 1: *Nolite nomen tantum existimare mixtum esse Gallograecorum; multo ante et corpora et animi mixti ac vitiati sunt.*

Pro lectione *vitiati*, quam codex unus exhibet, reliquorum codicum lectionem *mutati* unice veram esse ea docent, quae scripsi de verbi mutandi usu apud P. Papinium Statium in Serto Naberico Lugd. Bat. 1908 (p. 79 sqq.).

51. 1: *Tribuni ... suspicionibus magis quam argumentis pecuniae captae reum accusarunt.*

Legendum: *eum accusarunt*. Cf. Appian. Syr. 40: *δήμαρχοι δύο δωροδοκίας αὐτὸν ἐγράψαντο καὶ προδοσίας.*

53. 11: *Punici tamen belli perpetrati ... unus praecipuam gloriam tulit.*

Pro *unus*, quod Gelenio debetur, tradita lectio est *unam*. Hanc autem verae scripturae vestigia prae se ferre suspicor et reponendum esse: *suam*, cl. Val. Max. IV. 3. 13: Scipio Aemilianus post duos inclytos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos ... officio legationis functus est, Nepos Themist. 6, 2: idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo.

55. 8: *in L. Scipione malim equidem librarii mendum quam mendacium scriptoris esse in summa auri atque argenti; similius enim veri est argenti quam auri maius pondus fuisse.*

Mirum ni scripserit Livius: *in summis.*

56. 9: *Africanum tradunt ... cum a porta recta ad forum se*

contulisset, quod in vincula duci fratrem dictum erat, reppulisse a corpore eius viatorem cet.

Male sana lectio est *dictum erat* cod. M neque minus mendosa quam cod. plerique praebent *iussum erat*; tertia denique lectio nonnull. cod. rec. (Voss.) est *invenerat*. Sententia postulare videtur: *viderat*. Aeque incerta fuisse videtur scriptura archetypi c. 58. 8: *ab senatu dignum visum*, ubi Zingerle *ductum* edidit, alii *habitum* vel *iudicatum* coniecerunt.

58. 8: *L. Scipionem, de quo agatur, ... consulem et ab senatu dignum ductum ... et a fratre, cui ... legatus in Asiam iret.*

Inelegauter admodum verba *de quo agatur* a margine in textum recepta sunt, quod vel maxime apparet, si verba § 4 respicias: „parentes suos et P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. et P. Scipiones, clarissimos viros."

Lib. XXXIX.

1. 3: *nam Asia et amoenitate urbium et copia terrestrium maritimarumque rerum et mollitia hostium regiisque opibus ditiores quam fortiores exercitus faciebat.*

Scribendum: *regiis opibus ditiores*. Ut nunc legitur, *regiae opes* male adduntur rebus, quibus Asia exercitus ditiores quam fortiores faciebat, itaque cum *mollitia hostium* minus apte coniunguntur et moleste abundant post verba *copia terrestrium maritimarumque rerum.*

ibid. 5: *in Liguribus omnia erant, quae militem excitarent, loca montana et aspera, quae et ipsa capere labor erat et ex praeoccupatis deicere hostem, et itinera ardua, angusta, infesta insidiis, hostis levis et velox et repentinus, ... oppugnatio necessaria, ... inops regio.*

Schelio praeeunte editor *et ipsa* posuit pro tradita lectione *et ipsis*, Kreyssigio *ipsis et* — Weissenbornio in adn. *et ipsa iis* conicientibus. At codicum lectionem omnino sanam esse censeo, nam interpretor: loca eiusmodi ut militibus et ipsis capere ea labor esset et, si ab hoste ante essent capta, eum inde deicere.

'Capere' enim h. l. = occupare, ut c. 2. 4: ibi montis, quem ceperant, altitudine paulisper se tutati, c. 32. 3: hostes montem ... ceperunt et inde superata locorum iniquitate proelio deiecti sunt.

Insuper monendum est, Zingerleium cum uno cod. M edidisse *et itinera*, cum rel. cod. et ed. antiquissimae omnes recte *et* omiserint, nam scriptura *et infra* nimirum ex *itinera* deturbata est.

4. 2: *petit a patribus, ut, ⟨si⟩ aequum censerent, ob rem publicam bene ac feliciter gestam et diis immortalibus honorem haberi iuberent, et sibi triumphum decernerent.*

Facere non possum quin Weissenbornium in adn. certissimis argumentis Madvigii coniecturam refutasse commonefaciam, quam editor noster recepit, legendum autem: *ut aequum censerent ... diis immortalibus honorem haberi et sibi triumphum decernerent,* deleto verbo quod varie in cod. traditur: *iuberent* vel *iubere.*

ibid. 4: *Fulvium temporis iacturam facere; senatum etiam praesente consule, quod vellet, decreturum.*

Madvig fortasse corrigendum esse scripsit: *unius temporis.* Equidem potius *tantum* ante *temporis* excidisse crediderim, nisi Livius scripserit: *Fulvium temporis iacturam facere ⟨debere⟩.* Cf. c. 5. 3.

5. 5: *ne hoc quidem cernere eum, fore, ut memoriae ac posteritati mandetur eiusdem collegii alterum e duobus tribunis plebis suas inimicitias remisisse rei publicae, alterum alienas et mandatas exercuisse.*

Restitues Livii manum si expunxeris verba *e duobus tribunis plebis,* ascripta ab eo, qui quale collegium dictum esset indicandum esse putavit, immemor mentionem de tribunis plebis supra identidem iniectam esse.

ibid. 14: *aureae coronae centum duodecim pondo ante currum latae sunt, argenti pondo milia octoginta tria, auri pondo ducenta quadraginta tria.*

Voc. *pondo,* quod post *duodecim* nunc legitur, exstirpandum est, cl. c. 7 init.: „In triumpho tulit Cn. Manlius coronas

aureas ducentas duodecim [pondo], argenti pondo ducenta viginti milia, auri pondo duo milia centum tria", ubi editores idem vitium auctore Lentzio sustulerunt. Cf. etiam loci a Weissenbornio ad hunc locum collati.

ibid. 16: *duces aut Aetoli et Cephallenes aut regii ab Antiocho ibi relicti ad viginti septem.*

Praedicatum deest, quod post *duces* excidisse puto et legendum: *duces* ⟨*ducti*⟩ *aut Aetoli* cet. Latet fortasse sub forma corrupta *duxit*, quae supra nunc in cod. rec. invenitur § 15: „signa marmorea duxit ducenta triginta", ubi *duxit* ab editoribus nimirum deleri solet. Cf. c. 7. 2: duces hostium duo et quinquaginta ducti ante currum.

6. 5: *eo infensioribus in se quam in illum iudicibus, quod disciplinam militarem severe ab eo conservatam successorem ipsum omni genere licentiae corrupisse fama adtulerat.*

Quamquam in cod. omnibus qui exstant legitur *successor ipse*, editores, fideli concordia Kreyssigium secuti, *successorem ipsum* edere solent, ut videlicet ad lectionem dubiam atque incertam *corrupisse fama attulerat*, quam in cod. M fuisse Modius testatur, totam loci compositionem conforment spreta reliquorum codicum lectione *corruperat.* Si de cod. M lectione *corrupisse fama attulerat* Modio fides habenda est, verba *successor ipse* in eo omnino non occurrisse suspicor, utpote quae in cod. posteriore, in quo *corruperat* iam legebatur, ab interpretatore aliquo addita esse mihi persuasum sit.

ibid. 8: *tunc psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludorum oblectamenta epulis, epulae quoque ipsae et cura et sumptu maiore apparari coeptae.*

Cum e magna lectionum varietate appareat, scripturam voc. *convivalia ludorum* parum constitisse, et locis omnibus e Curt. Ruf. a Zingerleio ascriptis convivales ludi memorentur, fortasse Livius quoque scripsit: *convivalium ludorum obl.*

7. 1: *Philippeorum aureorum nummorum sedecim milia trecentos viginti* (Cn. Manlius in triumpho tulit).

Modo in re simili noster scripsit (c. 5. 15): „Philippei nummi duodecim milia trecenti viginti duo" adiectivo *aurei* non adiecto, qua de causa nostro quoque loco voc. *aureorum* inducendum arbitror.

8. 4: *nec is, qui aperta religione, propalam et quaestum et disciplinam profitendo, animos* *e r r o r e* *imbueret, sed occultorum et nocturnorum antistes sacrorum.*

Voc. *errore* vel *horrore*, ut altera lectio est, manu posteriore additum esse opinor.

ibid. 6: *additae voluptates religioni vini et epularum, quo plurium animi inlicerentur. cum vinum* *a n i m o s* *⟨incendisset⟩ et nox et mixti feminis mares, aetatis tenerae maioribus, discrimen omne pudoris exstinxissent, corruptelae primum omnis generis fieri coeptae.*

Madvigio auctore editor verbum *incendisset* inseruit aliis alia verba suadentibus. Quoniam causam nullam video propter quam verbum excidisse credibile sit neque *animos* continuo post *animi* a Livii manu profectum videtur, potius hoc vocabulum vitiose traditum existimo et fortasse legendum: *cum vinum* *a b u n d a n s* *et nox* e. q. s.

ibid. 7: *nec unum genus noxae, stupra promiscua ingenuorum feminarumque, erant, sed et* e. q. s.

Pro *erant* corrigendum puto *erat.*

9. 5: *scortum nobile, libertina Hispala Fecenia,* *n o n* *d i g n a* *q u a e s t u*, *cui ancillula adsuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur.*

Quicumque haec attente perlegerit, verba *non digna quaestu*, quae in uno codice leguntur, ridicule posita esse agnoscet. Codices reliqui praebent: *nomine digna quaestu* atque ita sane scripsisse aio non Livium, sed nescio quem in margine, unde verba postea in contextam orationem immigrarunt. Quid enim factum est? Lector aliquis nomen *Fecenia* s. *Faecenia* a faece derivavit (Cic. faex populi v. plebis) et de suo ascripsit: *nomine digna quaestu*, qua annotatione nimirum significare voluit: iam ipsum nomen mulieris tali quaestu dignum erat! Sequuntur continuo:

huic consuetudo iuxta v i c i n i t a t e m cum Aebutio fuit, minime adulescentis aut rei aut famae damnosa.

Istum praepositionis *iuxta* usum (*iuxta vic.* pro: ex vicinitate) a Liviano dicendi genere alienum esse et ad aetatem demum seriorem pertinere alii ante me animadverterunt et loco mederi conati sunt coniciendo *iuncta vicinitate* (Heerwagen) et *orta ex vicinitate* (Ussing). At non illud, sed hoc vocabulum emendandum est, nam scripsit Livius:

huic consuetudo iuxta v i r g i n i t a t e m cum Aebutio fuit,
h. e. haec cum ad virginitatem pervenit, statim consuetudinem cum Aebutio iunxit. Hoc verba, quae supra descripsi, confirmant: „cui a n c i l l u l a adsuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur", et vis praepositionis *iuxta* = continuo post apud Livium eiusque aequales legitima est.

11. 6: *Aebutia accita ad Sulpiciam venit, et consul paulo post, velut forte i n t e r v e n i s s e t, sermonem de Aebutio fratris eius filio infert.*

Si Aebutia ad Sulpiciam veniente consul ibi nondum fuisset sed post illam intrasset domum socrus suae, Livius haud dubie scripsisset: *et consul, c u m paulo post velut forte intervenisset, sermonem ... infert.* At iam ante Aebutiae adventum consul aderat, quod ex iis quae supra narrata sunt satis apparet: § 4 ipse Sulpiciam ... percunctatus est, § 5 opus esse sibi ea conventa dixit: mitteret nuntium ad eam, ut veniret. Deinde nulla mora interiecta Aebutia arcessita venit. Quae cum ita sint, lectionem *intervenisset* corruptam habeo et veram ac genuinam esse suspicor:

velut forte i n m e n t e m venisset.
Aebutius ad consulem Postumium rem detulerat. Hic autem, qui iuvenem non nosset, ab Aebutia, quam probam et antiqui moris feminam esse Sulpicia affirmaverat, sine venditatione sciscitari voluit, qualis homo Aebutius esset, utrum fide dignus necne. Nempe nesciebat, ex ipsius Aebutiae auctoritate iuvenem ad se venisse.

14. 4: *patres pavor ingens cepit, cum publico nomine ... tum privatim suorum c u i u s q u e vicem, ne quis adfinis ei noxae esset.*

Pro *cuiusque* in cod. et ed. vet. legitur *quisque* manifesto mendose, sed *cuiusque*, quod Doering probante Madvigio protulit et editor noster recepit, haud emendatior lectio est: post *cuiusque* enim pronomen *quis*, quod sequitur, minime consentaneum est neque senatores, credo, timebant ne unusquisque suorum Bacchanalium foret particeps. Corrigas quaeso: *tum privatim suorum quoque vicem*, cl. c. 16. 6: ne quis etiam errore labatur vestrum, Quirites, non sum securus.

ibid. 10: *triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem servarentque, ne qui nocturni coetus fierent, utque ab incendiis caveretur, adiutores triumviris quinqueviri uti cis Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent.*

Legendum esse arbitror media distinctione post *caveretur* posita: *adiutores triumviris quinqueviri* ⟨*constituti*⟩ *uti ... praeessent*, cl. Digest. I 2, 31: quia magistratibus vespertinis temporibus in publico esse inconveniens erat, quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et ultra Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi.

15. 2: *nulli umquam contioni, Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria haec sollemnis deorum comprecatio fuit, quae vos admoneret* e. q. s.

Vocula *tam* in cod. M deest. Aldus primus *Quirites tam* scripsit, cod. rec. et ed. antiquiss. *quidem* vel *equidem tam* praebent. Equidem hoc loco non *tam* requiro, sed *ita*, quod per haplographiam facile neglegi potuit, quandoquidem in versu superiore est: *consul ita coepit.*

16. 1: *Minus tamen esset, si flagitiis tantum effeminati forent ... a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent.*

Voc. *tamen*, quod post *minus* nunc legitur, post *facinoribus* traiciendum esse puto.

ib. 3: *adhuc privatis noxiis ... coniuratio sese impia tenet. crescit et serpit quotidie malum.*

Supplendum: ⟨*sed*⟩ *crescit*, quod post *tenet* facile excidere potuit.

ibid. 11: *ne qua superstitio agitaret animos vestros, cum demolientes nos Bacchanalia discutientesque nefarios coetus cerneretis. o m n i a diis propitiis volentibusque [ea] faciemus.*

Editor cum Bauero *ea* uncinis inclusit, at nescio an potius sit emendandum: *coetus cerneretis o m n e s. diis pr. v. ea faciemus.* Nulla causa est cur *omnia* tanta cum vi in initio collocatum sit, contra *omnis,* ad *nefarios coetus* pertinens et in enuntiati fine positum, orationem consulis firmissime asseverantis pulchre intendit.

17. 1: *Recitari deinde senatus consulta iusserunt i n d i c i que praemium proposuerunt, si quis quem ad se deduxisset.*

Scribendum videtur *indiciique,* quod et sequens *quis* commendat et loci qui sunt in huius capitis fine: adducti ad consules fassique de se nullam moram i n d i c i o fecerunt, et c. 19. 3: eo referente de P. Aebutii et Hispalae Feceniae praemio, quod eorum opera indicata Bacchanalia essent.

ibid. 5: *multi ea nocte . . . custodiis circa portas positis fugientes a t r i u m v i r i s comprehensi et reducti sunt.*

Verba *a triumviris* spuria esse et rei natura arguit et inepta sedes.

18. 3: *qui tantum initiati erant . . . nec earum rerum u l l a m, in quas iure iurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant.*

Pro *ullam* cod. M *ulla res* — cod. alii rec. et ed. vet. *ullam rem* exhibent. Sententia postulare videtur: *nec earum rerum ullamd u m.*

20. 3 i. f. Verba *et tria milia peditum Romanorum, ducentos equites* expellenda esse et res ipsa et loci compositio clamat. Addita sunt, opinor, a lectore aliquo, qui cum modo legisset § 2: *idem numerus peditum equitumqne et collegae decretus erat* neque satis attendisset, non de eius collegae (sc. Sp. Postumii), sed de utriusque consulis exercitibus deinde mentionem fieri, hunc numerum numero copiarum Q. Marcii aequandum ratus est. Cum autem supra didicisset § 1, Marcium in provinciam

proficisci parare *tribus milibus peditum Romanorum ... ducentis equitibus in supplementum acceptis,* verba supra a me descripta, quae cum verbis antecedentibus nullo vinculo cohaerent, adiecit.

22. 1: *Per eos dies ... ludi Taurii per biduum facti religionis causa. decem ⟨dies⟩ deinde apparatissimos ludos M. Fulvius, quos voverat Aetolico bello, fecit.*

Animi causa coniecturas varias memorare lubet quibus viri docti hunc locum sanare sunt conati. Editor noster scripsit ea quae supra expressa sunt; Madvig dubitanter proposuit: *decem deinde dies apparatos,* plura h. l. excidisse et turbata esse suspicatus, sed in textu dedit: *apparatos deinde*; Sigonius *per dies decem apparatos deinde,* Novák *eximie apparatos deinde* coniecerunt. At tamen lectio tradita mendo levissimo laborat et mutatione perexigua indiget ut recte restituatur. Quaenam igitur sit aperiam. In cod. aliis exaratum est: *decem deinde apparatos* — in aliis *apparatos deinde.*

In archetypo scriptum fuisse credo: *et apparatos deinde,* notam autem, qua *et* significatum esset, neglegentius pictam esse ita ut librarii eam prave interpretarentur et pro & legere sibi viderentur X (= decem), atque fuit ea huius corruptelae origo. Nempe verborum ordinem *apparatos deinde* in cod. nonnullis inversum non est quod miremur.

23. 1: *Cum iam in exitu annus esset, Q. Marcius absens magistratu abiturus erat, Sp. Postumius ... comitia habuit.*

Reponendum esse arbitror: ⟨*quia*⟩ *Q. Marcius.* Eadem constructio infra § 8 legitur: cum per eosdem dies consul Acilius Heracleam, Philippus Lamiam oppugnasset, capta Heraclea quia iussus abscedere a moenibus Lamiae erat Romanisque oppidum deditum, aegre eam rem tulerat (Philippus sc.).

24. 10: *venerant et a Philippo legati ad purganda ea, qui nihil nisi permissu Romanorum imperatorum factum adfirmabant.*

Conicio: *quorum nihil.*

25. 5: *ita enim Acilium regi concessisse, si Aetolorum fuissent, si voluntate, non si vi atque armis coacti cum Aetolis essent.*

Legendum est: *si Aetolorum fuissent voluntate* aut *si Aet. f.* *sua voluntate.*

ibid. 9: *Thebas Phthias unum maritimum emporium fuisse quondam Thessalis, quaestuosum et frugiferum; ibi navibus onerariis comparatis regem, quae praeter Thebas Demetriadem cursum derigerent, negotiationem maritimam omnem eo avertisse.*

Weissenborn ad l. annotavit: „er hätte also in Theben selbst eine Handelsflotte gebaut um so den Handel nach Demetrias zu leiten; doch sieht man nicht, wie das Letztere durch das Erstere erreicht werden konnte, während ein einfaches Verbot in Theben zu landen näher lag; wahrscheinlich soll nur gesagt werden, dass Phil. Theben als Werfte benutzte, die dort erbauten Schiffe die an anderen Orten genommene Ladung in Demetrias habe landen lassen; doch bleibt der Gedanke dunkel, nur etwas würde gewönnen, wenn man statt *ibi navibus* läse *inde nav.*", Mihi quidem in hoc loco interpretando videtur nihil salebrosi esse, dummodo *ibi* pro adverbio temporis sumamus, id quod apud Livium saepe obtinet e. g. III 71: ibi infit, et alibi: ibi ira est suppressa.

26. 10: *et cum fremitus post eam vocem ortus et tandem sedatus esset, Perrhaeborum inde Athamanumque legatis respondit.*

Maluerim *et* post *ortus* abesse.

28. 11: *Eumenes, tamquam ad Antiochum, ad spoliandum me venit.*

Ita cum cod. uno Zingerle edidit reliquis cod. *ad Antiochum spoliandum* praebentibus. J. F. Gronovius coniecit: *ad me, tamquam Antiochum, spoliandum.*

Legendum: *tamquam ad Antiochi ⟨spoliis⟩ spoliandum me venit.*

Cf. c. 27. 3: multo verius esse, quae sub Antiocho fuerint, praemia belli Eumenem quam Philippum habere, c. 29. 1: si decem legatorum decreto Eumeni datae civitates eae essent, nihil se mutare; si Philippus bello cepisset eas, praemium victoriae iure belli habiturum.

29. 9: *ad septem milia hominum condemnavit; multi [inde] fugerunt, de multis sumptum est supplicium.*

Sine iusta causa Zingerle, Creviero obsecutus, voc. *inde* inclusit, quod h. l. = ex iis, ut c. 31. 13: inde tria milia fere ... montem propinquum ceperunt.

30. 5: *Hispani ... castra ... diripuerunt regressique in castra sua paucos dies quieti stativis manserunt.*

Codices exhibent *quietis hi stativis* M — *quietis stativis* cod. rec. plerique — *quieti stativis* cod. unus. Legendum credo: *quietis ibi stativis.*

31. 2: *castris repente effusi cursu ad pugnam tendunt. atrox in principio pugna fuit.*

Iniuria editor *pugna* e cod. rec. et ed. antiquiss. recepit pro cod. M lectione *proelium*; post *ad pugnam* lectio illa auri molesta est.

32. 7: *etiam quia plus quam unum ex patriciis creari non licebat, artior petitio quattuor petentibus erat.*

Comparato loco c. 39. 9: „comitiis acrius etiam quam ante petebat" e. q. s. nescio an hic quoque pro *artior* scribendum sit: *acrior.*

ibid. 8: *plebeii quoque gratiosi homines petebant ... et hi repulsis in spem impetrandi tandem aliquando honoris dilati.*

Conicio: *elati*, quod iis magis respondet quae de patriciis candidatis modo dicta sunt § 6: et ab repulsis eo magis debitum, quia primo negatus erat, honorem repetentes.

33. 2: *consules, cum Q. Caecilius, M. Baebius, Ti. Sempronius, qui ad disceptandum inter Philippum et Eumenem reges Thessalorumque civitates missi erant, legationem renuntiassent, regum quoque eorum civitatiumque legatos in senatum introduxerunt.*

Pro *regum quoque* corrigendum est: *regumque.*

35. 1: *Et legati a Philippi conloquio ita digressi sunt, ut prae se ferrent, nihil eorum sibi placere, et Philippus minime, quin rebellandum esset, dubius; qui tamen, quia immaturae ad id vires erant, ad moram interponendam Demetrium ... mittere Romam ... statuit.*

Varietas lectionum, quae in cod. inveniuntur, haec est: *dubius qui dum quia* — *dubius quidem quia* — *dubius quia* — *dubius; quia tamen.*

Legendum credo: *et Philippus minime, quin rebellandum esset, dubius quievit. quia immaturae* e. q. s. Cf. c. 56. 2: et nullo lacessente peropportune quieverunt Lusitani, III 48, 3: quiesse erit melius, XXII 14, 2: quieverant enim per paucos dies.

ibid. 8: *clamor undique ortus, referret nominatim de iis.*

In cod. M cum traditum sit *referri*, olim scriptum fuisse suspicor: *referri ⟨oportere⟩ nominatim de iis.*

36. 12: *quod cum alii laudent, . . . quonam modo ea, quae belli iure acta sunt, in disceptationem veniunt?*

Si quid video, requiritur modus potentialis *veniant.*

37. 5: *vestrae enim illae deformes veluti notae servitutis erant et, cum sine muris per octingentos prope annos liberi . . . fuissetis, muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos servistis.*

Quia in cod. M scriptum est *veluti cicatrices* neque hoc vocabulum huic loco aptum est, Weissenborn lectionem cod. rec. et ed. antiquiss., quae est *notae*, ex illo cod. supplevit addendo voc. *veluti*, id quod Zingerleio probavit. Equidem cod. rec. veram lectionem servasse credo, verba autem *veluti cicatrices* vocabuli *notae* glossam esse existimo.

Pro *circumdatis* vix dubito quin restituendum sit *circumdati*: frequentissimum est apud Livium asyndeton bimembre.

ibid. 14: *rc apud Achaeos precaria libertas, apud Romanos etiam imperium est. sentio, Appi, et, si non oportet, non indignor; sed oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos et Achaeos, modo ne* e. q. s.

Lectionem *si non oportet* corruptam esse inter criticos fere constat. Ut adhuc emendata non sit inde factum esse opinor quod verba non bene interpretati sunt. Weissenborn explicat: „wenn ich nicht (durch euer Verfahren, eueren Uebermuth) dazu genöthigt werde, bin ich nicht unwillig darüber", doch ist

der Gedanke und Ausdruck gesucht. Hertz dubitanter proposuit: *et, ⟨et⟩si oportet, non.* Ambo igitur ad *oportet* cogitatione supplent: *indignari.* At corrigendum est: *et, ⟨et⟩si non oportet* (sc. apud Achaeos precariam libertatem, apud Romanos etiam imperium esse), *non indignor.* Id Livium voluisse sequentia satis comprobant.

40. 5: *huic* (h. e. M. Porcio Catoni) *versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret.*

Recte Weissenborn observavit, verborum compositionem insolitam esse. Mihi in mentem venit, fortasse pro *pariter* scriptum fuisse: *paratum.*

ibid. 10: (Cato) *asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae, divitiarum.*

Malim: *gratiae ⟨ac⟩ divitiarum* quam *gr. ⟨et⟩ d.*, quod Madvig proposuit.

41. 1: *Hunc, sicut omni vita, tum petentem premebat nobilitas.*

Pro *petentem* altera lectio est: *p̃sentem* vel *presentem,* sed plerumque editores Lipsii coniecturam *prensantem* recipiunt. Equidem legendum arbitror: *tum praesertim.* Deinde haec sequuntur:

coierantque praeter L. Flaccum ... candidati omnes ad deiciendum honore.

At exstat in cod. mss.: *coierant apud praetorem* et Gelenio debetur emendatio *praeter,* sed pro *coierantque* edidit: *consenserantque.* I. F. Gronovius coniecit: *coierant autem praeter,* verum magis mihi placet: *coierant adeo praeter.*

42. 7: *Catonis et aliae quidem acerbae orationes exstant in eos, quos aut senatorio loco movit aut quibus equos ademit, longe gravissima in L. Quinctium oratio, qua* e. q. s.

Post *ademit* excidisse credo: *at.*

43. 2: *ibi iactantem sese scorto inter cetera rettulisse, quam*

acriter quaestiones exercuisset et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset.

Dittographiam vides, nam *et* post *exercuisset* exstirpandum est.

49. 5: (Philopoemenem) *iacentem hostes superfusi oppresserunt; cognitumque [p r i m u m] a verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque.*

Editor *primum* ut repetitum e versu proximo superiore cum Ussingio inclusit. Fortasse compendium *pr.* = praetorem scriba male interpretatus est. Cf. § 1 supra: Eventus memorabilis est, quod, cum bello superiores essent Achaei, Philopoemen p r a e t o r eorum capitur.

50. 6: *multitudo quidem integra ... parcendum ac per eum remedia quaerenda esse praesentium malorum censebant; defectionis auctores ... omnes ad necem eius consentiebant.*

Ita fere editur, cum in cod. M fuisse videatur: *sed defectionis* et Drakenborch *at defectionis* coniecerit. An forte: *defectionis* ⟨*a u t e m*⟩ *auctores*?

53. 6: *Philippus ipse, vix sui arbitrii fore, quem heredem regni relinqueret credens, sibi quoque graviorem esse, q u a m v e l l e t, minorem filium censebat.*

Dele frigidum emblema *quam vellet,* quo fatuus quidam comparativum *graviorem* explicare sibi visus est.

Lib. XL.

4. 3: *Herodicum ... occiderat, generos quoque eius postea interfecit; in viduitate relictae filiae singulos filios parvos habentes; Theoxena et Archo nomina iis mulieribus erant. Theoxena multis petentibus aspernata nuptias est; Archo Poridi cuidam ... nupsit.*

Forsitan olim scriptum fuerit: *aspernata* ⟨*n o v a s*⟩ *nuptias est.*

6. 1: *caput mediae canis praecisae et p r i o r pars ad dexteram, cum extis posterior ad laevam viae ponitur.*

Ita locus in ed. Basil. 1535 constitutus est, quam Zingerle

est secutus. Quandoquidem in cod. M voc. *prior* non fuit atque Weissenborn iure observat: „da durch diesen Ausdruck, durch *caput* u. *posterior* schon hinreichend bezeichnet wird, dass mit *pars ad dextr.* der vordere Theil gemeint sei, so ist nicht sicher, dass das von Gelenius zu *pars* gesetzte *prior* von L. selbst herrühre", mihi videtur vera fuisse lectio: *et* ⟨ea⟩ *pars.*

7. 9: *Demetrius per vinum, quod excluderetur, paulisper vociferatus in convivium redit, totius rei ignarus.*

Glareanus pro *per vinum* coniecit: *per viam.* Malim: *de superbia.* Liv.: vociferatus de superbia patrum ac crudelitate feneratorum.

8. 1: *Postero die Perseus, cum primum conveniendi potestas patris fuit, regiam ingressus perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit.* [*cui*] *cum pater „satin salvae?" et quaenam ea maestitia esset interrogaret* [*eum*], *„de lucro tibi" inquit „vivere me scito".*

Editorem huic loco male consuluisse puto eo quod I. F. Gronovio obsecutus *cui* et *eum* uncinis inclusit. Primum *patris* — *patris* non a Livii manu profecta credo, cum praesertim in cod. plerisque voc. *potestas* omissum sit. Persuasum mihi est, illud *patris* (post *potestas*) interpretatori deberi et eliminandum esse. Deinde legendum videtur: *constitit. qui cum* [*pater*] ... *interrogaret eum.*

9. 8: *frater, non comisantium in vicem iam diu* ⟨*ritu*⟩ *vivimus inter nos.*

Editor *ritu*, quod Dobree coniecerat, addidit, Weissenborn ex altera eiusdem coniectura *more* post *in vicem*, Hertz ex tertia eiusdem coniectura ibidem *vitam* adiecit, Madvig *animis* ibidem vel ante *vivimus* addendum censuit. Immo, opinor, per haplographiam peccatum esse et *m̄* in archetypo exaratum fuisse post *comisantium* aut post *vicem*, scribendum igitur: *non comisantium* ⟨*modo*⟩ *in vicem iam diu vivimus inter nos* vel *n. c. in vicem* ⟨*modo*⟩ *iamdiu v. i. n.* Cf. III 29, 5: comisantium modo currum secuti sunt.

ibid. 10: *omnia moliris et temptas. adhuc seu cura mea seu fortuna restitit parricidio tuo. hesterna* d i e *in lustratione et decursu et simulacro ludicro pugnae funestum prope proelium fecisti.*

In cod. plerisque *die* non legitur, quod si retinendum est, utique *hesterno* scribendum cum Drakenborchio demonstrat c. 10. 7: vidisti hesterno die impetum militum in me. At vero voc. *hesterna* quin sanum sit non est dubitandum, sed reponendum: *hesterna* a d e o *in lustratione* e. q. s.

12. 17: *nisi T. Quinctium credis ... cum* e t *ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternae caedis fuisse auctorem.*

Miram, hercle, intellegentiam ironiae Weissenborn prodit, ubi ad verba *et ipse* explicanda annotat: „wie nach der ironischen Voraussetzung Demetrius mit Perseus". Si usquam, hoc certe loco ironia intempestiva esset neque Madvig ita censuit, qui coniecit: *et ipse* ⟨*talis sit et*⟩ *tali pietate.* Mihi vero locus in integrum restituendus videtur una vocula *et* inducta.

Deinde continuo haec sequuntur § 18:

idem non Romanorum gratiam solum, sed Macedonum iudicia ac paene omnium deorum hominumque consensum collegit, per quae omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit, idem, tamquam aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris ultimam spem confugisse me insimulat.

Nonne totius loci compositio exigit: *idem,* ⟨q u i⟩ *non Romanorum* e. q. s.

13. 3: *dies qualis? quo ... praelatis omnium, qui umquam fuere, Macedoniae regum armis* r e g i i s, *duo soli tua tegentes latera, pater, praevecti sumus.*

Quamquam Weissenborn affirmat, vocabula *regum — regiis* consulto copulata esse, Kochio credo voc. *regiis* lectionem male sanam esse; non tamen cum eo *regii iuvenes* emendare velim, sed *reguli,* quo nomine Livius regum filios saepe indicare solet, ut XLII 24, 10; XLIII 3, 5; XLV 14, 1 et 6; corrigas igitur quaeso: r e g u l i *duo soli.*

15. 4: *illud nec debui facere nec debeo, ut te patre indignus omnibus videar.*

Ita cum duobus cod. rec. Zingerle edidit, cum in reliquis omnibus libris sit: *indignus te patre, indignus omnibus*. Magnae coniecturarum copiae, quibus huic loco mederi summi critici conati sunt, hanc meam addere liceat: *ut indignus te patre, indignus* ⟨*r e g i b u s*⟩ *omnibus videar*. Cf. X 13, 13: P. Decium... dignum vobis, dignum parente suo, quaeso mecum consulem faciatis.

ibid. 7: *si bellum esse coeperit, qui obses, qui legatus pro p a t r e non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero.*

Immo: *pro pace*. Cf. § 8 infra: pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum.

ibid. 10: *si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adulescentiae, te errori veniam impetrare m e o. ubi praesidium esse oportebat, ibi exitium est.*

Teste Weissenbornio tradita lectio est: *impetrare meo. in eo ubi pr.*, in quibus ipse *in eo* Crevierio praeeunte delevit, cum alii *sed* vel *nunc* legere voluerint. Zingerle modo se cum Madvigio *meo* pro *in eo* scripsisse in app. crit. annotavit.

Legendum credo: *impetrare meo. i m o ubi pr.*

ibid. 15 *apud quem etiam si caritate a fratre m a i o r e vincor, misericordia certe reus vinci non debeo.*

Voc. *maiore*, ab hoc loco alienum, in cod. plerisque merito abest.

16. 3: *haec vivo Philippo velut semina iacta sunt Macedonici belli, quod m a x i m e cum Perseo gerendum erat.*

Madvig ad h. l. scripsit: „*maxime* corruptum est, sed neque *mox*, quod olim dubitanter posui, neque *proxime* satisfacit." Nonne verisimile videtur, voc. *maxime* e versu superiore (*haec maxime vivo Philippo*) per scribae errorem huc traiectum esse? Livium hoc adverbium adamasse notum est; ex hoc libro haec pauca exempla affero c. 20. 3 et 6, c. 24. 1, c. 31. 9, c. 37. 5.

19. 10: *sed magis inchoatae apud L. Pupium praetorem quaestiones erant quam ad exitum u l l u m perductae.*

Cod. pauci *ullum* — plerique *ullae* praebent. Nescio an fuerit: *ad exitum* *u l t r a* *perductae.*

21. 2: *cupido eum ceperat in verticem Haemi montis ascendendi, quia vulgatae opinioni crediderat, Ponticum simul et Hadriaticum mare et Histrum amnem et Alpes conspici posse.*

Desidero *inde,* quod aut ante *Ponticum* aut ante *conspici* excidisse credo. Cf. Strabo VII 5, 1 p. 313: Αἶμον ὄρος — ὑψηλότατον, μέσην πως διαιροῦν τὴν Θρᾴκην, ἀφ' οὗ φησι ὁ Πολύβιος ἀμφοτέρας καθορᾶσθαι τὰς θαλάττας, οὐκ ἀληθῆ λέγων· καὶ γὰρ τὸ διάστημα μέγα τὸ πρὸς τὸν Ἀδρίαν.

21. 7: *non fallebat Demetrium ablegari se, ne adesset consilio, cum in conspectu locorum* *c o n s u l t a r e t*, *quae proxime itinera ad mare . . . ducerent.*

Emendandum est: *consultaretur.*

ibid. 8: *sed non solum parendum patri* *t u m*, *sed etiam adsentiendum erat, me invitum parere suspicionem faceret.*

Lectio *patri tum* e cod. nonnullis fere recipitur, reliqui *tutũ* exhibent.

Legendum: ⟨*ac*⟩*tutum,* cl. XXIX 14, 5: (mater Idaea) quam praeterquam quod M. Valerius unus ex legatis praegressus a c t u t u m in Italia fore nuntiaverat, recens nuntius aderat Terracinae iam esse.

22. 4: *ut vero iugis adpropinquabant, quod rarum in* *a l t i s* *locis est, adeo omnia contecta erant nebula, ut haud secus quam nocturno itinere impedirentur.*

Madvig lectionem suam *altis* pro *aliis,* quod in cod. et ed. vet. legitur, editoribus probavit, quamquam Weissenborn observat: „wol L.'s Urtheil, nach der Erfahrung sollte man *haud* oder *non rarum* erwarten". Equidem suspicor, Livium non *in altis,* sed *in* *i l l i s* *locis* scripsisse.

ibid. 9: *itaque unum tantum moratus diem, quietis* *e o r u m* *causa, quos habuerat secum, itinere inde simili fugae in Dentheletos transcurrit.*

Modo cognovimus § 6: „vexati omnes et ante alios rex ipse, quo gravior aetate erat, difficultate viae est'' neque igitur credibile est, paulo post Livium scripturum fuisse, regem eorum causa, quos secum habuerat, unum diem quievisse, quasi ipse minime fatigatus esset. An forte legendum: *quietis equorum causa?*

23. 6: *tandem legati, iam ante praemeditati in Macedonia, quae ab Roma renuntiarent, venerunt.*

Tollendum est insipidum emblema *in Macedonia.*

27. 14: *ad haec consentiens reddebatur [militum] clamor, nullam militum culpam esse, quibus nemo ad erumpendum signum dedisset.*

Pro *militum,* quod in cod. M legitur, fortasse restituendum est: *omnium.*

28. 2: *dispersi, inordinati exibant, ut quibus prope certum esset, hostes extra vallum non elaturos signa.*

Muretus *prope* emendavit pro tradita lectione *pro se,* sed vere Weissenborn ascripsit: „*prope* statt des hds. *pro se,* obgleich dem Zusammenhange eine Verringerung nicht ganz entspricht; die gewöhnliche Lesart *pro spe* lässt sich sprachlich kaum rechtfertigen.'' Corrigendum credo: *ut quibus prorsus certum esset.*

36. 3: *novo autem an vetere exercitu opus sit, eius esse dicere, qui scire possit, qua fide Celtiberi in pace mansuri sint, simul et qui illud exploratum habeat, quieturos milites, si diutius in provincia retineantur.*

Reddendum est Livio: *quieturos* ⟨*veteres*⟩ *milites.* Cf. § 13: octo legiones praeter exercitum veterem, qui in Liguribus in spe propinqua missionis erat, eo anno esse placuit, c. 38. 8: cum veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab senatu est decretus.

38. 1: *Ligures, qui ante adventum in provinciam consulum non expectassent bellum, inproviso oppressi ad duodecim milia hominum dediderunt se.*

Cobet, duas litteras excidisse ratus, legendum censuit: *Ligures, ⟨ut⟩ qui*, sed nescio an sit verisimilius, voc. *quippe* a librario ante *qui* praetermissum.

41. 2: *Postumius prima et tertia legione Ballistam Letumque montes obsedit et premendo praesidiis angustos saltus eorum commeatus interclusit.*

Corrigendum videtur *impediendo*, ut alibi L. scripsit: „saltum munitionibus impedire" et IX 2, 8: „per alium saltum artiorem impeditioremque".

42. 6: *sacerdotes quoque áliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus pontifex mortuus est; in eius locum suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex ulteriore Hispania redierat, triumvir epulo; Q. Fulvius M. f. in locum eius triumvir cooptatus; ⟨is⟩ tum praetextatus erat.*

Requiro: ⟨*mortuus est*⟩ *P. Manlius*; verba *mortuus est* eo quod in versu proximo superiore etiam leguntur, neglegi facile potuerunt. Verba ultima, in quibus *is* a Madvigio additum est, ita repono:

Q. Fulvius M. f., in locum eius triumvir cooptatus, ⟨etiam⟩ tum pr. erat.

45. 8: *quo repente principes senatorum cum agmine venerunt civitatis, inter quos Q. Caecilius Metellus verba fecit.*

Voc. *civitatis* suspectum habeo èt propter locum quem obtinet èt cl. locis c. 46. 15: et cura super tali re principum et facilitas censorum egregie comprobata ab senatu et laudata est, c. 56. 7: cum in Thracia Perseus abesset, circumire Macedoniae urbes principibusque Antigonum commendare, c. 57. 4: id ut facere posset, regionum principes donis coluerat, Cic. Cat. III 6, 13: dictae snnt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est secutus.

47. 1: *Eodem anno in Hispania L. Postumius et Ti. Sempronius propraetores comparaverunt ita inter se, ut in Vaccaeos per Lusitaniam iret Albinus; in Celtiberiam inde reverteretur, si maius ibi*

bellum esset; Gracchus in ultima Celtiberiae penetraret; ⟨*is*⟩ *Mundam urbem primo vi cepit, nocte ex inproviso adgressus.*

Ita I. F. Gronovius locum constituit, *is* addidit Weissenborn. Leguntur autem in cod.:

iret Albinus in Celtiberiam inde reverteretur si Gracchus maius sibi bellum esset in ultima Celtiberiae penetraret Mundam

Emendandum esse existimo:

iret Albinus; in Celtiberiam inde reverteretur si Graccho maius ibi bellum esset; ⟨*Gracchus*⟩ *in ultima Celtiberiae penetraret. Mundam urbem praetor vi cepit.*

H. e. si Gracchus bello in Celtiberia gerendo par non esset, Albinus eo reverteretur e Vaccaeorum regione ad opem ei ferendam.

Voc. *primo* e male intellecto compendio *pr.* (= praetor) ortum puto. Cf. § 5 infra: nihil prius petierunt a praetore quam ut bibere sibi iuberet dari, Oros. IV 20: Gracchus praetor ibidem iterum ducenta oppida expugnavit.

54. 1: *Eodem anno Philippus rex Macedonum, senio et maerore consumptus post mortem filii, decessit. Demetriade hibernabat, cum desiderio anxius filii tum paenitentia crudelitatis suae.*

Verba *post mortem filii* interpretatori reddenda sunt. Deinde cum post *suae* in Mogunt. *quae* exaratum sit, unde nonnulli sententiam relativam excidisse suspicati sunt, Livius forsitan scripserit: *crudelitatis suae* ⟨*saevitiae*⟩*que.*

55. 4: *„homo unus omnium, qui nodum huius erroris exsolvere possit, in potestate tua est Xychus. forte oblatum perductumque in regiam vocari iube." adductus primo ita negare inconstanter, ut e. q. s.*

Tam locus ipse, quem nunc nomen *Xychus* obtinet, quam sana ratio arguit, id traiciendum esse in versum sequentem ante verbum *adductus.*

DE DUOBUS HERACLITI FRAGMENTIS.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.



I.

Anno 1848 Bernaysius [1]) in dissertatione sua e duobus locis Procli et Clementis Heracliti sententiam illam resarsit, quae nunc apud Dielsium [2]) legitur hoc modo: τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρήν; δήμων ἀοιδοῖσι πείθονται καὶ διδασκάλῳ χρείωνται ὁμίλῳ οὐκ εἰδότες ὅτι οἱ πολλοὶ κακοί, ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί. In his multi viri docti, iure quidem, ut ego sentio, in copulatione vocabulorum quae sunt δήμων ἀοιδοῖσι offenderunt. Ipsi Bernaysio in mentem venerat pro ἀοιδοῖσι scribere ἀοιδῇσι. Bergkius [3]) admodum infeliciter scripsit φρὴν δαίμων i. e. δαήμων, nam non possumus quin sentiamus substantivum φρήν hic nullum adiectivum, qualecumque sit, tolerare. Tandem Bywater δήμων tamquam interpretationem praecedentis αὐτῶν seclusit eumque secutus est Wilamowitzius [4]). Sunt tamen etiam non ita pauci qui vocabulorum δήμων ἀοιδοῖσι inter se copulatorum propugnationem suscipiant. Inter quos Lassalle [5]) ad verbum vertere ausus est: *den Sängern der Völker*. Optimo vero iure Bergkius l.l.: „quod poetae, qui sane magistri et duces Graecae gentis erant, δήμων

1) Bernays, Heraclitea, diss. Bonn. 1848, p. 34; Gesamm. Abhandl. p. 32.
2) Diels, Vorsokratiker², I, p. 98, frg. 104; Bywater, Heracl. rell. frg. 111.
3) Bergk, Heraclitea; Opusc. philol. Bergkiana, II, p. 88.
4) Wilamowitz, Griech. Leseb. I, p. 34.
5) Lassalle, Die Philosophie Herakleitos' des Dunklen, II. p. 303.

ἀοιδοί vocantur, id satis est insolenter dictum et haud scio an non conveniat cum Graecae linguae ingenio." Atqui minui difficultatem plerique hodie putant, si meminerimus *δήμους* vocari etiam *pagos* et *rus*. Sic Schuster [1]) vertit: *Bänkelsängern*, Cron [2]): *Volkssängern*, Diels: *Strassensängern*, Nestle [3]): *landfahrenden Sängern*. Numne vero, si hoc modo interpretemur, tota sententia Heracliti ingenio adhuc digna videatur? Censesne illum cum hominum genere digladiari voluisse, quorum vita et quaestus etiam vulgi iudicio sordent? Cantores populares aggredi infra se putaverit. Neque magis *χρησμολόγους*, quales V° saeculo Athenis fuerunt Lampo Diopithes Hierocles, eorumque assectatores vellicare eum existimo. Poetas sane Graecorum insectatus est, sed principes ducesque, ut Homerum [4]) et Archilochum [5]) et Hesiodum [6]), quem *διδάσκαλον πλείστων* esse ait, sed *πολυμαθίῃ νόον* assequi non potuisse quemque ipse regia stirpe oriundus forsitan propterea oderit, quod invectus est in *βασιλῆας δωροφάγους* [7]), qui ius contemnere soleant [8]) et similes sint milvis, qui luscinias comprensas tenent et eviscerant [9]).

Copulatio igitur vocabulorum *δήμων ἀοιδοῖσι* mihi quoque improbanda videtur. Nihilominus Bywatero vocem *δήμων* delenti assentiri nequeo. Quid enim? Primum *δήμων* et apud Clementem et apud Proclum traditum est. Si igitur sumamus hanc vocem tamquam interpretamentum praecedentis *αὐτῶν* in textum irrepsisse, necesse sit concludamus eam iam medio altero saeculo p. C. n. vel antea se insinuasse, idque non in unum aliquod exemplar, sed in omnes Heracliti editiones, quas viri eruditi tunc manibus terebant. Quod quam parum probabile sit, non est quod impensius demonstrem. Tum numerus pluralis vocis quae est *δῆμος*, licet adhuc, ut infra ostendam, saeculo IV°

1) Schuster, Heraklit von Ephesus, Act. soc. philol. Lips. III (1873), p. 69.

2) Cron (Philol. 1889, p. 224) vertit *δήμων* per *Ortsgemeinden*, simul autumans ipsum Xenophanem optime ab Heraclito *δήμων ἀοιδόν* dici potuisse!

3) W. Nestle, Die Vorsokratiker in Auswahl, p. 115.

4) Heracl. frg. 119 Bywater; 42, 56 Diels.

5) Heracl. frg. 119 Bywater; 42 Diels.

6) Heracl. frg. 16, 35 Bywater; 40, 57 Diels.

7) Hesiod. Op. 38 sq.

8) Ibid. 248—264.

9) Ibid. 202—212.

a. C. n. apud Atticos eo, quem vult Bywater, sensu usurpatus sit, postea tam raro occurrit, ut vix veri simile sit grammaticum aliquem serioris aevi eo usum esse. Postremo vero vide ne, voce *δήμων* deleta, vocabulum expuleris, quod unum omnium optime explicet, cur haec de qua agimus Heracliti sententia a Proclo laudata sit. Age evolvamus commentarios eius, si mecum sentias rem ita habere ut dico. Plat. Alcib. p. 110, e profitetur Alcibiades se quid iustum quidve iniustum sit didicisse *παρὰ τῶν πολλῶν*. Respondet Socrates: *οὐκ εἰς σπουδαίους γε διδασκάλους καταφεύγεις εἰς τοὺς πολλοὺς ἀναφέρων*. Hac occasione Proclus (ed. Cousin², p. 525) utitur, ut etiam imperium populare reprehendat: *διὰ γὰρ τοῦτο καὶ δημοκρατίαν ἀγαθὴν καὶ σπουδαίαν εὑρεῖν ἀδύνατον, ὅτι δεῖ μὲν ἑκάστην πολιτείαν τότε τοῦ εὖ τυγχάνειν, ὅταν τὸ ἄρχον ἐν αὐτῇ τὴν προσήκουσαν ἐπιστήμην ἔχῃ· τὸ δὲ ἐν ταῖς δημοκρατίαις ἄρχον ὁ δῆμός ἐστιν· ὁ δέ γε δῆμος ἐπιστήμην οὐ πέφυκεν ἴσχειν οὐδὲ κατ' ἐπιστήμην ζῆν, ὥστε οὐδὲ δημοκρατία ἂν γένοιτό ποτε σπουδαία . . . ὀρθῶς οὖν καὶ ὁ γενναῖος Ἡράκλειτος ἀποσκορακίζει τὸ πλῆθος ὡς ἄνουν καὶ ἀλόγιστον· τίς γάρ αὐτῶν, φησί, νόος ἢ φρὴν δήμων * αἰδοῦς ἠπιόων τε καὶ διδασκάλῳ * χρειῶν τε ὁμίλῳ οὐκ εἰδότες ὅτι οἱ πολλοὶ κακοί, ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί. ταῦτα μὲν ὁ Ἡράκλειτος· διὸ καὶ ὁ σιλλογράφος ὀχλολοίδορον αὐτὸν ἀπεκάλεσεν.*

Non igitur *δήμων* expungendum, sed alia medicina circumspicienda est. Omnia sana erunt, nisi fallor, si aliter distinguemus. Sit sane distinctio apud Heraclitum res valde anceps. De qua in universum rectissime Aristoteles: *τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διαστίξαι ἔργον διὰ τὸ ἄδηλον εἶναι ποτέρῳ πρόσκειται τῷ ὕστερον ἢ τῷ πρότερον*. Sed nihilominus hoc quem tractamus loco certa ratione nos pravam distinctionem corrigere posse arbitror, quae iam Clementem decepit (Strom. V, 9, 4: *αἱ γοῦν Ἰάδες Μοῦσαι διαρρήδην λέγουσι τοὺς μὲν πολλοὺς καὶ δοκησισόφους δήμων ἀοιδοῖσι ἕπεσθαι καὶ * νόμοισι χρέεσθαι*). Scribere suadeo, ut Proclus quoque scripsisse mihi videtur: *τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρὴν δήμων; ἀοιδοῖσι πείθονται καὶ διδασκάλῳ χρείωνται ὁμίλῳ κτλ.* *Quae sapientia, quis sensus est ipsius plebis?* inquit, audi plebis *ἐν ταῖς δημοκρατουμέναις πολιτείαις* procerum ductu destitutae et suo arbitrio rempublicam tractantis. *Vatibus credit et vulgo praeceptore utitur* i. e. de gravissimis rebus multitudinis concio-

nantis placitis obtemperat, cum paucorum optimatium consilia sequi deberet vel etiam *βουλῇ πείθεσθαι ἑνός* [1]).

Quod Heraclitus in universum de plebe in civitatibus imperio populari subiectis agens plurali numero *δήμων* usus est, mirum esse nego. Atticos certe ita nonnumquam locutos esse docent hi loci: Xenoph. Cyrop. I, 1, 1: *ὅσαι τε ὀλιγαρχίαι ἀνῄρηνται ἤδη ὑπὸ δήμων.* Plato, Gorg. p. 502, d: *τὸν Ἀθηναίων δῆμον ... καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι δήμους τοὺς τῶν ἐλευθέρων ἀνδρῶν.* Ibid. e: *ὥσπερ παισὶ προσομιλοῦσι τοῖς δήμοις.* Leg. III, p. 684, b: *βοηθήσειν δὲ (ὤμοσαν) βασιλῆς τε βασιλεῦσιν ἀδικουμένοις καὶ δήμοις καὶ δῆμοι δήμοις καὶ βασιλεῦσιν ἀδικουμένοις.* Ibid. c: *νόμους, οὓς ἑκόντες οἱ δῆμοι καὶ τὰ πλήθη δέξονται.* ibid. p. 690, e: *περὶ βασιλέας ἢ ... ἐν τοῖσι δήμοις.* Demosth. de republ. ordinanda, 8: *μείζω χρὴ νομίζειν ... τὴν πρὸς τὰς ὀλιγαρχίας ... ἔχθραν ἢ τὴν πρὸς τοὺς δήμους.* Adv. Lept. 15: ... *ᾧ μόνῳ μείζους εἰσὶν αἱ παρὰ τῶν δήμων δωρεαὶ τῶν παρὰ τῶν ἄλλων πολιτειῶν διδομένων ... τῇ δὲ τιμῇ καὶ τῇ βεβαιότητι τὰς παρὰ τῶν δήμων δωρεὰς εὑρήσετ' οὔσας βελτίους.* Aristot. Polit. III, 11, p. 1282, a: *αἱ δ' εὔθυναι καὶ αἱ τῶν ἀρχῶν αἱρέσεις εἰσὶ μέγιστον· ἃς ἐν ἐνίαις πολιτείαις ... τοῖς δήμοις ἀποδιδόασιν· ἡ γὰρ ἐκκλησία κυρία πάντων τῶν τοιούτων ἐστί.* IV, 1, p. 1317, a: *δύο γάρ εἰσιν αἰτίαι, δι' ἅσπερ αἱ δημοκρατίαι πλείους εἰσί, πρῶτον μὲν ἡ λεχθεῖσα πρότερον, ὅτι διάφοροι οἱ δῆμοι* ... IV, 7, p. 1321, a: *ταύτῃ δ' ἐπικρατοῦσιν ἐν ταῖς διαστάσεσιν οἱ δῆμοι τῶν εὐπόρων· ψιλοὶ γὰρ ὄντες πρὸς ἱππικὴν καὶ ὁπλιτικὴν ἀγωνίζονται ῥᾳδίως.* Luc. Phalar. A, 7: *οἱ δῆμοι οὐκ ἐξετάζοντες ὁποῖός τις ὁ τοῖς πράγμασιν ἐφεστώς ἐστιν, εἴτε δίκαιος εἴτε ἄδικος, ἁπλῶς αὐτὸ τὸ τῆς τυραννίδος ὄνομα μισοῦσι.*

Restitutam Heracliti sententiam qui recte leget et vocem *αὐτῶν* et vocem *δήμων* acuet, quarum haec consulto ab illa divulsa et in finem sententiae reiecta est. Quod licet indoli sermonis Graeci maxime accommodatum sit, notandum tamen verbi transgressionem huiusce generis [2]) apud vetustissimos scriptores rariorem esse ideoque vim peculiarem habere, cum posteriores ea plerumque sine modo et discrimine uti consueverint. Atque

1) Heracl. frg. 110 Bywater, 33 Diels.
2) Cf. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 2, § 607.

vix alterum locum invenias, ubi per huiusmodi *ὑπέρβατον* tantum pondus orationi additum sit: tam praeclarus scribendi artifex Heraclitus. Nescio autem an apud ipsum etiam alterum eiusdem figurae specimen extet in notissima sententia: *αἱρεῦνται γὰρ ἓν ἀντὶ ἁπάντων οἱ ἄριστοι, κλέος ἀέναον, θνητῶν*[1]). Hic Dielsius recte *θνητῶν* neutrius generis esse dixit; cf. Democr. frg. 189: ... *εἴ τις μὴ ἐπὶ τοῖς θνητοῖσι τὰς ἡδονὰς ποιοῖτο.* Constructionem vero cum Wenkebachio[2]) ita explicandam esse censet, ut dicat Heraclitus: *οἱ ἄριστοι αἱρεῦνται ἓν ἀντὶ ἁπάντων, κλέος ἀέναον* (*ἀντὶ*) *θνητῶν.* Ancipitem rem esse non nego neque Wenkebachii argumenta despicio. Sed aequo certe iure Heracliti verba hoc modo construi posse puto: *οἱ ἄριστοι αἱρεῦνται ἕν, κλέος ἀέναον, ἀντὶ ἁπάντων θνητῶν.* Sed haec ultima *ἐν παρενθήκης μέρει.*

Aspice iam, quo, signo interrogationis transposito, pervenerimus: simul de placitis et mente Heracliti nos disputasse fateberis. Nunc demum in fragmento de quo egimus agnoscimus *τὸν ὀχλολοίδορον.* Nunc enim videmus philosophum hic non, ut etiam Zellerus[3]) perperam arbitratus est, communem hominum ignorantiam et insipientiam carpsisse neque vero haec componenda esse cum fine sententiae Pythagoreae apud Stob. Ecl. IV, 5, 42: *ποίει ἃ κρίνεις εἶναι καλά, κἂν ποιῶν μέλλῃς ἀδοξεῖν. Φαῦλος γὰρ κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος.* Imo, nisi omnia fallunt, illius Heracliti operis partis fragmentum tenemus, quae *λόγος πολιτικός* ab antiquis grammaticis dicebatur. Optime, quod ad sententiam attinet, cum Heracliti maledictis comparare possis Ps. Xen. de republ. Athen. I, 5: *ἐν δὲ τῷ δήμῳ* (*ἔνεστι*) *ἀμαθία τε πλείστη καὶ ἀταξία καὶ πονηρία,* Plat. Ax. p. 369, a: *δῆμος γὰρ ... ἀχάριστον, ἀψίκορον, ὠμόν, βάσκανον, ἀπαίδευτον, ὡς ἂν συνηρανισμένον ἐκ σύγκλυδος ὄχλου καὶ βιαίων Φλυάρων,* imprimis vero Cicer. pro Planc. IV, 9: „non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia."

(*Continuabitur*).

---

1) Heracl. frg. 111 Bywater, 29 Diels.
2) Herm. 1908, p. 91 sq.
3) Zeller, Die Philos. der Griechen, I⁴, p. 457 sq.

DE HORATII SATIRAE L. II QUINTAE
VSS. 103 SQ.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Nihil unquam hac satira scriptum est iocosius facetiusve, qua Tiresias, tamquam si aetate imperatoria Romanus cum Romano loqueretur, Ulyssem admonet ut damnum a procis Penelopae rei familiari suae illatum compensare studeat caelibum et orborum testamentis captandis. Iam Damae, spurci hominis sed pecuniosi, abiectissimum fingit adulatorem Laërtae filium, ad nullum non quamvis turpe officium paratum, atque post multa alia haec eum iubet:

Cum te servitio longo curaque levarit
Et certum vigilans „quartae esto partis Ulixes"
Audieris „heres": „ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?"
Sparge subinde et, si paulum potes illacrimare, est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue; funus
Egregie factum laudet vicinia.

In versus 103 fine fieri vix potest quin aut haereas aut certe paulisper subsistas. Quo magis mirum aequalium nostrorum neminem — sic saltem videtur — sentire quam sint absurda quae continuo sequuntur. Potest aliquis gaudia sua celare vel dissimulare vultu, potest etiam invitus ea prodere. Sed qui potest simul et prodere et celare? Hoc tamen inest in isto *gaudia prodentem vultum celare.* Neque persanatur locus hac

emendatione: *gaudia prudentem vultu celare* quamvis ea lectio praestet traditae. Nam qui tristis videri vult saepe *imprudens* gaudia prodit. Rectissime ergo alius, illo callidior, dicitur *prudens* celare gaudia. Sed rectissimum illud simul quam est languidum! Immo quam languidum est totum istud quod post vocabulum *illacrimare* additur! An docendi etiam sumus quo consilio adulator ille fictas fundat lacrimas? Et vide quam inepte addatur! Quo enim modo istud *est celare* accipiamus? An ita ut sit fere *fieri potest ut celes*? Sed quis unquam mortalium ita est locutus? An forte coniectura *illacrima, e rest* placet? Equidem, nisi Praedicovii eam esse me Hertzii doceret annotatio, Lachmanni esse putarem.

Nihil hic medicamina prosunt. Scalpro est utendum, sed nihil resecabimus quod non quomodo adcreverit sponte appareat. *Illacrimare* imperativus est, quod et alii intellexerunt et Schellerus (vide eius lexicon), non intellexit sciolus qui bellum istud *gaudia prodentem vultum celare* et commentus est et utcunque annexuit praecedentibus. Sed praeterea et alia fraude usus est. Scripsit enim Horatius:

> Sparge subinde et, si potes, illacrimare. Sepulcrum
> Permissum e. q. s.

At noster, ut integer evaderet scilicet versus, praeterea *paulum* infersit, alieno loco et sine ullo emolumento sententiae.

Hanc ego suspicionem cum Enkio proponerem, intercessit ille et: „de delendis" inquit „verbis *gaudia prodentem vultum celare* plane tibi assentior, sed parum mihi verisimile videtur sciolum ea inseruisse *inter* genuina Horatii verba et non solum sententiae causa *est,* sed praeterea metri causa *paulum* addidisse. Nimia ea est audacia. Alia ergo ratione utendum censeo, quam mihi ipse ordo verborum *sepulcrum permissum arbitrio sine sordibus exstrue* parum aptus commendat. Suspicor ergo sciolum, imperativi forma minus usitata in errorem inductum, *integrum* de suo finxisse hexametrum quem verbo *est* utcunque agglutinaverit praecedenti et, sua ipsum fraude coactum, pro *instrue* scripsisse *exstrue.* Audi enim quam bene sonent haec:

> permissum arbitrio sine sordibus instrue funus

et quam vere Horatianum colorem ille hexameter habeat."

Admodum mihi arridet accutissima illa disputatio, quam no-

vis argumentis corroborare posse mihi videor. Quorsum enim ista verbositas, qua nunc Tiresias separatim et de sepulcro et de funere loquitur? Nonne satis erat tantummodo *funus* commemorare, in quo insunt omnia quae ad supremos defuncti honores pertinent? Deinde haec audi:

/ sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue; / funus
Egregie factum laudet vicinia

nonne duriusculum videtur bis deinceps obiectum in fine versus et in initio sententiae positum? Postremo recte quidem dicitur *funus facere*, sed tecum perpende quantum elegantiae accedat verbis „*egregie factum* laudet vicinia", si praecedit „sine sordibus instrue funus".

Sed ne meam quidem coniecturam missam facere possum. Verborum enim traiectiones licet apud omnes poetas satis sint frequentes neque desint in Horatio, tamen mihi istud „si paulum potes illacrima" pro „paulum, si potes, illacrima" vehementer displicet, neque quidquam luminis vel decoris vox *paulum* huic praebet loco. Non tamen pro ea pugno, sed sive posthac mecum legetur:

Sparge subinde et, si potes, illacrimare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue. Funus
Egregie factum laudet vicinia,

sive cum Enkio:

Sparge subinde et, si paulum potes, illacrimare.
Permissum arbitrio sine sordibus instrue funus:
Egregie factum laudet vicinia

gaudebo laetaborque et optime urbanissimo poetae consultum censebo. Dummodo ne Horatio obtrudatur absurdum illud „est gaudia prodentem vultum celare" quod suo *e re est* ultro conspurcavit Praedicovius.

In Horatio enim — licet reclament novicii quidam critici — nihil fero quod sit elumbe, durum, horridum. Nihil ille, ut opinor, prodire in lucem passus est quod non quam limatissimum exactissimumque ipsi certe videretur.

AD EURIPIDIS MEDEAE VS. 11 SQ.

ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισιν, ἀνδάνουσα μὲν
Φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα κτἑ.

Verba haec sunt nutricis felicissimam fuisse Medeam narrantis donec ei paelex sit exorta. Et sunt manifeste corrupta. Sed operam perdiderunt qui pro *πολιτῶν* rescripserunt *πολίταις* (credibile enim non est sic librarium errare potuisse) aut *Φυλῇ* pro *Φυγῇ* quod est languidissimum: *Φυλὴ πολιτῶν*, quis unquam sic locutus est? Optime habet tam *Φυγῇ* quam *πολιτῶν*, sed in *ἀνδάνουσα* latet vitium, nam etiamsi scripsisset poeta alterutrum eorum quae coniecerunt viri doctt, scripsisset aliquid quod a proposito esset alienum. Et quid illud est quod Medea *ἀνδάνειν* quibuscunque tandem hominibus dicitur? Lenissima emendatione restitui potest quod Euripides scripsit et scripsit egregie. Vel pueris notum est illud *τυγχάνειν* cum duplici genitivo, quod conferri potest cum Latino *utendi* verbo cum duplici ablativo. Hanc structuram optimo iure poeta ad synonymum transtulit verbum *λαγχάνειν* scripsitque:

ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισι, λαγχάνουσα μὲν
Φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα.

Corinthum migravit Medea, sed ibi cives (*concives* ut nunc aiunt), nacta est incolas, inter cives est recepta et cum viro principe iuncta erat matrimonio firmo stabilique; habebat ergo quod exilium solaretur atque adeo vix exul sibi videri poterat.

J. J. H.

AD CICERONIS CAT. I § 1.

Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

Si quis otiose in sua desidens sella sentire tamen cupit quomodo post aliquod tempus afficiantur pueri, qui ludis plebeis machinae se dant circumagendos ut curru, equo, leone, elephanto vehi videantur, is mihi et alios de hoc loco legat commentarios et Laubmanni ad introductionem annotationem 51. C. Iohnii ibi impensa refertur doctrina, qua Laubmanno iudice tandem aliquando post multas multorum disputationes res ad exitum sit perducta. At equidem etiamnunc in eo haereo et haerebunt omnes, ut opinor, quibus id de quo ne dubitari quidem potest est persuasum, de *una sola* hic *nocte* agi atque agi posse, ea qua Catilinarii in Laecae aedes convenerunt. Sequitur ut voce *superiore* vox *proxima* illustretur. Ergone ista *quid superiore* deleamus? In risum erupturos credo haud paucos si quid eiusmodi proposuero, atque ipse probe sentio pravam esse rationem ea tollendi quae parum intelligas. Leniore ergo medicina utar et nil nisi alterum istud *quid* expungam. Cum enim *proximum* recte dicatur tam quod proxime praecedit quam quod proxime insequitur, saepe perspicuitati consulentes scriptores, ubi de re quae proxime praecessit agitur, adiectiva quae sunt *proximus* et *superior* inter se iungunt. Nullum est eius rei disertius exemplum quam quod apud Sanctum Augustinum legitur qui librum XXII C. D. sic orditur: „sicut in proximo libro superiore promisimus".

Solent autem qui de nostro loco disputant proficisci ab his in Sullana § 52 verbis: „quid tandem de illa nocte dicit (Cornelius), cum inter falcarios ad M. Laecam [nocte ea quae consecuta est posterum nonarum Novembrium me consule] Catilinae denuntiatione convenit?"

Sed surdus sit oportet qui, semel monitus, hic non agnoscat magistelli vocem. Quis enim in loco tam concitato putidam istam ferat diligentiam?

J. J. H.

INDEX.



